


6
37 M 1
30



LIBER PSALMORUM

CUM ARGUMENTIS, PARAPHRASI, ET ANNOTATIONIBUS.






LUTECIÆ PARISIORUM,

Apud Andream Pralard Bibliopolam & Typographum, viâ Jacobæâ, ad insigne Occasionis.

M. DC. LXXXIII.

Cum Privilegio Regis, & Approbatione Doctorum.



ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO
PARISIENSIUM ARCHIEPISCOPO

FRANCISCO HARLÆO

DUCI ET PARI FRANCIÆ,
REGIORUM ORDINUM COMMENDATORI,
SORBONÆ PROVISORI &c.

LUDOVICUS FERRANDUS A. P.
Æternam felicitatem.



TRUM operam meam in Psalmis explicandis collocare deberem diu multúmque, ILLUSTRISSIME ARCHIEPISCOPE, *dubitavi : nam, suscipere tantam rem quantam non modò facultate consequi difficile esset sed etiam cogitatione complecti, vix arbitrabar esse ejus qui vere-*

retur reprehensionem doctorum atque prudentium. Quid enim est majus quàm, quum tantus sit Interpretum celeberrimorum numerus tantáque reperiatur inter eos dissimilitudo, afferre aliquid novi & judicare quæ sit optima interpretatio? Quod, quoniam accepti beneficii memoria à me postulabat, aggressus sum non tam perficiundi spe quàm experiundi voluntate: malebam enim, quum officio meo forem obsequutus, desiderari prudentiam meam quàm, si id non fecissem, grati animi benevolentiam. Ea me jugiter impellebat ut in benemeritos Archiepiscopos, Episcopos, & universum Franciæ clerum memorem animum præstarem: quúmque eos Psalmis mirificè delectari cognoscerem, existimavi gratum me erga illos futurum si studium meum ad Psalmos explanandos conferrem. Itaque hoc opus conatus sum: quúmque illius exitum expediissem, distractus non fuit deliberando animus; neque ancipitem curam cogitandi de eo cui opus illud inscriberetur attulit: quando enim, ILLUSTRISSIME ARCHIPRÆSUL, *Gallicani Patres præfatum beneficium mihi, Te auctore tribuerunt; atque ita, quod unicuique eorum ex parte acceptum refero, totum Tibi debeo, opus meum nomini tuo nuncupandum esse facilè intellexi. Scilicet, ut dixi, collati in me beneficii ipse suasor primus & auctor fuisti: in eam autem venisti sententiam quia, quum omni doctrinâ ornatissimus sis, literis deditos amas; nihílque prætermittis, quantùm eniti potes, quin eorum rationibus prospiciatur, ipsísque otia fiant quæ nacti literariæ reipublicæ emolumento esse possint. Quâ quidem in re ut tibi,* ILLUSTRISSIME ARCHIEPISCOPE, *aliquam commu-*

nitatem cum doctorum nonnullis, literatos amantibus, esse non negaverim; ita confidenter affirmo scientiæ tuæ duas inesse dotes, quæ ab eruditorum cæteris ferè abesse solent. Nimirùm summam illa comitatem & modestiam incredibilem habet sibi adjunctas: quarum prior efficit ut omnes qui ad Te, negotia tractaturi, accedunt sereno vultu suscipias, iisque patientem aurem benignè atque hilariter accommodes; alterâ autem ita es comparatus ut nunquam turgescas. Quod eò magis mirum videri debet quòd apud Regum maximum gratiosus es; eáque, quâ flores, gratia nec comitatem minuit tuam nec modestiam. Utramque dotem, in magnâ auctoritate & præclarâ eruditione, tam eximiè colis, ILLUSTRISSIME ARCHIPRÆSUL, *ut nullius sit flumen ingenii, nulla dicendi aut scribendi tanta vis tantáque copia quæ dotes illas tuas exornare pro dignitate possit. Eas igitur diutiùs non persequar: sed Deum optimum maximum etiam atque etiam rogabo ut suis Te donis cumulet; &, post mortalis hujus vitæ decursum, ad gaudia sempiterna perducat. Luteciæ Parisiorum Calendis Maii. Anno salutiferæ Incarnationis sexcentesimo octogesimo tertio suprà millesimum.*



APPROBATIO.

Sapientissimi Magistri Leonardi Chapelas Doctoris sacræ Facultatis Parisiensis, & Curionis sancti Jacobi à Mactaboviâ.

ECCE, Lector, thesaurum quem non multa vis auri & argenti conflat, sed quem quæritandum indicavit mandavitque Christus Dominus, dicens: *omnis scriba doctus in regno cœlorum profert de thesauro suo nova & vetera.* Doctus in cœleste Psalterium scriptor Ludovicus Ferrandus nova permulta, & vetera Sanctorum Patrum oracula è Commentatii sui thesauro profert. Huic ego Scriptori concessum autumo quod Theodoretus Cyri Episcopus Cantica Canticorum enarraturus in votis habebat, nimirùm ut Deus ipsi literæ profunditatem planam dilucidámque faceret. Eam Deus optimus maximus mirum in modum nostro patefecit Scriptori; eíque vitalem inspirasse videtur spiritum qui literam usque nunc occisivam vivificaret. Sed & Deus singulare ipsi lumen effudit, quo illustratus genuinum non solùm Psalmorum omnium sensum aperuit, sed etiam Sacro-sanctum Tridentinum Concilium ab Heterodoxorum, in Vulgatam versionem à præfato Concilio probatam debacchantium, calumniâ vindicavit: dum Vulgatum, quod præcipuè ab ipsis vexatur, Psalterium Hebræo textui hodierno præstare, nedum authenticum esse passim ostendit in suâ ad Psalmos lucubratione: quam proinde censeo dignam quæ juris publici fiat. Datum Parisiis pridie Nonas Maii 1683.

LEONARDUS CHAPELAS.

APPROBATIO.

Reverendi Patris Claudii Frassen Doctoris Parisiensis, Lectoris jubilati, totius Ordinis S. Francisci Definitoris generalis, & majoris Conventus FF. Minorum Parisiensium Guardiani.

EA est divini Agricolæ erga Ecclesiam, sibi dilectam vineam, cura & sollicitudo ut, quovis tempore, selectos operarios conducat qui, præclaris studiorum suorum lucubrationibus & eximiis virtutum exemplis, illam fideliter & feliciter excolant: quatenus, eorum doctrinæ & pietatis irriguo velut cœlesti rore impinguata, uberiùs in dies progerminet, & ampliores referat fructus. Nobilem, inter illos egregios cœlestis hujus vineæ cul-

tores, locum obtinere clarissimum Ludovicum Ferrandum fatebitur mecum quisquis noverit quàm singulari morum integritate prædītus sit; & insuper suis assiduis laboribus ac reconditioris doctrinæ monumentis in lucem editis eam illustrare & exornare non intermittat. Ista tametsi ex aliis ejus opusculis satis superque sint manifesta, nihilominus tamen evidentiora fiunt ex hac præclarâ divini Psalterii ab ipso elucubratâ elucidatione: habet enim in eâ eruditus Lector non solùm tot votis expetitam Psalmorum; &, in eis, versiculorum mirandam claritatem & cohærentiam, sed etiam variam profundioris doctrinæ, tam ex sacris quàm ex profanis collectam suppellectilem: adeò ut quæ de divino Psalterio protulit S. Augustinus, itidem de hac illius commentatione merito jure proferre valeamus, eam esse *bonæ doctrinæ thesaurum & encyclopediam, aptè singulis necessaria subministrantem.* Quamobrem dignissimum judicamus opus quod prodeat in lucem, ad fidelium eruditionem & Ecclesiæ splendorem. Datum Parisiis in Generali nostro Conventu & Collegio. Anno 1683. die 8. Maii.

F. CLAUDIUS FRASSEN.

APPROBATIO.

Reverendi Patris Hilarionis Malet Carmelitæ, Doctoris Parisiensis & antiqui sacræ Theologiæ professoris.

LIBRUM Psalmorum, inter alios Scripturæ sacræ codices reconditissima mysteria continentem, tantâ eruditione nobis exposuit Vir CL. Ludovicus Ferrandus ut, quod invium & abstrusum erat, pervium nunc sit omnibus & manifestum. Qui liber priùs ex parte non intelligebatur, in hac expositione totus intelligitur. Sensus naturalis, sub abruptis in speciem versiculis latitans, aperitur; & ratio simul, cur singuli Psalmi scripti sint, in eorum argumentis detegitur. Auctores primi nominis inter Hebræos, Græcos, & Latinos, qui à multis retrò sæculis ad hæc usque tempora in Psalmis explanandis desudarunt, quod involutum invenerunt nostro Auctori transmisere qui id evolveret, notisque illustraret exquisitissimis. Habent in hac Expositione, qui adversus nostræ Vulgatæ Psalterium oblatrant, Hæretici plurima momenta quibus illud Hebræo textui hodierno anteponant, & ut authenticum (quale à Tridentinis Patribus declaratur) recipiant; adeóque ad Traditionem vel inviti recurrant, contra quam ab eis toties conclamatum est. Habent Impii quod legant, & unam religionem agnoscant, Hebræi Messiæ divinitatem quam adorent, Viri eruditi subliniores scientiarum notiones quibus irradientur, Theologi SS. Patrum

oracula selectissima quæ in stabiliendis fidei dogmatibus facilè & feliciter adhibeanr, Fideles fontem uberrimum à quo spiritale solatium hauriant, & Omnes universim unde mentis satient voluptarem. Ita ego de præsenti libro sentio: in quo nihil à fide Catholicâ bonisve moribus dissonum deprehendi; sed multiplicem ac propè infiniram rerum divinarum & humanarum doctrinam, acerrimo judicio suffultam & singulari perspicuitate enodatam, suspexi. Datum in nostro majori Conventu ac Collegio Carmelitarum Parisiensium Nonis Maii 1683.

F. HILARION MALET.

SUMMA PRIVILEGII.

Ludovici XIV. Galliæ & Navarræ Regis auctoritate sancitum est: ne quis in regno suo *Librum Psalmorum cum Argumentis*, *Paraphrasi*, *& Annotationibus*, imprimat, vendar, aur in Gallicum sermonem convertat per sexennium, citra voluntatem Ludovici Ferrandi A. P. aut eorum quibus ipse id juris concesserit. Qui secùs faxit, mulctabitur ut latiùs patet in literis datis Chavillæ die trigesimâ Octobris anno 1681.

Sic signatum, DE FALENTIN.

Relatum in tabulas Bibliopolarum Parisiensium die 29. Aprilis. Sign. Angot, *Syndic.*

Præfatus Ludovicus Ferrandus Andream Pralard Bibliopolam Parisiensem in Privilegii Regii jure conjunxit juxta pactionem cum eo conflatam.

Prima Editio absoluta fuit die 11. Maii 1683.

Exemplaria suppeditata sunt.

PRÆFATIO



PRÆFATIO IN PSALMOS.



SANCTORUM Patrum [a] Ephremi Syri, [b] Basilii, [c] Ambrosii, [d] Johannis Chrysostomi, [e] Augustini, & [f] Dionysii, necnon Senis à [g] Johanne Moscho laudati, [h] Cassiodori, [i] Euthymii, & [k] Radulphi Tungrensis literis adeò eximiè celebrati fuerunt Psalmi; & tam illustris est ac pervagata eorum fama ut meis non egeant laudibus. Itaque illorum mitto præconium, & sermonem aliò transfero.

[a] Tom. 1. pag. 16. edit. Antuerp. 1619.
[b] Præfat. in Psal. sive Homil. in Ps. I.
[c] Præf. in Ps.
[d] Homil. XXI. ad Popul. Antioch. & in explic. Psalm. CXXXXVI.
[e] Præfat. in Psal.
[f] Cap. III. Ecclesiast. Hier.
[g] In Prato Spirit. apud Cotel to. II. Monum. Eccl. Gr. p. 420. 421.
[h] Var. lib. II. Ep. XL. & in Psalm. ult.
[i] Præfat. in Psal.
[k] Proposit. VIII.

CAPUT I.

Recensentur Psalmorum Enarratores; & caussa redditur cur eorum lucubrationes Auctorem à scribendo non averterint.

ORIGENES, Eusebius Cæsariensis, Theodorus Heracleotes, Apollinarius, Didymus, S. Hilarius, S. Hieronymus, Rufinus, Asterius Amaseæ Episcopus, Theodoritus, Arnobius, S. Gregorius Magnus, Bruno Herbipolensis, S. Bruno Carthusianorum auctor, S. Bernardus, Gulielmus Parisiensis, Aben-Ezra, Kimchius, S. Thomas, Jacobus de Valentia, Johannes Campensis, [l] Cornelius Jansenius, Genebrardus, Bellarminus, Lorinus, Grotius, Petavius, Muisius, Thomas le Blanc, & quingenti plusquam alii Bochio & [m] Draudio memorati Psal-

[l] Comment. in Ps. pag. 806. 837. & seq.
[m] In Bibliothecâ Classicâ pag. 522. 523. & seq.

A

mos vel omnes vel aliquos tractarunt; nec me ab explanandis iisdem Psalmis deterruerunt: scilicet, ut L. Annæi Senecæ dictum usurpem, *qui præcesserunt non mihi præripuisse videntur quæ dici poterant, sed aperuisse... Crescit in dies (materia) & inventuris inventa non obstant.*

a Epist. LXXIX.

Caput II.

Sex enumerantur res quas Auctor isto in opere præstitit: tum de ejus Paraphrasi sermo instituitur; deinde verba fiunt de Codicibus Manuscriptis quorum copia ei facta est.

Vetus est opinio, eáque etiam coætaneorum nostrorum plerísque probata, Psalmorum versus nullam persæpè commissuram habere, nec inter se cohærere postremos cum primis. Illud ego his hominibus non assentior; tantúmque abest ut Psalmos nullâ junctione teneri credam, ut eos tam aptos & tam compositos támque compactos & coagmentatos esse existimem, ut cujusque Psalmi principium consequenti orationi connexum sit; & extrema primis respondeant, media utrisque, omnia omnibus. Id meâ, opinor, apparebit Paraphrasi: in quâ præfatum nexum ita exhibuisse videor, ut nulla, apud æquos æstimatores, relinqui possit dubitatio quantùm versus Psalmorum concinant.

Præter hunc, cui aperiendo incubui, nexum, maximam curam atque operam contuli ad investigandos eventus qui componendorum Psalmorum locum dedissent: quam ad rem magnum mihi adjumentum attulit accurata Regum, Paralipomenon, Esdræ, & Prophetarum lectio.

Quia verò nostrorum temporum Hæretici Vulgatam Psalterii versionem plerumque carpunt, acrem in eâ defendendâ diligentiam posui: ita ut nonnullam in spem

veniam vel ipſos Eccleſiæ hoſtes prædictam verſionem laudibus ornaturos; conceſſuróſque eam & optimam eſſe, & hodierno Hebræorum textui anteponendam.

Ad hæc varias, quæ in veterum Patrum libris & Codicibus manu exaratis occurrunt, lectiones excerpſi; eáſque in Annotationes meas retuli.

Nec his, licet maximis, contentus laboribus, alios excepi duos: quorum unus Sanctorum Patrum; alter Ethnicorum teſtimonia ſpectat Sanctorum Patrum effata, quæ ad illuſtrandam aut confirmandam Pſalmorum doctrinam valerent, uberrimè collegi, ut in eo libro (quem olim Clerici ac Monachi memoriter complecti tenebantur addiſcebántque non rarò Laïci, uti ex S. [a] Epiphanio, S. [b] Gregorio Nyſſeno, S. [c] Hieronymo, S. [d] Sabæ vitâ, [e] Theodorito, Regulis SS. [f] Benedicti & [g] Ferreoli, [h] Gregorio Turonenſi, S. [i] Gregorio Magno, [k] Concilio Toletano VIII. [l] Beda, [m] Concilio Nicæno II. [n] Capitularibus Karoli Magni, [o] Jure Græco Romano, & [p] Concilio Narbonenſi intelligimus) ut, inquam, in libro diurnâ & nocturnâ manu verſando Sanctorum Patrum oracula reperiantur, aut tractatus indicentur unde ea depromenda ſint. Quâ in re ut apertè atque ingenuè confiteor nihil à me dici reconditum, nihil exſpectatione doctorum dignum, nihil aut inauditum eis aut novum; ita id mihi ſumere poſſe videor ut dicam operam me navaſſe utilem iis qui in SS. Patrum ſcriptis non fuerint exercitati.

Ad profanos quod attinet Auctores, eorum ſententias paſſim adduxi imitatus [q] Clementem Alexandrinum, [r] Euſebium Cæſarienſem, S. [s] Hieronymum, Pererium, [t] Pinedam, [u] Bochium, [x] aliόſque cùm veteres tum novos Scriptores: qui, ut ſacræ Scripturæ auctoritatem, vel apud impios, conciliarent; eíque decus ac gloriam

[a] Expoſit. Cathol. fid c. XXIII.
[b] In Vita Macr.
[c] Epiſt. IV. ad Ruſtic. Monach. Epiſt. VII. ubi de Hunnis. Epiſt. XVIII. ad Marcell. ut tranſmigret Bethl.
[d] Apud Surium die v. Decembr. c. 98.
[e] Hiſt. lib. IV. c. 13.
[f] Cap. VIII.
[g] Cap. XI.
[h] De Vitis Patr. cap. XII. & XX.
[i] Lib. IV. Ep XLV. lib. VIII. Epiſt. XXXIV. lib. XII. Epiſt. VI.
[k] Can. VIII.
[l] Hiſt. Anglic. lib. III. cap. V.
[m] Cap. LXVIII. an. 789.
[n] Can. II.
[o] Tom. I. p 438.
[p] Ann. 1551. Can. XLV.
[q] Lib. V. Strom.
[r] Præp. lib. XII. & XIII
[s] Ep 48. ad Magnum Orat. Rom.
[t] In Geneſ. & Exod.
[u] In Job.
[x] Comment. in Pſalm.

apud omnes compararent populos, multa Ethnicorum testimonia congesserunt quibus sacra firmarentur, aut planum fieret eximia quæque ab Ethnicis prolata è sacris libris desumta fuisse. Tantorum ego virorum vestigia sum persequutus, & notata ab illis testimonia non rarò usurpavi.

Hæc sunt quæ, hoc in Opere, præstanda suscepi. Postulat nunc institutæ à me orationis ordo ut de meâ Paraphrasi dicam. Paraphrasticum interpretandi genus elegi, ut sententiarum nexum commodiùs exhiberem, gnarus eum exemplis quam verbis fieri enodatiorem. Prætcrea brevitati consulere volui; quúmque probè callerem sermonem longiùs productum iri, si omnes versuum nexus subinde in Annotationibus explicare cogerer; contrà brevi me usurum oratione, si Paraphrasim concisam adhiberem, eam adornare placuit; & quidem, ut dixi, concisam: nam longiores illas, quæ passim circumferuntur, Paraphrases improbo: ratus hujusmodi operarum precia jacere quum eæ in longum sermonem vocantur; quid enim mirum si, magno verborum ambitu, nexus aliquis inveniatur? Itaque hoc ferè unum in meâ Paraphrasi spectavi ut obscura textus verba claris referrem; &, ubi necessitatem haberem additamenti, breve id facerem, atque è caussæ visceribus peterem: unde non immeritò dixerim elaboratam sic esse Paraphrasim meam ut commentarii, & quidem brevissimi ac cohærentis, vices gerat. Additamenta autem literis expressi aliis ab eâ Scripturâ quæ textui respondet; eámque rationem inivi ut, uno intuitu, dignoscatur quid dicat Psalmographus; & quid ego addiderim ut mentem ejus explicarem.

Sermone de meâ Paraphrasi facto, differendum superest de Codicibus MSS. quibus usus sum. Ex Bibliothecâ Regiâ habui Codices Græcos novem, sic numera-

tos: 928. 1532. 1775. 2225. 2603. 2604 2606. 2653. 2723; Latinos autem tres his prænotatos numeris 138. 222. 769. Græci Codices unum, è libris Biblicis, Psalterium continent cum Canticis Scripturæ, Hymnis & Orationibus nonnullis, Calendario, Canonibus Paschalibus, & id genus aliis. Latinus 138. Biblia integra (excipio Apocalysim quæ manca est) repræsentat; atque à Karolo Calvo Francorum Rege oblatus olim fuit celeberrimo S. Dionysii Monasterio, unde in Regiam Bibliothecam migravit. Latinus 222. qui præcedentem vetustate æquat & Biblia universa complectitur, è Monasterio S. Mauri Fossatensis in Regis Christianissimi Bibliothecam translatus est. Latinus 769. Beati Hilarii in Psalmos commentarium exhibet, sed edito breviorem: quod eò dolendum est magis, quòd codex ille pervetustus est.

Ex Bibliothecâ Colbertinâ communicati mecum fuere sex Codices: duo Græci, & Latini quatuor. Græcorum alter literis aureis descriptus est, & Psalmos, cæteráque Scripturæ Cantica continet; alius verò Græcus, qui imperfectus est & numeratur 1182. contractam in Psalmos Catenam complectitur. Inter Latinos Codices qui in primo est numero, Biblia universa exhibet, & Karolo Calvo, dum in Metensi civitate esset, oblatus quondam fuit à Monachis S. Martini Metensis duce Viviano ejusdem Monasterii Monacho; egregiúsque ille Codex illustrissimo viro Johanni Baptistæ Colberto datus est ab insigni Capitulo S. Stephani Metensis. Alter est Codex Latinus, qui numeratur 158. quíque præcedentis æqualis est; illéque Codex tota Biblia exhibet atque ex Ecclesiâ sanctæ Mariæ Aniciensis in Bibliothecam Colbertinam venit. Codex alius numeratur 1339. ísque literis aureis scriptus est, & gemmis atque ebore vestitus.

A iij

Liber est Precum quo Karolus Calvus utebatur, quíque à laudato S. Stephani Metensis Capitulo datus pariter fuit illustrissimo Johanni Baptistæ Colberto. Ultimus Codex, qui numerum 2200. obtinet, Psalterium cum Notis recentiori, sed antiquâ, manu scriptis repræsentat unà cum Canticis Scripturæ, Hymnis Ecclesiasticis, Orationibus nonnullis, Calendario, & Berengarii retractatione.

Ex Bibliothecâ Memmianâ mihi suppeditati sunt tres Codices eximii. Primus Biblia universa Latino sermone donata comprehendit; pertinuítque olim ad Theodulphum Aurelianensem Episcopum, cujus jussu descriptus fuit ab annis propè nongentis. Psalmi & quatuor Evangelia literis aureis & membranis purpureis, in venerando hoc Codice, scribuntur; similíque modo exarantur versus nonnulli à Theodulpho compositi, & cùm in fronte tum in fine Bibliorum ejus collocati. Secundus Codex, qui præcedenti ætate suppar est & literis aureis purpureísque membranis exaratus, Psalterio constat Latino, alíisque Scripturæ Canticis. Tertius Codex Hebraïcus est, & vetus Testamentum cum Massorâ exhibet; fuítque scriptus, & quidem elegantissimè, anno Creationis 5061. Christi 1301.

CAPUT III.

Disputatur de duplici Scripturæ sensu: quem antequam demonstrat Auctor, pauca de priscis Gentibus præfatur; tum ad duplicem, qui Scripturis inest, sensum aggreditur: eúmque ex Sanctis Patribus, Scripturâ, Judæis cùm veteribus tum recentioribus adstruit; deinde ostendit quo pacto duplicem illum sensum, in Psalmis explanandis, adhibuerit.

QUANDOQUIDEM nonnullos Psalmos, sensu primario, de veteris Testamenti hominibus enarratu-

rus sum; eósque ad Christum mystico tantùm & sublimiore sensu accommodaturus, meas esse partes arbitror ut factum hoc meum præstem, totámque hanc enucleem materiam, quæ, ut planissimè explicetur, paulò altius repetenda est. Priscorum hominum mos fuit ut sua cùm verba tum gesta ad occultos sensus interdum referrent, ut iis apparet quæ de Ægyptiis, Phœnicibus, Scythis, Græcis, Romanis, Pythagoreis, Epicureis, Stoïcis, Aristoteleis, Idanthura, Periandro, Tarquinio Superbo, Heracleto, & Scyluro graves auctores [a] Sanchuniato, [b] Plato, [c] Aristoteles, [d] Livius, [e] Plutarchus, & Clemens [f] Alexandrinus narrant. Orpheus, Linus, Musæus, Homerus, & Hesiodus multa symbolicè philosophati sunt ut ait [g] Clemens Alexandrinus; &, ex parte, confirmat [h] Plato: ex quo discimus Metrodorum Lampsacenum, Stesimbrotum Thasium, Glauconem, & alios operam consumsisse eruendis Homeri allegoriis: quibus (apud Homerum non solùm sed apud Ethnicorum alios) eas præcipuè intelligi velim quæ moralia documenta spectant, non verò illas quæ à Diodoro [i], Chæremone [i], Porphyrio [i] aliísque excogitatæ sunt ut Deorum pugnis, adulteriis, & cæteris hujusmodi impiis & absurdis commodas adhiberent explanationes; quæ neque [k] Platoni & [l] Eusebio, neque ipsi placuerunt [m] Plutarcho qui ridiculas Deorum historias ad probum sensum detorquere alibi conatur, quo nomine ab [n] Eusebio meritò vapulat. Laudatis à Clemente Scriptoribus adde Pherecydem Syrum, Androcydem, Dionysium Thracem grammaticum, Epigenem, Heraclitum, Euphorionem, Callimachum, & Lycophronem qui Symbolicum genus consectati sunt aut laudarunt, ut docet dictus jam [o] Clemens; qui [p] rectè ait omnes qui de rebus divinis tractarunt tam Barbaros quàm Græcos re-

a Apud Euseb. de Præp. lib. I. c. 10. pag. 39. ed. Gr. Lat.

b Lib. III. de Rep. pag. 414. edit. Henr. Steph. 1578. to. 2.

c Lib. III. de Republ. cap. 13.

d Lib. de educ. Lib. pag. 12. to. 2. edit. Paris. Gr. Lat. 1624. lib. de Garrulit. p. 511. lib. de Isid. & Osir. sub initium: & in Quæst. Rom. p. 281.

e Decad. I. lib. I. pag. 39. edit. Jacobi Stoer. 1622. pag. 57. fin.

f Strom. V. p. 555. 556. 558 559. 561. 566. 567. 568. 574. 575. edit. Paris. Gr. Lat. 1641.

g Ibid. pag. 557.

h In Jone. to. 1. p. 630.

i Apud Euseb. de Præp. lib. III. c. 1. 2. 3. 4. 9.

k Lib. II. de Rep. sub fin. & lib. III. de Rep. sub init.

l Lib. cit. cap. 3. 6. 7. 10. 14. 15.

m De aud. Poet. p. 19.

n Lib. cit Præf. & c. 2.

o Lib. cit. pag. 568. 571.

p Ib. pag. 556.

rum quidem principia occultasse; veritatem autem ænigmatibus, signísque, & symbolis, & allegoriis; rursus & metaphoris & quibusdam talibus tropis modísque tradidisse. Quid plura. [a] Macrobius Fabularum genus Philosophis dignum descripturus illud esse statuit *in quo sacrarum rerum notio sub figmentorum velamine honestis & tecta rebus & vestita nominibus enuntiatur.* Et paulò post ista subjicit. *De Dîs autem, ut dixi, ceteris & de animâ non frustra se, nec, ut oblectent* (Philosophi) *ad fabulosa convertunt; sed quia sciunt inimicam esse naturæ apertam nudámque expositionem sui: quæ, sicut vulgaribus hominum sensibus intellectum sui vario rerum tegmine operimentóque subtraxit; ita à prudentibus arcana sua voluit per fabulosa tractari. Sic ipsa mysteria figurarum cuniculis operiuntur: ne vel hæc adeptis nuda rerum talium se natura præbeat, sed summatibus tantum viris, sapientiâ interprete, veri arcani consciis; contenti sint reliqui ad venerationem figuris defendentibus à vilitate secretum.*

[a] Lib. I. in Somn. Scip. cap. 2.

Deus, qui (ut ait [b] Alcuinus) *nostræ locutionis more seipsum insinuare* voluit, figuras quoque usurpavit; & receptæ consuetudini, præsertim Ægyptiacæ Judæis notissimæ obsequutus, verbis non solùm sed rebus (quæ, ut ad Psal. CXXXV. 5. dicemus, veri soliditate plerumque fundatæ sint) locutus est, & utrísque insignia occultavit mysteria. Ὅταν μεγάλα, inquit S. [c] Chrysostomus, τινὰ προκατασκευάζειν ὁ Θεὸς μέλλῃ, πρὸ πολλοῦ αὐτὰ προαναφωνεῖ χρόνων, γυμνάζων τὴν ἀκοὴν πρὸς τὴν ὑποδοχὴν τῆς παρουσίας αὐτῶν. Ἐν γραφαῖς ἁγίαις. Οὐ γὰρ ἔλεγον οἱ προφῆται μόνον, ἀλλὰ καὶ ἔγραφον ἅπερ ἔλεγον. οὐκ ἔγραφον δὲ μόνον ἀλλὰ καὶ διὰ πραγμάτων ἐτύπουν. Id est. *Quoties Deus magna quædam moliturus est, ea multo ante tempore denuntiat, hominum aures præparans ad ea, quum advenerint, accipienda. In Scripturis Sanctis. Non enim dixerunt Prophetæ tantum; sed scripserunt quæ dixerunt,*

[b] Lib. II. de Trinit. cap. 6.

[c] In Epist. ad Rom. cap. I. Homil. I. paulò post initium.

runt, non scripserunt autem solùm sed & per res figurarunt.

Quod de divinis operibus universim dixit aureus Doctor, divinæ de Christo dispensationi mysteriisque in eâ contentis accommodatum fuit à [a] Justino Martyre: qui, cum Tryphone colloquens, docet *Deum Judæis, ante tempora sua, omnia mysteria singulari gratiâ ostendere occupasse* πάντα προλαμβάνοντος πρὸ τῶν ἰδίων καιρῶν τὰ μυστήρια χαρίζεσθαι υἱὸν τοῦ Θεοῦ; & voluisse ut *veteris Testamenti res* (& verba eis servientia, nam verba rerum sunt notæ) *rerum omnium à Christo gerendarum præoccupata essent præconia* ὃ καὶ τὰ σύμβολα ἐκεῖνα προκηρύγματα ἦν τῶν κατ' αὐτὸν ἀποβάντων.

a Pag. 361 Edit. Gr.Lat. Paris.1615.

Justino Martyri præiverat S. [b] Paulus quum Judæis omnia τυπικῶς *in figurâ* contigisse docuerat, & Christi tempus πλήρωμα *plenitudinem* temporum vocaverat [c]; ipsósque Christianos eos esse dixerat [d] *in quos fines sæculorum devenissent* εἰς οὓς τὰ τέλη τῶν αἰώνων κατήντησεν.

b I. Cor. X. 11.
c Gal. IV. 4. & Ephes. I. 10.
d I. Cor. X. 11.

Ex his conficitur veteris Testamenti res & voces eis servientes ita fuisse à Deo comparatas ut illius temporis eventibus responderent, adeóque bis implendæ essent: primùm crasso & rudi modo in personâ priscorum Patrum; deinde verò excellentiùs in personâ Christi. Hinc factum est v. g. ut S. [e] Johannes Christo aptaverit id quod primùm de agno Paschali dictum fuerat [f] *os non comminuetis ex eo;* ut B. [g] Paulus æternæ quieti à Christo procurandæ ista accommodaverit quæ requiem in terrâ promissâ capiendam primò spectabant [h] *si introibunt in requiem meam*; ut idem [i] Apostolus Christo tribuerit hæc quæ [k] Salomonem primario sensu respiciunt verba *ego ero illi in patrem & ipse erit mihi in filium*; ut S. [l] Matthæus ad Christum retulerit istos qui à Davide [m] personam ipsius sustinente prolati fuerant Sermones *aperiam in parabolis os meum & eructabo abscondita à constitutione mundi*; Ut [n] Justinus Martyr ad

e In Evang. cap. XIX. 36.
f Exod. XII. 46.
g Hebr. IV. 3.
h Num. XIV. 22. 30. & Psalm. XCIV. 10.
i Heb. I. 5.
k II. Reg. VII. 14.
l XIII. 35.
m Psal. LXXVII. 2.
n In Dialog. cum Tryph. pag. 261. 341. 343. 338. 363. 369.

Christum traxerit ea quæ ad *Jacobum*, *Mosem*, *Josué*, & *Jesum Sacerdotem* primitùs attinebant; ut S. [a] Chrysostomus *Isaaci* immolationem ab Abrahamo susceptam, *Serpentem* à Mose exaltatum; ejusdémque Legislatoris *manus* adversus Amalecum *extensas*, aliáque id genus non pauca ad Christum revocaverit; ipséque Christus, ut laudatus à me [b] Chrysostomus eximiè observat, in hæc verba eruperit [c], *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum, vidit & gavisus est.*

[a] Loc. cit.
[b] Ibid.
[c] Joh. VIII. 56.

Quæ si Veterum nonnullis perspecta fuissent, non tantopere desudassent confutandis Celso & Juliano, quum ab Apostolis eorúmque alumnis Prophetarum auctoritates minùs fideliter adductas esse objicerent. Facilis erat responsio, unóque verbo id quod objiciebatur dilui poterat: nimirum veteris Testamenti res & verba eas notantia Christo apari potuisse, utpote quæ ad eum tanquam ad ultimum complementum referebantur; nec solùm dispostta erant ut priscos designarent eventus, sed ut res à Christo gerendas denotarent.

Nec dicant hodierni Judæi eorúmque sequaces, gratis hæc à nobis fingi; unicúmque Scripturis sacris sensum nempe literalem inesse, allegoricum autem & mysticum omninò respuendum esse. Hoc, inquam, Judæi non dicant: ut enim tacitum relinquam, quod suprà ostensum est, exteris etiam Gentibus allegorias non displicuisse; probatu proclive est cùm Scripturæ testimonio, tum Hebræorum magistrorum & veterum & recentiorum auctoritate, ipsáque ratione; probatu, inquam, proclive est Scripturas sacras duplici sensu, literali scilicet & mystico seu allegorico, gaudere, quod sic ostendo.

Aperiam os meum in parabolis, loquar propositiones (seu *ænigmata*, ut habet textus Hebræus) *ab initio*, ait Psal-

mographus Psal. LXXVII. 2. quúmque, toto hoc Psalmo, veterum Judæorum gesta, quæ in perfacili cognitione versantur súntque trita admodum & decantata, commemoret Psalmographus, illis ænigmatum nomen falsò tribueret nisi, sub illâ literæ corticâ omnibus notâ, mysticum aliquem & reconditum sensum tegerent; seu, ut verbis, quæ, simili in re, [a] Justinus usurpavit, utar, *cum multo sensu occulto & mysterio hæc facta essent & dicta à B. Propheta* μετὰ πολλοῦ νοῦ καὶ μυστηρίου γέγονε καὶ ἐῤῥέθη διὰ τοῦ μακαρίου προφήτου; [b] & nisi *in quolibet ejus generis facto, magnorum Sacramentorum œconomiæ celebratæ essent* οἰκονομίαι τινὲς μεγάλων μυστηρίων ἐν ἑκάστῃ τινὶ τοιαύτῃ πράξει ἀπετελοῦντο.

[a] Dial. cum Tryph. pag. 339.

[b] Ibid. p. 364.

Hæ porrò œconomiæ, incolumi præsertim manente sensu literali, eò minus à Judæis rejici possunt quòd, in explicandis Scripturis alibique, allegorias ipsimet persæpe sectentur & probent. Aristobulus, celebris Judæus & in secundo Machabæorum libro laudatus, Mosem interpretans allegoriis usus est, ut apparet insigni illo fragmento quod [c] Eusebius repræsentat. Philo itidem Judæus Scripturam allegoricè explanavit, & Therapeutæ ab eo laudati [d] sacrarum Scripturarum explicationes tropicè per allegorias tradebant. [e] Josephus, de Lege Mosaïcâ loquens, ait. Τὰ μὲν &c. id est: *hæc quidem ænigmatibus, uti par est, involvente Legislatore; alia exponente allegoricè cum dignitate; quæcumque verò directè proponere utile fuit ea planè & disertè explicante.* Deuterotæ, narrante [f] Eusebio, exponere solebant quæ per ænigmata, in Scripturis, adumbrata essent. Nec solùm prisci illi Judæi allegoricum interpretandi genus admittebant: sed eum nudæ verborum doctrinæ sæpe anteponebant; & præcepta Legis, non prout verbis concepta erant, sed juxta mysticum sensum

[c] De Præpar. Evang. lib. VIII. cap. 10.

[d] Lib. de vitâ Contempl. & apud Euseb. Hist. Eccles. lib. II. cap. 17.

[e] In Prœm. Antiq. Hist.

[f] De Præp. Evang. lib. XI. c. 5. XII. 1. & 4.

ſervabant, ut ex [a] Euſebio diſcimus. Ab his Judaïcæ Gentis veteribus Magiſtris non longè abeunt recentiores [b] Moſes ben Maimon, [c] David Kimchius, [d] Eliſah, [e] Moſes Albelda, [f] Simeon, [g] Joſeph Samigah, concionator Francofurtenſis, & [h] Rabba bar Nachmoni qui allegoricum interpretandi genus non ſemel ſequuntur & probant. Sed præ cæteris Rabbinorum, qui allegoriâ delectati ſunt, libris legi velim יסוד שירים *Ieſſod Schirim*, כפתור ופרח *Caphtor vaperach*, מדרש תהלים *Midraſch Tehillim*, & מדרש שיר השירים *Midraſch Schir haſchirim.*

Ad rationem quod attinet, oſtendit ea duplicem, quem dixi, ſenſum Scripturis ineſſe: nam, ut egregiè à [i] Juſtino Martyre demonſtratum eſt, id niſi fiat *Moſes* contra legem à ſe latam feciſſe judicabitur: qui, conſtitutione propoſitâ, ſanxerit ne qua effigies aut ſimilitudo fieret; ipſe tamen poſtea Serpentem æneum fecerit, illúmque reſpicere juſſerit eos qui morſu à vivis Serpentibus læſi fuerant; *promiſſum* de delendâ Amaleci memoriâ Moſi, poſt extenſas contra eum manus, factum à veritate abhorrebit: ſiquidem, ut [k] ſanctiſſimus Martyr annotat, memoriam Amaleci etiam poſt Nave filium manſiſſe conſtat; & *Jacobi* aliorúmque *Patriarcharum* polygamia auctoritatem afferet peccandi, ut idem doctiſſimus [l] Martyr exemplo probat [m] aliquorum ſuæ ætatis Rabbinorum qu iquatuor & quinque, Judæorum quémque, uxores habere permittebant; &, ſi quis venuſtam inſpiciens eam expeteret, cùm Jacobi & aliorum Patriarcharum facta commemorabant; tum nihil iniqui agere ſimilia facientes aſſeverabant. His exemplis Babylonica addi poteſt liberatio: quæ, ſi literaliter ſumatur ſolùm nec ad eam, cujus typum gerebat, liberationem à Chriſto faciendam referatur; veritati non conſentiet in multis quæ

[a] Præp. lib. VIII. cap. 10. ſub finem.
[b] In Iad Chazaca lib. de Converſ. cap. 3. ſect. 5. In More Nebokim Præf. & part. 3. cap. 43. ac Præf. in Miſnaiot.
[c] In Iſ. XI. 6. Jer. II. 15. V. 6.
[d] In Eccleſiaſtem.
[e] In libro qui inſcribitur *Deraſch Moſche*.
[f] In libro cui titulus *Jalkut*.
[g] In *Mikra Kodeſch*.
[h] In *Bereſchit rabba*.
[i] Dial. cum Tryph. pag. 339. Obſerva pugnare cum pervicaci Judæo S. Juſtinum; atque ita ratiocinationē ejus, quæ alioqui minùs eſſet firma, validiſſimam eſſe heic & infrà.
[k] Ibid. pag. 361.
[l] Ibid. pag. 363. ſub fin.

de eâ Isaïas, Jeremias, nostérque Psalmographus scripsere.

Itaque sanctus ac doctus [a] Martyr sæpe à me nominatus stultos meritò vocat eos qui *res istius modi prout Rabbini docent & non tanquam Symbola accipiunt* καὶ οὕτως ἀφρόνως παραδεξόμεθα τὰ τοιαῦτα ὡς οἱ διδάσκαλοι ὑμῶν φασὶ καὶ οὐ σύμβολα; & Tryphonem prudenter sic alloquitur, [b] οὐδὲν ἔστιν &c. id est: *nihil est quod rectè aliquis carpere eorum queat quæ ab omnibus omninò sanctis vatibus dicta sunt aut facta, si modò notionem eorum teneatis: sin Magistri vestri, quamobrem Cameli in hoc vel illo loco fœminæ dicantur, aut quid sunt quæ dicantur Cameli fœminæ, aut propter quam causam similæ mensuræ tot & olei mensuræ tot in oblationibus tantùm sumantur, vobis explicent; atque id quidem oppido quam humiliter, & expositione humi reptante* ταπεινῶς καὶ χαμερπῶς; *res autem magnas & quæstione dignas nunquam proferre aut interpretari audeant; aut, nobis enarrantibus, neque audire nos prorsus, neque ad communionem sermonis nobiscum venire vos hortentur. An non meritò audiant quæ ad eos dixit Dominus noster Jesus Christus;* SEPULCHRA DEALBATA QUI INTRINSECUS PLENI ESTIS OSSIBUS MORTUORUM ET EXTRINSECUS APPARETIS SPECIOSI, MENTHAM DECIMANTES * CAMELUM AUTEM DEGLUTIENTES. *Igitur nisi doctrinas eorum despexeritis qui se ipsi efferunt, & Rabbi Rabbi appellari volunt, nullam prorsus poteritis ex Propheticis doctrinis percipere utilitatem.*

Atque ex his insana Rabbini [c] Aben Ezræ apparet audacia qui, quinos explanandæ legis modos proponens, eum solùm laudat qui literæ inhæret; perspicuúmque est [d] Origenem, [e] Basilium, [f] Hieronymum, [g] Chrysostomum, [h] Augustinum, [i] Gregorium Magnum, aliósque Ecclesiæ Magistros sapienter dixisse occultos veteri

[a] Ibid. pag. 339.

[b] Ibid.

* Non ad verbum citat sed juxta sententiam. Confer Matth. XXIII. 23. 24.

[c] Præf. de ratione comment. in Legem in Bibl. Bomb.

[d] Lib IV. & VII. contra Cels. & lib. IV. de Princip. cap. 2.

[e] Lib. de Spiritu Sancto.

[f] Epist. 127. ad Fabiol. de 42. Mansion.

[g] Homil. 35. in cap. XIII. Gen.

[h] Epist. III. ad Volus.

[i] Prol. Moral. & & Homil. 7. in Ezech.

Teſtamento ineſſe ſenſus. Qui licet ſecundarii, primariis tamen nobiliores ſunt & à S. Spiritu præcipuè intenti: unde mirari nemo debet ſi Eccleſia multos, qui veteris Teſtamenti res directò reſpiciunt, Pſalmos canat, quum in Pſalmis illis myſteria & res novi Teſtamenti adumbrentur. Nam, ut eximiè ait B.[a] Hilarius, *non eſt ambigendum ea quæ in Pſalmis dicta ſunt ſecundùm Evangelicam prædicationem intelligi oportere, ut ex quacumque licet perſonâ Prophetiæ Spiritus ſit locutus; tamen totum illud ad cognitionem adventus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & corporationis, & paſſionis, & regni; & reſurrectionis noſtræ gloriam virtutémque referatur.*

[a] Prolog. in Pſalm.

Cæterùm quæ de duplici Scripturæ ſenſu hactenus ſunt à nobis diſputata certos intra fines conſiſtere debent; nec exiſtimandum eſt duplicem illum ſenſum per totam Scripturam diffundi; ſic ut omnia illius verba & antiquis Judæis & Chriſto, illis literaliter & imperfectè; huic ſenſu ſublimiore & nobiliùs congruant. Turpiter hallucinaretur qui in hanc opinionem iret: multa enim in Scripturis exſtant quæ ſoli Chriſto conveniunt; ut non pauca in iiſdem reperiuntur quæ in ſolos veteris Teſtamenti viros congruunt. Id æquabili, niſi fallor, regulâ metiemur, ſi Scripturam ad priſcos Judæos & ad Chriſtum transferamus quum ita eſt concepta ut ad eos commodè & neceſſe referri poſſit & debeat; Judæis ſolis accommodemus quum vitia aliáque hujuſmodi recenſentur quæ illorum fuere propria; ad Chriſtum autem referamus quum ſermo ita ſe habet ut in Dominum noſtrum duntaxat quadret.

Hoc eò majorem habet æquitatem quòd I. ex B.[b] Paulo diſcimus omnia (inclyta nempe & nobilia) veteris Teſtamenti geſta Judæis in figurâ contigiſſe. II. B. Hieronymum

videmus eos refellentem ac [a] coarguentem qui, quòd in Adamo adumbratum esse Christum dixisset S. Paulus, quæcumque in Genesi de Adamo scripta sunt ad Christum referre conabantur; quam in sententiam legi optem S. [b] Chrysostomum & [c] Maimonidem. III. Christum audimus dicentem [d] quædam de se in Psalmis scripta fuisse. Ex his, inquam, testimoniis major instituto meo æquitas accedit: nam primùm B. Paulo consentimus quum Scripturam ad veteres Judæos & ad Christum, in rebus inclytis, revocamus. 2°. S. Hieronymum sequimur quum Davidis v. g. adulterium & id genus alia Christo non adscribimus. Denique Psalmos aliquos uni Christo aptantes, ejus effatum comprobamus. Simúlque, ut hoc obiter addam, vituperationem, quam Fausto Manichæo S. [e] Augustinus & Gnosticis ac Nicolaitis Philastrius tribuunt, effugimus; nósque ab anathemate à Patribus [g] Concilii Quinti in Theodorum Mopsuestenum latò tuemur dum scilicet Psalmos nonnullos de uno Christo exponimus, contrà atque sentiebant præfati Hæretici qui Christum à Prophetis prædictum fuisse inficiabantur.

[a] In Ephes. V.

[b] In cap XIII. Gen.

[c] In Præfat. in More Neb.

[d] Luc. XXIV. 44.

[e] Lib. XII. adv. Faust. c. 1. & lib. XVI. c. 4.

[f] Hær. LXXVII.

[g] Collat. VIII.

Triplicem, de quâ disserui, viam toto hoc libro tenui; quod quum sit rectis regulis consonum justâ reprehensione carere videor, etiamsi à tritis sententiis interdum recesserim: tum duplici, quem memoravi, sensui ampliores, quàm pacti fuerant, terminos constituendo; tum veteris Testamenti finibus nonnullas continendo personas quæ, extra hos cancellos egressæ, omnia turbare ac miscere videbantur. Personas dixi, non documenta: hæc enim vetus & novum pererrant Testamentum, quamvis illæ in veteri morentur; quo fit ut ipsimet, in quibus prisca persona repræsentatur, Psalmi ad virtutem

nostram, ut ait [a] S. Hilarius, referantur; & verè cum B. [b] Paulo dicere possimus, *quæcumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.*

[a] Prol. in Psal.

[b] Rom. XV. 4.

CAPUT IV.

Ostenditur Hebræos uti præterito pro futuro, & futuro pro præterito, aliáque tempora invicem apud eos permutari; atque inde Auctor permutationem illam, in suâ Paraphrasi, interdum faciens, purgatur.

RERUM Hebraicarum rudes me in Hebræum textum necnon in versionem Græcam & nostram ex eâ natam injuriosum esse autumare possent, animadvertentes præterita per futura & futura per præterita à me verti aliáque tempora commutari, contra atque in Hebræo textu & Græco ac Nostro repræsentantur; unde consilium mihi est eos heic ab illo errore avertere. Longâ mihi oratione opus non erit ut injuriarum crimen deprecer: tres tantùm, ex innumeris Auctorum testimoniis, auctoritates mihi sunt exscribendæ; nempe Vatabli, Genebrardi, & Bellarmini.

Vatablus (aut quisquis alius nomen ejus usurpavit) in prælectionibus in Psalmos quas Robertus Stephanus typis dedit anno 1558. primum primi Psalmi versum enarrans, ait. *Sunt præterita Hebræis quæ per præsens verti possunt* AMBULAT, STAT, SEDET, (pro AMBULAVIT, STETIT, SEDIT.) *Nam frequens est, apud illos, temporum permutatio: præterito utentes pro præsenti, aliquando pro futuro; Imperativo pro futuro aut præterito; Infinitivo pro omni tempore*

tempore & Futuro pro Præsenti, aut vice Præteriti, aut etiam Imperativi. Quod diligenter observandum est, nam in illis vertendis plurimùm variant Interpretes.

Genebrardus undecimum Psalmi VI. versum explanans ita loquitur. *Incommodè Recentiores hìc, ut aliis multis in locis, vertunt pronuntiativè; erubescent, conturbabuntur, convertentur & erubescent. Non enim advertunt præterita & futura esse omnium modorum pro sententiæ commoditate, & particularum exigentiâ atque appositione, ut, dum, utinam. Futura autem esse plurimùm Imperativi vel Optativi modi: primò in precationibus ut in his Psalmis; secundò in mandatis & præceptis ut non occides, id est ne occidas; tertiò quando expressè Imperativus præcessit: nam posteriora tempora & modi à præcedentibus concipiuntur, eorúmque rationem æmulantur. Hæc ex Elia in Bahur adversus Gnosticos.* Idem Genebrardus ad Psal. XXVII. 2. hæc docet: *Ergo &* ASSIMILABOR, *idem quod ut assimiler. In hac linguâ præterita & futura sunt omnium modorum pro particularum adjunctione.*

Bellarminus primum secundi Psalmi versum explicans annotat quæ sequuntur. *In Hebræo primum verbum est præteriti temporis, secundum futuri; sed, quia de re eâdem est sermo,* LXX. *Interpretes utrúmque verbum reddiderunt per tempus præteritum; & S. Hieronymus, utrúmque reddidit per tempus futurum. Et quidem sententia semper est vera: nam res ipsa in se futura erat; sed Propheta quodammodo præterita, quum cerneret quasi præteritam. Tamen absolutè* LXX. *Interpretum & Vulgatæ versionis lectio præferenda est: tum quia in Actis Apostolorum cap 4. legimus in præterito* FREMUERUNT & MEDITATI SUNT; *tum quia ratio exigit ut significatio primi verbi sit regula significationis secundi.* Idem Auctor ad Psal. XXIX. 10. 11. 12. *hæc omnia*, inquit, *videntur accipienda pro tempore præterito; neque est insolitum*

C

ut apud Hebræos futurum ſumatur pro præterito. Idem Bellarminus in hæc Pſalmi XXXIII. 2. verba AUDIANT & LÆTENTUR, ita inſit. *In Hebræo ſunt hæc verba temporis futuri; ſed quia Imperativus apud Hebræos caret tertiâ perſonâ, ad eam exprimendam utuntur Hebræi tertiâ perſonâ futuri: proinde rectè verterunt Græci & Latini Interpretes* AUDIANT & LÆTENTUR. Rurſus ad Pſal. LV. 6. INHABITABUNT & ABSCONDENT. *Quamvis*, inquit, INHABITABUNT & ABSCONDENT *ſint futuri temporis; tamen apud Hebræos pro præterito & præſertim pro imperfecto præterito frequenter accipiuntur.* Iterùm ad Pſal. LX. 2. aſſerit *futurum ſæpe accipi pro præterito.*

Hæc Vatabli, Genebrardi, & Bellarmini doctrina eò magis probari debet, quòd in ipsâ Scripturâ & linguæ Hebraicæ genio nitatur. Etenim præteriti in futurum & futuri in præteritum permutationem ſuadent Pſal. III. 5. 6. XXX. 6. XVII. 17. 18. 19. 38. LXIII. 6. 7. LXV. 4. LXXVI. 18. LXXIX. 9. 12. & linguæ Hebraicæ genius præteriti perfecti in præſens, imperfectum, ac pluſquam perfectum; & tertiæ futuri perſonæ, in tertiam imperativi, commutationem petit. Quæ ultima pars ut enodatiùs explicetur, notandum eſt inopem eſſe linguam Hebraicam: quippe quæ multis v. g. in Indicativo careat temporibus; nempe præſenti, imperfecto, ac pluſquam perfecto; & tertiam, in Imperativo, perſonam non habeat. Ut igitur Hebræi uſuram temporum & perſonarum, quibus carent, ſarciant, multiplicia iis, quæ habent, temporibus & perſonis officia tribuere coguntur; indéque fit ut unum præteritum perfectum præſentis, imperfecti, ac pluſquam perfecti partes præſtet; & tertia Futuri perſona tertiam Imperativi ſuppleat.

Quum ergo ex Vatabli, Genebrardi, & Bellarmini te-

ſtimoniis atque ex ipsâ Scripturâ & linguæ Hebraicæ genio pateat tempora apud Hebræos invicem permutari; conſtétque ex Bellarmino permutationem illam LXX. Senibus improbatam non fuiſſe, nec Hebræo textui nec Græcæ noſtræve ex ea prognatæ verſioni injuriam intuli, quum permutatione illâ uſus ſum. Non inficior LXX. Senes permutationem illam non ſemper ſequutos eſſe, memores nimirum ſe Interpretum (quorum eſt textui inhærere eúmque, ut ſe habet, repræſentare) officio fungi; ſed non propterea mutandi licentiam Explanatoribus præciderunt : quin potiùs hanc eis viam interdum munientes oſtenderunt licere illis eam (quoties neceſſe foret) ingredi. Quod quum facimus, tantùm abeſt ut debitam Græcis Interpretibus aut Noſtro reverentiam lædamus, ut nos eorum obſervantes præſtemus, veſtigiis nimirum quæ ipſi reliquerunt, inſiſtentes. Ad hæc tempora Græca ex Hebræo ſermone expreſſa, eodem in linguâ Græcâ gaudent privilegio quod habent in Hebræâ : quúmque heic v. g. unum præteritum perfectum præſentis, imperfecti, & pluſquam perfecti partes, pro commoditate ſententiæ, expleat; idem de Græco ex Hebræis fontibus manante & de Latino ad Græcum textum exacto dicendum eſt præterito; & conſequenter ei adventitia, quorum compos eſt, munera adſcribere licet cùm in Græcâ tum in vulgatâ, quæ ex eâ fluit, verſione.



CAPUT V.

De Latino Psalterio quod in Bibliis & Breviariis nostris hodie exstat.

QUATUOR heic quæri possunt I. utrum Psalterium nostrum versionem Italam exhibeat, an ex Hieronymianis unam. II. unde fluxerit nostra Psalterii versio. III. quâ auctoritate sit instructa. IV. quam habeat vetustatem. Singula capita singulis Paragraphis sunt examinanda.

§. PRIMUS.

Ubi disquiritur utrum Latina Psalterii nostri versio sit ea quæ olim vocabatur Itala; an ex Hieronymianis una.

[a] Lib. II. de Doctr. Christ. cap. 11.

[b] Ibid. c. 15.

[c] Epist. CI. ad Pammach. de opt. gen. interpret.

[d] Præf. in lib. Moral.

Inter innumeras quæ, teste S. [a] Augustino, olim circumferebantur Latinas versiones una eminebat Itala de qua sic Hipponensium [b] Episcopus; *in ipsis interpretationibus Itala præferatur, nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ.* Quum autem versio illa, quam S. [c] Hieronymus *Vulgatam* S. [d] Gregorius *veterem* appellat, cùm propter obscuritatem tum propter inelegantiam Romano populo in Psalmis minùs arrideret, emendata fuit à S. Hieronymo Damasi Papæ jussu; quúmque illa B. Hieronymi versio Scriptorum vitio depravata fuisset & plusquam antiquum errorem quàm novam emendationem valeret, correcta iterum fuit à B. Hieronymo Paulæ & Eustochii rogatu, æquum esse dicentium ut quod crebrò malè pullulabat crebriùs succideretur. Altera ad

Græcam LXX. Senum, qualis in Hexaplis reperiebatur, editionem exacta numeratur à S. [a] Hieronymo Latina Psalterii versio ab ipso adornata; sed ea ad alterutram ex præcedentibus revocanda videtur, quanquam has ab Hebræo textu differre sciamus; illam autem præfato textui consentire dicat S. Hieronymus.

[a] Epist. CXXXV. ad Sun. & Fret.

Contendunt quidam priorem B. Hieronymi versionem ex purâ LXX. Senum editione expressam fuisse; secundam autem ex B. Luciani interpretatione manasse; sed, quando S. Hieronymus, in secundæ versionis [b] prologo, dicit coactum se fuisse *ut veluti quodam novali scissum jam arvum* (hoc est *Psalterium quod Romæ dudum positus juxta* LXX. *Interpretes emendarat*) *exerceret & obliquis sulcis renascentes spinas eradicaret*, aliud non indicat exemplar Græcum ad quod secundam istam versionem finxerit; sed unum idémque supponit exemplar (illud scilicet quod in Hexaplis Origenis reperiebatur ut [c] alibi insinuat,) quo usus errata, quæ in priorem versionem Latinam irrepserant, emendarit.

[b] Ad Paul. & Eustoch.

[c] Ep. ad Sun. & Fret.

Quia autem [d] Sophronius, cum Hebræo disputans, quædam pro Domino Salvatore de Psalmis testimonia protulerat; volénsque ille eum illudere, per sermones penè singulos asseruerat non ita haberi in Hebræo ut Sophronius de LXX. Interpretibus opponebat, studiosissimè postulavit à S. Hieronymo ut post Aquilam & Symmachum & Theodotionem novam editionem Latino sermone transferret, cui postulationi concedens Hieronymus Psalterium juxta veritatem Hebraicam interpretatus est.

[d] Vide Epist. CXXXIV. Hier. ad Sophr.

His præmissis, definienda est quæstio de qua nunc agitur. Dico itaque Latinam Psalterii nostri versionem eandem esse atque Italam, adeóque à Hieronymianis



versionibus diversam. Hujus meæ assertionis argumentum non duco ex cantandi consuetudine quæ mutari non pateretur Psalterium quod in ore omnium versabatur: quum enim cantus ille non impedierit quominus Romæ & in Galliâ Hieronymianæ versiones in Ecclesiis quondam obtinuerint ut infrà dicemus, firmum ex eo loco argumentum promi non potest : unde illud prætereo ; & me in arcem firmissimam Concilium scilicet Tridentinum recipio, indéque sic pugno. Versio, quâ hodie utimur, *vetus & vulgata quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est*, vocatur à [a] Tridentinis Patribus, sed illo nomine venire solet versio Itala ut ipse, qui à nobis infrà dissentiet, eminentissimus Cardinalis [b] Bona innuit ; igitur ex verbis Concilii Tridentini sequitur versionem nostram eamdem esse atque Italam, & consequentur aliam à Hieronymianis interpretationibus.

[a] Sess. IV.

[b] Lib. II. Rer. Liturg. cap 3. p. 298. edit. Rom. 1671.

Dices [c] Tertullianus v. g. legit in Psalmo XCI. 13. *Justus ut phœnix florebit*; idémque Auctor, ut & SS Hilarius & Augustinus aliíque, quos Italâ versione usos fuisse scimus, multas adducunt lectiones à nostris discrepantes ; consequens igitur est ut Psalteriana, quæ hodierno usu à nobis recipitur, versio alia sit ab Italâ. Respondeo prædictas lectiones non in omnibus insedisse codicibus, sed tantùm in aliquibus : qui quum posteà minùs boni deprehensi fuissent, emendatioribus cesserunt. Nec ea, opinor, responsio iis displicebit qui secum v. g. reputaverint Tertullianeam, cujus memini, lectionem à S. Augustini commentario abesse ; & quasdam vicissim in S. Augustini scriptis reperiri quæ in veterum Patrum, Vulgatâ seu Italâ utentium, operibus non inveniuntur, ut toto isto libro planum fiet, & abundè apparet variis illis, quas in quartum B. Augustini tomum Monachi

[c] Lib. de Resur. carn. cap. 13.

Benedictini nuper conjecerunt, lectionibus; in quibus B. Augustinum à SS. Hilario & Ambrosio passim discordantem cernas. Scilicet magna olim erat Scriptorum incuria ut ex B. [a] Hieronymo discimus; variabant codices quemadmodum ex sancto intelligimus [b] Augustino; & sancti Patres Scripturas ex memoriâ non rarò exponunt aut in earum prolatione sensum quærunt non verba, ut patet ex prædictis Benedictinorum lectionibus verbo tenus sæpe discrepantibus; ex [c] Tertulliano & S. [d] Hilario quorum uterque locum Isaiæ I 18. duplici modo adducit; ex [e] Justino, [f] Clemente Alexandrino, S. [g] Basilio, [h] Johanne Climaco, [i] Anastasio, [k] Elia Cretensi, [l] Theodoro Studita, [m] Balsamone, [n] Gennadio Scholario, unum idémque testimonium * diverso modo recitantibus; atque ex [o] Lucifero Calaritano, [p] Paciano, S. [q] Cyrillo Hierosolymitano, S. [r] Gregorio Nazianzeno, [s] Theodorito, [t] Maximo, [u] Ruricio, [x] Cæsario Arelatensi, [y] Pseudo Augustino, S. [z] Gregorio M. & [&] Chrodeberto Turonensi qui aliud testimonium * variè citant. Quod quum ita sit diversæ, quæ nobis opponuntur, lectiones nostram non labefactant conclusionem; quam nec etiam disturbant argumenta quæ à laudatis Monachis afferuntur quæque infrà diluemus.

a Præf. in lib. Paralip. cùm ad Chrom. tum ad Domn. & Rog.
b Comment. in Psal.
c Lib. I. ad ux. c. ult. & lib. IV. adv. Marc. c 14.
d In Psal. II. 5. & Præf. in Psal. 119.
e Dial. cum Tryph.
f Lib. quisnam dives ille sit qui salvetur c. 40. apud Joh. Damasc. in Parall. lib. 1. c. 14.
g Epist. ad Chilon.
h Grad. 7. p. 159.
i In Quæst. p. 34.
k In Jure Gr. Rom. p. 337.
l Catech. 36.
m ad Can. Næoc. 12.
n De Prædestin.
* detortum ex Ezech. VII. 3. 8. XVIII. 30. XXIV. 14. XXXIII. 20.
o De Regib. Apost. sub fin.
p Ep. 3.
q Catech. 2.
r Orat. 17.
s In Is. XXX. 15.
t In lib. Ascet. n. 40.
u Epist. 31. lib. 2.
x Homil. 2. & 13. edit. Baluz.
y Lib. de vera & falsa pœnit. c. 17.
z Lib. 7. iudict. 2. Ep. 54.
& in Judic. de muliere adult.
* ex Is. XXX. 15.

§. II.

De Origine Latini nostri Psalterii, obitérque de Græcis versionibus.

Quum Psalterii nostri origo rectè investigari non possit nisi prius de Græcis, sermo fiat versionibus, earum præmittenda est mentio.

Regnante in Ægypto Ptolomæo Lagi filio & Ptolo-

mæum Philadelphum filium suum in regiâ dignitate collegam habente, anno ante Christum natum circiter ducentesimo nonagesimo, LXX. duo viri ex singulis Judæorum tribubus ab Eleazaro summo Pontifice selecti Scripturam sacram ex Hebræo sermone in Græcum convertere, in urbe Alexandria. Historiam fusè describit [a] Aristæas, & ex eo [b] Josephus qui unum versionis hujus procuratorem nominant Ptolomæum Philadelphum, non quòd solus ille in solio sederet, sed quòd solus sub patre sene rempublicam gereret. Hanc ut, post doctissimum [c] Petavium, sententiam assensu meo comprobem impellunt cùm ea quæ ex Hermippo Diogenes refert, tum quæ ab Anatolio apud [d] Eusebium dicuntur, ut & ea quæ [e] Theocriti Scholiastes & Justinus de assumto in regni consortium Ptolomæo Philadelpho produnt.

[a] Lib. de LXX. Interpr
[b] Antiq. XII. 2.
[c] In Animadv. Epiphan.
[d] Lib. VI. Hist. cap 32.
[e] ad Idyll. 17.
[f] Hist. lib. 16.

Usserius [f] Armachanus, Aristææ, Aristobuli, Philonis, Josephi, & Talmudistarum testimoniis adductus, existimavit duas fuisse versiones LXX. Senum (ita numero rotundo vocantur Septuaginta duo viri à me laudati) quorum prior vera scilicet ac germana sub Ptolomæo Philadelpho elaborata & in ejus Bibliothecâ Alexandriæ reposita, solam Mosis legem contineret; altera autem, spuria nempe & subditicia, paulò post quartum Ptolomæi Physconis annum Alexandriæ elucubrata & in Bibliothecâ Cleopatræ posita libris non modò Mosaicis, sed Propheticis aliisque constaret. Hanc Armachani Præsulis opinionem impugnavit eruditissimus [h] Henricus Valesius; docuítque unicam semper fuisse LXX. Senum versionem; eam nimirum quæ, regnante Ptolomæo Philadelpho, facta sit Alexandriæ, & totum vetus Testamentum complecteretur. Caussam hanc suis ponderibus examinare horum non est operum: dicam

[g] In Syntagm. de LXX. Interpr.
[h] In Dissert quæ extat sub fin. Historiæ Eccl. Euseb. ab eo editæ.

eam tantùm Henrico me Valesio assentiri, cujus disputationem legi velim, non prætermisso qui in eâ citatur Masio.

Anno Christi CXXVIII. Aquila Ponticus ex Gentili Christianus ex Christiano Proselytus factus novam Scripturæ versionem Græcam adornavit. Non fuit ille Apostolorum æqualis ut vult [a] Iesudad Episcopus Hadtensis secum ipse pugnans *; sed eâ, quam dixi, ætate floruit ut ex sancto colligimus [b] Epiphanio, qui eum cum duodecimo imperatoris Hadriani anno componit. De hoc porro Interprete judicium habes B. [c] Hieronymi qui Aquilam verbum ex verbo transtulisse dicit, cúmque vocat [d] contentiosum interpretem qui non solùm verba sed etiam etymologias verborum transferre conatus est. Idem [e] Hieronymus duas ab eo versiones Græcas editas fuisse testatur. Utra in Hexaplis fuerit nondum deprehendere potui: sed nullus dubito quin una tantùm his Codicibus mandata fuerit; &, si conjecturæ aliquid permittatur, secundam Aquilæ editionem, quam vocare solebant τὴν κατ' ἀκρίβειαν, in Hexaplis exstitisse crediderim. Iis autem non assentior qui Aquilam cum Onkeloso Paraphraste Chaldæo permiscent.

Sub imperio Commodi Theodotio genere Ponticus ex Marcionis Sinopensis Hæresiarchæ factione suis partibus offensus ad Judæos defecit & circumcisus est; novámque sacrorum Librorum interpretationem Græcam eámque cum LXX. senibus plerumque consentientem elucubratus est ut refert S. [f] Epiphanius: à quo abire videtur B. [g] Hieronymus quum, de Theodotionis interpretatione loquens, eum vocat Ebionitam & Semichristianum; quanquam eum appellet Judæum in [h] Epistolâ ad Augustinum. Non verbum è verbo vel sen-

[a] Apud le Jay Præf. in Bibl. Polygl. Edit. Parif.
* nam eum in Hadriani tempus confert.
[b] Lib. de Mens. & Pond.
[c] Lib. II. adv. Ruf. sub fin.
[d] Epist. CI. ad Pammach. de opt. gen. interpr. sub fin.
[e] in Ezech. VIII. 15.
[f] Lib. de Mens. & Pond.
[g] In Habac. III. 13.
[h] Quæ est 89. apud Hier.

D

ſum è ſenſu, ſed ex utroque commixtum & mediæ temperatum genus tranſlationis expreſſit Theodotio [a]: quem nec Epheſium cum [b] Pſeudo Athanaſio & [c] Euthymio, nec Jonathanem Chaldæum Paraphraſtem cum aliis nominum ſimilitudine fretis dixerim. De ejus ætate doctiſſimus [d] Petavius ſubdubitat ob ſancti Epiphanii narrationem & ſervatum ab Antiquis ordinem in commemorandis Græcis Bibliorum Interpretibus: unde ſuſpicatur Theodotionem poſt Symmachum exſtitiſſe; & Verum pro Severo reponendum eſſe apud S. Epiphanium, ut ſenſus ejus ſit Symmachum ſub M. Aurelio Vero interpretatum fuiſſe. Egregia heic, ut alibi ſæpe, ſubtilitatis & doctrinæ ſpecimina præbuit Petavius: ſed cogitanti mihi intricatam admodum eſſe B. Epiphanii narrationem & in eâ Severo ſeu, ut reſcribit Petavius, Vero 18. annos; 7. autem M. Aurelio* Vero aſſignari, nihil certi ex hoc B. Epiphanii loco colligi poſſe videtur, & probabile non ſit eum, qui à S. Epiphanio Severus dicitur, eundem eſſe atque illum qui M. Aurelius Verus ab ipſo appellatur*. Quum verò S. [e] Irenæus, qui M. Aurelii & Commodi tempore ac Severi quoque initio floruit, de hac [f] Iſaiæ vaticinatione: *Ecce virgo concipiet*, adversùs Judæos diſſerens Aquilæ & Theodotionis, qui aliter interpretati fuerant, mentionem faciat; non item Symmachi qui non minùs quàm ambo illi νεανίδα verterat ut teſtatur [g] Euſebius: quum, inquam, S. Irenæus Symmachum non memoret, eum Theodotione poſteriorem eſſe exiſtimo, adeóque in communi acquieſco ſententiâ: à quâ ordo in recenſendis Græcis Bibliorum Interpretibus me non deducit, dum LXX. Senes Aquilæ & Symmacho, quos tanto temporum ſpatio anteceſſerant, poſtpoſitos in illo ordine fuiſſe conſidero. Nam quæ ex B. [h] Epiphanio affertur reſponſio Origenem,

a ut ait lib. 2. adv. Ruf. Hieronymus cum eodem ſenſu, Theodotio *inter novos & veteres medius incedere* dicitur Præf. in Ev. ad Damaſ.
b In Synopſi.
c Præf. in Pſal.
d Animadv. in Epiph. pag. 399.

* ut vertit Petavius pag. 172. Quod ſi Verum eligas de quo p. 174. habet ille annos 19.
* juxta Petavii interpretationem.
e Lib. III. cap. 24.
f [illegible]II. 14.
g Lib. VII. de Demonſtr.
h Lib. de Menſ. & Pond.

quum LXX. Senum interpretationem accuratissimam esse persuasum haberet, mediam omnium esse voluisse, ut ad eam utrinque dispositæ cæteræ tanquam ad amussim redigi redarguíque possent: quæ, inquam, ex S. Epiphanio affertur responsio acutior mihi quam verior apparet, attendenti medium præcisè locum LXX. Senum versioni in Hexaplis & Tetraplis deputatum non fuisse; atque ad eam in primo loco, non minùs quam in tertio ubi erat, cæteras versiones exigi potuisse: siquidem eæ per columellas dispositæ essent atque è regione singula verba describerent ut ex [a] Rufino & S. [b] Hieronymo intelligimus.

Imperante Severo Symmachus à Samaritanis ad Judæos conversus ut ait S. [c] Epiphanius; seu, Ebionitarum alumnus ut docet B. [d] Hieronymus, Scripturam Græcè interpretatus est, sensum è sensu exprimens ut scribit eruditissimus [e] Presbyter à me laudatus: qui auctor est [f] duas à Symmacho elaboratas fuisse versiones Græcas: quarum unicam in Hexaplis exstitisse persuasissimum est mihi; sed incompertum utra fuerit, quanquam posteriorem suspicer.

Antonino Caracallâ Severi filio rerum potiente, inventa fuit Hierichunte in doliis alia Scripturæ translatio quæ Quinta editio vocata est. Ita S. [g] Epiphanius & [h] Pseudo Athanasius: ex quibus lucem mutuatur [i] Eusebius qui, licet Editionem quæ Nicopoli juxta Actium reperta fuit, præponat ei quam Hierichunte inventam tradit, posteriore tamen Quintam editionem, ob appositum Caracallæ tempus, intellexisse videtur; quamvis S. [k] Hieronymus Quintam editionem in Actæo litore hoc est Nicopoli repertam fuisse asserat, & Sextam editionem Hierichunte fuisse inventam testetur [l] Nicephorus.

a in vers. cap. 13. lib VI. Hist. Eccl. Eus.

b Præf. in lib. Paral. ad Chrom.

c Loc. cit.

d In Habac. III. 13. & Catal. Script. Eccles. in Origene.

e Lib. II. adv. Ruf. sub fin. & in Amos III. 11.

f In Jerem. XXXII. 30.

g Lib. de Mens. & Pond.

h In Synopsi.

i Hist. Eccl. lib. VI. c. 16.

k Præf. in Homil. Cant. Cant. Orig.

l Hist. lib. V. c. 11. p. 358. edit. Gr. - Lat. Paris. 1630. ubi variat.

Sub Alexandro Mameæ filio, interpretatio Græca altera inventa etiam in doliis fuit Nicopoli juxta Actium; eáque appellata fuit Sexta editio ut, post S. [a] Epiphanium, narrat Synopseos [b] auctor ementito Athanasii nomine gaudens. Hæc autem Editio ut & Quinta à Judæis conditæ fuerunt teste B. [c] Hieronymo; & utramque ab Origene repertam fuisse affirmant [d] Eusebius, S. [e] Epiphanius, & B. [f] Hieronymus: ex quibus erroris convincitur præfatus Synopseos auctor, qui Sextam editionem à quodam Origenis familiari inventam fuisse dicit.

a Loc. cit.
b In Synopsi.
c Lib. II. adv. Ruf.
d Loc. cit.
e Loc. cit.
f In Catal. Script. Eccl. in Origene.

Septima fuit versio Græca juxta [g] Eusebium & [h] Zonaram: sed illa solis Psalmis constabat; nec ullo pacto censenda est Lucianæa, cujus [i] Pseudo Athanasius & [k] Euthymius meminere. B. Hieronymus in catalogo Script. Eccl. Septimam hanc Psalmorum editionem indicare videtur potiùs quam septimam in minores Prophetas Editionem cujus mentionem facit in caput II. ℣. 11. Habacuc.

g Loc. cit.
h In hist. imper. Severi.
i Loc. cit.
k Præf. in Psal.

Origenes, miro sacrorum librorum studio incensus, prædictas versiones in unum corpus collegit, & per certa cola ac membra distinxit, easque sibi invicem è regione opposuit, unà cum textu Hebraico cùm Hebræis * tum Græcis literis scripto: illámque collectionem vocavit Hexapla, quòd nimirum sex Interpretationes Aquilæ, Symmachi, LXX. Senum, Theodotionis, Quintæ, ac Sextæ editionis exhiberet; non adscripto inter versiones Hebræo textu, quum ipsum authenticum esset exemplar; nec numeratâ Septimâ Psalmorum interpretatione, eò quod illa unum duntaxat librum spectaret.

* Vide Epiph. lib. de Mens. & Pond.

Postmodum, quum advertisset Origenes Hexaplorum codices nimio sumtu ac labore indigere, Tetrapla, quorum usus esset facilior, edidit demtis duabus Hebraici

textus editionibus, & Quintâ, Sextâque, ac Septimâ versione.

Hæc ferè ab Eusebio Cæsariensi edocemur, cujus testimonium eò lubentiùs heic apponam quòd per illud emendandi veniunt S. [a] Epiphanius, [b] Rufinus, [c] Nicetas, aliíque qui vel Hexaplorum notitiam ab Eusebianâ diversam tradunt* ; vel Octapla comminiscuntur quæ Origeni innominata videntur. Τοσαύτη δ' εἰσήγετο, &c. (ait [d] Eusebius interprete Valesio) id est : *Tantam porrò curam ac diligentiam, in divinis Scripturis perscrutandis, adhibebat Origenes ut Hebraicam etiam linguam didicerit : aliorum quoque, qui præter* LXX. *Scripturas interpretati sunt, editiones pervestigaverit; nonnullas denique interpretationes à tritis illis & vulgatis Aquilæ scilicet ac Symmachi & Theodotionis diversas repererit. Quas quidem ille ex nescio quibus erutas angulis primus in lucem produxit : &, quum obscurum incompertúmque haberet cujusnam essent auctoris, hoc solùm de ipsis annotavit alteram quidem à se repertam fuisse Nicopoli juxta Actium; alteram verò in alio quodam loco. Quin etiam in Hexaplis Psalmorum exemplaribus post insignes illas quatuor Editiones quum non Quintam modò sed etiam Sextam ac Septimam apponeret versionem, rursùs in principio unius notavit inventam illam fuisse Hierichunte in dolio temporibus Antonini Caracallæ qui Severi filius fuit. Has igitur omnes interpretationes quum in unum corpus collegisset, & per certa cola ac membra distinxisset, & sibi invicem è regione opposuisset unà cum ipso Hebraico textu, Hexaplorum nobis exemplaria reliquit. Postea verò editionem Aquilæ & Symmachi & Theodotionis cum* LXX. *Interpretum versione seorsim in Tetraplis digessit.*

Quam porrò Origenes in Hexaplis, tertio gradu, collocaverat LXX. Senum interpretatio variis, quæ in eam irrepserant, mendis purgata ab eo fuerat ; & nonnullis

[a] Lib. de Mens. & Pond.

[b] in vers. lib. VI. c. 13. Hist. Eccl. Euseb.

[c] In Thes. Orthod. fid. lib. IV. to. 12. Biblioth. Patr. edit. Col. 1618. p. 564.

* dum Hexapla dicta esse putant eo quod duas Hebraici textus editiones & Aquilæ ac Symmachi & LXX. Senum ac Theodotionis versionem exhiberent.

[d] Lib. VI. Hist cap. 16.

locupletata additamentis quæ, summus ille vir, ex Theodotione aliisque Interpretibus desumserat & Asteriscis prænotaverat: signo illo indicans prædicta additamenta apud LXX. desiderari; uti obelis quos etiam apposuerat, significabat ea, quæ hoc signo distinguerentur, loca in LXX. Senum versione, non in Hebræo textu comparere. Testantur id Origenes ipse & S. Hieronymus, quorum testimonia non infructuosè heic legentur. *Et in Exemplaribus quidem veteris Testamenti*, ait [a] Origenes, *quæcumque fuerunt inconsonantia Deo præstante cooptare potuimus, utentes judicio cæterarum editionum. Ea enim quæ videbantur apud* LXX. *dubia esse propter consonantiam exemplariorum, facientes judicium ex editionibus reliquis convenientia servavimus: & quædam quidem notavimus quasi non posita in Hebræo, non audentes ea omnia auferre; quædam autem cum Asteriscis addidimus, ut sit manifestum quoniam quæ non fuerunt posita apud* LXX. *ex editionibus cæteris addidimus convenienter Hebræo.* B. [b] Hieronymus. *Ubi quid minus habetur in Græco ab Hebraicâ veritate Origenes de translatione Theodotionis addidit, & signum posuit Asteriscum id est stellam quæ quod priùs absconditum videbatur illuminet & in medium proferat; ubi autem quod in Hebræo non est in Græcis codicibus invenitur, ὀβελὸν idest jacentem præposuit virgulam quam nos Latinè veru possumus dicere, quo ostenditur jugulandum esse & confodiendum quod in Authenticis libris non invenitur; quæ signa & in Græcorum Latinorúmque poëmatibus inveniuntur.*

[a] Tract. VIII. in Matth.

[b] Epist. ad Sun. & Fret.

An autem LXX. Senum versio, quæ in Origenianis Hexaplis reperiebatur immaculata & pura LXX. Senum interpretatio fuerit nec ne disputatur; ac, ne longum sit, unius [c] Valesii verba exscribam. *Hieronymus in Epistolâ ad Suniam & Fretelam, citat editionem* LXX. *Interpretum*

[c] In Dissert. de LXX. Interpret. sub fin. Hist. Eccl. Euseb. ab eo editæ.

juxta Hexaplorum veritatem; & , in eâdem epistolâ sub initium, ait incorruptam & immaculatam LXX. *Interpretum editionem in Hexaplis reservatam fuisse. Idem nihilominus Hieronymus editionem illam* LXX. *Interpretum, quæ ab Origene elaborata in Hexaplis habebatur, puram ac germanam fuisse negat tum in epistolâ ad Augustinum tum in præfatione in libros Paralipomenon. Quæ primâ fronte pugnare inter se videntur: quid enim magis contrarium quàm sunt hæc duo; incorrupta immaculata & vera* LXX *Seniorum editio habetur in Hexaplis; non est pura nec germana* LXX. *Seniorum editio ea quæ in Hexaplis legitur. Utrumque tamen verissimum est, modò intelligatur sicut intelligi debet. Nam editio Hexaplorum Origenis absque controversia erat omnium emendatissima; & eruditi homines, in suis Commentariis, eam editionem sequebantur, neque ex alio loco quàm ex hoc fonte veritas* LXX. *Interpretum hauriebatur. Eadem tamen editio pura non erat propterea quod multa ex Theodotione aliisque Interpretibus habebat immixta, quæ Origenes asteriscis prænotaverat. Quam ob causam Hieronymus, in Epistolâ ad Augustinum & in Præfatione in libros Paralipomenon, ait libros* LXX. *Interpretum ab Origene esse corruptos. In quo certè iniquior mihi videtur Hieronymus adversùs Origenem: qui, quod bono ac pio consilio fecerat Origenes, tam acerbè reprehendit. Quid enim melius excogitari potuit quàm illæ obelorum & asteriscorum notæ, ut indicaretur Lectoribus quid à* LXX. *Interpretibus additum quid ab iisdem omissum fuisset? Quòd si Origenes ea, quæ à* LXX *Interpretibus omissa fuerant, ex Theodotione aliisque supplens nullam apposuisset notam quâ hujusmodi supplementa à puro ac germano* LXX. *Interpretum textu discernerentur, meritò certè & ab Hieronymo & ab aliis reprehendi potuisset; nunc verò, quum asteriscos addiderit singulis locis ad designanda ea quæ à* LXX. *Senibus præter-*

missa ipse ex Theodotione aliisque suppleverat, non solùm vacuus ab omni culpâ sed immortali laude dignus videtur. In eodem enim opere LXX. *Interpretum libri puri & prout ab ipsis editi fuerant lectoribus exhibebantur; & lacunæ, quæ in eorum editione exstabant, ex Theodotione aliorúmque Interpretum editionibus cernebantur expletæ.*

Hæc Valesius à quo multùm abeo. Et primò quidem observo B. Hieronymum in præfatione in libros Paralipomenon non dicere corruptos esse ab Origene LXX. Senum libros*. 2°. Hieronymianam, ubi id affirmatur, ad Augustinum Epistolam ita intelligo ut sensus sit editionem LXX. Senum ab Origene evulgatam non mendosis sed spuriis textibus fuisse contaminatam; seu, quod eodem recidit, editionem illam non esse genuinum LXX. Senum opus non propter errata illam fœdantia sed propter assutos ei textus quos LXX. Senes non edidissent. At S. Hieronymus, Præfatione in libros Paralipomenon, editionem LXX. Senum corruptam non dicit eo quem aperui sensu; sed corruptam vocat ob menda quibus inquinabatur, quæque ei non ab Origene sed à Scriptoribus aspersa fuerant: unde liquet doctissimum Valesium B. Hieronymi mentem non satis heic assequutum esse, & Præfationem in libros Paralipomenon cum Epistolâ ad Augustinum minùs benè ab eo fuisse conjunctam. Rem hanc laudato Præfationis testimonio alióque huic germano comprobo. *Si Septuaginta interpretum pura & ut ab eis in Græcum versa est editio permaneret*, ait S. Hieronymus Præfatione in libros Paralipomenon ad Chromatium, *superfluè me, Chromati Episcoporum sanctissime atque doctissime, impelleres ut Hebræa tibi volumina Latino sermone transferrem: quod enim semel hominum aures occupaverat & nascentis Ecclesiæ roboraverat fidem,*

* audaciæ tantùm accusat Origenem his verbis; *sed, quod majoris audaciæ est, in editione* LXX. *Theodotionis editionem miscuit, Asteriscis designans quæ minus fuerant, & virgulis quæ ex superfluo videbantur apposita.*

fidem, justum erat etiam nostro silentio comprobari; nunc verò, quum pro varietate regionum diversa ferantur exemplaria & germana illa antiquáque translatio corrupta sit atque violata, nostri arbitrii putas aut è pluribus judicare quid verum sit, aut novum opus in veteri opere cudere, illudentibúsque Iudæis cornicum, ut dicitur, oculos configere. Alexandria & Ægyptus in LXX. *suis Hesychium laudat auctorem; Constantinopolis usque Antiochiam Luciani martyris exemplaria probat; media inter has provinciæ Palæstinos codices legunt quos ab Origene elaboratos Eusebius & Pamphylus vulgaverunt; totúsque orbis, hac inter se trifariâ varietate, compugnat..... Et quod nunc* רברי הימים *id est verba dierum interpretatus sum idcircò feci ut inextricabiles moras & sylvam nominum quæ* SCRIPTORUM *confusa sunt vitio, sensuúmque barbariem apertius & per versuum cola digererem.* Idem Hieronymus, de prædicto Paralipomenon libro ad Domnionem & Rogatianum scribens, ait: *liberè vobis loquor, ita in Græcis & Latinis codicibus hic nominum liber vitiosus est, ut non tam Hebræa quàm Barbara quædam ac Sarmatica nomina conjecta arbitrandum sit. Nec hoc* LXX. *Interpretibus, qui Spiritu sancto pleni ea quæ vera fuerant transtulerant, sed* SCRIPTORUM *culpæ adscribendum, dum de emendatis inemendata scriptitant; & sæpe tria nomina, subtractis è medio syllabis, in unum vocabulum cogunt; vel è regione unum nomen in duo vel tria vocabula dividunt.* Nihil hæc ad obelos & asteriscos attinent; & fateri omninò necesse est in utroque, quod adduxi, testimonio editionem LXX. Senum corruptam dici atque violatam non quòd obelos & asteriscos ab Origene mutuata fuisset, sed quod multis erratis ex Scriptorum incuriâ profectis deformaretur: atque adeò B. Hieronymi mentem Valesio non satis heic perspectam fuisse; doctúmque hunc virum in errore fuisse versatum quum Præ-

fationem in lib. Paralipomenon & Epist. ad Augustinum conjunxit, & utrique unum eundemque sensum tribuit.

3. Sed & eruditissimum virum existimo esse hallucinatum quando discrepantiam, quæ inter Præfationem in libros Paralipomenon & Epistolam ad Suniam & Fretelam reperitur, eo, quem vidimus, modo tollere voluit: siquidem concordia, in quam duo illa loca reducit, non est idonea; non solùm quia depravatio, quæ in Præfatione memoratur, in obelis & asteriscis non est posita ut dixi; sed quia B. Hieronymus, Suniæ & Fretelæ scribens, sermonem de unâ Psalmorum editione habet: Chromatium autem alloquens mentionem facit editionis quæ cæteros Scripturæ libros præsertim Paralip. complectatur. Quæ distinctio Valesio minùs observata, eum in ineptam ratiocinationem induxit nedum hoc in loco; verùm etiam in eo ubi, contra Usserium congrediens, prædictæ ad Suniam & Fretelam Epistolæ testimonium affert, ut inde unicam LXX. Senum editionem in Hexaplis fuisse probet. Certè cum Armachano Præsule Valesius feliciter heic non decertat: etenim præfatum testimonium solos spectat Psalmos; eósque in Hexaplis non juxta communem seu Lucianæam versionem sed juxta puram LXX. Senum interpretationem exstitisse tantùm affirmat; nec inde una LXX. Senum in Hexaplis editio generatim à Valesio colligi debuit: quum fieri potuisset ut communis seu Lucianæa versio, quæ ab Hexaplorum Psalterio aberat, in cæteris Scripturæ libris unà cum purâ LXX. Senum editione locum haberet, quod tamen secus fuisse cætera, quæ Valesius affert, argumenta mihi suadent. Quod autem locus Epistolæ ad Suniam & Fretelam de solâ Psalmorum editione intelligendus sit, istis B. Hieronymi verbis ex ejusdem Epistolæ initio depromtis apparet.

Quæritis à me rem magni operis & majoris invidiæ, in quâ scribentis non ingenium sed eruditio comprobetur: ut, dum ipse cupio de cæteris judicare, judicandum me omnibus præbeam; & in opere PSALTERII, *juxta distinctionem schedulæ vestræ, ubicunque inter Latinos Græcósque contentio est, quid magis Hebræis conveniat significem. In quo breviter illud admoneo ut sciatis aliam esse editionem quam Origenes & Cæsariensis Eusebius omnésque Græciæ tractatores* κοινὴν *id est communem appellant atque vulgatam & à plerisque nunc* λουκιανὸς *dicitur; aliam septuaginta Interpretum quæ & in* ἑξαπλοῖς *codicibus reperitur, & à nobis in Latinum sermonem fideliter versa est, & Hierosolymæ atque in Orientis Ecclesiis* DECANTATUR. De solius Psalterii editione heic agi convincunt hæc B. Hieronymi verba, præsertim ultimum in quo cantus fit mentio; nam cæteri Scripturæ libri non decantabantur.

4. A Valesii opinione discrepo quum universim docet LXX. Senum libros in Hexaplis puros & prout ab ipsis editi fuerant exhibitos fuisse: id enim Hieronymiana, quâ ille nititur, auctoritas non efficit; quum ea, ut dixi, solius Psalterii, non cæterorum Scripturæ librorum, editionem spectet, quam Psalterii editionem B. Hieronymus immaculatam & cum Hebraico textu congruentem pronuntiat*. Quod an veritate fundatum sit diu est quod dubito; & hanc mihi dubitationem ipse affert Hieronymus: qui, ex unâ parte, innuit[a] Psalterianam LXX. Senum editionem in Hexaplis codicibus collocatam multis caruisse textibus qui ex Theodotione suppleti fuerant; ex aliâ verò parte ita Sophronio scribit Epist. 134: *Quia igitur nuper cum Hebræo disputans quædam pro Domino Salvatore de Psalmis testimonia protulisti; volénsque te illudere, per sermones penè singulos asserebat non ita haberi in Hebræo ut tu de LXX. Interpretibus opponebas, studiosissi-*

* His verbis. *Ea autem (editio,) quæ habetur in* ἑξαπλοῖς *& quam nos vertimus; ipsa est quæ in eruditorum libris incorrupta & immaculata LXX Interpretum translatio reservatur. Quicquid ergo ab hac discrepat nulli dubium est quin ita & ab Hebræorum auctoritate discordet.* Epist. ad Sun. & Fretel.

a in Prol. ad Paul. & Eust de secundâ Psalterii versione.

mè postulasti ut post Aquilam & Symmachum & Theodotionem novam editionem Latino sermone transferrem: unde impulsus à te.. rursum me obtrectatorum latratibus tradidi..... Certè confidenter dicam... me nihil duntaxat sententiæ de Hebraicâ veritate mutasse. Hinc ego sic argumentor. Multi Psalterii textus in Originianâ LXX. Senum editione desiderabantur qui ex aliorum Interpretum versionibus suppleti Asterisco prænotabantur in eâdem Origenis editione; at vero non est simile ut textus illi à LXX. Senibus omissi fuissent, ergo Psalteriana eorum versio quæ in Hexaplis legebatur, immaculata & prout ab ipsis edita fuerat editio censeri non potest. Minorem propositionem sic probo. Pars aliqua versus 23. Psalmi CXVII. ab Origenianâ LXX. Senum editione aberat quum versum illum Asterisco prænotatum in Codicibus Regio 222. & Colbertinis 1. 2200. Hieronymianam interpretationem ex LXX. Senibus hoc est ex Origenianâ LXX. Senum editione expressam exhibentibus inveniamus hoc modo: *à Domino factum est * istud: hoc est mirabile in oculis nostris*: sed vox illa *istud* à SS. [a] Matthæo & [b] Marco LXX. Senum editionem usurpantibus profertur; igitur Psalteriani, qui in Origenianâ LXX. Senum editione non comparebant, textus saltem aliqui à LXX. Senibus prætermissi non fuerant; atque adeò Psalteriana eorum editio, quæ in Hexaplis legebatur, immaculata atque incorrupta non erat*. Hanc ratiocinationem roborabunt loca nonnulla quæ ex S. Augustino infrà adducam. Venio nunc ad secundam partem de quâ mihi cum B. Hieronymo altercatio oritur. Si Psalteriana LXX. Senum editio, quæ in Hexaplis reperiebatur & à S. Hieronymo in Latinum sermonem fideliter versa erat, ita Hebraicæ veritati consensisset ut quicquid ab hac editione discreparet

a XXI. 42.
b XII. 10.

* Adde ex MSS. Reg. 222. & Colb. 1. hunc Psal. CXVII. 6. versum. *Dominus mihi adjutor* quem laudat S. Paulus Heb. XIII. 6.

nulli dubium esset quin ita & ab Hebræorum auctoritate discordaret uti ait S. [a] Hieronymus, nulla ei necessitas fuisset versionem, quæ Hebraicæ veritati responderet, elucubrandi quum de eâ à Sophronio rogaretur; sed amico huic suo dixisset versionem hujusmodi jam à se elaboratam fuisse, eámque adiri jussisset: quod quum non fecerit doctissimus Presbyter, ipse mihi Psalterianam LXX. Senum editionem, quæ in Hexaplis habebatur, ab Hebræo textu discrepasse suadet. Nec de eâ discederem sententiâ etiamsi B. Hieronymum, quum ad se Sophronius accessit, Psalterianæ, quæ in Hexaplis erat, LXX. Senum editioni vertendæ nondum incubuisse constaret: nam, quamvis tunc non esset mirandum si S. Hieronymus versionem illam Sophronio non indicaverit, certè mirum nobis videri deberet quòd, peractâ Sophronii rogatu versione quæ Hebraicæ veritati esset consentanea, aliam postmodùm quæ cum eâdem veritate congrueret interpretationem aggrederetur, eam nimirum de quâ loquitur in Epistolâ ad Suniam & Fretelam. His adde aliqua Hieronymianæ ad Hexaplos codices exactæ versionis loca quæ ipsemet Hieronymus in laudatâ Epistolâ memorat ubi de Psalmis LXXIII. 8. LXXVI. 7. LXXVIII. 1. CI. 7. differit; & mecum, nisi fallor, concludes esse caussam cur ex ipso Hieronymo versionem quam ex Hexaplis expresserat ab Hebræo textu discordasse colligam, adeóque de verborum superiùs recitatorum veritate dubitem.

[a] Epist. ad Sun. & Fret. paulo post initium.

Hæc paulò uberiùs declaranda putavi quia sequuturæ conclusioni connexa sunt. Revertor nunc ad propositum; &, intermissam Græcarum versionum narrationem repetens, addo LXX. Senum editionem ab Hesychio Ægyptio Episcopo atque à B. Luciano presbytero Antioche-

no & martyre denuò emendatam fuisse circa annos Christi 295. & 304. De his Interpretibus consule B. Hieronymum loco suprà adducto [a], nec non libro II. adversùs Rufinum, & Procemio super quatuor Evangelia ad Damasum. Nihil de Eusebii Cæsariensis editione dico, quippe quæ ab Origenianâ non differret, ut significat S. Hieronymus dictâ jam Præfatione in libros Paralipomenon.

[a] Præf. in lib. Paralip. ad Chrom.

His prælibatis dico unum esse eruditorum omnium consensum Latinam Psalterii nostri versionem ex Theodotionis aut Symmachi interpretationibus vel ex Quintâ Sextâ Septimâve editione minimè oriundam esse; benè quidem ex LXX. Senum versione originem ducere & ex eâ expressam fuisse: sed in contentionem venit utrùm versio illa, ad quam nostra exacta est, pura fuerit LXX. Senum editio; an aliqua ex illis quæ ab Origene Hesychio aut Luciano fuerant emendatæ. Istam controversiam antequam dirimo ejus necessitas patefacienda est; eâque de caussâ Lectorum animi ad memoriam ejus rei, de quâ paulò ante uberiùs sum loquutus, revocandi sunt. Scilicet meminisse eos oportet Origenianam LXX. Senum editionem, puram atque incorruptam Senum illorum editionem non fuisse ob ea quæ aliunde promebantur additamenta Asteriscis coruscantia: quæ quum pariter in eorumdem Senum editionibus ab Hesychio & Luciano emendatis conspicerentur ut optimè observavit [b] Valesius, perspicuum est istorum non minùs quàm Origenis editiones genuinum LXX. Seniorum fœtum non exstitisse; atque adeò justam mihi esse caussam de genuino hoc in Psalmis fœtu ulteriùs disputandi.

[b] In Dissert. de LXX Interp.

Præmonito sic Lectore dico in eâ me esse sententiâ Latinam Psalterii nostri versionem ex purâ LXX. Senum

editione, qualis initio nascentis Ecclesiæ exstabat, ortam esse; non autem ex iis quas Origenes Hesychius aut Lucianus correxerunt. Meam propositionem istâ ratiocinatione probo. Psalteriana LXX. Senum editio ab Origene Hesychio aut Luciano emendata eos, in fundo suo, non habebat textus quos S. Hieronymus sub Asteriscis posuit quum illos se ex Theodotione depromsisse testetur doctissimus Presbyter; sed textus illi saltem aliqui apud S. Augustinum v.g. Italâ seu vulgatâ ac vetere versione utentem reperiuntur, ergo vulgata Psalmorum versio ex triplici à me laudatâ LXX. Senum editione non fluxit; benè quidem ex purâ eorumdem Senum versione qualem primi Christiani terebant, quum alia rectè memorari non possit interpretatio Græca ad quam Vulgata illa nostra sit exacta. Tota illa ratiocinatio convelli non posse videtur si semel constiterit Hieronymiana additamenta apud S. Augustinum comparere; id verò ex S. Augustini Enarratione cum Codicibus Regio 222. & Colbertinis 1. collatâ facilè probatur: in iis enim codicibus asterisco distinguntur versus isti * *& exurge* ÷ *Domine Deus meus in præcepto quod mandasti* Psal. VII. 7. *Quid est * tibi mare quod fugisti* Ps. CXIII. 5. * *Dominus mihi adjutor* Psal. CXVII. 7. qui versus in B. Augustini Commentario integrè leguntur. Alia id genus exempla laudati Codices, ut & Brunonis Herbipolensis Commentarius obelis & asteriscis instructus typísque anno 1497. datus, cum Augustinianâ in Psalmos Enarratione collati suppeditant, præter ipsum Hieronymum qui in Epistolâ ad Suniam & Fretelam quosdam cum Asteriscis laudat textus [a] qui à B. Augustino proferuntur. Atque hinc rem notatu dignam observare liceat nimirum LXX. Senum interpretationem in rivo quàm in fonte puriùs perseverasse: si

[a] Psal. XXXI. 4. XLI. ult.

Alexandrinus, [a] Tertullianus, [b] Eusebius, S. [c] Hilarius, S. [d] Cyrillus Hierosolymitanus, S. [e] Epiphanius, S. [f] Ambrosius, ipse S. [g] Hieronymus, [h] Rufinus, S. Chrysostomus, S. [k] Augustinus, & [l] Theodoritus, præter [m] Aristeam, [n] Philonem, & [o] Josephum. Horum omnium testimonia non adducam; sed ab exscribendis SS. Irenæi & Cyrilli verbis calamus cohiberi non potest. *Apostoli*, ait B. Irenæus, *consonant prædictæ interpretationi; & interpretatio consonat Apostolorum traditioni. Etenim Petrus & Johannes & Matthæus & Paulus & reliqui deinceps & horum sequaces prophetica omnia ista annuntiaverunt, quemadmodum Seniorum interpretatio continet.* S. Cyrillus, de eorumdem Interpretum libris, ita loquitur: ταύτας μόνας μελέτω, &c. id est *hos solos studiosè meditare quos & in Ecclesia securò tutóque recitamus: Multo prudentiores te erant Apostoli veteresque illi Episcopi Ecclesiæ antistites qui hos tradiderunt.*

[a] Apolog. c. 18.
[b] Præp. VIII 5.
[c] Prol. in Psal.
[d] Catech. IV.
[e] lib. de Mens. & Pond. num. 17.
[f] lib. III. Hex. c. 5.
[g] Præf. in Paralip. cùm ad Chromatium ad Domn. & Rogat. & lib. II. adv. Ruf.
[h] Invect. adv. Hieronym.
[i] Homil. 4. in cap. I. Gen. & Homil. 5. in Matth. c. 1.
[k] Epist. 8. 10. 19. lib. II. de Doctr. Christ. c. 15. & lib. XVIII. de Civit. Dei c. 42. 43.
[l] Præf. in Psal
[m] lib. de LXX. Interpret.
[n] lib. 2. de vitâ Mosis.
[o] Antiq XII. 2.

Quanta sit vulgatæ versionis auctoritas ex isto Græcæ LXX. Senum editionis encomio cognoscitur; sed peculiare vulgatæ versioni præconium Tridentini Patres tribuunt celebri isto decreto[p]. *Sacrosancta Synodus, considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei si ex omnibus Latinis editionibus quæ circumferuntur Sacrorum Bibliorum quænam pro authenticâ habenda sit innotescat, statuit & declarat ut hæc ipsa vetus & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authenticâ habeatur; & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat.*

[p] Sess. IV.

Tertius est locus unde vulgatæ versioni auctoritas accedit; videlicet ex plurimis gravibúsque mendis quibus illa immunis est quæque in Hebræo textu reperiuntur. Mihi non est in animo omnia illa menda heic persequi;

ſed ea tantùm volo attingere errata quæ in Pſalterio inveniuntur, ut inde conſtet Pſalterianæ noſtræ verſioni à prædictis erratis vacuæ ſummam auctoritatem eſſe tribuendam; eámque textui Hebræo hodierno utpote inquinatiſſimo anteponi debere.

Mutilus eſt textus Hebræus in Pſalmo XIII. caret enim verſibus 5. 6. 7. quos tamen ei olim adfuiſſe fidem facit verſio noſtra præſertim quum B. Paulo ad Romanos [a] ſcribenti congruat. Neſcius non ſum [b] B. Hieronymum docuiſſe verſus illos de variis Scripturæ locis à S. Paulo contextos fuiſſe: ſed, pace ſummi Doctoris, dixerim vero ſimilius eſſe ut eos Apoſtolus ex LXX. Senum Pſalterio depromſerit; & Senes in Hebræo, quem verſabant, textu invenerint; atque adeò Hebræa, quam hodie habemus, Scriptura ſit mutila.

[a] III. 13. & ſeq.
[b] Proœm. in lib. 16. Comment. in Eſ.

Verba hæc Pſalmi XXXVI. 28. *injuſti punientur* ab Hebræis abſunt codicibus; in quibus quominus deſiderari debeant vetat Alphabeticus, quo Pſalmus ille Hebraicè conſcriptus eſt, ordo qui petit ut verſus ſit aliquis à literâ ע incipiens: quod in hodiernis Hebræorum codicibus fruſtrà quæras; feliciter autem in noſtrâ deprehendas verſione, ex quâ perſpicuum ſit exſtitiſſe olim in Hebræo textu verſum qui ſic inciperet עוילים ideſt *injuſti, &c.*

Idem dico de Pſalmo CXLIV. in quo verſum 14. *fidelis Dominus*, &c. ab Hebræis codicibus excidiſſe planum facit Alphabeticus, quem Pſalmus ille in linguâ Hebræâ ſervat, ordo qui poſtulat ut aliquis ſit verſus qui à litera נ incipiat: quod in hodiernis Hebræorum codicibus non invenimus; benè quidem in vulgatâ animadvertimus verſione, ex quâ liquet in vetuſtis codicibus Hebræis fuiſſe verſum cujus hoc eſſet exordium נאמן ideſt *fidelis*, &c.

Verba ista, *& herbam servituti hominum* quæ in Psalmo CXLVI. 8. leguntur, in Hebræo non comparent textu: in quo eos antiquitùs exstitisse credet quisquis oculos in locum huic similem Psalmi CIII. 14. ubi prædicta verba reperiuntur, conjecerit; attenderítque verba illa in versione nostra inveniri. Nam, ut hoc semel dicam, probabile non est Septuaginta Senes dimidium aut integrum, quem in Hebræo textu non legissent, versum addere ausos fuisse: quæ vel una ratio verba ista Psalmi CXXXVII. 1. *quoniam audisti verba oris mei*, ab Hebræis expuncta fuisse codicibus adeóque illos esse mutilos mihi facilè suadet.

Corruptus est Hebræus Psalmi XXXIV. 27. textus iste ויאמרו תמיד יגדל יהוה החפץ שלום עבדו idest; *& dicant semper magnificetur Dominus volens pacem servi sui.* Versus hujus depravationem arguit similis versus Psalmi XXXIX. 17. ubi Hebræa Scriptura habet יאמרו תמיד יגדל יהוה אהבי תשועתך idest; *dicant semper magnificetur Dominus diligentes salutare tuum.* Legendum esse in priore loco החפצי *volentes* pro החפץ *volens* liquet ex secundo testimonio; ut & è vulgatâ versione quæ legit QUI VOLUNT *pacem servi ejus.* Quæ lectio, ut id obiter notem, posteriori, quod ex Hebræâ Scripturâ adduxi, testimonio consonat: hæc enim phrasis *qui volunt pacem servi ejus* ab istâ *qui diligunt salutare tuum* non differt, quum hujus sententia sit qui diligunt seu volunt salutem abs te præstitam servo tuo; nec obstat pronominis mutatio, nam eam in sacris libris maximè in Psalmis frequentem esse sciunt qui eos tantisper evolverunt.

Psalmus XLI. 7. Hebraicè sic concipitur כי עוד אודנו ישועות פניו idest; *quoniam adhuc confitebor illi salutes faciem* (seu vultus.) *ejus.* At idem locus in ejusdem Psalmi &

ſequentis verſu ultimo ita repræſentatur כי עוד אודנו ישועות פני ideſt; *quoniam adhuc confitebor illi ſalutes vultus mei.* Primum locum corruptionis vitio convincunt duo alii; maximè ſi accedat noſtræ collatio verſionis, quæ primæ perſonæ pronomen ubique retinet: unde noſcimus LXX. in primo, quem protuli, loco legiſſe פני *vultus mei* non פניו *vultus ejus.*

Pſalmus XLVIII. 13. in Hebræo textu ita exprimitur וארם ביקר בל ילין ideſt; *& homo quum in honore eſſet non pernoctavit.* Aſt idem textus in ultimo ejuſdem Pſalmi verſu ita repetitur אדם ביקר ולא יבין ideſt; *homo quum in honore eſſet non intellexit.* Nemo non videt priorem locum eſſe depravatum, atque ex ſecundo reformandum, legendo יבין *intellexit* pro ילין *pernoctavit*: quam rem ſi Hebræus textus invicem collatus non doceret, ſatis ſupérque noſtra demonſtraret vulgata, quæ, utroque in loco, habet *intellexit.*

Pſalmus XLVIII. 12. iſta apud Hæbreos verba præfert קרבם בתימו לעולם ideſt; *intimum eorum domus eorum in æternum.* Nullum heic probum invenias ſenſum; ſecus in noſtrâ verſione, quæ legit *ſepulchra eorum domus eorum in æternum*: unde intelligimus Hebræos LXX. Senum codices habuiſſe קברם *Sepulchrum eorum* pro קרבם *intimum eorum.*

Eodem in Pſalmo ℣. 19. legitur ויודך כי תיטיב לך ideſt; *& confitebitur tibi quum benefeceris tibi.* Ineptus eſt ſenſus ille, & ſententia omninò poſtulat *benefeceris ei*, quemadmodum in noſtrâ habetur verſione: ex quâ in Hebraicis, quos LXX. Senes terebant, codicibus לו *ei* pro לך *tibi* fuiſſe liquet.

Pſalmus XXXIV. 20. כי לא שלום ידברו ideſt; *quia non pacem loquentur.* Eliminanda eſt negatio לא *non* &

reponendum לי *mihi* ut istâ, quæ sequitur, oppositione *dolos cogitabant* apparet; nec non vulgatâ versione quæ nullum relinquit dubium quin LXX. Interpretes pro כי לא שלום ידברו legerint כי לי שלום ידברו idest; *quia pacem (seu pacificè) mihi loquebantur.*

Psalmus XLI. 5. כי אעבר בסך אדדם idest, *quoniam transibo in numerum, movebo me* (seu incedam) *cum eis.* Corruptionem in hunc textum invasisse ipsa sententiæ insulsitas suadet; sed illud præterea conficitur ex voce אדדם quæ, secundùm Grammaticæ Hebraicæ regulas, significare nequit *incedam cum eis*: etenim litera ם verbo alicui affixa non sonat *cum eis.* Quod tamen, etiamsi alibi concederetur, vix admittendum heic foret eò quod singularis non præeat substantivus, ad quem pronomen plurale eis referri possit. LXX. Interpretes pro בסך אדדם legisse videntur במסך אדר idest; *in tabernaculum admirabile.* sup. transibo.

Psalmus LXXXIII. 6. עברי בעמק הבכא מעין ישיתוהו idest: *transeuntes per vallem mori fontem ponunt eam.* Locum hunc de corruptione postulat ipsamet, quæ ex eo conflatur, sententia, illa enim inepta prorsus est; eandémque corruptionem adstruit dictio Hebraica עברי quæ, quum non sit in statu regiminis ut vocant, non עברי sed עברים efferri debuisset. LXX. Senes pro hodierno verbo עברי *transeuntes* legerunt ערך *disposuit*; totúmque hunc locum (in quo sanctissimæ Trinitatis vestigium apparet ob verbum plurale ישיתוהו *ponunt eùm* sup. tres divinæ personæ: quæ, quum unum Deum constituant, singulari numero à LXX. Senibus expressæ sunt) his conceptum verbis habuere ערך בעמק הבכה מעון ישיתוהו idest, *disposuit in valle fletus* (seu lachrymarum) *in loco quem posuit*; nisi malimus dicere eos legisse ישיתהו pro ישיתוהו.

His locis complura addi possent ; sed , præterquam quod major eorum pars in hujus operis serie annotabitur , relata à me testimonia sufficiunt ad ostendendam textus Hebraici hodierni mutilationem & corruptionem: quúmque neutrius vitii vulgata versio insimulari , prædictis in locis, possit, efficitur eam esse dignam quæ summâ valeat auctoritate & Hebræo præferatur textui hodierno : cujus depravationem mirari non debemus quum Judæi , post occisum Sospitatorem nostrum , patriis è sedibus pulsi variísque miseriis , ubique terrarum, circumclusi Codices suos illibatos servare vix potuerint ; maximè quum ii punctis seu vocalibus destituti essent, & multis literis similibus adeóque facilè invicem permutabilibus constarent : quibus è fontibus depravationem Hebraici textus & diversitatem quæ eum inter & nostrum intercedit manasse crediderim potiùs quam ex iis caussis quæ à [a] Justino martyre , S. [b] Irenæo, [c] Origene, [d] Tertulliano , S. [e] Epiphanio , S. [f] Hieronymo , S. [g] Chrysostomo, S. [h] Augustino, & [i] Rabbi Azaria suppeditantur. Utcumque acciderit res pro certo haberi debet Hebraica, quibus nunc utimur , Psalteria esse vitiosa & Vulgatæ versioni postponenda.

Nonnullis id argumentis superiùs probavi; sed plura, in hujus libri decursu , afferentur ex quibus decreti [k] Tridentini sapientia non parum emicabit , dum scilicet ostendetur Versionem nostram hodierno Hebræorum textu sinceriorem esse , nósque cœco impetu in Psalterium plerumque incursuros & divinum illud opus in nostram intelligentiam multoties non casurum nisi Vulgatæ versionis lumen accederet. Id verò satis superque esse ostensum æquos rerum judices assensuros spero, ubi viderint (quod subinde in meis Annotationibus

[a] Dial. cum Tryph. p. 297. & seq.
[b] lib. III. 24. & IV. 25.
[c] Homil. 12. in Jerem. & lib. 1. contr. Cels.
[d] de habitu mul. c, 3.
[e] lib de Mens. & Pond. num. 15. 16.
[f] Præf. in Pentat. Procem. Quæst. Heb. Præf. in Paralip. ad Domn. & Rog. & in Ezech. XVI. 13.
[g] Homil. 5. in cap. 1. Matth.
[h] lib. XV. de Civ. c. 13. 14. lib. II. de Doctr. Christ. c. 15. & lib. IV. c. 7.
[i] in lib. *Imre bina* c. 5.
[k] Sess. IV.

observabo & suprà attigi) nullum textui Hebræo, quum à vulgatâ versione recedit, sensum plerumque inesse addendásque esse voces aliquas ut sententia aliquantulùm commoda efficiatur ; nostram autem versionem eximium sponte sensum proferre ; eâque nos ad primævum & probum, quem LXX. Senes habuere, textum Hebræum duci. Atque hinc demum exploratum omnibus fiet satius esse ut aliquando ex nitido fontis rivulo quam ex turbido fonte aquam ad bibendum hauriamus ; planúmque erit in culpa esse eos qui, unum Hebræorum textum hodiernum suspicientes, vulgatum ad LXX. Senes puro ac primævo Hebraico textu utentes exactum contemnunt.

Audiant illi S. [a] Augustinum qui quum, omnis Africanarum Ecclesiarum studiosæ societatis nomine, petiisset à S. Hieronymo ut interpretandis eorum libris, qui Græcas Scripturas nostras quàm optimè tractaverant, curam atque operam impendere non gravaretur, ista notatu digna subjecit verba. *Satis autem nequeo mirari si aliquid adhuc in Hebræis exemplaribus invenitur, quod tot interpretes illius linguæ peritissimos fugerit. Omitto enim Septuaginta, de quorum spiritus vel consilii majore concordiâ quàm si unus homo esset non audeo in aliquam partem certam ferre sententiam, nisi quod eis præeminentem auctoritatem in hoc munere sine controversiâ tribuendam existimo. Illi me plus movent qui, quum posteriores interpretarentur & verborum loquutionúmque viam atque regulas mordicùs, ut fertur, tenerent, non solùm inter se non consenserunt, sed etiam reliquerunt multa quæ tanto post eruenda & prodenda remanerent. Et aut obscura sunt aut manifesta : si enim obscura sunt te quoque in eis falli potuisse non immeritò creditur ; si autem manifesta superfluum est te voluisse explanare quod illos latere non potuit*..... Ego sanè te mallem*

[a] Ep. VIII.

* Ep. X.

Græcas potius canonicas interpretari Scripturas quæ LXX. *Senum auctoritate perhibentur ; perdurum enim erit si tua interpretatio per multas Ecclesias frequentiùs cœperit lectitari quod à Græcis Ecclesiis Latinæ dissonabunt, maximè quia facilè contradictor convincitur Græco prolato libro id est linguæ notissimæ. Quisquis autem in eo quod ex Hebræo translatum est aliquo insolito permotus fuerit & falsi crimen intenderit, vix aut nunquam ad Hebræa testimonia pervenitur quibus defendatur objectum ; quòd si etiam perventum fuerit, tot Latinas & Græcas auctoritates damnari quis ferat ?* * *Ideò autem desidero interpretationem tuam de* LXX. *ut & tantâ Latinorum Interpretum qui qualescumque hoc ausi sunt, quantum possumus, imperitiâ careamus ; & hi qui me invidere putant utilibus laboribus tuis tandem aliquando, si fieri potest, intelligant propterea me nolle tuam ex Hebræo interpretationem in Ecclesiis legi ne contra* LXX. *auctoritatem, tanquam novum aliquid proferentes magno scandalo perturbemus plebes Christi, quarum aures & corda illam interpretationem audire consueverunt, quæ etiam ab Apostolis approbata est.*

* Ep. XIX.

Hæc B. Augustini verba qui perpenderit & quas præmisi attenderit observationes, summam vulgatæ Psalmorum versioni auctoritatem adjunget, eámque interpretationem Hebraicæ anteferre non cunctabitur. Nonnulla in Psalmis fateor esse loca in quibus Vulgata versio mendis obnoxia est minúsque, quàm par esset, castigata ; sed loca illa ejus auctoritati non officiunt utpote quæ pauca minimíque momenti sint : quæ tantùm abest ut reticere velim, ut ea ultrò agnoscam cum maximo versionis nostræ præcone [a] Genebrardo qui eam paucis aliquot iisque levibus nævis imbutam esse non semel confessus est. Nec inde laudato Tridentinæ Synodi decreto nos adversari concludi debet : hoc enim decreto Vulgatam

[a] in Epist. an. 1577. Psalteriolo cum argumentis edito præfixâ ; & in Epist. an. 1582. ad Greg. XIII. Commentario ipsius in Psal. præfixâ.

Vulgatam eatenus voluit sacrosancta Synodus authenticam haberi *ut certum omnibus esset nullo eam defœdatam errore ex quo perniciosum aliquod dogma in fide & moribus colligi posset*, ut ait qui Concilio Tridentino magnâ cum laude interfuit [a] Andræas Vega: cui Canus, Andradius, Sacroboscus, Sixtus Senensis aliique à Serrario [b] producti subscribunt; nec non Vulgatæ studiosissimus R. P. [c] Claudius Frassenius pietate & doctrinâ inter Doctores Sorbonicos clarus, qui certum esse pronuntiat Vulgatam à levioribus mendis minimè immunem esse.

[a] lib. XV. in cap. 16. de vera & fict. Just. Christ. imp.
[b] Proleg. Bibl. cap. 19. q. XI. 111.
[c] Disquis. Bibl. pag. 361.

Nolim autem in istorum mendorum numero reponi præteritum v. g. pro præsenti, imperfecto, plusquam perfecto, aut futuro; & futurum pro præterito aut imperativo usurpatum: id enim vitio caret, nec eo nomine ab Hebraistis culpanda est versio nostra quippe quæ, hac in re, Hebræo textui plerumque consonet. Quod ut dilucidiùs explicetur, observationis quàm superiùs attuli refricanda est memoria: & notandum in linguâ sanctâ Indicativum præterito perfecto & futuro duntaxat constare, Imperativum verò tertiâ personâ orbari; Hebræósque usuram temporum ac personarum quibus carent multiplicitate officiorum, quæ temporibus & personis quibus potiuntur, tribuunt, sarcire. LXX. Senes, summam in versione sua fidem adhibere cupientes, tempora, prout in Hebræo exstant, plerumque reddiderunt; & ea, quibus gaudent, officia omisere: unde passim apud eos reperias *meditatus sum* pro *meditor*, *erit* pro *sit*, *erunt* pro *sint* & id genus alia: quæ quum sic in Hebræâ linguâ se habere soleant, perspicuum est Senes nostros nullam heic culpam contrahere; sicut & quum præteritum Hebræum futuri partes sustinens per præteritum vertunt, & futurum præteriti munus implens in futuro ex-

primunt. Noſtrum eſt præfatis temporibus adventitia illa tribuere munera ; nec oportet Septuaginta Senes, quum ea prætermittunt, in vituperationem adducere, quamvis munera hujuſmodi interdum notaverint.

§. IV.

De antiquitate Vulgatæ Pſalmorum verſionis.

Quum Pſalmi magno ſemper loco fuerint ſummúmque dignitatis gradum inter veteris Teſtamenti libros tenuerint, non dubito quin in Latinum ſermonem converſi fuerint ab Apoſtolis aut eorum diſcipulis quum primùm ſe ad Evangelicam doctrinam Romanis prædicandam compararunt ; unde Latina Pſalmorum verſio ortum Eccleſiæ æquare mihi videtur.

Objicies. Latini ſermonis elegantiam, quæ tunc temporis vigebat, non ſapit Latinus interpres ; ergo ad eam ætatem revocandus non eſt. Reſpondeo 1°. nonnullas eſſe apud Interpretem noſtrum loquutiones quæ inter barbaras ab imperitis numerantur, quum tamen in eum numerum referri non debeant utpote quæ à bonis non ſolùm auctoribus Tiberio vetuſtioribus, ſed ab illius Imperatoris aut ferè æqualibus ; aut elegantiæ, quæ ſub ejus regno ſupererat, æmulis uſurpentur aut laudentur. Id nonnullis probare lubet exemplis. Ait Latinus interpres Pſal. LIX. 8. *(a) partibor Sichimam* ; atque à multis ob futurum illud *partibor* coarguitur, quaſi inquinatè fuerit loquutus. Pacuvius nihilominus, Accius, Pomponius, atque * Ennius dixerunt *expedibo* pro expediam ut docet Nonius Marcellus : qui etiam teſtatur Ennium & Cæcilium dixiſſe *audibo* pro audiam ; Pomponium

* quominus citetur non vetat ejus ſtercus.

a Cap. de mutatis conjug. pag. 505. edit Sedan. 1614.

b Ibid. pag. eád. in fin. & pag. 506. 507.

aperibo pro aperiam, *paribit* pro pariam, *venibo* pro veniam, *operibo* pro operiam, *pervenibunt* pro pervenient; Novium *dicebo* pro dicam, *vivebo* pro vivam; Afranium *obedibo* pro obediam; Plautum *reddibo* pro reddam; eumdémque Plautum ac Pomponium pro reperietur dixisse *reperibitur*. Legimus in Psal. LXII. 1. *Deus Deus meus ad te de luce vigilo*; ibíque noster Interpres inelegantiæ insimulatur ob vocativum *meus*. Sed indocti Critici ex [a] Diomede discere debuissent vocativum *mi* ab antiquo derivari nominativo *mius* uti veteres efferebant pro meus. Debuissent & [b] Flavium Sosipatrum Charisium audire docentem ex Scauro quòd vocativus singularis generis masculini multos diffidentes generaverit ô mi an ô meus facere debeat.

Respondeo 2°. Sermonis neglectum nihil Vulgati interpretis antiquitati obstare: erat enim hoc in more positum institutóque Majorum nostrorum ut simplicitatem Scripturarum summoperè probarent, & nitidæ loquutionis studium in rebus divinis enarrandis negligerent. [c] Origenes ait *sub tenui & contemtâ Scripturarum loquutione latentem esse arcanorum splendorem dogmatum; adeo ut quasi thesaurum habeamus in vasis fictilibus, ut luceat sublimitas virtutis Dei nec à nobis hominibus esse credatur*; τῇ κεκρυμμένῃ λαμπρότητι τῶν δογμάτων, &c. [d] Clemens Alexandrinus Ἔφαμεν δὲ πολλάκις, &c. idest: *sæpe diximus neque nos Græci sermonis elegantiam affectasse, nec ei colendæ operam adhibere, hoc enim sufficit ad vulgus hominum à veritate deterrendum: vera autem Philosophiæ professio non ad linguam eorum qui auscultant; sed ad mentem potius juvandam refertur. Ita porro statuo eum oportere qui veritatis curam gerit non affectatè ac velut insidiosè nimísque diligenter loquutionem suam contexere; sed hoc unum studere ut quodcumque vult appellet*

[a] lib. I. de arte Grammat. c. de Pronomine p. 319. in edit. in 4. antiq. Gram. Lat.

[b] lib. I Instit. Grammat. pag. 110. ejusdem edit.

[c] Philoc. cap. 1.

[d] lib 2. Stromat.

quomodo potest : qui enim pendent à dictionibus & in iis occupantur, eos ipsæ res effugiunt. Plura in eandem sententiam occurrunt apud eosdem [a] Origenem & [b] Clementem; nec non apud S. [c] Cyprianum, [d] Lactantium, S. [e] Basilium, S. [f] Gregorium Nyssenum, S. [g] Hieronymum, S. [h] Augustinum, [i] Sulpitium Severum, S. [k] Cyrillum Alexandrinum, [l] Theodoritum, [m] Isidorum Pelusiotam, [n] Faustum Regiensem, [o] Ennodium, [p] Leontium Bizantinum, [q] Zachariam Mitylenæum, [r] Euthymium, S. [s] Gregorium Magnum, aliósque quos qui legerit operæ precium feret & solœcismos atque inelegantes sacræ Scripturæ phrases (cujusmodi in Psalmis multas reperiri confiteor) excusatione teget; maximè si Platonem audiat & [u] Senecam præter [x] Ciceronem & [y] Quintilianum.

a Philos. c. 4. & lib. 6. contr. Cels.
b lib 1. Stromat. pag. 293. D. 294. A.
c Epist. 2. ad Donat.
d lib. 5. divin. Instit.
e Homil. 5. in Hexam.
f Epist. ad Ablabium to. 2. p. 458.
g Epist. 28.
h lib. contr. Adimant. c. 11. Enarrat. in Ps. XXXVI. 26. & Tract. 2. in Joh ad cap. I, 13.
i Præf. ad Desiderium in lib. de vitâ B. Martini.
k lib. 7. contra Julian. p. 232.
l Serm. 9. contra Græcos.
m lib. IV. Epist. 91.
n Epist. 16.
o in Paræn. didasc. p. 438.
p lib. I. contra Nestorian. & Eutych.
q lib. de mundi Opific.
r Panopl. part. 1. tit. 3. sub fin.
s Ep. ad Leand. in Exp. B. Job. c. 5. & lib. XVIII. 27. ejusd. Exp.
t apud Clement. Alex. lib. 1. Strom. pag. 294. A
u Epist. 16.
x lib. 1. de fin. sub fin. ubi de Epicuro.
y in fin. Proœm. lib. 8. Instit.

CAPUT VI.

De Quintuplici Psalterio Gallico Romano Hebraico Vetere & Conciliato publici juris facto à Joh. Fabro Stapulensi; & de judicio quod insignes aliqui viri ferunt de Psalteriorum illorum nonnullis.

JOHANNES Faber Stapulensis quintuplex Psalterium Gallicum, Romanum, Hebraicum, Vetus, & Conciliatum edidit anno 1509. de quo sic disserit sub finem Epistolæ Guillelmo Briçonneto S. R. E. Cardinali Episcopo Tusculano dicatæ. *Hac crediderim ratione* (Psalterium) *Romanum dici quòd Romæ emendatum à Hieronymo* (*ceu ex ejus prologo dilucet*) *in Ecclesiâ caneretur Romanâ idest Gallis Transalpinâ; & Gallicum quòd eo Ecclesia Gallica idest Cisal-*

pina uteretur. Et illud esse arbitror quod ad preces Paulæ & Eustochii secundò correxit Hieronymus : hoc ductus argumento quod in vetustis codicibus illud obelis & asteriscis reperimus annotatum quemadmodum scribit idem Hieronymus se annotasse. Hebraicum verò quòd nullâ mediâ intercedente linguâ, ex Hebræo ad Sophronii preces Latinâ illud donarit coloniâ. Psalterium vetus dicitur quòd eo vel maximè, ante editiones à Hieronymo emendatas, uterentur Ecclesiæ. Conciliatum quòd pauca addat aut mutet ad Gallicum quò magis veritati & Hebraico concordet Psalterio, & quandoque ut aptior & accommodatior habeatur sermo

Hæc Faber qui edita à se Psalteria Romanum & Gallicum sic inscripsit ut judicii firmitatem in eo desiderem; eadémque Psalteria ut & Hebraicum ita exscripsit ut de ejus accuratione dubitare liceat; vel, quod potius crediderim, dicere fas sit varias in hæc Psalteria lectiones irrepsisse; atque adeò incertum esse an ea quæ Faber in lucem protulit sint castigatiora.

Fabro assentior credenti Romanum Psalterium sic dici quòd in Ecclesiâ caneretur Romanâ, & Gallicum quòd eo Ecclesia Gallica uteretur sed probandum erat duplex illud, quod ipse pervulgavit, Psalterium usurpatum Romæ & in Galliâ fuisse; quod quum omiserit firmi judicii specimen dedisse non videtur.

Argumentum quidem pro Psalterio Gallico affert, sed rectam non init ratiocinationem quum ex obelis & asteriscis colligit Psalterium Gallicum illud esse quod ad preces Paulæ & Eustochii secundò correxit Hieronymus: hi enim obeli & asterisci nihil ad Galliam faciunt; sed hoc unum probant codicibus, ubi signa illa inveniuntur, repræsentari versionem quam B. Hieronymus Paulæ & Eustochii rogatu iterum emendavit. Quòd au-

tem hæc verſio in Galliâ obtinuerit aliunde eſt conficiendum.

Dices. Fabrum vetuſtis, quorum meminit, Codicibus Gallicanos intelligere, ac proinde ratiocinationem ipſius ineptam non eſſe. Antecedens agitare nolo ; ſed, eo conceſſo, conſequentiam nego : & ratio eſt quia ex eo quod Codex aliquis in Gallicanis Bibliothecis reperiatur eum in Galliâ ſcriptum aut uſu receptum fuiſſe certò non ſequitur, quum multi v. g. in regiâ Bibliothecâ cernantur Codices qui in Oriente ſcripti fuere ; perſtétque hodie in Bibliothecâ Memmianâ Codex Biblicus Theodulphi Aurelianenſis Epiſcopi juſſu deſcriptus, in quo exſtat Pſalterium quod in Gallicanis Eccleſiis nunquam receptum fuit ut infrà probabimus.

Urgebis. Faber Pſalteria Gallicum & Romanum iis nominibus inſignitum invenit in vetuſtis quos habuit codicibus ; igitur cauſſa ei fuit idonea cur prædicta Pſalteria ſic inſcriberet. De antecedenti altercari poſſem pluribus de cauſſis, quarum unam Faber ipſe ſuppeditaret : ſed dico, eo propoſito antecedente, non tenere conſequentiam, quum tituli ſæpe fallant ; uſúque compertum habeamus libros varios Juſtino v. g. SS. Athanaſio, Hieronymo, Chryſoſtomo, Ambroſio, Auguſtino aliiſque adſcriptos fuiſſe qui tamen ab illis non ſunt compoſiti. Itaque ex ſolis titulis firma promi non poſſunt argumenta ; ſed vel ex ipſo petenda ſunt contextu vel ex bonorum Auctorum teſtimoniis : quale v. g. adduceret qui in Gallici quod, dum B. Martinus viveret, obtinebat Pſalterii Pſalmo octavo *defenſorem* pro *ultorem* fuiſſe probaturus, [a] Severi de *Defenſore* Epiſcopo dictum proferret ; quam quum Faber viam non tenuerit, peracre in eo judicium deſiderare cogor*.

[a] in vitâ B. Martini.

* etſi, raciocinatione minùs rectâ, verum ſit aſſequutus ea vocando Pſalteria Romanum & Gallicum, quæ reipsâ in Eccleſiis Romanâ & Gallicanâ ex duplici B. Hieronymi verſione cantata fuerint.

Ad ejus in exſcribendo accurationem quod attinet, eam mihi dubiam faciunt pervetuſti Codices MSS. Regii 138. 222. & Colbertini 1. 158. 1339. quorum primus, quum è Monaſterio S. Dionyſii in regiam Bibliothecam tranſlatus fuerit & poema in laudem Karoli Calvi contineat; ultimus verò ad eumdem Principem pertinuerit & ex Eccleſiâ S. Stephani Metenſis in Bibliothecam Colbertinam migraverit, inter Codices qui *Pſal*terium Gallicum exhibeant numerari poſſunt: ut & alii à me laudati Codices 222. 1. & 158. ſaltem juxta Fabri ratiocinationem quum obelis & aſteriſcis prænotentur, atque è Gallicanis Eccleſiis ac Monaſteriis educti fuerint. Eximios illos Codices mecum communicarunt vir multiplici doctrinâ excultus ac digniſſimus Bibliothecæ Regiæ curator Petrus Carcavius, & Stephanus Baluzius de Republicâ literariâ bene meritus atque illuſtriſſimi Johannis Baptiſtæ Colberti Bibliothecarius; multáſque ego lectiones à Fabrianis diſcrepantes in illis Codicibus nactus ſum: ita ut dignus mihi videatur Faber qui de incuriâ in exſcribendo Pſalterio Gallico poſtuletur; niſi malimus dicere, quod & veriſimilius puto, varias in hoc Pſalterium lectiones invaſiſſe: quo caſu de Pſalterii Gallici à Fabro editi præſtantiâ ambigi poterit; eadémque de Pſalterio Romano dubitatio rarò quidem ſed tamen alicubi orietur, quum aliquas, in præfatis codicibus Pſalterium Gallicum exhibentibus, deprehenderim lectiones quas Faber Romano Pſalterio adſcribit. Illas, ſub Pſalmis ſingulis, lectiones annotabo; & planum inde fiet juſtam ſubeſſe cauſſam de Fabri accuratione, aut de duplicis ab eo editi Pſalterii Gallici & Romani bonitate dubitandi.

Idem de Pſalterio Hebraico fidentiùs dico: teſtari

enim possum, & indice ad calcem operis ponendo liquebit, in Biblico, qui ad Theodulphum Aurelianensem Episcopum olim pertinuit nunc in Bibliothecâ Memmianâ asservatur, codice Psalmos ex sermone Hebræo expressos repræsentante permultas reperiri lectiones quæ à Fabrianis abhorrent.

Hæc habebam quæ in tria Fabri Psalteria Gallicum Romanum & Hebraicum animadverterem: examinandus nunc est eminentissimus pietate ac doctrinâ non minùs quàm dignitate Cardinalis Bona, qui de Psalteriis Romano Gallico & vetere disserens multa dixit quæ mihi non probantur.

a lib. II. cap. 3. rerum Liturgic. p. 299. edit. Rom. 4. 1671.

Ait I. Cardinalis eminentissimus [a]. *S. Hieronymus jussu Damasi Papæ Italicæ versionis errores quosdam magis conspicuos correxit; tum plebeios aliquot & soli Italiæ familiares loquendi modos usitatioribus commutavit, reliquam versionem ob perspicuitatem Latini sermonis reliquit: istúdque Psalterium sic emendatum illud est quod nunc in Breviariis & in corpore Bibliorum exstat, atque ideò à veteri non differt nisi in his quæ Hieronymus emendavit.* Doctissimo Cardinali non subscribo docenti Psalterium à S. Hieronymo Damasi jussu emendatum illud esse quod nunc in Breviariis Bibliisque exstat: id, inquam, doctissimo Cardinali non assentior siquidem quod in Bibliis ac Breviariis hodiernis describitur Psalterium idem est ac Italum seu vulgatum & vetus quod ante S. Hieronymum obtinebat ut suprà ex Tridentino probavi decreto: quod quum Biblicam & consequenter Psalterianam, quâ nunc utimur, Latinam versionem appellet vulgatam ac veterem, Italam quæ his nominibus (ut fatetur eminentissimus * Bona) olim donata est intelligit; non autem Hieronymianam jussu Damasi adornatam lucubrationem quæ vulgata & vetus nunquam

* Ib. p. 298.

nunquam vocata est nec vocari debet, quum auctorem nedum emendatorem habuerit Hieronymum & vera versio fuerit: ipso [a] Hieronymo ad Damasum sic scribente; *legi literas Apostolatus tui poscentes ut secundùm simplicitatem LXX. Interpretum canens Psalmographum interpretari festinem.*

[a] Præf. in Psalt. Rom.

II. Pergit eruditissimus Cardinalis & addit [b]. *Priore editione pura* (nempe Italâ) *qualis erat ante S. Hieronymum utebantur olim omnes Ecclesiæ Occidentales, Romana præsertim cum omnibus suburbicariis ut constat ex antiquorum Patrum Commentariis in Psalmos, donec idem Psalterium ab ipso Hieronymo interpolatum, primùm quidem in Galliâ, nescio quo tempore, unde Gallicanum nuncupatum est; deinde in aliis regionibus introductum fuit. In omnibus autem urbis Romanæ Ecclesiis vetus illud permansit usque ad Pium V. qui ipsum sustulit & in solâ Basilicâ Vaticanâ reliquit: in quâ nunc etiam religiosissimè recitatur; & novissimè, sublatis mendis quæ irrepserunt, pristinæ integritati restitutum est.* Plura heic sunt in quibus ab eruditissimo Cardinali dissentire cogor, & primò quidem mihi ille non arridet dum Gallicanum cum eo quod à Hieronymo interpolatum dicit seu, ut ex ejus oratione patet, cum eo quod B. Hieronymus Damasi jussu correxit Psalterium commiscet: nam Psalterium Damasi jussu correctum à Gallico valde discrepat ut ex utriusque præfatione & collatione apparet; unde quum duplex illud Psalterium pro uno eodémque Psalterio acceperit doctissimus Bona, me in suam sententiam traducere nequit.

[b] Loc. cit.

Deinde eminentissimus Cardinalis res iterum permiscet quum Vetus, quod ante B. Hieronymum usurpabatur, Psalterium in omnibus urbis Romanæ Ecclesiis usque ad Pium V. permansisse docet: siquidem Psalterium

Vetus & Romanum heic confundit, & priori tribuit quod de secundo dicendum erat; quæ enim usque ad Pium V. in urbis Romanæ Ecclesiis perstitit Psalteriana versio non erat vetus seu Itala, sed Romana à S. Hieronymo Damasi jussu elaborata. Quam verò trado doctrinam ratione & Veterum scriptis nititur: ratio nos impellit ut credamus Damasum aliquam Hieronymianæ jussu suo peractæ versioni auctoritatem in almâ urbe dedisse, præsertim quum precatus esset [a] Hieronymus *ut vox ista psallentium in sede Romanâ die noctéque caneretur.* Ad hæc S Gregorii Magni scripta Hieronymianam illam versionem sub ejus Pontificatu Romæ probatam fuisse fidem faciunt: nam B. [b] Gregorius eâ interdum utitur, ut quum citat ex Psal. XXX. 13. *ego dixi in pavore meo*: [c] ex Psal. XXXIV. 5. *& angelus Domini affligens eos*, &c. Vidit hos apud S. Gregorium textus eruditissimus Bona; sed eos ex veteri seu Italâ non ex Hieronymianâ versione desumtos fuisse credidit. Ego autem illos, cum Fabro Stapulensi, B. Hieronymo tribuo non solùm ob eam, quam ex Damaso, attuli rationem; sed quia in Gregorianis scriptis observasse videor illos, qui à Magno Pontifice aliter quàm in nostrâ versione habent adducuntur, textus ab iis, quos antiqui Patres Italâ ac vetere versione utentes laudant, sæpius discrepare.

Alterum nobis adversus doctissimum Bonam argumentum S. Gregorius M. in suâ ad Psalmos pœnitentiales Expositione suppeditat: ibi enim versionem à Hieronymo interpolatam ut ait eminentissimus Bona (cujus opinionem recito non sequor) profert; unde consequitur vetus Psalterium in Romanæ urbis Ecclesiis usque ad Pium V. non obtinuisse. Respondet eruditissimus

[a] loc. cit.

[b] in Exposit. B. Job. lib. XXIII. c. 13. E. pag. 599. edit. Ant. 1615.
[c] Ibid lib. III. cap. 18. D. pag. 79.

Cardinalis *dubitare se ne expositio illa S.us Gregorio perperam adscripta sit : nam*, inquit, *Magnus Gregorius semper in scriptis suis testimonia ex Psalmis secundùm veterem versionem profert ut ex collectione S. Paterii constat* ; præterea in illâ expositione *stylus & spiritus Gregorii deesse videtur.* Prior eruditissimi Bonæ ratio minùs firma est non solùm quia B. Paterii Collectio quosdam exhibet textus quos B. Gregorius juxta nostram (quæ à doctissimo Cardinali nova atque Hieronymiana putatur) versionem profert, ut quum ait [a] ex Psal. XXXI. 4. *conversus sum in ærumna mea* ; [b] ex Psal. XXXVI. 35. *vidi impium superexaltatum sicut cedros Libani*, pro quibus Romanum seu, ut appellat Bona, vetus Psalterium legit *conversus sum in ærumnam ; vidi impium superexaltatum super cedros Libani* ; sed quia ex ipsomet B. [c] Gregorio Romanam sedem suâ ætate veteri & novâ versione usam fuisse liquidò discimus. Utramque versionem usu fuisse receptam eminentissimus [d] Bona fatetur ; sed *Psalterium excludit quod Romæ secundùm veterem translationem semper permansisse* affirmat : at laudati à me textus contrarium probant ; ut & ii quos adducturus sum, quíque duplicem Psalterii versionem novam & veterem Romæ sub Gregorii Magni Pontificatu obtinuisse apertè indicant. Sanctissimus namque Pontifex interdum citat [e] ex Psal. VII. 12. *Deus justus fortis & longanimis*, alibi [f] *Deus justus fortis & patiens* ; [g] ex Psal. VIII. 3. *ut destruas inimicum & ultorem*, aliquando [h] *ut destruas inimicum & ultorem* ; [i] ex Psal. LXXXVIII. 8. *misericordias tuas Domine in æternum cantabo* ; alibi [k] *misericordias Domini in æternum cantabo* ; [l] ex Psal. XCII. 4. *mirabilis in excelsis Dominus*, alibi [m] *mirabilis in altis Dominus* ; [n] ex Psal. CXXXVI. 5. [n] *oblivìscatur me dextera mea*, alibi [o] *oblivioni detur dextera mea*.

[a] in Exposit. B Job lib. XX. c. 12. E. sub init. p. 519.
[b] Ibid. lib. XV. c. 35. B. pag. 400.
[c] Epist. ad Leand. in expos. B Job cap. 5.
[d] loc. cit. p. 300.
[e] Homil. XIII. in Evang. E. p. 34.
[f] in Antiph. pag. 54. E.
[g] in Exp. B. Job. lib. XI. c. 13. C. pag. 103.
[h] in Antiphon. in Natal. Innoc. p. 13.
[i] in Expos. B. Job lib. XI. c. 13. C. p. 303.
[k] in Antiph. p. 53. D.
[l] in Expos. B. Job lib. IX. c. 6. A.
[m] in Antiph. p. 22. E.
[n] in Antiph. p. 29. D.
[o] Ibid. p. 60. F

Quod attinet ad secundam doctissimi Bonæ rationem quæ ex stylo & spiritu Gregorii sumitur, ea mihi usu nondum comperta est. Sed unum mihi ex duplici, quam B. Gregorius in Psalmis usurpat, versione videtur exploratissimum Hieronymianam interpretationem jussu Damasi editam in sacrosancto ac tremendo Missæ sacrificio sub Pontificatu Gregorii Magni in Romanæ urbis Ecclesiis ut plurimùm adhibitam fuisse; vulgatam autem seu veterem versionem nostram usu communiori à Romanis fuisse receptam. Id verò ex S. Gregorii Antiphonario atque ex ejus in Psalmos pœnitentiales Expositione perspicuum esse arbitror: in illo enim Antiphonario, qui Liturgiam spectat, Hieronymiana versio adhiberi solet; in Psalterianâ autem Expositione, quæ pro Romanâ plebe condita videtur, vulgata seu vetus editio inest. Hujus porrò diversitatis caussa in promtu est: nam quum populares linguæ veteri versioni assuetæ essent plébsque quod semel probavit non facilè relinquat, vetus illa versio in usu communi ac vulgari hoc est in populari cantu adhuc versabatur; Clerus verò, gens electa & rationi magis quàm consuetudini insistens, persuasum, eâ ætate, habens Hieronymianam versionem veteri esse castigatiorem, eam in rebus Liturgicis usurpare non cunctabatur, eodem ferè modo quo etiamnum apud nos Psalmi XC. & XXI. juxta Hieronymianam versionem in Missis primæ Dominicæ Quadragesimalis & Dominicæ Palmarum recitantur, quum in vulgari ac populari officio iidem Psalmi secundùm vulgatam nostram seu veterem interpretationem decantentur. Cæterum, decursu temporis, in Romanæ urbis Ecclesiis factum fuisse arbitror ut Psalteriana B. Hieronymi versio, quæ Clero magis arridebat, à plebe quoque

Romanâ tandem reciperetur, ſic ut cantari ea in omnibus almæ urbis Eccleſiis cœperit, donec Pius V. res in priſtinum ſtatum reſtituens vulgato ac veteri Pſalterio primas concederet. Vulgatum dico Pſalterium: nam qui, tempore S. Gregorii Magni, in urbis Romæ Eccleſiis communiter canebantur Pſalmi cum vulgatâ noſtrâ hodiernâ congruebant ut patet ex Expoſitione ejuſdem ſummi Pontificis in Pſalmos pœnitentiales: ubi non Hieronymiana ſeu Gallica verſio, ut credit eminentiſſimus Bona, laudatur; ſed ipſiſſima vulgata noſtra hodierna profertur, quod ex iſtis colligo verſibus; *ſed tu Domine uſquequò* Pſal. VI. 4. *ut ædificentur muri Hieruſalem* Pſal. L. 20. qui in Pſalterio Gallico habent *& tu Domine uſquequò; & ædificentur muri Hieruſalem.*

III. Eruditiſſimus Cardinalis Bona ſubdit[a]. *Eâdem verſione* (Italam intelligit) *utuntur hodie vetuſto more Ambroſiani licet alicubi diſcrepet à Romana. In Breviario quoque veteri Hiſpanico ſecundùm regulam S. Iſidori quod Mozarabicum dicitur exſtat idem Pſalterium, quo utuntur in divinis laudibus Clerici ex inſtitutione Franciſci Ximenes Archiepiſcopi Toletani hoc ritu pſallentes. In Italia extra Diœceſim Romanam & Mediolanenſem ſuſpicor ejus uſum ſublatum ante annos plus minùs ſexcentos: nam Bruno Aſtenſis ex Abbate Caſinenſi Epiſcopus Signienſis qui obiit anno* 1125. *initio expoſitionis Pſalterii ait:* QUUM ADHUC ADOLESCENTULUS ESSEM EXPOSUI PSALTERIUM SECUNDÙM ALIAM TRANSLATIONEM: QUÆ VIDELICET TRANSLATIO, PLURIBUS IN LOCIS, TANTÙM DIFFERT AB HAC QUA UTITUR ECCLESIA ROMANA, UT NULLO MODO SECUNDÙM ILLIUS EXPOSITIONEM HÆC TRANSLATIO INTELLIGI POSSIT. ET ILLA QUIDEM MULTOS HABET EXPOSITORES; HANC AUTEM SI ALIQUIS EXPOSUERIT

[a] loc. cit. p. 299. & 300.

NESCIO. *Exponit autem Psalterium illud vetus quo suo tempore utebatur Ecclesia Romana, & postmodum usa est usque ad Pium V. ut dixi. Ex quo fit ut Romæ duntaxat recitaretur; in aliis verò Italiæ Provinciis illud in usu erat quod adolescens exposuerat, quódque jam multos habebat expositores utpote ubique receptum. Alexander IV. in suâ Constitutione, quæ est sexta in Bullario ordinis Eremitarum S. Augustini, mandat Priori generali & reliquis fratribus in Tuscia ut recitent Officium juxta morem Romanæ Ecclesiæ excepto Psalterio, quia nimirum vetus illud jam solius Romæ proprium erat ..... In Bibliotheca Cardinalis Barberini exstat Breviarium MS. in quo habetur Psalterium Romanum. Inter Codices item MSS. Bibliothecæ Chisiæ sunt aliquot Breviaria ad usum Ecclesiarum seu Monasteriorum Romanæ Diœcesis in quibus idem Psalterium legitur: at hæc scripta videntur circa annum Christi millesimum; in aliis post annum MC. vel propè scriptis exstat Psalterium commune: ex quo superior conjectura confirmatur quòd nimirum Italica versio extra urbem desierit ante annos propè sexcentos.* Hæc eruditissimi Bonæ conjectura assensu meo non comprobatur; nam, ut Alexandri IV. omittam Constitutionem quæ nihil ad prædictam annorum propè sexcentorum Epocham pertinet; ut missos quoque faciam Codices MSS. de quorum ætate ipsemet eminentissimus Bona dubitanter loqui videtur & dubitantiùs ego forsitan loquerer si eos inspexissem; ut, inquam, hæc omnia parum aut nihil ad præfatam Epocham conducentia relinquam, præcipuum quo hæc Epocha nititur testimonium Brunonis Astensis, prout à doctissimo Cardinali intelligitur, eam evertere potiùs quam confirmare videtur. Bruno, interprete Bonâ, ait Psalterium Hieronymianum, quo tempore ipse vetus explanabat, multos Expositores habuisse: at inde non sequitur Italicam versionem extra

Urbem ante annos propè ſexcentos deſiiſſe; quin potiùs, quum Pſalterium Hieronymianum multos haberet Expoſitores, dum viveret Bruno qui obiit anno 1125. veriſimile eſt ut Pſalterium illud utpote à multis jam interpretibus illuſtratum (hæ enim multiplices interpretationes multo indigent tempore, quod niſi adſit illæ non prodeunt quantumcumque pateat libri alicujus uſus, qui interpretandi facilitatem non affert) dudum obtinèret; atque adeò veteris ſeu Italici uſus ab annis pluſquam ſexcentis in Italiâ extra Diœceſim Romanam & Mediolanenſem deſiiſſet anno 1671. quo ſcribebat eminentiſſimus & nunquam ſine laude nominandus Cardinalis Bona: cujus conjecturam Brunonianum teſtimonium egregiè firmat modò in eam, quam ipſi dandam eſſe puto, ſententiam accipiatur, nimirum Romanum ſeu, ut Bruno cenſebat, Vetus ac Italum Pſalterium utpote longo uſu probatum multorum Interpretum Commentariis jam illuſtratum fuiſſe; Hieronymianum ſeu Gallicum non item, quippe quod paucis ab annis in Italiâ floreret. Hanc eſſe Brunonis mentem eò mihi ſuadetur magis quòd, Auctoris hujus dubitatione ad vetus Pſalterium non ad Gallicum tractâ, interpretum omnium indoctiſſimus exiſtimandus ſit Bruno: quippe qui rem, quam nullus unquam interpres ignoravit, neſcierit videlicet S. Auguſtinum, Caſſiodorum, alióſque explicando veteri Pſalterio operam conſumſiſſe.

Excuſſâ eruditi ac pii Cardinalis Bonæ ſententiâ, altera ei parùm diſſimilis, ſed novis roborata rationibus & quibuſdam ornata conjecturis ponderanda eſt opinio, quam Monachi Benedictini pietate ſpectatiſſimi & ſacrarum literarum ſtudio mirificè dediti habent de Pſalterio Gallico. Cenſent illi [a] Vulgatam noſtram aliam

[a] Præf. in to. 4. S. Aug.

non esse à præfato Psalterio, seu à versione quam S. Hieronymus Paulæ atque Eustochii rogatu secundis curis emendavit. Perdoctorum ac piorum S. Benedicti sequacium opinio ratione atque auctoritate innititur; insupérque nonnullis decoratur conjecturis quas heic expendam.

Initium facio à ratione quæ hoc syllogismo contineri potest. Versio quam S. Hieronymus secundis curis emendavit obelis atque asteriscis instructa erat; sed eadem signa in veteribus quibusdam Vulgatæ Manuscriptis inveniuntur, ergo vulgata versio est ipsa illa versio quam B. Hieronymus secundò correxit. Minorem nego propositionem; & neque Psalterio Carnutensi neque Colbertino codice, (is numeratur 2200.) in quibus obeli & asterisci à laudatis Monachis reperti sunt, Vulgatam exhiberi contendo: idque primùm ipso variarum lectionum, quas Monachi illi magnâ utilitate collegerunt, indiculo nec non Gallico Fabri Psalterio & Codicibus Regio 222. ac Colbertinis 1. 158. obelos & asteriscos habentibus apparere arbitror, hoc enim in indiculo atque in istis Codicibus Vulgata à secundâ B. Hieronymi versione centies & amplius abit; quúmque illa diversitas idoneis rationibus componi nequeat, consequens est ut secunda B. Hieronymi versio non sit eadem atque Vulgata nostra. Benedictinorum indiculus tres circiter & septuaginta varietates exhibet, Gallico Fabri Psalterio quinque insunt, & Codices Regius 222. ac Colbertini 1. 158. differentias plusquam quinquaginta habent ut in nostris Annotationibus declarabitur. Non inficior varietatum illarum plerasque parvi vel esse momenti vel in Scriptores refundi posse; sed quando non paucæ numerantur discrepantiæ quæ vel magnum habent momentum vel

vel scriptoribus tribui non possunt, commodis eæ tegi nequeunt excusationibus quales v. g. afferret qui veteres auctores secundam B. Hieronymi versionem diverso modo in rebus gravibus & extra Scriptorum aleam positis citantes, aut versionis hujus Codices variasse asserentes produceret: quomodo nos SS. Hilarium, Ambrosium & Augustinum Italâ utentes superiùs exhibuimus, qui in locis insignibus & ad Scriptores minimè pertinentibus discordant ut Benedictino patet indiculo; in quo etiam verietatem codicum confirmatam non semel videas testimonio & S. Augustini, qui eam alibi [a] memorat beatum sequutus Hieronymum qui testatur tot fuisse exemplaria quot codices. [a] Epist. X.

2°. Laudatorum Monachorum sententia cum Tridentino Concilio minùs bene cohærere mihi videtur: siquidem Benedictini vulgatam vocant B. Hieronymi versionem; sancta verò Synodus Vulgatæ nomine Italam, cujus auctor non est S. Hieronymus, intelligit cum ipso, ad quem illa allusisse videtur, Hieronymo [b] qui Italam appellat *vulgatam* ac *veterem*. Non me latet vulgatæ testimonia à S. Hieronymo ad Pammachium scribente producta Vulgatæ à Tridentinis Patribus probatæ non consentire; sed nobis id non obstat existimantibus Vulgatam nostram esse quidem Italam sed Italam in primævum nitorem restitutam: quominus autem, etiam hoc sensu, secundam B. Hieronymi in Psalmos lucubrationem appellare vulgatam possint Benedictini impediuntur. 1° quia nullum paulò vetustum proferre valent Ecclesiasticum Scriptorem qui Hieronymianam illam lucubrationem dixerit vulgatam. 2°. quia prædicta lucubratio non simplex habenda est emendatio, sed vera atque integra censeri debet versio juxta Benedictinos qui

[b] Epist. CI. ad Pammach.

opus illud cum eâ conjungunt lucubratione quam S. Hieronymus ad Hexaplos codices exegit; quæque, ut dixi, vera atque integra haberi debet versio quum ipse dicat Hieronymus *aliam esse* LXX. *Interpretum* (editionem) *quæ & in ἐξαπλοῖς codicibus reperitur & à nobis in Latinum sermonem fideliter versa est.* Versionem porro hujusmodi à simplici emendatione non sine caussâ heic distinguo: si enim Hieronymianum in Psalmos opus simplex esset emendatio nomen vulgatæ huic emendationi dari posset, quum nihil foret aliud quàm vulgata pristinæ integritati à S. Hieronymo reddita, quomodo de cæteris ferè Scripturæ libris statuere debemus; sed quum S. Hieronymus librum Psalmorum Paulæ atque Eustochii rogatu, juxta Benedictinos, fideliter interpretatus sit, veram elucubratus est versionem, ac proinde ejus auctor non emendator existimandus est; atque adeò hæc ipsius versio nominari nequit vulgata; unde tandem consequitur Tridentinæ sanctioni minùs benè congruere opinionem quæ secundam B. Hieronymi versionem vocat vulgatam.

a Epist. 135.

Scio Recentiorum nonnullos Vulgatam, de quâ Tridentinum Concilium loquitur, versionem B. Hieronymo non ut emendatori sed ut auctori tribuere, ratos veteris Testamenti interpretationem hodierno usu receptam & à sacrosanctâ Synodo probatam aliam non esse ab eâ quam S. Hieronymus ex Hebræo textu, omissâ Italâ, expressit. Sed, ut Recentiorum istorum testimonio Benedictinam sententiam defendi posse lubens agnosco; ita vereor ut Tridentinorum Patrum menti consonent qui sic sentiunt, & vulgatam B. Hieronymo tanquam auctori non emendatori adscribunt. Ea certè mens non fuit Auctori præfationis Bibliis nostris præ-

fixæ quæ libros, qui in editione Latinâ continentur, *susceptos dicit partim ex S. Hieronymi translatione vel emendatione; partim retentos ex antiquissimâ quadam editione Latinâ, quam S. Hieronymus communem & vulgatam, S. Augustinus Italam, S. Gregorius veterem appellat.* Ea, inquam, mens hujus præfationis auctori non fuit; siquidem ex ejus verbis S. Hieronymo emendatoris potiùs quàm auctoris atque interpretis nomen tribuendum esse efficitur: duarum namque quibus libri Biblici constare heic dicuntur partium altera in dubio relinquitur num scilicet B. Hieronymum translatorem habeat an emendatorem; alia autem, & quidem præcipua, pars S. Hieronymo abjudicatur; quúmque à præstantiori parte denominatio sumi debeat, ex dictâ præfatione sequitur B. Hieronymum emendatorem potiùs quam auctorem atque interpretem esse habendum. Et sanè in eam sententiam iverit quicunque S. Hieronymi testimonia tum ea in quibus ait [a] se vetus Testamentum juxta Hebraicum transtulisse; tum ea in quibus editionem LXX. Interpretum de Græco emendatam suis se tribuisse affirmat [b] æquâ lance librabit: eadémque testimonia cum variis ejusdem B. Hieronymi in veteris Testamenti libros præfationibus & plurimis [c], qui in versione nostrâ aliter se habent quam vertenda judicat S. Hieronymus, locis conferet; atque ejusdem versionis nostræ verba plerumque minùs tersa adeóque politissimum, quum interpretis officio fungitur, Hieronymum minimè redolentia; sed Hieronymum veteris atque incultæ editionis tramites sectantem prodentia expendet. Neque ipsum sive [d] Augustinus, [e] Eucherius, [f] Julianus Toletanus, [g] Beda [h] Rupertus, [i] Hugo Victorinus alíique de S. Hieronymo ut Biblicorum librorum ex Hebræâ linguâ in Latinam translatore loquentes; sive

[a] Lib. de Script. Eccl. in fin.
[b] Præf. in lib Paralip. ad Chromat. Præf. in Proverb. & lib. 2. adv. Ruf.
[c] Adi ad Serrarium Prolog. Bibl. quæst. 4. c. 19. si ipsum non vacat legere B. Hieronymum.
[d] De Civ. Dei lib. XXII. 29. & lib. IV. de Doctrina Christ. c. 7.
[e] Lib. de Formul. Spirit.
[f] Lib. 3. contr. Judæos.
[g] Præf. lib. de ratione temp.
[h] Lib. de Scientia cap. pen.
[i] Lib. de Scripturis c. 9.

nonnulli ab antiquâ Italâ expuncti & versioni nostræ mandati textus [a] de suâ sententiâ deducent, si nomen Interpretis à laudatis Patribus lato modo & ratione unius, & quidem exiguæ, partis translatæ accipi observaverit; tum ex Aristeâ [b] & Philone [c] LXX. Senum interpretationem Hebræo textui accuratè respondisse meminerit; cogitaverítque emendatoris esse ut quos tempus edax rerum in versione aliquâ absumsit textus ex archetypo, (quum ille, his in textibus, incolumis ac salvus retineatur) ad quem prædicta versio primariò exacta est, restituat; & demùm ista attenderit B. Hieronymi verba [d] quæ, tanquam amussis ad quam cæteri ejus sermones redigi redarguíque debeant, haberi in nostrâ quæstione debent: *Si igitur aliis licuit non tenere quod semel susceperant; & post septuaginta cellulas, quæ vulgò sine auctore jactantur, singulas cellulas aperuere; hócque in Ecclesiis legitur quod Septuaginta nescierunt, cur me non suscipiant Latini mei qui, inviolatâ editione veteri, ita novam condidi ut laborem meum Hebræis; &, quod his majus est, Apostolis auctoribus comprobem* Vides heic veterem versionem *inviolatam* dici etiam quum illam ex Hebræo textu redintegrabat S. Hieronymus: qui proinde Biblicæ versionis emendator potiùs quàm auctor atque interpres dicendus sit; sed qui, dum Septuaginta Senes de inscitiâ postulat, sibi non constet quum eos *Spiritu sancto plenos* (adcóque ab inscitiæ suspicione vacuos atque puros) alibi [e] appellet. Plura non addo ne longiùs oratio mea provehatur; sed meum non potest os præcludi ad dicendum caussam non esse cur miremur doctissimos Benedictinos in eâ, quam refello, sententiâ fuisse quum illa multorum nedum magni nominis auctorum suffragio defendi possit; sed, ubi primùm in conspectum venit, multam veri simili-

[a] Eos B. Hieronymus recenset Ep. CI. & Præf. in lib. Paral. ad Chrom. & lib. 2. adv. Ruf.

[b] Lib. de LXX. Interpret.

[c] Lib. 2. de Vitâ Mosis.

[d] Præf. in lib. Par. ad Chromat.

[e] Præf. in lib. Paralip. ad Domn. & Rogat.

tudinem præferat, utpote quæ Vulgatam nostram versioni, quæ ad ipsam magis quàm alia quævis accedit, connectat: quod momentum mecum ipse considerans meæ aliquando incipiebam sententiæ diffidere, nisi titubantem me & in utramque partem vacillantem in eâdem sententiâ firmassent rationes à me allatæ, præsertim ultima quæ ex Concilio Tridentino petitur.

A ratione ad auctoritatem transeo. Eruditissimi Benedictini Valafridum Strabonem adducunt sic loquentem. *Psalmos autem quum secundùm* LXX. *Interpretes Romani adhuc habeant; Galli & Germanorum aliqui secundùm emendationem, quam Hieronymus pater de* LXX. *editione composuit, Psalterium cantant, quam Gregorius Turonensis Episcopus à partibus Romanis mutuatam in Galliarum dicitur Ecclesias transtulisse.* [a] Hæc Valafridi auctoritas Benedictinis favere non videtur: nam primùm de vulgato, in quo quæstio nostra consistit, Psalterio tacet. 2°. missam facit rem quam attingere necessariò deberet ut Benedictinis prodesse posset; nempe Hieronymianam, quâ Galli & Germanorum aliqui utebantur, emendationem eam esse quam B. Hieronymus secundis curis adornarat: hac enim re omissâ Valafridi testimonium corruet, si illud de priore B. Hieronymi versione intelligendum esse dicamus. 3°. Valafridi verba aliud à Gallico Psalterio innuunt, quum à partibus Romanis mutuatum vocant: nam, quando præfatum Psalterium à Romanis oris venit, illud utique primi non usurparunt Galli; & consequenter Gallicum non est, quum eo nomine, ut rectè docet Cardinalis [b] Bona, denotetur Psalterium quod *primùm in Gallia receptum Gallicum nuncupatum est.*

Venio ad conjecturas quæ duæ sunt. Alia statuit *Vulgatam nostram potuisse ab Hieronymo Epistolâ* 135. *dici Tra-*

[a] de Reb. Eccl. cap. 25.

[b] Loc. superiùs recitato.

ductionem ex Hexaplis à se editam; altera autem *contigisse* judicat *ut ea versio, cujus certi loci Suniæ & Fretelæ quæ degebant in Germanâ negotium facessebant, jam inde ab his temporibus in Gallias pervenerit.* Priorem conjecturam laudati Monachi capiunt ex quatuor locis Psal. V. 9. XVIII. 6. XLVII. 5. LXXI. 11. quorum duo primi in Manuscriptis Vulgatæ codicibus reperiantur uti in Hieronymianâ ex Hexaplis expressâ versione exstabant; alii verò ab iisdem Vulgatæ codicibus absint quemadmodum in prædictâ B. Hieronymi versione desiderabantur. Sed quatuor illis locis (è quorum numero secundus ex fide Codicum Regii 222. & Colbertini 1. tolli potest) duodenos ex illâ Epistolâ 135. desumtos oppono textus Psal. XXI. 20. XXVI. 8. LVIII. 14. LXII. 2. LXVII. 6. 25. LXXV. 6. LXXXIII. 6. CI. 11. CIII. 17. 18. CX. 1. CXVIII. 48. CXIX. 2. quos Vulgata * aliter profert quàm ex Hexaplis verterat B. Hieronymus: indéque Vulgatam S. Hieronymo Epist. 135. dici traductionem ex Hexaplis à se editam potuisse non solùm nego; sed etiam eam versionem, cujus certi loci Suniæ & Fretelæ negotium facessebant, jam inde ab his temporibus in Gallias pervenisse inficior, quum Gallicum Psalterium ab illâ versione summoperè discordet, ut patet ex dictis.

* uti à Benedictinis accipitur in Indiculo: alioquin Vulgata nostra in Psal. LXVII. 25. & Gallicum Fabri Psalterium in Psal. CI. 11. & CXIX. 2. legunt ut B. Hieronymus.

Hactenus aliorum de quadruplici Psalterio opiniones examinavi: aperienda nunc est mea; &, ut à maximâ & antiquissimâ, uti à [a] S. Irenæo vocatur, Romanâ, de quâ jam loqui cœpi, incipiam Ecclesiâ, dico arbitrari me Romanam Sedem Italo veteríque Psalterio usque ad Damasum usam fuisse; tùm Psalterium à S. Hieronymo prædicti Papæ jussu correctum usurpasse: sic tamen ut vetus in communiori usu versaretur: novum seu Roma-

[a] lib. III. cap. 3.

num in Liturgiâ ferè obtineret & in aliquibus fortasse Ecclesiis caneretur usque ad annum circiter 700. quo tempore Romanum Psalterium veteri atque Italo prævaluisse & in omnibus Romanæ urbis Ecclesiis decantatum fuisse videtur usque ad Pium V. qui veteri Psalterio pristinam auctoritatem reddiderit ; & Romanum seu Hieronymianum soli, ad quam Ambrosiani & Mozarabici ritus sequaces cùm Mediolani tum in Hispaniâ se finxerint, Basilicæ vaticanæ concesserit. Addo veri admodum simile mihi, ex relato [a] Severi testimonio, fieri ut Galli Italum, dum B. Martinus floreret, Psalterium usurparint; illúdque ab iis receptum fuisse puto usque ad excessum Karoli Magni : quo vitâ orbato Galli nostri secundam B. Hieronymi versionem primi suscepisse videntur. Posteriorem assertionem non habeo certam; sed mihi Psalteriana à Theodulpho prolata testimonia cum Codicibus Regiis 138. 222. & Colbertinis 1. 158. 1339. Gallicum Psalterium exhibentibus conferenti exploratissimum est secundam B. Hieronymi versionem imperantibus Ludovico Pio & Karolo Calvo in Galliis obtinuisse.

[a] Psal. VIII. ubi de Defensore Episcopo agit. in Vitâ B. Mart.

Dices. Valafridus Strabo & Theodulphus ipse qui sub Ludovico Pio claruere prædictam doctrinam evertunt; nam [b] Valafridus aliud à Gallico Psalterium innuit; Theodulphus autem in venerando, qui jussu ipsius scriptus fuit & nunc in Bibliothecâ Memmianâ servatur, Codice Psalmos ex Hebræo sermone expressos exhibet; unde consequitur Psalterium Romanum aut Hebraicum Ludovici Pii ætate in Galliis viguisse. De priore objectionis parte non multùm laboro tum quia Psalteriana testimonia à Theodulpho laudata à Romano Psalterio sæpius abeunt & Gallico plerumque consonant; tum quia Valafridus Strabo Psalterianarum versionum

[b] Loco superiùs recitato.

materiam parùm calluisse videtur, etenim de Psalterio à Romanis cantato loquitur quasi de LXX. Senum editione compositum non fuisset. Altera objectionis pars, quæ ex Memmiano Codice sumitur, difficilior est; sed eam ex ipsis, quæ Theodulphus profert, Psalterianis testimoniis elevo: quum enim testimonia illa non versioni ad Hebræum textum exactæ sed Gallico ex LXX. Senum editione expresso congruant Psalterio, concludendum est Gallici hujus Psalterii non verò Hebraici usum in Gallicanis Ecclesiis, quo tempore vivebat Theodulphus, receptum fuisse; doctúmque hunc Episcopum peculiari vel curiositati aut studio obsequutum describi, in Bibliis suis, jussisse Psalterium ex Hebræâ linguâ in Latinam conversum. Quòd autem Psalterianæ Theodulphi citationes Gallico non Hebræo Psalterio consentiant isto, quem subjecturus sum, indiculo apparebit.

Psalmus XVI. 15. à Theodulpho sic profertur capitulo 18. de ordine Baptismi p. 60. edit. Sirmond 1646. *Ego autem cum justitiâ apparebo in conspectu tuo satiabor cùm manifestabitur gloria tua.* Codex Memmianus. *Ego in justitiâ videbo faciem meam implebor, cum evigilavero, similitudine tua.*

Psalmus XXXI. 1. à Theodulpho in Capitulari 36. p. 23. sic profertur: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Idem autem locus in Codice Memmiano ita habet: *Beatus cui dimißa est iniquitas & absconditum est peccatum.*

Psalmus XXXI. 2. à Theodulpho in laudato Capitulari pag. 22. ita exprimitur: *Beatus cui non imputavit Dominus peccatum.* Codex Memmianus: *Beatus homo cui non imputabit Dominus iniquitatem.*

Idem Psalmus ℣. 4. sic à Theodulpho citatur in Capitulari 36. pag 23. *Conversus sum in ærumna mea dum configitur*

gitur spina. Codex Memmianus : *Versatus sum in miseria mea cum exardesceret ..stus jugiter.*

Idem Psalmus ℣. 5. laudatur sic à Theodulpho in Capitulari 30. pag. 17. *Delictum meum cognitum tibi feci & injustitiam meam non abscondi. Dixi confitebor adversum me injustitias meas Domino ; & tu remisisti impietatem peccati mei.* Codex Memmianus : *Peccatum meum notum facio tibi & iniquitatem meum non abscondi. Dixi confitebor scelus meum Domino & tu dimisisti iniquitatem peccati mei.*

Psalmus XXXII. 6. ita à Theodulpho citatur in Capitulo 17. de ordine Baptismi p. 55. *Verbo Domini cœli firmati sunt & spiritu oris ejus omnis ornatus eorum.* Codex Memmianus : *Verbo Domini cœli firmati sunt & spiritu oris ejus omnis ornatu eorum.*

Psalmus L. 4. apud Theodulphum in Capitulari 30. p. 18. hunc in modum legitur : *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco & peccatum meum contra me est semper.* Codex Memmianus : *Quoniam iniquitates meas ego cognovi , & peccatum meum contra me est semper.*

Psalmus LXXXIV. 9. à Theodulpho in ordine Baptismi, Capitulo 9. p. 39. ita laudatur : *Audiam quod loquatur in me Dominus Deus.* Codex Memmianus : *Audiam quid loquatur Deus Dominus.*

Psalmus CXVIII. 174. in eodem tractatu Capit. 17. p. 54. ita à Theodulpho exhibetur : *Septies in die laudem dixi tibi.* Codex Memmianus : *Septies in die laudavi te.*

Psalmus CLXV. 13. in prædicto tractatu Capitulo 16. hoc modo recitatur à Theodulpho : *Et dominatio tua in omni generatione.* Cod. Memm. *Et potestas tua in omni generatione.* Ex his liquet Psalterium Hebraicum, sub Ludovico Pio, in Gallicanis Ecclesiis non obtinuisse ; quúmque posteà meliore loco non steterit, illud in Ecclesiis nostris nunquam receptum fuisse concludo.

CAPUT VII.

De Titulis Psalmorum.

DE Titulis Psalmorum disputaturo mihi illud primùm occurrit expendendum an singuli tituli eamdem auctoritatem habeant; deinde utrum hæc auctoritas eam exæquet quam textui ipsi tribuimus, hoc est divina sit censenda.

Prior quæstio ut rectè definiatur sciendum est Titulorum alios in Hebræis codicibus reperiri; alios in Græcis tantùm aut Latinis comparere. Prioris generis titulos nonnulli accipiunt; alios verò repudiant: quibus Auctoribus quominùs assentiar vetat primò Vulgata nostra quæ, quum Titulos omnes delectu omni & discrimine remoto exhibeat, unam eamdémque singulis auctoritatem dare videtur. 2°. Usu habeo compertum Titulos, qui in Græcis Latinísve duntaxat Codicibus exstant, propiùs ad veritatem accedere solitos esse quàm eos qui ex Hebræo textu manant: unde adduci nullo modo possum ut primas titulis Hebraicis concedam; quin potiùs persuasissimum mihi est titulos Græcos & Latinos Hebraicis plerumque esse doctiores.

Ad secundam quæstionem quòd attinet, in eâ sum sententiâ titulos humanâ tantum non divinâ auctoritate esse instructos: utpote qui à Davide alióvo sacro Scriptore compositi non fuerint; sed à privatis hominibus iísque interdum parum antiquis fuerint appositi. Firmo, ut quidem mihi videtur, fundamento sententia hæc nititur; ídque vel unus ostendit Psalmi 90. titulus:.

qui, quum ab Hebræis codicibus atque à sancti Augustini commentario absit, suam ipse novitatem prodit; maximè si beatum Hieronymum, Theodoritum *, atque Euthymium audiamus liquidò affirmantes prædictum Psalmum titulo carere. Hujus tituli novitatem mihi assentientur permulti qui tamen Hebraicorum titulorum vetustatem sint defensuri; sed, præterquam quòd vetustas illa, vel eorum doctissimis fatentibus, Davidis aliorúmve sacrorum auctorum ætatem non attingit, satis mihi est unius tituli novitatem patefecisse ut inde constet cæteris humanam tantùm fidem esse adjungendam, saltem à nobis qui omnibus, quos Vulgata nostra præfert titulis, parem auctoritatem tribuere debemus.

* in textu.

Quòd autem titulis eâ ratione consideratis humana solùm auctoritas danda sit confirmari facilè potest ex S. [a] Augustino & [b] Theodorito: quorum prior Psalmorum 89. & 95. titulos literaliter sumtos explodit; alter autem Psalmorum 64. & 136. titulos undequaque improbat. Tantorum Doctorum exemplo fretus nonnullos titulos ego respuam; idque culpæ eò minùs datum iri confido quòd illos non rejiciam titulos nisi quum ab ipso Psalmi contextu aut ab historiæ veritate recedent.

a in Comment. Psalm.
b in Comment. Psalm.

Non me latet [c] Theodorito probatas admodum fuisse Psalmorum inscriptiones: sed, ut omittam Psalmorum 64. & 136. titulos, quos hodie recipimus, explodi à doctissimo illo Episcopo persuasum habente priorem titulum apud LXX. non reperiri, alterum autem ab audaci confictum fuisse: ut, inquam, rem hanc nobis apprimè faventem prætermittam, dico Theodoriti de inscriptionibus opinionem cum ipsius de Psalmorum auctore

c Præf. in Psal.

ſententiâ minùs bene cohærentem mihi videri. Omnes, cum pleriſque Scriptoribus, Pſalmos Davidi adjudicat Theodoritus; quúmque multos Pſalmos Aſapho, Idithuno, Coritis, aliiſque tribuant tituli, conſequens eſt ut omnes Pſalmi Davidem non habeant auctorem ſi titulis fides eſt adjungenda; atque adeò non ſibi conſtare Theodoritum patet.

Reſpondebit aliquis pro Theodorito quod pro ſe Theodoriti ſententiam comprobante reſpondet ᵃ Euthymius nimirum titulos, in quibus Aſaphi, Idithuni, Coritarum, Emanis, & Ethanis nomen exſtat, hoc tantùm ſignificare Pſalmos, qui virorum illorum nomine inſcribuntur, datos ipſis fuiſſe ad canendum; Pſalmi 89. titulo Moſis nomen præferente doceri Pſalmum hunc iis congruere qui per divinam aquam hoc eſt per baptiſmum homines Dei effecti ſunt; & titulis, qui Salomonis nomine gaudent, indicari Pſalmos hujuſmodi in Chriſtum fuiſſe compoſitos. Sed hæc Euthymii reſponſio ſatis mihi non facit in iis quæ de Moſis & Cantorum titulis tradit: nam 1° quòd Moſaicum ſpectat titulum vereor ut ejus explicatio probari poſſit illis qui Pſalmum 89. intellexerint; quòd autem ad Aſaphum alióſque Cantores attinet, illis tanquam auctoribus Carmina ipſorum nomine inſcripta tribuere cunctabitur nemo, qui illa prædictis viris perinde atque Davidi vero auctori adſcribi cogitaverit. Sed, inquit, Euthymius, tituli qui Aſaphum alióſque nominant dativo caſu utuntur; ii autem qui Davidis nomine inſigniuntur illud in genitivo exprimunt: quæ diſtinctio, ait Euthymius, Pſalmos quidem à Davide compoſitos fuiſſe; aliis autem viris canendos fuiſſe traditos abundè indicat. Verùm Euthymianam ſolutionem Hebraici, à quibus diſtinctio illa abeſt, tituli

ᵃ Præf. in Pſal. edit. Lat. Pariſ. 1543. quâ nunc utor.

non solùm infirmant; sed etiam Græcæ Psalmorum inscriptiones *, quæ Davidis nomen in dativo exprimunt, & nihilominus Psalmos sic inscriptos Davidi non abjudicant ut de plurimis Psalmis certò constat & de Psalmo 109. notavit B. Augustinus: qui solutionem Euthymianâ meliorem sed mihi nondum probatam attulit, [a] quum dixit *Davidem aliquos (Psalmos) prænotasse etiam nominibus aliorum aliquid quod ad rem pertineat figurantibus.*

* Saltem juxta Psalt. edit. Gr. Lat. Aut. ad exemplar Complut. 1584.

a lib. XVII. de Civ. Dei c. 14.

CAPUT VIII.

De Auctore Psalmorum.

SANCTUS Hieronymus * ad Cyprianum scribens & in ejus gratiam Psalmum 89. explanans ait *errare eos qui omnes Psalmos David arbitrantur & non eorum quorum nominibus inscripti sunt.* Idem Hieronymus in Epistolâ 134. ad Sophronium hæc adhibet verba. *Psalmos omnes eorum testamur auctorem qui ponuntur in titulis: David scilicet, Asaph, & Idithun, filiorum Coræ, Eman Ezrahitæ, Moysi, & Salomonis, & reliquorum quos Esdras primo volumine comprehendit.* In eamdem sententiam abierat S. [b] Hilarius, eámque assensu suo Athanasianæ Synopseos auctor & Rabbinorum plerique comprobant.

Secùs sentiunt S. [c] Augustinus, [d] Theodoritus, [e] Cassiodorus, [f] Euthymius, aliíque permulti qui unicum omnium Psalmorum auctorem Davidem agnoscunt; nec dubitat [g] Philastrius Hæreticis adunare eos qui opinioni huic refragantur.

Auctor adnotationis in titulum primi Psalmi B. Augustino in editis libris adjudicatæ; sed quæ ad eum per-

* Epist. 139.

b Prol. in Psal.

c loc. cit.
d Præf. in Psal.
e Præf. in Psal.
f Præf. in Psal.
g Hæres. 79.

nere nequit non solùm quia in omnibus MSS. non reperitur neque de Psalmorum auctore cum Augustini opinione in lib. XVII. de Civ. Dei c. 14. consentit ut optimè admonuerunt doctissimi Benedictini; sed quia novem tantùm supponere videtur Psalmos Davidis nomine inscriptos, ipse verò B. Augustinus multò plures in suo commentario agnoscit. Auctor, inquam, præfatæ adnotationis, novem duntaxat Psalmos Davidi adscribit; reliquos verò tribuit Asapho, Emani, Ethani, & Idithuno quos David ex omni populo Spiritu sancto mundatos elegerit, ut in quemcunque divinus Spiritus intrasset hymnum Deo caneret.

Tituli me parùm movent adeóque prima sententia, quæ iis potissimùm nititur, mihi non probatur; præsertim quum attendo vigesimum quartum Psalmi LXXII. versum qui Asapho convenire nequit, & secundum Psalmi LXXVII. versum qui, si in Asaphum quadret, in eam nos sententiam adducit cantorem hunc Christi personam sustinuisse, quod de Davide quàm de cantore dicere malim Eò accedit quod nonnulli Psalmi filiis Core adscribuntur: at verò non est simile, ut rectè observat [a] Kimchius, unius ejusdémque Psalmi tres fuisse auctores, quot erant filii Core juxta hunc Rabbinum. Adde quòd Psalmum habemus septuagesimum sextum cujùs titulus Asaphi & Idithuni nomen præfert; ecquis verò huic titulo bonum sensum dederit? Subdunt aliqui, ex Psalmi 98. titulo miraculum esse admittendum si Moses hujus Carminis auctor dicatur, utpote qui Samuelis mentionem fecerit; sed hæc ratio maximi apud me momenti non est.

[a] ad Psal. 41.

Secundæ sententiæ pondus aliquod accedere videtur hac Christi Domini auctoritate quæ apud S. Lucam

XX. 42. ſic exprimitur *ipſe David dicit in libro Pſalmorum dixit Dominus Domino meo.* Sed à viris doctis oſtenſum eſt Pſalterium, quod ad plures pertinet, unius Davidis nomine inſcribi quòd præcipuam ac nobiliorem hujus libri partem ipſe condiderit. Atque hæc reſponſio eò mihi placet magis quòd multos illos v. g. qui Babylonicam captivitatem ſpectant Pſalmos Davidi adſcribere vix audeo non ut miraculis parcam; ſed ne gloriæ, quam Iſaias, Jeremias, aliíque poſterioris ævi Prophetæ captivitatem hanc prædicentes adepti ſunt, tenebras aliquas offundam.

Quòd ad eos attinet Cantores, quibus Pſeudo-Auguſtinus maximam Pſalmorum partem tribuit, favere illi videtur prior Paralipomenon liber cujus caput 25. ℣. 3. hæc habet verba. *De filiis Aſaph, Zacchur, & Joſeph, & Nathania, & Azarela, filii Aſaph ſub manu Aſaph prophetantis juxta Regem. Porrò Idithun, filii Idithun, Godolias, Sori, Jeſeias, & Haſabias, & Matathias, ſex ſub manu patris ſui Idithun qui in citharâ prophetabat ſuper confitentes & laudantes Dominum.* Verùm ex illis verbis colligi non debet Propheticos hymnos ſeu Pſalmos ab his Cantoribus compoſitos fuiſſe; ſed tantùm cantores illos propheticis hymnis modos adhibuiſſe: qui quidem hymni à Davide conditi eſſent, ut doctioribus placet Interpretibus.

Excuſſis tribus, quas retuleram, ſententiis mea eſt aperienda; atque, ut res certas ab incertis ſecernam, dico primò perſpicuum eſſe ex II. Reg. XXII. 1. II. Paralip. VII. 6. XXIII. 18. XXIX. 26. I. Eſdr. III. 10. 11. Eccl. XLVII. 11. II. Macchab. II. 13. Davidem egregium inter Judæos Pſaltem & muſicæ peritiſſimum fuiſſe; totum muſicum inſtrumentum adornaſſe, & carmina compoſuiſſe.

Secundò constat ex Matth. XXII. 43. 44. Act. II. 25. 34. IV. 25. 26. Rom. XI. 9. Heb. IV. 7. Psalmos secundum, decimum quintum, sexagesimum octavum, nonagesimum quartum, & centesimum nonum à Davide compositos fuisse.

Præter hos Psalmos edidisse videtr David eos omnes qui res tempore suo gestas & sub Messiâ, cujus nobilis erat typus, gerendas primariò spectant.

Cæteros verò Psalmos à variis conditos crediderim Vatibus sacris qui illis florebant temporibus ad quæ Psalmi isti directò pertinent; quúmque Aggæus & Zacharias potissimùm memorentur, veri mihi fit simile duos illos Prophetas maximam Psalmorum, qui tempora Babylonica respiciunt, partem elucubratos fuisse.

Nostræ hæ assertiones nonnullis impugnari possunt argumentis quæ ex Psalmorum titulis, Psalmi septuagesimi primi clausulâ, secundi Regum libri capite vigesimo tertio ℣. 1. atque ex Synopsi sancto Athanasio adscriptâ petuntur.

Plures, quàm dixi, Psalmos Davidi tribuunt tituli. Clausula Psalmi LXXI. habet *defecerunt laud s Davidis, filii Jesse;* indéque effici videtur superiores Psalmos esse Davidis; sequentes verò aliorum. Psalmum XVII. in secundo Regum libro recitatum excipiunt ista capitis XXIII. *hæc autem sunt verba David novissima*, unde concludunt aliqui non plures quàm 17. Psalmos à Davide elaboratos fuisse. Denique Synopseos auctor scribit amicos Ezechiæ Regis ex ter mille Davidis Psalmis centum & quinquaginta selegisse, reliquos verò occuluisse.

Primum

Primum argumentum solvo dicens Psalmorum titulos minùs esse accuratos quum Davidi v. g. aliquos tribuunt Psalmos qui Babylonica tempora respiciunt; atque adeò firmum non esse argumentum quod ex titulis petitur.

Secundum argumentum sic discutio; Psalmum quidem LXXI. postremum à Davide compositum fuisse; sed extra ordinem in Psalmorum serie fuisse collocatum. Illa porrò quæ objicitur clausula deest in Codice Regio 2604.

Tertium argumentum ita excipio; adnotationem illam *hæc autem sunt verba David novissima* non ad antecedentia sed ad sequentia pertinere.

Ultimum argumentum hac responsione elevo; Synopseos verbis non contineri Auctoris opinionem; sed rem in Scripturis commemoratam & nusquam repertam: cui eò minùs est credendum, quòd à Paralipomenis, ubi scripta supponitur, absit.

CAPUT IX.

De ordine & divisione Psalmorum.

TEMPORUM rationem in ordinandis Psalmis habitam non fuisse res est certissima; ipsóque Psalmorum textu eorúmque titulis comprobata. Quum ergo Psalmorum ordo tempori non sit accommodatus variæ ab Auctoribus excogitatæ sunt rationes quæ ordini huic patrocinarentur. Sanctus Hilarius Pictavorum Episcopus docet LXX. Senes in numerum & ordinem Psalmos redegisse, singulos quosque iis numeris adjungentes

a Prol. in Psal.

a Præf. in 2. lib. Comment. ad Gal.

quorum efficientia & vis argumento suo responderet. Latinæ eloquentiæ Rhodani (Hilarium à [a] Hieronymo sic vocatum intelligo) fluenta sunt ista. *Septuaginta Seniores secundùm Moysi traditionem ad custodiendam Legis doctrinam in Synagogâ manentes, posteaquam illis à Rege Ptolomæo transferendæ ex Hebræo in Græcum sermonem totius legis cura mandata est, spirituali & cœlesti scientiâ virtutem Psalmorum intelligentes in numerum eos atque ordinem redegerunt, singulis quibusque numeris pro efficientiâ suâ in absolutione perfectis perfectorum & efficientium Psalmorum ordinem deputantes. Et quanquam id ipsum ex singulorum Psalmorum virtutibus intelligi possit, tamen absolutissimè in gestorum & temporum historiâ docemur, Psalmorum scilicet collationes secundùm perfectorum numerorum esse efficientiam ordinatas. Psalmus enim tertius secundùm historiam quinquagesimo Psalmo posterior est, inscriptio namque utriusque multo intervallo temporis ætatísque diversa est: nam ille quæ sub Uriâ & David sunt gesta complectitur; ille autem fugam David Absalon filio suo olim persequente significat; & virtus ac sacramentum numeri perficit, hunc & illum pro competentibus & sibi congruis numeris collocari. Inscriptio verò quinquagesimi Psalmi secundùm historiam quinquagesimi & primi Psalmi inscriptione posterior est; sed quinquagesimi numeri virtus & perfectio exigebat & Doech Idumæi impœnitens in David odium postulabat anteriorem postponi & posteriorem anteferri, ut remissio peccatorum in numero quinquagesimo collocaretur; & pœna perfidiæ, numerum constitutæ remissionis excedens, careret veniâ, cùm & tempus & numerum pœnitentiæ perdidisset. Nam quum in quinquagesimo, in quo est Sabbata Sabbatorum, secundùm jubilei anni præformationem, peccatorum remissio sit constituta, competenter hic Psalmus, in quo pœnitentia antelata peccatorum remissio postulatur, in ordine est hujus numeri collocatus. Tribus verò quin-*

quagesimis Psalmorum liber continetur, & hoc ex ratione ac numero beatæ illius. nostræ expectationis existit. Namque qui & primæ quinquagesimæ & secundæ deinde quinquagesimæ Psalmum & tertiæ rursum quinquagesimæ in qua finis est, libri consummationem diligenter advertat, providentiam dispositorum in hunc ordinem Psalmorum cum dispensatione salutis nostræ intelliget convenire. Cùm enim primus gradus sit ad salutem in novum hominem post peccatorum remissionem renasci; sitque post pœnitentiæ confessionem regnum illud Domini in sanctæ illius civitatis & cœlestis Hierusalem tempora reservatum, & postea consummatâ in nos cœlesti gloriâ in Dei patris regnum per regnum filii proficiamus in quo debitas Deo laudes universitas spirituum prædicabit, facilè intelligimus in singulis Psalmorum virtutibus sub quinquagenariæ numero collocatis sacramentum dispensationis hujus quinquagenariæ contineri. Esse autem hæc Sabbata Sabbatorum, septenarius numerus per septem in septuplum connumeratus ostendit; quem tamen Ogdoas, quia dies eadem prima quæ octava, secundùm Evangelicam plenitudinem in ultimo Sabbato adjecta consummat.... Et dignum est hanc Ogdoadis perfectam sacramentis cælestibus virtutem, in Psalmo eo qui octavo in numero dispositus est, contueri cui pro torcularibus titulus adjectus est... Ogdoadis quoque istius virtus etiam in virtute sexti Psalmi & numeri quo,, pro octavo oratio est, continetur; & hoc numeri ratio perficit ut & in sexto pro octavo esset oratio & in octavo titulus pro torcularibus adderetur. Tribus autem in numeris hæc torcularium superscriptio reperitur: nam & octavus & octogesimus & octogesimus tertius Psalmus hunc habet titulum, ut in numeris perfectis perfectæ hujus beatitudinis ordo consisteret. Et hanc quidem Ogdoadis perfectionem, etiam in centesimo atque decimo octavo Psalmo, cognoscere possumus... Quanquam verò hæc à nobis secundùm numeros in legis observantiâ completos

& in sacramento Evangelico distributos ita dicta sunt, tamen absolutiùs uniuscujusque numeri virtutem ex superscriptionibus Psalmorum & dictorum ipsorum intelligentiam consequemur.. Psalmi igitur qui inscribuntur in finem, tituli intelligendi sunt ut ex perfectis atque absolutis bonorum æternorum doctrinis & speciebus existant. Hæc B. Hilarii verba paulò fusiùs exscripsi ut ex illis colligerem 1°. doctissimum ac sanctissimum Episcopum sibi non undecunque constare. 2°. eruditum quendam Scriptorem minùs benè S. Hilarii mentem explicasse, quum eum repræsentat dicentem *priores quinquaginta Psalmos iis convenire qui à vitiis sese ad meliorem frugem recipiunt; sequentes quinquaginta iis qui jam aliquos fecerunt in pietate progressus; iis denique reliquos qui ad summum virtutis apicem evasere.* Beatus quidem Hilarius Psalmorum *collationes secundùm perfectorum numerorum efficientiam ordinatas* esse docet; quúmque Psalmus octogesimus tertius *in numeris perfectis perfectæ beatitudinis* collocetur ut docet idem Hilarius, ex ejus doctrinâ sequitur dictum jam Psalmum octogesimum tertium Psalmo nedum quinquagesimo, qui *primus est ad salutem gradus*, sed etiam quinquagesimo primo Psalmo Doechum Idumæum impœnitentem exhibenti præponi debuisse; atque adeò Psalmorum collationes secundùm perfectorum numerorum efficientiam non esse ordinatas. Rursus si Psalmi qui inscribuntur *in finem, tituli intelligendi sunt ut ex perfectis atque absolutis bonorum æternorum doctrinis & speciebus existant* ut ait S. Hilarius, inter perfectos numeros adscribendus est Psalmus 51. qui habet *in finem*; sed eum paulò ante in imperfectis numeris posuit, ergo. Denique quum Psalmi 3. & 142. unum idemque Bellum Absalomiticum spectent, uno eodémque in ordine reponendi

fuiſſent; ſed eis diverſam ſedem aſſignat S. Hilarius, ergo ſecum ipſe minùs bene conſentit doctiſſimus Antiſtes: nec eum nodum ſolvit * Davidem duplici modo conſiderans, hinc ſcilicet *de Abſalon*, hinc verò *de his qui Abſalon ad impietatis crimen ignirent* conquerentem. Eruditus autem, cujus memini, Scriptor Hilariana verba triplici virtutis accommodat gradui de quo maximum Pictavienſium Epiſcopum nunquam cogitaſſe arbitror: quippe qui, de tribus Pſalmorum quinquageſimis generatim loquens, *eas ex ratione ac numero beatæ illius noſtræ expectationis exiſtere* dicat; eaſdem verò quinquageſimas ſpeciatim attingens ſecundam ad *ſanctæ illius civitatis & cœleſtis Hieruſalem tempora* trahat, tertiam verò referat ad *conſummatam in nos cœleſtem gloriam.* Laudatus à me Scriptor rectiùs ſentit quum Hilarianam de virtute Pſalmorum numeris atque ordini eorum reſpondente doctrinam non probat.

* Comment. in Pſal. 141.

S. ª Gregorius Nyſſenus quinariam Pſalmorum diviſionem ſequutus eam variis pietatis ac virtutis gradibus aptavit; ſed hæc quantumvis piè cogitata vel ſola eorundem Pſalmorum lectio abundè refellit ut ait dictus jam Scriptor: qui, rejectâ aliorum opinione, ſuam his verbis proponit. *Mihi ea insedit opinio* (Pſalmos) *hoc ordine ab Eſdrâ & Synagogâ magnâ fuiſſe digeſtos quo in templo canebantur prout nempe vel anniverſariæ feſtivitates vel ſacrorum ratio poſtulabat. Inde eſt quòd collocatæ ab Eſdrâ in ordinandis Pſalmis operæ Hebræi non meminerunt: quippe Pſalmos neque ipſe neque Synagoga magna digeſſit; ſed quem in iis ſervari ſolere comperit ordinem eundem retinuit.* Verùm (quod pace ſummi viri dictum ſit) ordo, de quo eſt ſermo, cum Hebræorum feſtivitatibus aut ſacris non convenit, ut ea expendenti ipſóſque Pſalmorum titulos contemplanti

ª Tract. I. in Pſal. cap 5. 6. 7. 8.

liquebit. Quinimò vir doctissimus secum non cohæret: quum enim paulò ante docuerit, quod & negari vix potest, *aliquos esse Psalmos qui in vinculis Babylonicis ad calamitates Israeliticæ Gentis coram Deo deplorandas à piis viris compositi fuerint*, illi utique Psalmi in templo antea non canebantur; nec Esdras, in iis digerendis, ordinem servavit quem compererat, neque priscum templi usum consuluit. Tacitam relinquo discrepantiam in quam præfatus Auctor delabitur quum hinc ait Psalmos *hoc ordine fuisse ab Esdrâ & Synagogâ magnâ* DIGESTOS; & paulò post ista subdit *Psalmos neque ipse* (Esdras) *neque Synagoga magna* DIGESSIT. Hanc, inquam, discrepantiam omitto, sic habens persuasum eam non Auctori sed properanti calamo esse adscribendam.

[a] ad Psal. XL. 15. Genebrardus [a] quinariam, de quâ sumus locuti & postea locuturi sumus, Psalmorum divisionem tractans ait. *Talmudici malunt divisionem sumptam ex Mosis imitatione. Ut Moses totam divinam legem quinque libris complexus est prosâ oratione; sic David versâ & metricâ ut credendis & agendis laudanda canendáque responderent. Illud est quod Doctores vulgò inquiunt Psalmos continere totam sacram Scripturam per modum divinæ laudis. Addo ego ex argumento quintuplici & diversitate auctorum quum aliqua esset notabilis mutatio. Primus enim liber est de rebus tristibus & adversis, & uni Davidi tribuitur. Secundus de rebus lætis; &, magnâ ex parte, auctores habet filios Coræ. Tertiò repetuntur res tristes & adversæ per Asaph & paucos alios; ut quarto iterum succedant res lætæ per diversos auctores. Quintus ferè universus Davidi adscribitur ac omnium maximus est: mixtum habens argumentum, ut nunc contineat preces nunc laudes; modò querimonias modò gratiarum actiones; interdum fit de rebus lætis, interdum de crucibus & adversis*, &c. Sed neque Talmudistarum,

quibus S. [a] Epiphanius consonat, neque Genebrardi doctrina ordini, quem investigamus, rectè consulit: ut nihil dicam de illâ Psalmorum in quinque libros divisione quam Christo Domino recentiorem esse infrà probabimus.

[a] lib. de Mens. & Pond. Num. 5.

Ego, qui ita non sum comparatus ut mysteria quæram ubi non sunt & ordinem perscruter ubi nullus apparet, Philastrio [b] assentior dicenti Psalmos eo modo, à Sapientibus dispositos post captivitatem fuisse, quo à sanctis viris reperti sunt fortuito nempe & tumultuario; quum Ethnici antea, dum rerum potirentur, conquisitos cremassent; & funditùs abolere tentassent. Nec dubito quin hæc Philastrii doctrina à veteribus Hebræorum traditionibus manaverit; præsertim quum apud S. [c] Hilarium legam *antiquis traditionibus* proditum esse *Esdram Psalmos incompositos & pro auctorum ac temporum diversitate dispersos in volumen unum collegisse ac retulisse.*

[b] Hæres. 78.

[c] Prol. in Psal.

Ad quinariam, quam superiùs attigi, Psalmorum divisionem quòd attinet, eam respuo; & Christo posteriorem reor dum in novo Testamento librum Psalmorum offendo, & S. Hieronymum audio sic loquentem [d]: *Scio quosdam putare Psalterium in quinque libros esse divisum ut ubicunque apud* LXX. *Interpretes scriptum est* γένοιτο γένοιτο *id est fiat fiat; finis librorum sit, pro quo in Hebræo legitur amen amen. Nos autem Hebræorum auctoritatem sequuti & maximè Apostolorum, qui semper in novo Testamento Psalmorum librum nominant, unum volumen asserimus.* B. Hieronymo præluxerat S. [e] Hilarius ita scribens: *nos secundùm Apostolicam auctoritatem librum Psalmorum & nuncupamus & scribimus.* Verùm, quum generalem B. Hieronymi assertionem ad singularem trahit sanctissimus Pictaviensium Episcopus & Hebræis speciatim tribuit quod de

[d] Epist. 134.

[e] Prol. in Psal.

quibusdam universim dixerat Hieronymus scilicet *quosdam putare Psalterium in 5. libros esse divisum :* quum, inquam, S. Hilarius Psalmos ab Hebræorum aliquibus in quinque libros divisum esse docet me sibi non habet assentientem : qui contrariam Hebræorum auctoritatem apud Hieronymum invenio ; & eximium, non vetustate sed hodiernæ Hebræorum Scripturæ elegantiâ atque accuratione, codicem Biblicum Bibliothecæ Memmianæ Hebraicum.verso, in quo prædicta Psalmorum in quinque libros divisio non comparet. Non dissimulabo adnotationem quam in Codice Regio 928. rubris literis scriptam reperi in fine Psalmi 40. τέλος τῦ α̃ βιβλίυ παρ' Ἑβραίοις, idest *finis libri primi secundùm Hebræos ;* sed eam adnotationem scriptori rerum Hebraicarum inscio tribuendam esse existimo ; maximè quum illam in cæteris, quos habeo Bibliothecæ Regiæ & Colbertinæ, Codicibus Græcis non invenerim. Illa porrò Psalterii in quinque libros divisio, de quâ sermo nobis est, à Codicibus Regiis 138. 1532. 1775. 222. 2225. 2603. 2604. 2606. 2653. 2723. Colbertinis 1. 1339. & Memmianis 1. 2. abest, sed in Cod. Regio 928. & Colbert. 158. reperitur.

CAPUT X.

Ubi disquiritur in quâ librorum Sacrorum classe repositi olim fuerint & reponi nunc debeant Psalmi ; & de variis Scripturæ sacræ divisionibus sermo fit.

QUANDO tractanda, hoc capite, quæstio elucidari rectè non potest nisi varias sacrorum Librorum divisiones noverimus, eas paucis attingo. Philo [a] Josephus [b] & SS. [c] Epiphanius atque [d] Hieronymus tres sacrorum

rum

[a] lib. de vitâ Contempl. post initium.
[b] lib. I. contr. Apion. etiam post initium.
[c] Hæref. 29. c. 7.
[d] Prol. Galeat. & Præf. in Daniel.

rum librorum ordines nimirum Legis, Prophetarum, & Hymnorum seu Hagiographorum constituunt. Sed in hoc differunt Josephus & S. Hieronymus quòd Josephus tredecim libros in secundo ordine ponit; in tertiâ autem classe quatuor libros recenset. Hieronymus verò octo Prophetarum libros numerat; Hagiographorum autem novem. Litem hanc definire hujus non est loci; juvat tamen dicere B. Hieronymo consonare Biblicum Memmianæ Bibliothecæ codicem: quem quominus sequar impediunt cùm Josephi antiquitas tum Codex Regius 138. qui Danielem, quem B. Hieronymus & Memmianus Codex in Hagiographorum numerum aggregant, inter Prophetas cum Josepho * adscribit: postquam enim de Ezechiele loquutus est, & antequam de duodeno minorum Vatum ordine sermonem habeat, Danielem profert his verbis. *Inde Philostoricus Danihel est totius orbis; Omnia qui lapidem frangere regna canit.* Josepho autem & Regio Codici eò magis adhæreo quòd omnem, ad imminuendam Danielicæ de Messiâ vaticinationis auctoritatem, aditum recentioribus obstruant Judæis qui, ut ab [a] Isaaco Vossio observatum est, Danielem ex Prophetarum numero sustulisse videntur ut celebrem de Christo prædictionem elevarent. Quod eorum consilium quum beato perspectum non esset Hieronymo, est apud eum ignoscendi locus quum recentem Judæorum divisionem sequutus Danielem inter Hagiographos scriptores numeravit; sed sanctus ille maximúsque Doctor nobis, hac in re, imitandùs non est. Cæterùm, quando Codicum Regii 138. & Memmiani 1. mentio heic occurrit, bonâ Lectoris veniâ à proposito parumper digrediar, ut corruptis Colbertini Codicis 1. Versibus in secundò Capitularium tomo [b] exaratis medelam M.

* Antiq. lib. X. in fin.

a lib. de Sibyllinis pag. 6 c. 63.

b edit. Baluz. p. 1569.

afferam. Verſus illi, qui de quatuor Evangeliſtis loquuntur ſúntque imitatione expreſſi ex poemate quod Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus compoſuit ; & in iis, quæ in Bibliothecâ Memmianâ aſſervantur, deſcribi juſſit Bibliis : unde in Bibliothecam Patrum, innominato Memmiano, è quo prodierant, Codice tranſlatum fuiſſe vir ſummus Fronto Ducæus olim dolebat in Epiſtolâ MS. mecum communicatâ ; eámque oblivionem novâ Patrum editione à ſe compenſatum iri recipiebat. Verſus, inquam, illi ex Codice Colbertino deſumti ita habent.

Hinc hominis primo facies aſcribitur orſus
Eſt quia ſat Domini cœlitus ex geneſi.
Forma Leonis ineſt pulchrè formata ſecundo
Quòd tetigit rura devia voce ſua.
Rebus ait ſacris ſiquidem quia tertius inde
Nunc olli ſpecies imprimitur vituli.
More aquilæ quoniam tranſcendit ſydera quartus
Ejus ob id ſpecimen celſa petentis habet.

Hos verſus partim ex Regio Codice 138. partim ex Memmianis Bibliis ſic emendo.

Primus ab humanâ quia cœpit promere gente
*Humani formam ſtemmatis * inde vehit.*
Avia terribili perſtringit voce ſecundus,
Scribitur & ſpecies inde Leonis ei.
Eſtque ſacerdotii quia rebus tertius orſus,
Nunc olli ſpecies imprimitur vituli.
It quia verborum pennis ſuper æthera quartus,
Hinc Aquilæ ſpecimen celſa petentis habet.

* Vir CL. Jacobus Sirmondus in editione operum Theodulphi an. 1646. pag. 163. legit ex Codice Memmiano *Schematis* ; ſed Codex ille habet *Sthematis* : unde regiam Codicis 138. lectionem retinui.

Præter eam, quàm ſuprà memoravi, Biblicorum volu-

minum divisionem aliæ, apud veteres Ecclesiæ Magistros, reperiuntur. Constitutionum, quæ Apostolicæ dicuntur, auctor Scripturam in τὸν νόμον *Legem*, τὰς βασιλείους *libros Regum*, τοὺς προφήτας *Prophetas*, & τοὺς ὕμνους Δαβὶδ *hymnos Davidicos* interdum dividit [a]; aliquando [b] autem eosdem veteris Testamenti libros partitur in ἱστορικὰ *Historicos*, σοφιστικὰ *ad sapientiam atque eruditionem pertinentes*, ποιητικὰ *Poëticos*, ἀσματικὰ *Lyricos*, & νομικὰ *Legales*, in quibus ἀρχαιογονίαι καὶ παραγγελίαι *antiquæ origines & mandata* comprehenduntur. [c] Origenes triplicis generis libros distinguit *genuinos*, *nothos*, *& mixtos*. [d] Eusebius Cæsariensis librorum ὁμολογουμένων seu ἐνδιαθήκων, ἀναντιῤῥήτων, καθολικῶν, & ἀδιαμφιλέκτων *qui catholici sunt & canonici receptæque apud omnes auctoritatis & indubitatæ fidei*; & librorum *qui tales non sunt* τῶν μὴ πιστῶν seu ἀντιλεγομένων & μὴ παρὰ πᾶσιν ὁμολογουμένων *quibus contradicitur quique ab omnibus non recipiuntur*; sed *qui*, ut alibi [e] explicat, *in plurimis Ecclesiis palam leguntur* ἐν πλείσταις ἐκκλησίαις παρὰ πολλοῖς δεδημοσιευμένων aliquando meminit; interdum verò duabus (quarum mentionem feci Scripturis quásque ἀληθεῖς καὶ ἀπλάστους *veras & sinceras* hinc appellat, hinc autem οὐκ ἐνδιαθήκους *non relatas in corpus novi Testamenti* seu ἐν τοῖς νόθοις *pro nothis habitas* vocat) tertium librorum genus annectit: eorum nempe *qui planè spurii sunt & à rectâ fide doctrinâque Apostolorum alieni* τῶν τε πάντελως νόθων καὶ τῆς ἀποστολικῆς ὀρθοδοξίας ἀλλοτρίων ab eo dicuntur, quósque etiam ἄτοπα & δυσσεβῆ *absurdos* nominat *& impios*. Quorum locorum in penultimo Eusebius seipsum, ut doctissimo Valesio placuit, emendare non videtur: quum libris ibi memoratis simplex νόθων *nothorum* nomen (quod iis quæ in dubium revocantur voluminibus tribuerat) non det; sed eos πάντελως νόθους *omninò spurios* appellet: quâ in re ut Eusebium impropriâ

[a] lib. 1. c. 5.
[b] Ib. c. 6.
[c] to. 14. in Joh. IV. 22.
[d] Hist. Eccl. lib. III. 3.
[e] Ibid. c. 31.
[f] Ibid. c. 25.
[g] in Notis ad Hist. Eccl. Euseb. p. 53.

voce usum fuisse fortasse concesserim; ita eum sibi consentire, & suo in errore constantem esse defendo. S. [a] Athanasius triplicem Librorum classem facit, nempe θεοπνεύστων *divinitus inspiratorum* seu κανονιζομένων *canonicorum*; & οὐ κανονιζομένων *non canonicorum* sed ἀναγινωσκομένων *legendorum*; seu, ut ipsemet explicat, *qui à Patribus propositi sunt legendi illis, qui primùm accedunt & doceri volunt sermonem pietatis* τετυπωμένα ὑπὸ τῶν πατέρων ἀναγινώσκεσθαι τοῖς ἄρτι προσερχομένοις καὶ βουλομένοις κατηχεῖσθαι τὸν τῆς εὐσεβείας λόγον; atque Apocryphorum ἀποκρύφων. S. [b] Cyrillus Hierosolymitanus duo Scripturarum genera in veteri Testamento ponit videlicet *earum quæ ab omnibus recipiuntur* παρὰ πᾶσιν ὁμολογουμένων, & *Apocrypharum* ἀποκρύφων quas minus propriè ἀμφιβαλλόμενα *dubias* vocat. Rursus prioris generis librorum triplicem divisionem dictus jam Cyrillus instituit: libros *Historicos* duodecim, *Poeticos* quinque, totidémque *Propheticos* colligens. S. [c] Gregorius Nazianzenus Scripturæ libros in θείους *divinos*, seu γνησίους *genuinos*, & παρεγγράπτους *adscriptitios ac falsos* secat; primósque iterum in *historicos, metricos, & propheticos* dividit. S. [d] Epiphanius Scripturæ libros recenset *Legales, Poeticos, Hagiographos, & Propheticos*: præter unum Esdræ librum qui separatim numeratur, & alium Estheris. [e] Amphilochius Iconii Episcopus triplicis generis libros agnoscit *divinos* seu *à Deo inspiratos*, *medios*, & *adulterinos*. S. [f] Hieronymus, [g] Innocentius Papa I. S. [h] Augustinus, atque [i] Isidorus duplicem statuunt Scripturam *canonicam* unam seu *ecclesiasticam*; aliam *apocrypham*, seu non *receptam in canone & repudiandam*: quibus S. [k] Hieronymus tertiam adjungit quam *sanctam* dicit *& in Ecclesia lectitatam*; *sed cujus auctoritas ad roboranda illa quæ in contentionem veniunt minùs idonea judicatur.* [l] Leontius Bizantinus Biblica volu-

> a in Epist. Festali.
>
> b Catech. 4.
>
> c Carmine 33.
>
> d Lib. de Mens. & num. 4.
>
> e in Carmine Iamb. ad Seleuc.
>
> f Epist. CXI. & Epist. CXXIX.
>
> g Epist. III. c. 7.
>
> h lib. II. de Doctr. Christ. c. 8.
>
> i Orig. lib. VI. c. 2.
>
> k Præfat. ad Judith. & ad tria Salomonis volumina.
>
> l de Sectis Act. 2.

mina enumerans ea diſtribuit in *Hiſtorica, Prophetica, Parænetica*, & *ad Pſallendum elaborata*. Denique [a] Pſeudo-Athanaſius genuini veſtigia perſequens tria Scripturarum genera, ſcilicet κανονιζόμενα *canonica*, οὐ κανονιζόμενα μὲν, ἀναγινωσκόμενα δὲ μόνον τοῖς κατηχουμένοις ταῦτα *non canonica, quæ Catechumenis tantùm leguntur*, ſeu ἀντιλεγόμενα *quibus contradicitur*; & ἀπόκρυφα Apocrypha adducit: [b] Euſebianæ, ut puto, immunis acurologiæ quam ei eruditiſſimus [c] Valeſius inurit, dicens eum libros ἀντιλεγομένους cum libris apocryphis confudiſſe. Id ego viro ſummo aſſentiri non poſſum, dum ementitum video Athanaſium [d] veteris teſtamenti libros ἀντιλεγομένους *dubios* ab *apocryphis* accuratè ſecernentem; ipſámque *Apoſtolorum doctrinam*, quam [e] Euſebius ἐν νόθοις *inter nothas* Scripturas refert, in numerum librorum ἀντιλεγομένων *dubiorum* à Pſeudo-Athanaſio adſcribi animadverto. Neſcius non ſum Auctorem iſtum paulò poſt ita loqui; ταῦτα πάντα, &c. ideſt; *hi omnes libri cognitionis gratiâ expoſiti ſunt; perverſè verò ſcripti, nothi, ac reprobi; & nullus iſtorum, maximè Apocryphorum, approbatus aut utilis, &c.* Sed verba illa, ut patet, ad Apocryphas præſertim Scripturas trahi debent; & triplicem veteris ac novi Teſtamenti librorum ordinem relinquunt immutatum: etſi Athanaſianæ Synopſeos auctor, tanquam vir privatus, eos omnes libros nothos ac reprobos cenſeri velit, aſſerátque illos dignos eſſe qui abſcondantur magis quàm legantur.

His ita poſitis, dico Pſalmos in tertio primæ diviſionis ordine locatos olim fuiſſe, hoc eſt inter Hymnos & Hagiographa ſeu Grapheia (ſic enim etiam vocabantur) volumina adſcriptos fuiſſe; ídque ſanctiſſimi ad doctiſſimi Clementis Papæ I. teſtimonio non ſolùm comprobo; ſed etiam divini noſtri Soſpitatoris qui, [g] quum

a in Synopſi Script. paulò poſt initium.

b Ibid. ſub finem.

c loc. cit.

d in Synopſ. Script. ſub fin.

e Hiſt. Eccl. l. b. III. 25.

f Epiſt. I. ad Cor. cap. 28.

g apud Luc. XXIV. 44.

Psalmos à Lege & Prophetis distinguat, eos in tertio primæ divisionis ordine reposuisse videtur; quod exemplum quum [a] Epiphanius, [b] Johannes Damascenus, & [c] Cassiodorus imitati non fuerint eos ut sequaris auctor non sum.

a lib. de Mens. & Pond. n. 4.
b lib. 4. de Orth. fide c. 18.
c lib. 1. Instit. ad divin. Lect.

At dices. Injuria Psalmis infertur quum locus eis inter Hagiographa conceditur: eorum enim *auctoritas*, teste Beato [d] Hieronymo, *ad roboranda illa quæ in contentionem veniunt minus idonea judicatur.* Respondeo sanctum Hieronymum, quum hæc dixit, loquutum esse de Hagiographis minoris auctoritatis; non verò de Hagiographis quæ majore in precio habebantur. Scilicet, ut annotavit doctissimus [e] Cotelerius & ex sancto Augustino infrà citando confirmavit, duplicis generis Hagiographa erant majoris nimirum ac minoris auctoritatis. Psalmi, in priori ordine, à sancto Hieronymo positi sunt [f], & in eodem ordine à nobis habentur; in alterum autem ordinem à nonnullis relati olim fuere Tobiæ v. g. & Judithæ libri ut ex sancto discimus [g] Hieronymo, qui [h] addit eos legi quidem in Ecclesiâ sed inter canonicas Scripturas non recipi. Nec caussa subest ulla cur diversam acceptionem auctoritatémque Hagiographorum miremur, si non unam eandémque apud Hebræos sacrorum librorum auctoritatem fuisse ex [i] Philone & [k] Josepho colligi attendamus; & beatum audiamus [l] Augustinum qui hanc quoque auctoritatis inæqualitatem in Ecclesiâ quondam obtinuisse docet his verbis. *In canonicis autem Scripturis, Ecclesiarum Catholicarum quamplurium auctoritatem sequamur: inter quas sanè illæ sunt quæ Apostolicas sedes habere & Epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis canonicis, ut eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis*

d Præf. in lib. Judith.
e in Notis ad SS. Patres qui Apost. temp. flor. pag. 90. 91.
f in Prol. Gal.
g Præf. in Tob. & in lib. Judith.
h Præf. in libros Salom.
i lib. de vita Cont.
k lib. I. contr. Apion.
l lib. II. de Doctr. Christ. c. 8.

præponat eis quas quædam non accipiunt. In eis verò quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas quas plures gravioréſque accipiunt eis quas pauciores minoríſque auctoritatis Eccleſiæ tenent. Si autem alias invenerit à pluribus, alias à gravioribus haberi quanquam hoc facilè invenire non poſſit, æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto.

CAPUT XI.

Ubi expenditur ſolutâ an numeris adſtrictâ oratione Pſalmi compoſiti fuerint.

UNus ferè eſt ſanctorum Patrum conſenſus Pſalmos verſibus eſſe ſcriptos; atque ut SS.[a] Cyrillum Hieroſolymitanum,[b] Gregorium Nazianzenum,[c] Epiphanium,[d] Auguſtinum, alióſque in eam ſententiam conſpirantes prætercam, unius B. Hieronymi verba laudabo; eiſque inſigne Euſebii Cæſarienſis teſtimonium annectam.[e] Hieronymus: *David Simonides noſter, Pindarus, & Alcæus; Flaccus quoque, Catullus, atque Serenus Chriſtum lyrâ perſonat, & in decachordo Pſalterio ab inferis excitat reſurgentem.* Alibi:[f] *Quid Pſalterio canorius quod, in morem noſtri Flacci & Græci Pindari,* nunc Iambo currit; nunc Alcaico perſonat, nunc Sapphico tumet, nunc ſemipede ingreditur.* Denique ait S.[g] Hieronymus. *Quod ſi cui videtur incredulum metra ſcilicet eſſe apud Hebræos; &, in modum noſtri Flacci, Græcíque Pindari, & Alcæi, & Sapphus, vel Pſalterium, vel Lamentationes Jeremiæ, vel omnia fermè Scripturæ cantica comprehendi, legat Philonem, Joſephum, Origenem, Cæſarienſem Euſebium, & eorum teſtimonio me verum dicere comprobabit.*[h] Euſebius Cæſarienſis de Hebræis ita fatur.

[a] Catech. 4.
[b] Carm. 33.
[c] lib. de Menſ. & Pond. n. 4.
[d] Epiſt. 131. ad Memorium in fin.
[e] Ep. 103. ad Paulinum.
[f] Præf. in Chronic. Euſeb.
* Scaliger iſta ſic perſtringit in Anim. Euſeb. p. 6. *Pindari Poeſim Iambico & Alcaico metro aut Sapphico currere credens fortaſſe qui nunquam Pindarum legerunt; aut neſciunt quid ſit Iambicum, Alcaicum, Sapphicum metrum.* Sed S. Hieronymus, ut ſequenti liquet teſtimonio, non dicit Pindari Poeſim Alcaico metro aut Sapphico currere: vult tantùm eam Iambicis conſtare metris quæ David imitetur, ut & Alcaica & Sapphica ab Alcæo & Sappho inventa.
[g] Præf. in Job.
[h] Præp. XI. cap. 5.

ἔχειν δ᾽ αὖ αὐτοῖς, &c. ideſt : *habent illi quoque opera ſua verſuum numeris comprehenſa, cujuſmodi eſt magnum illud Moſis canticum, Pſalmúſque Davidis* CXVIII. *quod utrumque eo verſuum, quod Heroicum Græci vocant, genere continetur: quippe Hexametris ſyllabarum ſedecim ambo conſtare dicunt. Reliqua verò Carminum apud eos genera ex trimetris ac tetrametris verſibus, pro linguæ ſuæ proprietate, conflata perhibentur.*

Scio iſtam S. Hieronymi atque Euſebii doctrinam in reprehenſionem incurriſſe; ſed doctos illos viros juſtâ reprehenſione carere oſtendam. [a] Scaliger quidem B. Hieronymum ſic vexat. *De Pſalterio magis miror cùm neque in eo neque in Threnis ullum canticum ſit metricis legibus adſtrictum; ſed merè ſoluta oratio charactere poetico animata. Quin Iſaiæ & aliorum Prophetarum oratio inſtar poeſeos aliquando figurata eſt, quam tamen propterea poeſim eſſe rectè non dixeris. Solum canticum Moſis extremo Deuteronomio, Proverbia Salomonis, & totus ferè liber Job quadam rythmi neceſſitate cohibentur, qui rythmus eſt inſtar duarum dimetriarum Iambicarum & tinnulus accidit ad aures. Sed aliquando pauciorum ſunt ſyllabarum, aliquando plurium, quales Græcorum* στίχοι καταληκτικοὶ, βραχυκαταληκτικοὶ, ὑπέρμετροι: *non utique quod compenſatio fiat* κατὰ ἰσοχρονίαν, *ut in Græcis ſolet: neque enim hoc exprimi poteſt idiomate Hebraico: ſed quantùm ſententia poſtulat, rythmus nunc longior nunc brevior eſt... Nam ut in Hebraico, Syriaco, Arabico, & Abyſſino idiomate ulla metri ſpecies concipi poſſit nemo efficere poteſt, quia id natura ſermonis non patitur.* Alio in opere [b] Scaligerum, virum cæteroquin de literis benè meritum, properanter interdum ſcribere, & in rebus Hebraicis ſcienter verſatum non eſſe oſtendi. Alterutrâ criminatione in eum heic uti poſſumus: utpote qui doctrinam tradat, cujus falſitas ipſis tyronibus perſpicua eſt. Ait 1°. canticum

[a] in Animadv. Euſeb. p. 6. expendens illa Hieronymi verba à nobis laudata: *quid Pſalterio canorius, &c.*

[b] Reſſ. de la Relig. Chreſt. to. pag. 2. 256. 257. 258.

canticum Mosis, Proverbia, & totum ferè librum Job rythmis instar dimetriarum Iambicarum constare; at, quicunque Hebraicè legere norunt, rythmos hujusmodi ab iis, quæ Scaliger laudat, operibus abesse sciunt; nec ullum in illis inveniri rythmum nisi fortè quem sors invexerit, uti apud Virgilium *nudus in ignotâ Palinure jacebis arenâ.* Mosaici cantici exordium ita Hebraicè sonat juxta hodiernam lectionem.

Haazinou haschamaim, vaadabberah; vetischmay haaretz imre pi. Jayaroph cammatar likhhi, tizzal cattal imrati; kisyirim yale desché, vekirbibim ale yesseb: ki schem iehovah ekra. Habou godel lelohenou: hatzour tamim poyolo ki col deracav misspath; El emouna veen yavel; tsadik veiaschar hou. Schibhhet lo lo banav moumam, dor yikkosch ouphtaltol. Haljehova tigmelou zoth yam nabal velo chacam? Halo hou abica, caneca hou, yasseca, vaiconeneca &c.

Jobi poëma sic incipit.

Isch haiah beerets yutz, iob schemo: vehaiah haisch hahou tom veiaschar, vire Elohim, vessar meray. Vaiovvaledou lo schibyah banim veschalosch banoth: vaihi miknehou schibyat alpé tson ouschloscheth alpé ghemallim; vahhamesch meot tsemed bakar vahhamesch meot atonot, vayabudah rabba meód.

Liber Proverbiorum tale habet initium.

Mischlé schelomoh ben David melek Israel ladayat hhocmah oumoussar, lehabin imré binah, lakahhat moussar hasskel, tsedek, oumispath, oumescharim; latet liphtaim yormah, lenayar dayat oumzimmah. Ischmay hhacam, veiosseph lekahh; venabon tahhbuloth ikneh: lehabin maschal, umlitsah, dibré hacamim, vehhidotam. Irath Iehovah reschith dayat: hocmah oumoussar evilim bazou &c.

N

2°. Ita loquitur Scaliger.; *Ut in Hebraico... idiomate ulla metri species concipi possit nemo efficere possit, quia id natura sermonis non patitur.* Nullus, qui linguam Hebraicam tantisper noverit, Scaligero heic subscribet, & meritò quidem: nam, ut missum faciam rythmum definito Syllabarum numero adstrictum: qui in linguâ Hebræâ, non minùs quàm in aliis quibusdam, versum, nullâ brevium & longarum syllabarum ratione habitâ, constare potest: ut, inquam, missum faciam hunc rythmum, nihil profectò obstat quominus in linguâ sanctâ constitui possit certus syllabarum numerus quæ producantur aut corripiantur, adeóque carmen efficiant. Non inficior nobis hodie parùm exploratum esse quænam syllabæ, apud veteres Hebræos, producerentur aut corriperentur; sed quominùs id in eorum linguâ fieri possit natura sermonis non impedit: immò, quum Psalmi CXVIII. versiculi sedecim circiter syllabas instar versuum Hexametrorum habeant, eas breves & longas fuisse eò veri magis est simile, quòd Heroica Græcorum & Latinorum carmina, quæ ex laudato Psalmo ut & Mosis cantico originem duxisse videntur, ad hanc brevium & longarum syllabarum rationem sunt accommodata. Quid quod in præfato Psalmo CXVIII. easdem pedum regulas, quibus versus nostri Hexametri coarctantur, aliquatenùs deprehendisse videor: modo legens infrà ponendo qui, si Massoretharum alumnis minùs arrideat, æquis judicibus fortasse non displicebit; quíque si, in toto Psalmo, otiosè perquireretur, metricam veterum Hebræorum artem, eorúmque in legendo pronuntiationem nobis forsitan aperiret. De hoc cogitent literati homines, dum ego, multis distentus negotiis & me currenti prælo heic accommodans, viam eis, in sex primis laudati Psalmi CXVIII. versiculis, festinus munio.

Dactylus Dactylus Dactylus Spondæus Dactylus Spondæus
aſrete mimede rechanle chimbe toratie bova
אשרי תמימי דרך ההלכים בתורת יהוה

Dactylus Dactylus Spondæus Spondæus Dactylus Spondæus
aſreno zereydo tavbe colleb idere ſouhou
אשרי נצרי עדותיו בכל לב ידרשוהו

Spondæus Spondæus Spondæus Dactylus Dactylus Spondæus
aphlo paya loüa velabi derecav alcou
אף לא פעלו עולה בדרכיו הלכו

Spondæus Spondæus Spondæus Spondæus Dactylus Spondæus
ata zivvi tapi kude caliſe mormod
אתה צויתה פקדיך לשמר מאד

Spondæus Spondæus Spondæus Spond. Dactylus Spondæus
acha. liccon. noude racai liſmoru keca
אחלי יכנו דרכי לשמר חקיך ·

Spondæus Spondæus Spondæus Spondæus Dactylus Spondæus
azle boſbe habi telcol mizevo teca
אז לא אבוש בהביטי אל כל מצותיך

Sed adversùs illàs noſtras conjecturas vel, ſi mavis, ariolationes inſurgit Rabbi [a] Azarias dicens : יהי מה מכל האמור בדרוש הזה עד ענה יצא לנו כי דברי הכזרי ודון יצחק אשר זכרנו בתחלת הפרק שהם מכחישים היות שירי הקדש על משקלי יתדות ותנועות כאותם הנהוגים בזמנו הם דברי חכמים למוצאו דעת ···הלא יתכן שתעתיק קצתם אל לשון אחר וישמרו משקלם או בקרב מה שלא נוכל בשירים אשר מקצבם נתלה בתנועות ומספרם כנגלה לכל יודע ideſt : *Ex his omnibus, quæ de hac quæſtione hactenus dicta ſunt, conſtat nobis verba Cozri & Don Iſaac, quæ in principio capitis retulimus, quibus negant carmina ſancta conſtare ex longis brevibúſque ſyllabis qualia ſunt quæ temporibus noſtris ſunt in uſu, verba eſſe Sapientum vera & docta... Nonne patet quod ſi*

[a] lib. *Imre binah.* cap. 6.

quædam ex illis (sacris canticis) *in aliam linguam transtuleris ea suam servare modulationem, aut certè non multùm differre; quod fieri non potest in carminibus quorum prosodia pendet à brevibus longísque syllabis & earum numeris ut omni perito liquet?* Hæc Azariæ ratiocinatio Scaligerianâ paulò est rectior; sed eam à veritate alienam esse persuasum est mihi, qui in carminibus ex Hebræo sermone translatis majorem nondum inveni modulationem quàm in iis quæ ex aliis linguis vertuntur.

Præter eos, quorum hactenus memini, Auctores alii sunt qui Hieronymianæ & nostræ sententiæ adversantur. Et primò quidem S. [a] Gregorius Nyssenus ita scribit: ἀλλὰ καὶ τοῦτο προσήκει μὴ παραδραμεῖν, &c. idest. *Verum neque hoc convenit citra considerationem prætercurrere, nempe has nostras melodias* (Davidicas) *non esse factas eo modo quo externorum & à nostrâ disciplinâ alienorum carmina condita sunt: nam melos & modulus in dictionum sonorâ serie & connexione non consistit, quemadmodum apud illos videre licet quibus rythmus conficitur ex accentuum aptâ compositione, tono in sonis nunc depresso nunc elevato, nunc breviato nunc producto; sed non exornatum nec exquisitum divinis verbis innectendo melos, interpretari vult per melodiam sensum dictorum, certâ quadam compositione tono vocis, sensum verbis insitum, quoad fieri potest, revelante.* 2°. Marianus Victorius Reatinus, Episcopus Amerinus in suâ scholiâ ad ista Hieronymianæ Epistolæ 117. verba *nemo quum Prophetas versibus viderit esse descriptos metro eos existimet apud Hebræos ligari & aliquid habere de Psalmis & operibus Salomonis.* Marianus, inquam, Victorius hæc notat. *Psalmi breves quasdam habent sententias quæ versuum instar apud Hebræos sunt, propterea quod nec περιόδους nec perpetuam recipiant orationem: non enim pedum regulis, ut fit apud Græcos Latinósque, coartantur incedúntque; sed*

[a] Tract. 1. in Psal. p. 265. to. 1. edit. Gr. Lat. Paris. 1615.

eo excurrunt modo quo, apud Etruscos, ut nunc vocant, ea carmina quæ soluta appellantur. Denique [a] Nicolaus Petræus ait. *Tenendum est librum Psalmorum magnâ ex parte, Canticum verò Salomonis & Threnos Jeremiæ planè ἀμέτρους esse seu oratione totâ prosâ constare: quare operam suam ludit qui numerum & rythmum ibi quærit ubi nullus est.* Verùm illorum Scriptorum auctoritates cadent si ad ea, quæ diximus, exigantur.

[a] de Metr. Heb.

Quòd attinet ad Eusebii Cæsariensis testimonium, illud Julianus Apostata oppugnat his verbis à S. [b] Cyrillo Alexandrino relatis Ἀλλ' ὅτι τῆς πολιτείας θεσμὸς, &c. idest. *At Reipublicæ leges & forma judiciorum ac civitatum administratio, & honestus in disciplinis progressus, & liberalium artium exercitatio non fuit apud Hebræos nisi misera & barbarica: tametsi nequam ille Eusebius velit apud ipsos esse quædam Hexametra; contendátque Logicam esse quandam disciplinam apud Hebræos, cujus nomen à Græcis audivit.* S. Cyrillus Alexandrinus, qui hæc Juliani verba nobis servavit, ad illam objectionis partem, quæ versus Hexametros spectat, nihil reponit: sed ea facilè diluetur ex iis quæ superiùs observavi; & quibus hoc tantùm addo Eusebianam de Psalmo CXVIII. assertionem veritati congruere modò præterpropter sumatur: hoc est præfatum Psalmum sedecim ferè constare syllabis; quæ tamen aliquando ad 13. 14. & 15. coarctentur, interdùm verò usque ad septemdecim excurrant ut in istis versibus.

[b] lib. 7. adv. Jul. to. 6. edit. Gr. Lat. Parif. 1638. pag. 221. 222.

Quî fit Mœcenas ut nemo quam sibi sortem.
Sicelides Musæ paulò majora canamus.
Regia Solis erat sublimibus alta columnis.
Clara micante auro, flammásque imitante pyropo.
Cujus ebur nitidum fastigia summa tenebat.
Argenti bifores radiabant lumine valvæ.

CAPUT XII.

Utrum Psalmi eo compositi fuerint tempore quo res in eis descriptæ contigerunt.

PSALMI duobus modis spectari possunt, vel ut Prophetias continent; vel ut historias narrant. Psalmi Prophetici rebus, quas enuntiant, præcurrere debuerunt; nullúmque de hac re dubium esse potest. Psalmi historici conditi videntur eo tempore quo gesta sunt ea de quibus agunt. Eos tamen*, qui Davidem sive à Saule sive ab Absalamo exagitatum repræsentant, Psalmos excipio: & ratio est quia quum Psalmi versibus sint scripti ut superiore capite probatum est; carmináque secessum scribentis & otia quærant proveniántque animo deducta sereno ut ait Poeta, Davidem (cui laboris quem metricarum legum observatio affert vacationem heic non do, ne miracula & divinos afflatus, nullâ cogente necessitate, comminiscar*) maximis calamitatibus vexatum, in desertis atque agris passim vagantem, & multis undique cinctum periculis versus ex tempore fudisse vero non est simile; præsertim quum versuum illorum nonnulli sint Acrostichici quod artis est & diligentiæ; & in Psalmo LVI. 9. luctuosa Davidis tempora respiciente mentio fiat Citharæ & Psalterii quibus Davidem tunc instructum fuisse nemo concedet qui judicio valebit. Crediderim igitur Davidem regno potitum & tutâ tranquillâque pace fruentem dictos jam Psalmos (qui nihil sunt aliud quàm erratica Davidis historia versibus mandata) composuisse, ut in illis præteritarum

* alibi hoc est pag. 78. 79. miraculis non parco; sed diversa est caussâ.

ærumnarum memoriam recoleret; atque hinc factum esse ut diligentiam adhibuerit; & musica, quorum magnam, eâ tempestate, copiam habebat, instrumenta interdum memoraverit. Scio teneros illos sensus tristésque, quos sola periculi præsentia ciere solet, affectus mirum in modum in iis, de quibus loquimur, Psalmis comparere; indéque non leve, adversùs sententiam meam, argumentum peti posse. Hanc video difficultatem & laboriosam esse confiteor: sed, quando majores in angustias adducendi sumus si propositam à me opinionem rejecerimus, ei adhærero; &, quod objectum est, elevo dicens pericula, quibus David perfunctus erat, ita altè in mente ejus impressa fuisse ut in conspectu ejus semper adstarent; adeóque mirum non esse si illa tam intimo animi sensu postmodum expresserit.

CAPUT XIII.

De Psalmis Matutino, Vespertino, Lucernali, Funebri, & hymnis Sepulchralibus.

PSALMUS LXII. ab antiquis Ecclesiæ Magistris vocabatur Matutinus; Psalmus verò CXL. dicebatur Vespertinus. Auctor Constitutionum Apostolicarum [a]: ἑκάστης ἡμέρας συναθροίζεσθε, &c. idest; *singulis diebus congregemini mane & vespere, psallentes & orantes in ædibus Dominicis: mane quidem dicentes Psalmum sexagesimum secundum; vesperi verò centesimum quadragesimum.* S. [b] Johannes Chrysostomus: ἀλλὰ προσέχετε μετ' ἀκριβείας, &c. idest; *sed diligenter attendite: neque enim puto fuisse temerè decretum*

[a] lib. II. 59.

[b] in Psal. 140.

à Patribus ut hic Psalmus (nempe CXL. *) diceretur quotidie ; nec id quidem propter id quod in eo dicitur* ELEVATIO MANUUM MEARUM SACRIFICIUM VESPERTINUM , *nam id ipsum quoque in aliis Psalmis dicitur.. & multi possunt inveniri Psalmi qui vespertino tempori conveniant. Non ergo propterea hunc Psalmum decreverunt Patres ; sed tanquam salutare aliquod pharmacum & peccatorum piaculum ut is diceretur constituerunt , ut quæcunque sordes aut maculæ fuerint à nobis toto die susceptæ , dum vel in foro vel domi vel in quocunque alio loco versamur , eas , quum ad vesperam pervenerimus , per spirituale hoc carmen , abstergamus , est enim medicamentum quod delet hæc omnia. Talis est etiam Psalmus matutinus... accendit enim in Deum desiderium , & animum excitat : &) , postquam valde inflammavit &) magnâ replevit lætitiâ ac charitate , ita permittit accedere. Videamus autem undenam incipiat, & quid nos doceat :* DEUS DEUS MEUS AD TE DE LUCE VIGILO , SITIVIT TE ANIMA MEA. *Vides quomodo ostendat verbum inflammati animi : ubi est autem amor Dei , omnia mala recedunt ; ubi est Dei memoria, illic est peccatorum oblivio.* Laudatus Constitutionum Apostolicarum auctor Psalmi matutini (qui etiam apud S. [a] Athanasium occurrit) alibi [b] meminit ; & vespertinum appellat [c] *lucernalem :* id nominis ei dans quia Psalmus ille accensis lucernis canebatur. Quo de ritu aliísque huc spectantibus consule S. [d] Basilium, S. [e] Epiphanium , S. [f] Hieronymum, [g] Concilium Toletanum I. [h] Pseudo-Augustinum, [i] Cassianum, [k] Isidorum, [l] Radulphum Tungrensem alióſque passim obvios : quos inter legi præcipuè velim [m] Socratem.

Nolim porrò prædictam , de recitandis matutino & vespertino Psalmis , legem sic accipias ut eâ soli Sacerdotes tenerentur ; totúmque eorum officium in duobus illis

[a] Epist. ad *Marcellinum* circa medium, & *de Virginitate* sub fin.
[b] lib. VIII. 37.
[c] ibid. c. 35.
[d] ad Amphil. c. 29.
[e] Expos. fid. num. 23. to. 1. p. 1106.
[f] Epist. 7. 8. 27. & in exp. Psal. 119. sub fin. Comment. in Psal. si tamen ejus est hæc expositio.
[g] can. 9.
[h] Serm. 1. ad fratres in Eremo.
[i] lib. III. de instit. Cœnob. cap. 3. in fine.
[k] In Regulâ Monach. cap. 7.
[l] Lib. de Canon. observ. prop. 12.
[m] Hist. Eccl. lib. V. 22. ubi preces *lucernales* appellat τὰς ἐν ταῖς λυχναψίαις εὐχὰς, &c.

illis Psalmis legendis poneretur. Eam qui probaret sententiam gravi caperetur errore, quum ex SS. Patrum scriptis & Conciliorum sanctionibus ad Psalmum CXVIII. 164. à me producendis constet Ecclesiastici officii fines duobus, quos dixi Psalmis, terminatos non fuisse. Verùm præfata lex (quam ab aliâ [a] laudato Constitutori memoratâ distinguo) populum præcipuè spectabat ut ex eodem liquet Constitutore [b], & ex [c] sancto Johanne Chrysostomo colligitur: quorum prior, paulò antequam de Psalmis LXII. & CXL. dicat, hæc habet: Διδάσκων, &c. id est; *quum autem doces, Episcope, jube & persuade populo ut singulis diebus mane & vesperi Ecclesiam frequentet... Non enim de sacerdotibus duntaxat dictum est, sed & quisque laicus de se quoque intelligat reputans quod à* [d] *Domino dictum sit*; QUI NON EST MECUM CONTRA ME EST ET QUI NON CONGREGAT MECUM SPARGIT; alter autem verba de Psalmo CXL. faciens, ait: τούτου τοῦ ψαλμοῦ, &c. idest; *hujus quidem Psalmi verba penè omnes sciunt & per omnem ætatem perpetuò canunt.*

a lib. VII. 34.
b Ibid. II. 59.
c in Psal. 140.
d Mat. XII. 30.

Psalmus V. ab Asterio Amaseæ Episcopo [e] appellatur ἐπιτάφιος idest *funebris* eò quòd Christi mortem, post quam Ecclesia hæreditatem consequuta sit, spectet juxta hunc Interpretem. Præfatus autem Psalmus cum hymnis ἐπιταφίοις *Sepulchralibus* in martyrio S. [f] Ignatii memoratis commiscendus non est: hi enim hymni à Psalmo *Funebri* longè diversi erant, quippe qui SS. Martyrum continerent encomia quibus festi eorum dies celebrabantur pro more in Ecclesiâ recepto: cujus insigne vestigium exstat in [g] Theodoriti historiâ, ubi de Ephræmo Syro mentio fit his verbis τὴν ἁρμονίαν τοῦ μέλους, &c. idest; ipse *modorum compositionem ab illo* (Harmonio) *mutuatus pietatem canticis permiscuit & suavissimum simul ac utilissimum medicamentum: atque hæc cantica festos Martyrum dies lætiores ac splendidiores etiamnum efficiunt.*

e apud Cotel. Monum. Eccl. Gr. to. 2. p. 30. 31.
f edit. Cotel. to. 2. SS. Patr. qui temp. Apost. flor. p. 1001.
g Hist. Eccl. lib. IV. 29.

O

CAPUT XIV.

De Psalmo Idiographo.

PSALMUS Idiographus vocatur ille qui CLI. est apud Septuaginta, ut videre est in Synopsi S. Athanasio adscriptâ [a]. Vocatur *proprius* in Conflictu Arnobii & Serapionis * ubi hæc leguntur. *David quoque in suo proprio Psalmo sic dicit de Deo:* IPSE MISIT ANGELUM SUUM, ET TULIT ME DE OVIBUS PATRIS MEI INUNXIT ME UNCTIONE MISERICORDIÆ SUÆ. Appellatur autem *propriè scriptus* in Codicibus Regiis 138. 222. Colbertino 1339. & Memmiano 2. quorum duo primi addunt prædictum Psalmum in Hebræis codicibus non haberi, sed nec à LXX. Interpretibus editum esse, & idcircò repudiandum. Psalmum hunc in suppositiciâ Mariæ Cassobolensis [b] ad S. Ignatium Epistolâ, & in decimâ septimâ S. Johannis Chrysostomi ad populum Antiochenum Homiliâ * citatum invenies; &, quia in Psalteriolo quod Genebrardus anno 1577. publici juris fecit, aliter quàm abs me in Latinis MSS. fuit repertus, editus est, eum heic ex Memmiano Codice 2. exscribam; additis variis lectionibus quas in Codicibus Regiis 138. 222. & Colbertino 1339. inveni.

Hic Psalmus [c] *propriè scriptus David extra numerum* [d] *cùm pugnavit cum Goliath.*

Pusillus eram & [e] *adulescentior in domo patris mei.*

Pascebam oves patris mei. Manus meæ fecerunt organum; [f] *digiti mei aptaverunt Psalterium.*

Ecquis adnuntiavit Domino meo. Ipse Dominus ipse omnium exaudivit.

Ipse misit Angelum suum, & tulit me de ovibus patris mei & unxit me [g] *in misericordia unctionis suæ.*

[a] ubi de Psalmis Davidis agit sub fin.

* Pag. 537.

[b] edit. Cotel. Patr. qui temp. Apost. flor. to. 2. p. 921.

* paulò ante finem.

[c] duo Codices Regii minùs benè scribunt *propria.*

[d] Cod. Colb. 1339. habet *quando* pro *cùm*

[e] Cod. Reg. 222. *adolescentior.*

[f] Cod. Reg. 138 & Colb. 1339. addunt *&.*

[g] omittitur hæc præpositio in Codice Reg. 222.

Fratres mei boni & magni; & non fuit beneplacitum in eis Domino.

Exivi obviam alienigenæ; & maledixit [a] *me in simulachris suis.*

Ego autem, evaginato ab eo ipsius gladio, amputavi caput ejus, & abstuli obprobrium à filiis Israël.

a Cod. Colb. 1339. legit *mihi*.

Caput XV.

De Psalmis Idioticis à Concilio Laodiceno explosis; obitérque de veteri cantandorum Psalmorum atque Hymnorum more.

CONCILIUM Laodicenum Canone 59. prohibet ne Psalmi ἰδιωτικοὶ *idiotici* in Ecclesiâ dicantur. Quod ut intelligatur, pauca quædam de cantu Ecclesiastico sunt prælibanda.

Mos fuit Ecclesiæ ab ipsius incunabulis & deinceps ut Psalmos ac Hymnos caneret, quemadmodum ex [b] B. Paulo, S. Augustino, [c] Socrate, atque [e] Isidoro Hispalensi; necnon Tertulliano, [g] Lactantio, [h] Athanasio, [i] Hilario, [k] Gregorio Nazianzeno, & [l] Cypriano discimus. Sed morem hunc non uno eodémque modo tenuerunt Ecclesiæ. Invaluerat in quibusdam hæc consuetudo ut præcineret Cantor, reliqui adstantes succinerent: & quidem alternatim, ut ex S. [m] Basilio conjici potest. Hic autem apud alias Ecclesias mos increbuerat ut unus Psalmos caneret; cuncti clausulas Psalmis apponi solitas nempe *Amen* aut *Gloria patri* aliásve concinerent. Moris demum apud alias Ecclesias erat ut soli cantores Psalmos modularentur: & quidem (ut ex S. [n] Augustino atque [o] Isidoro Hispalensi colligere licet) uno tantùm, muneri huic, deputato cantore qui pronuntianti vicinior esset quam cantanti.

Primi moris (quem à Judæis ortum testimonia Exod.

b 1. Cor. XIV. 15. 26. Eph. V. 19. Col. III. 16.
c Epist. 119. c. 18.
d Hist. Eccl. lib. VI. 8.
e de Offic. Eccl. lib. I. c. 5.
f Lib. de Anima. c. 9. lib. 2. ad Ux. cap. 8. & lib. de exhort. Cast. cap. 10.
g lib. VI. Instit. c. 21. 25.
h Apolog. de fug. sub fin.
i in Psalmum 65. init.
k Orat. 40. in sanct. Bapt. sub fin.
l in vita Cæsarii Arelat.
m Epist. 63. ad Cler. Neoc.
n lib. X. Confess. c. 33.
o loc. cit.

XV. 21. & Judith. XVI. 1. probant, atque ab Ethnicis imitatione aliquâ expressum esse suadent [a] Libanii & [b] Ammiani Marcellini auctoritates) vestigia exstant apud [c] Constitutorem vulgò Apostolicum dictum, S. [d] Basilium, S. [e] Chrysostomum, S. [f] Ambrosium, [g] Cassianum, [h] Eucherium, [i] Dionysium, & [k] Socratem. Secundi moris (quem ab Essenis manasse probabile fiet ei qui [l] Philonis verba [m] Eusebio etiam memorata consideraverit) exempla habemus apud S. [n] Athanasium, S. [o] Hieronymum, [p] Cassianum, & [q] Sozomenum. Tertius denique mos in Concilio [r] Laodiceno, & apud S. [s] Augustinum, atque [t] Isidorum Hispalensem apparet.

Atque hinc [u] Theodoritus Hymnorum Davidicorum alternatim canendorum consuetudinem Flaviano & Diodoro acceptam referens parùm mihi probatur: ut & perdoctus quidam Scriptor: qui Theodorito alternum cantum Diodoro & Flaviano adscribenti potiùs quam Socrati eundem cantum S. Ignatio Antiocheno Episcopo ab Angelis sibi visis edocto tribuenti assentitur; atque ex Concilio Laodiceno solos Cantores usque ad tempus Diodori & Flaviani à Theodorito notatum in Ecclesiâ Psalmos decantasse colligit, suæ oblitus doctrinæ & pugnantia loquens. Nam alibi Socraticum de alterni cantus institutione testimonium à me suprà commemoratum adducit; tùm illud sic confutat. *Hæc Socratis narratio fundamentis satis solidis innixa non apparuit. Sanctus enim Augustinus asserit officiorum in Ecclesiâ cantum comprobari posse exemplo Filii Dei ejúsque Apostolorum, quorum Psalmodiæ libri Sacri testimonium tribuerunt.* MAXIME ILLUD (ait S. [x] Augustinus) QUOD DE SCRIPTURIS DEFENDI POTEST SICUT DE HYMNIS ET PSALMIS CANENDIS QUUM ET IPSIUS DOMINI ET APOSTOLORUM HABEAMUS DOCUMENTA ET EXEMPLA ET PRÆ-

a Orat. adv. Tisam. to. 2. p. 443. A. ubi ἡγεμὼν τοῦ χοροῦ memoratur. vide etiam p. 502. D. & to. 1. p. 13. C.
b lib. XIV. ubi *Magistri Chori* memorantur.
c lib. II. 57.
d loc. cit.
e Homil. 35. in I. ad Cor. sub fin.
f ad Lucæ cap. XV. circa fin.
g de Instit. Cœnob lib. III. 8.
h Serm. de Orat.
i lib. de Eccl. Hier. cap. 3.
k Hist. Eccl. lib. V. 22. quum Cantores vocat ὑποβολεῖς. p. 287. B. edit. Gr Lat. Vales.
l lib. de vita contempl. non procul à fine.
m Hist. Eccl. lib. II. 17.
n loc. cit.
o Præfat. lib. 2. Comment. in Epist. ad Gal.
p lib. II. de Cœnob Instit. c. 8.
q Hist. Eccl. lib. V. 19.
r Can. 15.
s lib. X. Confess. cap. 33.
t loc. cit.
u Hist. Eccl. lib. II. 24.
x Ep. 119. c. 18.

CEPTA. *Quum ergo Dei Filius Hymnos & Psalmos cum suis Apostolis decantaverit; & S. Paulus de spirituali Psalmorum cantu verba toties fecerit, vero perquam est simile ut hinc in Palestinâ, ubi Psalmodiæ templi Salomonici assueti erant (fideles) Ecclesiâ; deinde in omni Ecclesiâ Orientali cantus cœperit. Hoc fundamentum visione S. Ignatii à Socrate memoratâ solidius est.* Ita laudatus Auctor cujus verbis planum facturus sum, caussam ei non fuisse idoneam cur Socrati Theodoritum anteferret; & ex Concilio Laodiceno concluderet Psalmos à solis cantoribus usque ad tempus Flaviani & Diodori decantatos in Ecclesiâ fuisse: unde perspicuum fiet prædictum Auctorem non modò non cohærentia inter se dixisse, sed maximè disjuncta atque contraria. Hoc ut ostendam ejus utor ratiocinatione ac verbis, & sic argumentor. Quandoquidem Dei filius hymnos & psalmos, cum suis Apostolis, cantavit; & S. Paulus de spirituali Psalmorum cantu verba toties fecit, vero perquam est simile ut inde Ecclesiastici alterníque cantus primordium cùm in Ecclesiâ Palestinâ tùm in totâ Orientali Ecclesiâ, capiendum sit; atque adeò diu ante Flavianum & Diodorum in Ecclesiâ Antiochenâ institutus fuerit, & ad solos cantores non pertinuerit. Hæc conclusio ex principiis à laudato auctore positis oritur; unde eum sibi non constare liquet, nec ullam habere caussam cur Theodoriti narrationem Socraticæ præponat; & Laodicenum, in eam cujus memini sententiam, accipiat Concilium: cujus canonem feliciùs fuisset interpretatus si eum Ecclesiarum duntaxat aliquarum terminis circumscripsisset, quomodo intelligendi sunt SS. [a] Paulinus & [b] Augustinus de cantus Ecclesiastici institutione sermonem habentes. Caussa etiam laudato Scriptori non fuit cur ab antiphonariis hymnis à S. Johanne Chrysostomo adversus Arianos compositis atque à Sozome-

[a] in vita Amb.

[b] lib. IX. Conf. c. 7.

no laudatis alterni in Ecclesiâ sive universali ut ipse, secum iterum pugnans, statuere videtur, sive in Constantinopolitanâ ut Sozomenus innuit, cantus initium duceret. Hoc iis, quæ alterni cantus institutionem S. Ignatio abjudicans ponit, principiis non consonat: hujus enim cantus institutione sancto huic Episcopo semel ademtâ & Christo atque Apostolis vindicatâ, atque in omnibus Orientis Ecclesiis jam inde ab Apostolicis temporibus admissâ, nec à Flaviano & Diodoro neque à S. Johanne Chrysostomo cùm in Ecclesiâ Antiochenâ tum in Constantinopolitanâ repeti amplius potest ab eruditissimo quem coarguo Auctore: cui nullus, ut his se nodis explicet, aditus patet quum Christi & Apostolorum cantum ab alterno, quem Flavianus & Diodorus ac Chrysostomus instituisse dicuntur, discrepasse respondere non possit, nisi tota, quam infirmandæ Socratis narrationi adhibet, ratiocinatio corruat.

Solebant autem Ecclesiæ, præter Psalmos Davidicos, canere hymnos in honorem Christi & Sanctorum compositos, ut jam tetigimus; atque Plinianâ ad Trajanum Epistolâ liquet; & suaderi videtur cùm à [b] Clemente Alexandrino hymnum in laudem Christi exhibente, tùm ab Anonymo apud Eusebium contra Artemonis Hæresim scribente & Psalmos memorante à fidelibus conscriptos: qui quidem Psalmi iidem videntur esse atque illi quos Paulus Samosetanus, narrantibus Antiochenis [d] patribus, quasi novellos aboleverat, quósque pro Davidicis à docto quodam Scriptore minus benè acceptos fuisse iis notum erit omnibus, qui vigesimum octavum libri V. Eusebianæ historiæ caput cum trigesimo libri VII. capite contulerint. Prædictis hymnis adjungi debent illi quos à Nepote editos laudat apud [e] Eusebium Dionysius Alenandrinus; & ii de quibus [f] Hyppolitus loquitur: non prætermissis

[a] lib. X. Ep. 67.
[b] sub fin Pædagog.
[c] Hist. Eccl. lib. V. c. 28.
[d] apud Euseb. Hist. Eccl. VII. 30. & Niceph. Hist. VI. 30.
[e] Hist. Eccl. lib. VII. 24.
[f] Orat. de Consummat. mundi sub fin.

illis quos [a] Theodoritus Ephræmo tribuit; neque silentio præteritis iis qui à [b] Socrate & * Sozomeno sancto Johanni Chrysostomo adscribuntur. Eos addo qui à SS. Hilario atque Ambrosio conditi fuerunt; & quorum meminere [c] Hieronymus, [d] Ambrosius ipse, [e] Augustinus, [f] Isidorus Hispalensis, [g] Rhabanus Maurus, [h] Valafridus Strabo, [i] Berno, & [k] Radulphus Tungrensis præter Concilia [l] Toletanum IV. & [m] Turonense II. ex quibus præfatos SS. Hilarii & Ambrosii hymnos in Ecclesiâ decantatos fuisse cognoscimus; ut & eos quos, S. Augustinus, teste [n] Possidio, propter immanitatem Vandalorum periisse dolebat.

Hæc addendorum Davidicis carminibus hymnorum consuetudo, quæ piis de caussis & à sanctissimis viris invecta fuerat, ineptis Psalmis locum dedit. Eos non dico Psalmos impietate refertos quos Valentinus teste [o] Tertulliano, Hierax narrante [p] Epiphanio, & Donatistæ referente [q] Augustino, composuerunt; sed illos intelligo Psalmos seu Hymnos quos privati imperitíque homines edebant: atque hæc caussa fuit cur Concilium [r] Laodicenum omnes, qui à privatis viris elaborati essent, *Psalmos* in Ecclesiâ legere prohibuerit. Dixi omnes, tum quia [s] Agobardus Laodicenum canonem in hanc sententiam accipit; tùm quia duodecimum Concilii Bracarensis primi Capitulum quod Laodicenum canonem renovasse videtur, extra Psalmos vel canonicarum Scripturarum novi & veteris Testamenti aliquid poeticè compositum in Ecclesiâ canere vetat. Scio Laodicenæ Synodi decretum ad solos plebeiorum atque imperitorum hominum hymnos, à multis trahi auctoribus, qui sibi Martinum Bracarensem cap. 67. favere credunt, sed illis ego non assentior, & quoslibet privatos hymnos ab illo puto vetitos Concilio: quod tamen ubique receptum non

[a] Hist. Eccl. IV. 29.
[b] Hist. VI. 8. * Hist. VIII. 8.
[c] in Catal. Script. Eccl. in Hilar.
[d] Orat. in Aux. quæ jungitur Epistolæ 32.
[e] lib. I. Retract. cap. 20.
[f] lib. I. de Eccl. off. c. 6.
[g] lib. II. de Instit. Cler. c. 49.
[h] de Reb. Eccl. cap. 25.
[i] de Missâ c. 2.
[k] de Can. obs. prop. 13.
[l] c. 13.
[m] c. 23.
[n] in vita Aug. cap. 28.
[o] lib. de carne Christi c. 17. & 20.
[p] Hæres. 67. num. 3.
[q] Epist. 119. c. 18.
[r] Can. 59.
[s] de ritu canendi Psalmos in Ecclesiâ.

fuiſſe ex iis, quæ ſuprà annotavi, conjicio; & poſtponendum puto Conciliis Carthaginenſi III. & Milevitano II. quæ preces & id genus alia in Concilio probata & à prudentioribus collecta celebrari ſiverunt Canonibus 47. & 12. quos ſi, uti par erat, poſterior ætas ſervaſſet, Breviaria noſtra nunquam fuiſſent emendanda.

CAPUT ULTIMUM.

De Pſalterio Salomonis.

REVERENDUS Pater Johannes Ludovicus de la Cerda Pſalterium Salomonis, à R.P. Andrea Schotto miſſum & ex Auguſtano codice deſcriptum, è Græco ſermone in Latinum vertit, & Annotationibus ornavit. Octodecim Pſalmis conſtat Pſalterium illud, de quo R. P. de la Cerda ſic judicat[a]. *Denique meum judicium de his Pſalmis ſtatuo, non facilè & inconſultè rejiciendos eſſe: nam Salomonem plurima conſignaſſe quæ non vidimus, Scriptura teſtatur III. Reg. cap. 4. tria millia parabolas, & fuiſſe carmina ejus quinque millia, & diſputaſſe ſuper lignis, & diſputaſſe de jumentis. Idem repetit Joſephus lib. 8. cap. 2. ubi, ſub nomine Carminum vel Odarum, clauduntur Pſalmi plures: ſed ſingillatim compoſuiſſe Pſalmos ſentiunt plures. Origenes lib. 3. περὶ ἀρχῶν ſcribit repertos, ſuâ ætate, qui Pſalmos inſcriptos Canticum Graduum à Salomone conditos putarent. Apud Hebræos Pſalmus* LXII. *qui incipit* DEUS JUDICIUM TUUM REGI DA *Salomoni inſcribitur; & Hieronymus, prologo in Pſalmos, Euſebius, Athanaſius, Iſidorus 6. Etymol. auctores Pſalmorum faciunt eos qui in titulis præferuntur. Idcircò Salomonem condidiſſe Pſalmum 72. & 127. qui illius nomine inſigniuntur; tum & ſequentes 128. 129. & 130. ad eundem Auctorem proxmè*

[a] Præf. in hoc Pſalterium quod in ejus *Adverſariis ſacris* exſtat.

proximè præcedentem spectabunt ex Origenis quadam regulâ ut & observavit noster Pineda lib. 3. de rebus Salomonis cap. 29. Neque ego dubito duobus vel tribus Psalmis, qui ab Athanasio in Synopsi & alius gravissimis Patribus tribuuntur Salomoni, contentum fuisse uber & pronum ingenium Salomonicum, &c.

Hæc sunt argumenta quæ R. Patrem de la Cerdà adducunt ut Salomonicum Psalterium non facilè & inconsultè rejiciendum esse putet Judicium longè diversum ego facio, mihíque persuasissimum est prædictos Salomonis Psalmos facilè rejiciendos esse, utpote qui nihil nisi falsum & imitatione simulatum contineant. Falsitas in Psalmis I. VIII. IX. XI. XIII. XV. XVI. apparet: nam agunt illi de Judæorum calamitatibus ac dispersionibus; & Hierosolymam cùm ab hostibus eversam, direptam, & pollutam; tum in pristinum splendorem restitutam depingunt. Hæc autem quum, vivo Salomone, non contigerint ab eo scribi non potuerunt; nisi dicatur dono instructus prophetico: quod quum ei defuerit, vel saltem in Scripturâ non memoretur, præfatos Psalmos falsò ei tribui manifestum est. Imitationis simulatio deprehenditur cùm in laudatis Psalmis qui imitatione ex iis sunt expressi Psalterii nostri carminibus quæ tempora Babylonica spectant; tùm in Psalmis I. XII. XV. qui Psalmum CXIX. ad eadem tempora pertinentem imitantur.

Ad hæc Psalmi VIII. titulus qui inscribitur *Salomoni in victorias* ridiculus est: ille enim Psalmus Hierosolymarum profanationem & direptionem, Judæorúmque exilium canit; Deúmque orat ut dispersos Israelitas congreget. En præclaras victorias! Tales sanè qui retulerit in Heroum numero nunquam habebitur. Pellantur ergo

Pſalmi illi, & Salomoni neutiquam tribuantur; ſed inepto alicui collectori qui ſuam non modò inſulſitatem hac in re protulit, ſed ſuam etiam, in rebus Hebraicis inſcitiam teſtatus eſt. Etenim in laudato Pſalmi VIII. titulo Hebraicam למנצח, quæ nonnullis Davidis Pſalmis præfigitur, dictionem exprimere voluit; quúmque *Victori* id eſt Archimuſico cum hodiernis Hebraiſtis vertere debuiſſet, *Victorias* ineptè & inſcitè reddidit.

Quæ porrò R. Pater de la Cerda ex tertio Regum, Joſepho, Origene, & Pſalmis 72. & 127. affert argumenta minùs ſunt firma. Nam, ut ſeptuageſimum ſecundum Pſalmum & Gradualia omittam cantica quæ à Salomone compoſita non fuiſſe probaturi ſumus, multas quidem parabolas & carmina quamplurima Salomonem edidiſſe fateor; ſed iſtos, de quibus diſputamus, Pſalmos ab eo conditos fuiſſe pernego: ipſis, quæ nobis objiciuntur, parabolis & odis fretus; quum enim hæ ſint præſtantiſſimæ, & Salomonici Pſalterii Pſalmi ineptiſſimi ſint, eos Salomoni non ſolùm abjudico; ſed etiam Athanaſianæ ſynopſeos auctori prædictum Pſalterium (illud namque *Pſalmis* & *Canticis Salomonis* de quibus loquitur indicari puto) in numerum librorum ἀντιλεγομένων *dubiorum* adſcribenti non aſſentior, ſic habens perſuaſum Pſalterium illud inter libros apocryphos eſſe referendùm.



LIBER



LIBER PSALMORUM CUM ARGUMENTIS, PARAPHRASI, ET ANNOTATIONIBUS.

ARGVMENTVM.

PSALMI PRIMI.



MNES, quos mihi videre contigit, Auctores unâ mente consentiunt Psalmo isto doceri probos esse beatos; impios contrà miseros esse; sed non unus est eorum consensus de quinto ejusdem Psalmi versu, qui juxta nostram versionem sic habet. *Ideò non resurgent impii in judicio, & peccatores in concilio justorum.*

[a] Lactantius quidem infideles in judicio universali judicatum non iri arbitratus est. Verba lactei Scriptoris sunt ista. *Nec tamen universi tunc à Deo judicabuntur; sed ii tantùm qui sunt in Dei religione versati: nam qui Deum non agnoverunt, quoniam sententia de his in absolutionem ferri non potest, jam judicati damnatique sunt sanctis literis contestantibus non resurrecturos impios in judicium.* Rabbi [b] David Kimchi impiorum animas unà cum corpore interituras, adeóque eos in extremo die non resurrecturos esse existimavit. Alii verbum יָקֻמוּ (quod Noster vertit *resurgent*) interpretantur *stabunt*, *subsistent*, *consistent*: &, quamvis sub his vocibus una ferè sententia subjiciatur pluráque illa vocabula idem fermè declarent, & ad forensem respiciant consuetudinem quâ non stare in judicio dicuntur qui caussâ cadunt, attamen præfatæ interpretationis probatores in varias distrahuntur sententias. Quidam enim Davidicum versum explicant de quotidianis ac consuetis judiciis quæ Deus in mundo exercet, in quibus improbi damnandi sint pœnísque mulctandi perpetuis. Nonnulli prædictum versum ad civilia veterum Judæorum judicia, nempe Synedria minora & Senatum referunt, ut sensus sit impios in his judiciis litem amissuros. Cæteri denique Davidis verba ad universale trahunt judicium in quo impios non staturos asserunt, sed casuros & æternis suppliciis addictum iri. Qui autem Vulgatam nostram Versionem sequuntur alludi ferè putant ad locum B. Pauli I. Cor. XV. 42. 43. 44. censéntque improbos à morte ad vitam beatam unà cum piis revocatum non iri hominibus, qui perennibus in cœlo gaudiis sint afficiendi. Harum explanationum nullam comprobo: duæ quidem primæ mihi non arrident quia sententiam ineptam efficiunt in his versibus. *Non sic impii non sic, sed tanquam pul-*

a *De div. præmio lib. VII.* 10.

SS. Hilarius & Ambrosius infideles non solùm sed & fideles universali eximunt judicio: cui eos tantùm homines, qui fideles inter & infideles medii sunt & ex utroque admixti, subdunt in *suis* ad Psalmum primum *Commentariis*: ubi infidelibus resurrectionem quidem concedunt; sed eos ad pœnam non in judicium resurrecturos esse docent.

b Comment. in Psal. 1.

vis quem projicit ventus : ideò non stabunt impii in judicio. Horum verborum sensus, juxta Hebraistas, is est impios caussâ casuros postquam projecti fuerint : at insulsus est hic sensus, & recto non consonat ordini qui petit ut impii caussâ primùm cadant, tum projiciantur. Quod spectat duas ultimas, quæ eodem recidunt, explicationes, probare eas non possum discens ex SS. Hieronymo, Chrysostomo, & Augustino vitæ æternæ regníque cælestis mentionem nusquam[a] aut rarò in veteri Testamento inveniri, & nominatim à Psalterio abesse. Sed, hac de re acturus, illud primùm præfabor existimare me immortalitatem animorum & connexam ei vitam æternam sive beatam sive infaustam priscis Patriarchis & Prophetis notam fuisse : idque non solùm ex B.[a] Pauli auctoritate colligo ; sed etiam ex ratione quæ me impellit ut credam sanctissimos Dei amicos illam non latuisse doctrinam quam populis hominibúsque Ethnicis Chaldæis, Ægyptiis, Thracibus, Druidis, Germanis, Indorum Magis, Homero, Thaleti, Pherecydi Syro, Pythagoræ, Zamolxi, Polyti, Epicharmo, Pindaro, Anaxagoræ, Empedocli, Platoni, Zenocrati, Timoni, Diogeni, Elysio, Euxitheo Pythagorico, Ciceroni, Virgilio, Dionysio Halicarnassensi, Senecæ, Porphyrio, aliísque exploratam fuisse testantur [b] Herodotus, [c] Plato, [d] Chœrilus, Clearchus ab [e] Athenæo prolatus, [f] Themistius, [g] Cæsar, [h] Cicero, [i] Virgilius, [k] Dionysius Halicarnassensis, [l] Seneca, [m] Pausanias, [n] Appianus, [o] Plutarchus, [p] Laertius, [q] Clemens Alexandrinus, [r] Lactantius Firmianus, [s] Eusebius Cæsariensis, [t] Julianus, [u] Theodoritus, [x] Stobæus, & [y] Cœlius Rhodiginus. Sed, quando laudatis Patriarchis ac Prophetis ratio cum populo admodum carnali & terrenis

a Heb. XI. 13.
b lib. 2. & 4.
c in *Phædone* to. 1. p. 73. 106. *Gorgia* p. 524. *Menone* to. 2. p. 81. 86. *de Rep.* X. p. 608. *Timæo* tom. 3. p. 42. *Phædro* p. 245. *Epist.* VII. p. 335. & apud *Plutarchum*, *Eusebium*, atque *Stobæum* infrà citandos.
d apud Laert. in *Thalete*.
e in *Deipnos.* lib. 4. p. 157. edit. Gr. Lat. Lugd. 1657.
f apud Stobæum *serm.* 119.
g lib. 6. de *bello Gall.*
h in *Somn. Scip* & l. *Tuscul.*
i *Æneid* lib. 6.
k *Antiq. Rom.* lib. 8. ubi *de Coriolano*.
l Epist. 117.
m apud Cœlium Rhodiginum *lect. Antiq.* lib. XVIII. 31.
n in *Celticis*.
o in *Sertorio* to. 1. p. 572. B. lib. de *Consol. ad Apoll.* p. 109. C. D. 120. B. lib. de *sera Num. vind.* circa med. lib. de *facie in orbe Lunæ* p. 944. C. &c.
p in *Proœm.*
q IV. *Strom.* p. 541. D. & in fine.
r de *divino præm.* lib. 7. c. 13.
s *Præp.* XI. 27. 38. XII. 52.
t in *Cæsaribus*.
u *Serm.* V. contr. Græc. to. 4. p. 546.
x *Serm.* 119.
y *lect. Antiq.* lib. II. 32.

rebus deditissimo intercedebat, ad populum hujusmodi verba de regno cœlesti à sanctis illis Patriarchis & Prophetis rarò, & sub involucris plerumque, ac subobscurè facta fuisse facilè mihi suadeó. Ut à B. Hieronymo incipiam ita Atticum cum Critobulo Pelagiano disputantem inducit. [a] *Addis praterea regnum cœlorum etiam in Testamento veteri repromitti, ponísque testimonia de Apocryphis quum perspicuum sit regnum cœlorum primùm in Evangelio prædicari per Johannem Baptistam, & Dominum Salvatorem, & Apostolos... Tu autem nos Manichæos vocas, cur Legi Evangelium præferentes, in illâ umbram, in hac veritatem esse dicamus; & non intelligis stultitiam tuam imprudentiæ copulatam. Aliud est, damnare Legem; quod Manichæus facit: aliud, Legi præferre Evangelium; quæ Apostolica doctrina est: in illâ enim servi, in hoc præsens loquitur Dominus: ibi promittitur, heic impletur: ibi initia, heic perfectio est: in illâ operum fundamenta jaciuntur, heic fidei & gratiæ culmen imponitur. Hoc posuimus, ut egregii præceptoris doctrina monstraretur.* S. [b] Chrysostomus, de utriusque Legis promissionibus loquens, ait: οὐκ ἔτι, &c. idest; *non enim jam lacte ac melle manans terra promittitur, non senectus uberior, nec numerositas filiorum, non frumenti vinique copia, non ovium atque armentorum greges; sed cœlum & ea quæ sunt in cœlo bona.* Idem aureus [c] Doctor verba ista enarrans *euntes autem prædicate dicentes appropinquavit regnum cœlorum* subdit εἶδες, &c. idest; *vides ministerii magnitudinem, vides sublimem Apostolorum dignitatem: nihil quod ad corpus, nihil quod ad hos sensus pertineat, nec similia Mosis & Prophetarum doctrinæ; sed nova quædam atque inaudita, qualia priores non docuerunt: quia terrena hæc bona promittebant; sed cœlorum regnum & totam illam beatitudinem prædicare jubentur. Nec tamen hac ratione solùm majores isti atque præstan-*

[a] lib. 1. adv. Pelag. p. 417. edit. Nivell. to. 2.

[b] Homil. 16. in cap. 5. Matth. pag. 194. C. edit. Gr. Lat. Paris. 1636. to. 1.

[c] Homil. 33. in cap. 9. Matth. p. 382. C.

tiores sunt, verùm etiam quia confestim obtemperarunt. Hæc omnia dictus jam [a] Chrysostomus paucis istis complectitur verbis; *legens Legem, legens Prophetas, legens Psalterium, nunquam audivi regnum cœlorum nisi in Evangelio.* B. Augustinus, in libro de Gestis Synodi Palestinæ seu potiùs de Gestis Pelagii, eximiam de hac re instituit disputationem: in quâ, postquam nomen veteris Testamenti distinxit multáque alia notatu digna docuit, unum excipit Danielem qui de regno cœlorum verba fecerit; sed quem filium promissionis effectum esse novíque Testamenti hæredem in occulto Dei consilio deputatum fuisse asserit: cæteros veteris Testamenti Scriptores prætermittit; ita ut facilè, ex ejus verbis, noscamus eximium hunc Doctorem sensisse regni cœlestis vitæque æternæ mentionem in veteri Testamento raram admodùm fuisse. Quùm igitur ex celeberrimis Ecclesiæ Magistris mentionem regni cœlorum & vitæ alterius in veteri Testamento nusquam aut raró reperiri, & speciatim à Psalterio abesse discam; habeámque universim persuasum prædictam mentionem in veteri Testamento infrequentem minúsque disertam esse solere, in animum meum inducere nequeo sermonem in Psalmo nostro fieri de vitâ cœlesti quam pii à mortuis excitati victuri sint & quâ improbi privati debeant. Perseverantiam sententiæ meæ retineo non solùm dum à [b] Christo resurrectionem, ex sacris literis, probante nostrum textum omitti video; sed etiam quum nomina *judicii* & *concilii* à Davide usurpata, apud S. [c] Matthæum pro *judiciis humanis* ut docet B. [d] Chrysostomus; seu pro *Synedriis minoribus & Senatu* ut post [e] Bochium explicat [f] Grotius, sumi animadverto: inde enim conjicio sermonem, in Psalmo nostro, de resurrectione non fieri; & præfata *judicii* & *concilii* nomina

a Homil. 4. in Marc. p. 1055. C. to. 2. edit. Lat Parisi. 1588.

b apud Matth. XXII. 31. 32.

c V. 22.

d Homil. 16 in cap. V, Matth. pag. 200. D.

e in Psal. I. 5.

f in Matth. V. 22.

in eam, cui apud S. Matthæum subjiciuntur, sententiam à Davide accipi : atque adeò carmini nostro mandatam esse orationem quam David ad quadringentos illos, qui ad ipsum I. Reg. XXII. accessisse dicuntur, homines habuerit : in quâ, viris illis alacritatem addere eósque excitare abjectos cupiens, dixerit 1° ipsos mediis in ærumnis felices esse: utpote qui impiis, à quibus divexabatur, se non adjungerent ; sed dies noctésque contererent in divinæ legis meditatione. 2° illud divinæ legis studium in caussâ tandem fore cur fructus instar arboris juxta rivos aquarum plantatæ ederent, hoc est divitias atque honores consequerentur ; ex contrariâ autem parte improbos, qui ipsum insectabantur, paleæ à vento raptatæ similes evasuros ; adeóque nullum laturos fructum : seu in amplissimum Senatorum aut splendidum inferiorum judicum ordinem (in quo ipse, regiam dignitatem adeptus, justos idest eos qui à partibus suis erant, collocaret) cooptatum non iri. Istam Psalmus CXVIII. sententiam confirmat ; sed; quia in laudato B. Matthæi loco tota ferè caussa consistit, juvat priùs loci illius explicationem non modò firmare ; sed etiam ostendere Bochium ista Psalmi nomina *judicium* & *concilium* pro *Synedrio majore & minore* accepisse, quamvis inde conjecturam à meâ omninò alienam ceperit. Christus Dominus apud S. Matthæum V. 22. Discipulos sic alloquitur. EGO AUTEM DICO VOBIS QUIA OMNIS QUI IRASCITUR FRATRI SUO REUS ERIT JUDICIO QUI AUTEM DIXERIT FRATRI SUO RACA REUS ERIT CONCILIO. [a] S. Chrysostomus ἅπερ ἅπαντα, &c. idest : *Quæ omnia Christus ante jam comprimens, cum quidem, qui sine caussâ irascitur, judicio condemnat, & idcirco dixit* QUI IRASCITUR FRATRI SUO SINE CAUSSA REUS ERIT JUDICIO ; *cum verò*

[a] Homil. 16. in c. 5. Matth. D. pag. 200.

qui dixerit racha reum pronuntiat esse Concilio. Sed adhuc ista non magna sunt, hujus enim sæculi sunt pœnæ: quocirca eum, qui fratri fatue dixisset, gehennæ ignibus deputat. Vide autem quemadmodum gradatim faciat argumenta pœnarum. Dixi, inquit, noli irasci sine caussâ quoniam reus eris judicio: contempsisti prius illud; vide quid peperit iracundia, ad contumeliam te continuo provocavit, racha enim fratrem vocasti; cui rursus culpæ pœnam concilii constitui. Quod si, istam quoque despiciens, ad majus volueris promoveri convitium, non jam ultra his in te mediocribus vindicabo, sed immortali illo gehennæ supplicio, ne iam etiam ad homicidium forte prosilias. Idem [a] Chrysostomus paulò ante explanans ista verba QUI AUTEM DIXERIT FRATRI SUO RACHA REUS ERIT CONCILIO notaverat *Concilium* heic dici *judicium Hebræorum*: & certè aureo Doctori subscribet qui oculos in Act. V. 21. conjecerit. [b] Grotius S. Chrysostomi vestigiis ferè insistens, ista verba REUS ERIT JUDICIO, explanans ita scribit. *Legis periti*, inquit, *Christus*, *ea tantùm pro delictis habent quæ solent legitimis pœnis coerceri: ideóque ab homicidio absterrent homines quia homicidas gladio feriri lex imperat; at ego etiam iracundiam volo caveatis, certò persuasi ei quoque propositam esse pœnam in sæculo altero non minus gravem quam ea est quam heic homicidæ sustinent. Quod si quis iracundiæ maledicentiam adjunxerit, is pœnam istâ graviorem feret qualis est pœna lapidationis; aut etiam, si atrocior fuerit maledicentia, exquisitiores cruciatus sentiet quales esse illorum solent qui in valle Hinnon lentis ignibus ustulantur. Hac mihi simplicissima videtur hujus loci παράφρασις, cujus rationes membratim reddemus. Κρίσις, ut commate præcedenti diximus, est consessus 23. virûm; quanquam & magnus Senatus, de quo post acturi sumus, vocatus est* דין: *unde is qui alter erat à principe Senatus vocari solebat* אב בית דין *ὁ πατὴρ*

[a] loc. cit. pag. 199 C.

[b] in V. Matth. 22.

τῷ οἴκῳ τῆς κρίσεως; sicut & vicissim consessus 23. judicum appellabatur συνέδριον. Κρίσεως autem pœna usitatissima erat gladius: quia de homicidis inibi cognoscebatur, ut & Moses nos docet & Christus commate antecedente. Volens autem indicare Christus pœnarum gradus futuros in altero sæculo pro delictorum gradibus, ei rei explicandæ similitudinem adhibuit diversarum mortium quæ populo notæ cruciatus magnitudine differebant. Vox hæc συνέδριον pro Senatu aut etiam pro Senatus curiâ posita conspicitur multis in locis in Evangelicâ historiâ & Actis Apostolicis. Si quis rectè advertat ad ea crimina quæ soli summo Synedrio reservabantur, inveniet gravissimis eorum pœnam lapidationis aut usu aut lege esse constitutam, quæ ad ipsos etiam falsos Prophetas & perduellionis reos pertinebat Deut XVII. 5. I. Reg. XXI. 10. *Quare hanc pœnam, ut gladio graviorem, in secundo gradu positam arbitror*, &c. Bochius quintum Psalmi nostri versum explicans hæc docet. NON STABUNT *legunt Hebræi* (pro non resurgent) *quod forense est vocabulum: dicimur enim stare in judicio sive consistere quum caussa nostra valido patrocinio nititur. Horatius lib. I. Sat. 9.* INTEREA SI AUT VALEO STARE AUT NOVI CIVILIA JURA, *etsi Commentatores stare ibi interpretantur validis esse pedibus; Cruquius tamen alicui patrocinari exponit, caussámque ejus tutari instar Causidici. Ceterùm notanda heic est differentia* JUDICII & CONCILII. *Hebræi* JUDICIA *habebant in singulis civitatibus*, CONCILIUM *in:- batur Hierosolymæ. Hæc quoque distinctio observata est Matth. V.* 23. OMNIS QUI IRASCITUR FRATRI SUO REUS ERIT JUDICIO; QUI AUTEM DIXERIT FRATRI SUO RACA REUS ERIT CONCILIO. *Solent igitur litium appellationes ad majus tribunal, quod erat Hierosolymis, deferri quod significatur Deut. XVII.* 8. SI DIFFICILE ET AMBIGUUM APUD TE JUDICIUM ESSE PERSPEXERIS, ET JUDICIUM

INTRA

INTRA TUAS PORTAS VIDERIS VERBA VARIARI, SURGE ET ASCENDE AD LOCUM QUEM ELEGERIT DOMINUS DEUS TUUS; VENIESQUE AD SACERDOTEM LEVITICI GENERIS ET AD JUDICEM QUI FUERIT ILLO TEMPORE, QUÆRESQUE AB EIS QUI JUDICABUNT TIBI JUDICII VERITATEM. *Quem locum clariùs explicat Flavius Josephus Antiq. lib. IV. c.* 8. *quum in singulis urbibus septem viros litibus judicandis constituit Moses, subjungit:* Ἀ'ν δ' οἱ, &c. *idest.* SI VERÒ JUDICES NESCIANT DE REBUS AD SE DELATIS JUDICARE, SIQUIDEM MULTÆ RES EJUSMODI HOMINIBUS SOLENT EVENIRE, INTEGRAM CAUSAM IN URBEM SACRAM REMITTANT, ET PONTIFEX CONVENIENS ET PROPHETA ET SENIORES QUOD ÆQUUM VIDEBITUR PRONUNCIENT. *De his judiciis primæ instantiæ & appellationis ad Concilium Hierosolymitanum fusè tractat Carolus Sigonius de Republ. Hebr. lib. V. cap.* 5. 6. & 7. Explanato B. Matthæi loco in quo mea præcipuè nititur sententia, eam confirmare lubet Psalmo CXVIII. Ostendit hic Psalmus Davidem à Saule vexatum Legis divinæ meditationi incubuisse: quúmque ejusdem Legis studium heic commemoretur, vero est simile Psalmum nostrum ad Saulina quoque tempora pertinere; adeóque eâ, quam aperui, mente conscribi à Davide potuisse. Nec obstat *justorum* mentio quæ in hoc Psalmo occurrit; quæque in eos, quorúm memini, quadringentos homines quadrare non videtur: utpote qui, oppressi quum essent ære alieno, *justorum* nomen vix aut ne vix quidem mereantur. Respondeo viros illos, etsi fortasse summâ erga Deum pietate non essent quum ad Davidem accesserunt, eam tamen coluisse totósque se justitiæ dedisse posteaquam Davidis consuetudine usi fuerunt; proindéque eos *justorum* no-

mine meritò insigniri. Satis, opinor, solutio illa viris non pertinacibus factura est: sed mihi ipse non facerem satis si eximium, quod ex isto Psalmo capitur, documentum præterirem: videlicet nullum superandis hostibus depellendísque vitæ humanæ ærumnis præsidium esse tutius quàm pietatis studium: cui si nostri præsertim milites, quadringentos Davidis socios imitati, se dedant ad spem victoriæ meritò erigi possint, etiamsi hostibus suis numero sint impares. Nec solùm eximium, hoc in Psalmo, documentum invenimus; sed etiam adumbratum in eo videmus Christum Dominum: qui hominibus ad se accessuris atque ingenti peccatorum ære oppressis consolationem allaturus erat: divinam eis legem proponens, & bona promittens Davidicis tantò nobiliora quantò Davidi ipse præstabat.

Psalmus I.

Beatus vir qui non abiit in 1
consilio impiorum, & in viâ peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.

Paraphrasis.

Felix ille vir qui impiorum consiliis non consentit, & peccatorum viam non terit, atque improbis non assidet.

Annotationes.

Regii codices 1532. 2653. huic Psalmo istum præfigunt titulum Δαβὶδ προφήτου καὶ βασιλέως μέλος, id est; *Davidis Prophetæ & Regis Carmen*: sed titulus ille non primum duntaxat (ut Cornelio Jansenio, & Bellarmino visum est) Psalmum sed totum Psalterium respicit, ut patet ex codice Reg. 2606. & Colb. Psalt. aur. Gr. qui habent Δαβὶδ προφήτου καὶ βασιλέως μέλος. ψαλμὸς α' seu πρῶτος, id est; *Davidis Prophetæ & Regis Carmen, Psalmus primus*. Hoc tamen non impedit quominus primum hunc Psalmum Davidi tribuam ob rationes in argumento allatas; quibus heic missis, moneo Psalmo nostro hunc titulum, in Regio codice 928. præfigi ψαλτήριον ὄργανον, idest, *Psalterium instrumentum musicum*, unde non abit Hieronymus Præf. Com. in Psal.

beatus. Heb. *beatitudines* quâ voce copiosam beatitudinem adeóque virum felicissimum denotari putant nonnulli: à quorum opinione te non arceo, dummodò homine illo felicissimo Davidicos, qui tacitè heic designantur, socios intelligas: singulare sumens pro plurali ut fit in Psalmis XXI. 21. LII. 1. & in sequuturo vocabulo *pestilentia*. Quòd autem vox *homo* peculiares aliquas personas interdum denotet, colligitur ex Psal. VIII. 5. XLVIII. 13. 21. CXLIII. 4.

abiit: præt. pro præs. juxta linguæ Hebraicæ morem de quo dixi in Præfatione, cap. 4.

pestilentia. abstractum pro concreto ut Job. V. 16. Psal. XLVIII. 5. & singulare pro

plurali ut Hebraico apparet textu לצים *irrisorum*, Aquilâ qui habet χλευαστῶν *derisorum*. Symmacho qui vertit ἐνεδρευτῶν *insidiatorum*, Quintâ ac Sextâ editione quæ interpretantur παρανόμων *iniquorum*. & SS. Basilio atque Theodorito qui legunt λοιμῶν *pestilentium*. *Pestilentiam* autem pro exitioso improbóque homine sumit Noster : cui consonant Terentius in Adelphis a : *Leno sum, fateor, pernicies communis adolescentium Perjurus, Pestis*. Cicero apud quem b reperitur *pestis civitatis*, c *pestis patriæ*, & Galli nostri quum, de malo homine loquentes, aiunt *c'est un peste*. Quæ porrò in isto versu communiter observatur impiorum & impietatis à minori ad majus gradatio mihi non probatur, existimanti unam eandémque rem ter reperi pro more Psalmographi qui idem bis, ter, & quater repetere solet cum antiquis Poetis, quibus repetitio mirè placebat. d Macrobius de Homero : *nescio quomodo Homerum repetitio illa unicè decet, & est genio antiqui Poetæ digna*. Eos tamen non redarguerem qui, hoc in versu, triplex hominum genus : Aulicos qui Sauli pessima adversùs Davidem consilia darent, Plebeios qui in viis & compitis stantes Davidis famam lacerarent, & Senatorios qui suis in Cathedris sedentes eumdem Davidem ut perduellionis reum damnarent designari arbitrarentur, & beatos dici crederent Davidis Socios qui se cum impiis hujusmodi hominibus non congregarent.

a Act. 2. Scen. 1.
b pro Rabirio.
c pro Sestio.
d lib. V. Saturnal. cap. 15.

Sed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte.	2	Sed Legis Dominicæ studio tenetur, & in eâ diu noctúque meditatur.
Et erit tanquam lignum plantatum secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.	3	*Hic, inquam, vir felix est* : siquidem arbori ad rivos aquarum plantatæ, & fructum suo tempore proferenti similis erit.

in lege Domini voluntas ejus. Aquila posuit *resonabit in Lege* ut monet S. Ambrosius : qui illud ita interpretatur *ut præcepta legis resonet vita ejus, mores resultent, sicut illorum quorum in omnem terram exivit sonus.*

meditabitur. fut. pro præt. adeóque pro præsenti ut Psal. XLIII. 11. LIV. 1. 2. 3. 4. LXVII. 34. LXXVI. 16. LXXIX. 9. 11. & alibi passim.

nocte. Aquila, teste S. * Ambrosio, diem tantùmmodò posuit non etiam noctem.

&. pro *quia* ut Psalm. XXVII. 1. CXLII. 8. If. III. 7. nec-non apud Ethnicos, e Ciceronem : *Non solum nobis nati sumus ortúsQUE nostri partem sibi patria vendicat partem amici*, f Virgilium : *Audieras ET fama fuit*. g Martialem : *Quod minimos cernis mitti nos credis amica, Falleris ET nummos ista tabella rogat*. & h Quintilianum : *Hâs primùm audiet puer, harum verba effingere imitando conabitur : ET naturâ tenacissimi sumus eorum quæ rudibus annis percipimus.*

* in hunc Psal.
e lib. 1. de Offic.
f Eclog. 9.
g lib. 14. Epigr. 9.
h lib. 1. cap. 1.

plantatum. Aquilæ *transplantatum* mihi non tam arridet quàm S. Ambrosio.

Secus decursus aquarum. Hinc intelligimus veri admodum esse simile ut arbor, de quâ Psaltes loquitur, sit palma : ea enim, ut ait i Theophrastus φιλεῖ ὑδρείας σφόδρα *amat crebram rigationem*; & *gaudet riguis totóque anno bibere amat* ut docet k Plinius, qui etiam *rivos* Psalmographo memoratos innuere paulò post videtur his verbis; *à fimo etiam quidam etiam lædi putant* palmam, *& Assyriorum pars aliqua si non rivis misceatur*. Nec mirum si palma rivis tantopere delectetur : nam, quando in terrâ arenosâ, salsuginosâ, majore in parte & nitrosâ nasci solet ut l Theophrastus, m Cass. Bassus, n Plinius, & Geoponicus o Auctor testantur, sitim contrahit, quam ut expleat rivos concupiscit. Sed & ex orationis serie (ubi Vates *arboris sua folia non defluere* dicit) colligimus sermonem de palmâ fieri : illa namque à p Theophrasto non solùm & q Plinio inter eas, quæ folia semper habent, arbores numeratur ; sed etiam, teste r Plutarcho, sola ferè est cui folia firmiter maneant, quum aliæ arbores, quibus perennis est foliorum viror, eum servent succrescentibus aliis foliis dum priora delabuntur. Locus est insignis, heicque eò exscribendus magis quòd, ob verbum *resurgent* infrà positum, permagni nostra interfit palmam hoc in Psalmo commemo-

i Hist. Plant. lib. II. c. 8. vide & lib. IV. c. 4.
k Hist. Nat. lib. XIII. c. 4.
l lib. II. c. 8.
m lib. II. c. 9.
n lib. XIII. 4.
o lib. X. 4.
p lib. I. c. 15. & lib. IV. c. 9.
q lib. XVI. c. 20.
r Sympos. lib. VIII. q. 4. p. 723.

rari.; μόνῳ δὲ αὐτῷ, &c. ideſt. *Soli autem ferè huic adeſt planta* (palmæ) *quod tanquam verum de multis dicitur, nempe folia firma & ſemper durantia habere: nam neque laurum, neque oleam, neque myrtum, neque ullam aliam earum ſtirpium, quæ foliis negantur ſpoliari, videmus ita ſemper eadem folia ſervare, ſed prioribus defluentibus & aliis ſuppullulantibus... Palma, nullum abjiciens ex ſe natum folium, conſtanter foliis ſuis ſemper ornatur.* Demque, quum Judæa palmis vel maximè inclyta ſit ut ex [a] Strabone, [b] Diodoro Siculo, [c] Galeno, [d] Plinio aliiſque diſcimus, probabile eſt palmam arbore in Pſalmo noſtro memoratâ antonomaſticè deſignari, præſertim quum Pſalmus ille de juſtis agat; & juſti palmæ comparentur Pſal. XCI. 12.

[a] lib. 16. Geograph.
[b] lib. 2. Biblioth.
[c] lib. 2. de aliment. facult.
[d] lib. XIII. 4.

in tempore ſuo. Davidis commilitones, utpote miſeriis circumcluſi, credere poterant ſe proſpero fortunæ flatu nunquam uſuros. Occurrit huic cogitationi David, & Suos certiores facit ipſos tempore à divinâ Providentiâ præſtituto ampliſſimis fortunæ muneribus ornatum iri: inſtar arboris quæ, non quovis tempore; ſed eo demùm, quod naturæ parens ei præſcripſit, fructum ſuum dat.

Et folium ejus non defluet, & omnia quæcunque faciet proſperabuntur.	Ejúſque proſperitas non marceſcet, & omnia illius cœpta erunt fortunata.
4 *Non ſic impii non ſic; ſed tanquam pulvis quem projicit ventus à facie terræ.*	Non ita erit de impiis *qui me inſectantur*; ſed paleæ à vento hinc & inde raptatæ, *ac proinde infrugiferæ*, ſimiles erunt.

& omnia, &c. membrum iſtud prioris eſt explicatio pro more Pſalmographi qui in ſecundo hemiſtichio præcedens explicare ſolet aut repetere. Quæ regula, multis notata atque à paucis rectè ſervata, haberi debet via ad intelligendos Pſalmos expeditior, & omnibus melior commentariis.

proſperabuntur. S. Ambroſius interpretatur *cujus facta omnia proſperabuntur*, ſeu *proſperos habebunt exitus.* Tum ex Aquilà citat *dirigentur* pro quo B. Hilarius habet *bene dirigentur* & *proſperè dirigentur.*

pulvis. non quicunque, ut doctè obſervat [e] Pineda, ſed qui remanet in areâ ex decuſſis granis & contritis paleis, minutulum illud quod ex folliculis granorum & ariſtis remanet & ferè in pulverem abit. Glumam eodem ſenſu vocat [f] Bellarminus ſeu ſpeciem pulveris ex triturâ paleæ, nimirum paleam minutiſſimè contritam & quaſi in pulverem redactam. Confer Job. XXI. 18. & hanc probabis explicationem: quæ inſuper ex ipſo Pſalmi eruitur contextu, qui petit ut arbori frugiferæ, cujus mentio præceſſit, aliquid infrugiferum opponatur, quod paleæ apprimè convenit.

[e] in Iob. XXI. 18.
[f] in hunc Pſal.

à facie terræ. Verba hæc deſunt in Hebræo textu; ſed exſtitiſſe olim verſio noſtra ſuadet: quanquam prædicta verba à laudato Jobi loco abſint.

5 *Ideò non reſurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio juſtorum.*	Ideóque impii *illi* non aſſurgent locum habituri in Synedriis minoribus; neque aſſurgent peccatores *illi* locum in Senatu, *unà cum juſtis qui cauſſam meam complectuntur*, habituri.
6 *Quoniam novit Dominus viam juſtorum; & iter impiorum peribit.*	Nimirum juſtorum inſtituto favet Deus; improborum autem vita triſtes habet exitus.

ideò non reſurgent, &c. Pergit in metaphorâ paleæ: quúmque illa aſſurgere nequeat ut

fructum ferat quomodo surgit arbor secùs decursus aquarum plantata, propriè dicit Vates impios non surrecturos, idest fructum non emissuros seu prosperitate justorum potituros non esse. Hanc autem prosperitatem unico sed egregio (quod instar omnium sit) describit exemplo juris dicundi cùm in *Judicio* id est minoribus Synedriis quæ in singulis civitatibus constituta erant, tum in *Consilio* id est Senatu qui Hierosolymis erat. Hæc judicii & consilii explicatio iis non displicebit qui ad B. Matthæi locum in argumento citatum attenderint; Theophilumque audierint atque Eustathium: quorum [a] prior Κονσίλιον *Consilium* interpretatur *συνέδριον φανερῶν ἀνδρῶν consessum illustrium virorum*; alteri autem [b] Βουλὴ *Consilium* est *ὁ τῶν ἐντίμων συνέδριον honorabilium virorum consessus*. Unde obiter disces nihil referre *Consilium* per S. aut *Concilium* per C. scribas, modo priorem Scripturam accipias in eam, quam declaravi, sententiam: quâ vox Βουλὴ apud [c] Demosthenem non semel gaudet; ut & apud Gallos nostros quum dicunt *le Conseil*, *le grand Conseil*. Noster autem posuit *resurgent*; & rectè posuit, est enim heic palmæ antithesis: quumque de palmâ dicatur *curvata resurgit*, proprio usus est vocabulo vulgatus Interpres, qui proinde à sciolis immeritò vapulat. SS. Hilarius & Ambrosius legunt *resurgunt*: quam lectionem retinent Codices Regii 138. 222. Colb. 1. 158. 1339. & Memm. 1.

novit. verbum hoc in Scripturâ idem sæpè valet ac *faveo*, *curo*, ut apparet collatis locis Psal. XXXVI. 19. CXXXVIII. 1. CXLI. 5. Proverb. XII. 10. &c.

viam. isto nomine plerumque significatur *vivendi ratio*, *institutum*, *consuetudo in quâ quis versatur*, *& quam continuò calcat & terit iteratis studiorum & actuum gressibus* ut ait [d] Pineda, qui doctè subdit *& rectè* VIA VITA *dicitur, namque vivendo aliò tendimus*; quique improbato, quod aliqui viam inter & vias ponunt, discrimine optimè concludit. *Ergo tam* VIA *quam* VIÆ *vitam, vitæ institutum, actiones, operáque omnia complectuntur.* Cui doctrinæ adhærebit quisquis loca Job. VIII. 13. Psal. XLVIII. 13. CXVIII. 5. 26. CXXXVIII. 3. & alia passim obvia contulerit. Idem [e] Pineda non minùs eruditè docet quod *viam perire* est *vitam miserabiliter finire*: quum scilicet in *eas angustias redigitur* homo *ut progredi non possit*; hoc est per mundi iter incedere amplius nequeat, eique via hæc pereat, seu ex numero vivorum exturbetur. Atque hinc, ut & ex S. Hilario viam in utroque hemistichio legente, intelligimus minùs rectam esse hanc S. Ambrosii observationem: *Separavit Latinus ut iter diceret & tanquam discrevit iter à via; Græcus autem in utroque viam dixit; non otiosè tamen Latinus quia & Dominus ego sum via dixit, non dixit ego sum iter.* Mihi porrò in animo fuerat ultimum hunc versum in meâ Paraphrasi ad Davidis socios & inimicos tanquam propheticum referre, & sic interpretari; *quia Deus justis favebit, & vita improborum tristes habebit exitus*, hoc est *miserabiliter peribit.* Sed sententiam mutavi, attendens postremum versus hujus hemistichium cum eâ Psalmi parte in quâ dictum est *impios instar paleæ raptatum iri* ferè concurrere, quum *miserabiliter pereant* qui *sic raptantur*; atque ita vitiosum hunc oriri sensum, *impii miserabiliter peribunt*, *ideòque ad dignitates non evehentur quia vitam miserabiliter finient*: unde prædictum versum ad omnes cùm pios tum impios generatim traxi, & per præsens verti.

[a] Instit. lib. 1. tit. 6. parag. 4.
[b] in Iliad. B.
[c] in Orat. de Coronâ.
[d] in Job. VIII. 13. num. 2.
[e] loc. cit. num. 1.

ARGUMENTUM.

PSALMI SECUNDI.

DE Davide paulò post susceptum regnum à Philistæis oppugnato & de illis triumphante exponitur à Kimchio Psalmus iste; à Grotio autem eidem Davidi Moabitas, Sobæos, Damascenos, Ammonitas, Idu-

mæos, alióſque populos II. Reg. VIII. & X. memoratos debellanti tribuitur. Prior tamen de Meſſiâ Pſalmum à Rabbinis explicari eóque pacto ſenſum ejus eſſe dilucidum agnoſcit; alter autem ad Meſſiam, ſenſu ſublimiore, pertinere fatetur. Uterque porro ſuam de Davide interpretationem nonnullis Scripturæ locis confirmare conatur: &, quando ſeptimus præſertim atque octavus Pſalmi verſus Davidi convenire non videntur, eos præfati auctores cum Deut. XXXII. 6. 18. II. Sam. VII. 9. VIII. & X. I. Paralipomen. XIV. 17. ac Pſal. LXXXIX. 27. & CVIII. componunt. Addidiſſent Geneſ. VI. 1. Exod. IV. 22. ac Jerem. XXXI. 9. & nihilominus oleum & operam perdidiſſent. Quanquam enim Grotio concederemus verſum ſeptimum Davidi aliquatenùs congruere eúmque dici poſſe à Deo genitum ob vitam regalem vel aliam gratiam ei collatam, eodem ferè modo quo B. Paulus eorum ſe genitorem appellat quos vitæ Chriſtianæ compotes fecerat & luce colluſtraverat Evangelicâ. Quanquam etiam Kimchio octavum verſum cum decimo ſeptimo Paralipomenon verſu conferri poſſe concederemus, nihil hoc eos juvaret: quum Pſalmi ſeries in ſe ſpectata in Davidem cum prædictis populis pugnantem & victoriam de illis reportantem quadrare nequeat; unde Pſalmum, adeóque prædictos verſus 7. atque 8. Davidi aptari non debere non modò conſequitur; ſed & perſpicuum fit Kimchium & Grotium firmi judicii ſpecimen non dediſſe, quum in eas, quas expoſui ſententias, iverunt. Si de bellis, quæ Kimchius ac Grotius comminiſcuntur, heic ageretur Davidem pro more ſuo exitium hoſtibus ſuis apprecantem videremus ut Pſalmo LIII. 5. aliíſque benè multis; at tantùm abeſt ut hæc vota concipiat, ut hoſtes ſuos ad

Dei obſequium hortetur; atque ita illis bonorum maximi aſſequendi viam patefaciat. Hoc autem, ut dixi, Davidis inſtituto non ſolùm non conſonat, ſed etiam ab eo, quem bellatores omnes humani (quales erat David) gerunt, animo eſt omninò alienum. Non erat id Davidici genii vindictam (ut erant illa tempora) in ſuos inimicos, præſertim Ethnicos, plerumque ſpirantis proprium; neque id bellorum hujuſmodi adjuncta ferebant. Laceſſitus erat David à Philiſtæis aliiſque Gentibus; & Hano Ammonitarum Rex legatos ipſius cum ignominiâ ac dedecore tractaverat. Quis credat Davidem, cum iis bellaturum inimicis, carmen edidiſſe: in quo, poſt memoratam hoſtium ſuorum malitiam, eos ad Deo (quem non curabant; & de quo colendò nullam tunc ſuſcipiebant aut, finito bello, ſuſcepturi erant cogitationem) ſerviendum ℣. 10. 11. cohortetur? Res hæc ſimilitudinem veri nullatenus conſequitur; & Davidis manſuetudo, tantopere alibi celebrata, riſum heic moveret. Illa ſanè cohortatio, ut & Pſalmi concluſio, nec non prædicatio de quâ verſu ſexto mentio fit, nec veteris Legis hominibus, nec bellatori humano conveniunt, ſed novo Teſtamento & Chriſto ſunt accommodatiſſimæ: bellúmque non imperii terreni tuendi aut proferendi cauſſâ; ſed religionis ſtabiliendæ gratiâ ſuſceptum deſignant, & Evangelicis quàm Davidicis temporibus congruentiores ſunt. Quod etiam ex tertio (ubi dicitur *dirumpamus vincula eorum & projiciamus abs nobis jugum ipſorum*) verſu confici poteſt. David enim nullum memoratis à Kimchio & Grotio inimicis jugum imponere volebat; quinimò ab illis oppugnabatur ut dixi; & de Adarazere Scriptura liquidò teſtatur; ut & de Hanone cui legatos conſolationis afferendæ cauſſâ, non belli inferendi gratiâ miſerat.

Credidit quidem Hano Legatos Davidicos malo consilio ad se venisse; sed quia cogitatio illa veritati non erat consentanea, eam Psalmographus, laudato versu, neutiquam memorat: sacri namque Scriptores res istas enarrare non solent uti ab hominibus concipiuntur, sed prout revera sunt. Quum ergo David Hanonem servituti addicere aut urbem ejus evertere nollet, prædictus versus ei accommodari nequit. Itaque [a] Saadiam Gaonem, [b] Rabbi Mosem Hadarsan, veteréfque Rabbinos (qui, testibus [c] Talmudicis & [d] Salomone Iarchi, Psalmum ad unum Messiam pertinere arbitrati sunt) sequi; eúmque Psalmum uni Christo ab Ethnicis & Judæis oppugnato, eorum conatus irridenti, illósque ad sui cultum excitanti aptare debemus quemadmodum à B. [e] Petro aptatus fuit; & præterea existimare par est Kimchium ac Grotium à consuetudine sensus communis hac in parte abhorruisse.

[a] in Daniel. VII. 13.
[b] in Genes. XXXVII. 22. apud Salomonem Iarchi in Genes. XXXV 8.
[c] lib Sucah. c. 5.
[d] in hunc Psal.
[e] Act. IV. 25. 26. 27. 28.

Psalmus II.

1 *Quare fremuerunt gentes & populi meditati sunt inania.*

Paraphrasis.

Quare in turmas coeunt gentes *Hebræorum* & populi *Israelis* falsa meditantur.

ANNOTATIONES.

Psalmus iste minùs benè numeratur primus in aliquot Græcis exemplaribus Act. XIII. 13. quamvis eum ab Apostolo sic citatum putent * SS. Hilarius ac Hieronymus, & cum primo conjungat Justinus Martyr *Apol.* 2. p. 79.

fremuerunt. Qui adversus Christum Dominum convenere Judæi in eum ejúsque sequaces non rarò fremebant: unde LXX. Senes qui, ut notavit S. [f] Hieronymus, sensum aliquando quærunt non verba, non conventum sed quod in conventu agebatur expresserunt. Quòd autem verbum רגשו significet *in turmas coire* colligitur ex Psal. LIV. 15. LXIII. 2. qui neque Aquilæ neque S. [g] Cypriani lectioni *ad quid tumultuata sunt gentes* neque versioni favent Symmachianæ *εἰς τί ἔθνη τυχᾶ ad quid gentes turbant.*

gentes. idem quod *populi* sup. *Judaici* ex Act. IV. 27. nec obstat vox גוים nam ea Judæis interdum tribuitur ut Gen. XII. 2. Exod. XIX. 6. Deut. IV 6. Amos VI. 1. Sic autem plurali numero vocantur *Judæi* quia in multas tribus, quasi totidem gentes ac populos, divisi erant: atque huc respexisse videtur Aquila, interpretans *ἔθνη καὶ φῦλα gentes & tribus.*

inania. Heb. ריק quâ dictione (ut apparet collato loco Psalm. IV. 3.) interdum denotatur *falsum*, quod Vulgatus interpres *inane & vanum* rectè appellat, vel ipso Cicerone teste

* in hunc Psal.
[f] lib. 2. adv. Ruf.
[g] lib. 11. adv. Iud.

teste [a] qui ait : *memini quum tibi vana quadam miser atque inania, falsâ spe inductus pollicebar*; & [b] alibi : *vera diligimus... tum vana, falsa, fallentia odimus*. Quòd autem hæc significatio loco huic nostro congruat, cùm ex Evangelicâ historiâ quæ falsorum testium in passione Dominicâ meminit, tum ex quarto hujus Psalmi versu intelligitur : is enim, quum de *irrisione* loquatur, impiorum conatus *vanos* fore innuit ; atque adeò vanitas hæc, quæ heic tanquam quid novi attingitur, versu primo memorari non potuit, alioquin vatis oratio rectè non procedet.

a pro Planco.
b 2. de Finib.

2 *Astiterunt reges terræ & principes convenerunt in unum adversus Dominum & adversus Christum ejus.*

Cur terræ reges ac principes *Herodes & Pilatus* adstant, simúlque congregantur adversùs Dominum & adversùs Christum ejus *dicentes*.

3 *Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipsorum.*

Dirumpamus vincula quæ ipsi in nos injicere volunt, & jugum quod nobis imponere cupiunt.

4 *Qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus subsannabit illos.*

Cur, inquam, homines illi sic turmatim conveniunt & hæc ineunt consilia : siquidem qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus subsannabit illos.

5 *Tunc loquetur ad illos*

Et quo tempore *eis illudet*

Reges terra & principes. Herodem & Pontinm Pilatum interpretor cum B. Petro Act. IV. 27.

convenerunt. Rabbini cum Symmacho vertunt *consultant simul* ; sed versio nostra melior apparet ex Psal. XXX. 17.

Christum. Græca vox quæ significat *Unctum*, & divinum nostrum designat Sospitatorem qui antonomasticè vocatur *Unctus* quia *unxit eum Deus oleo latitia pra consortibus* ejus : Davide nimirum, Cyro, aliisque Regibus quibus Scriptura prædictum tribuit nomen, in quo vetustissimum ungendorum Regum vestigium habemus.

vincula, &c. Evangelicam intelligunt Legem : quæ jugum quidem est, sed suave ; non durum, ut illi Messiæ hostes autumant.

qui habitat in cœlis. Deus ubique præsens est ; sed habitare in cœlis dicitur ut sublimitas illius ac magnificentia significetur uti docet S. [c] Athanasius, à quo non longè abeunt quæstionum & responsionum ad Orthod. [d] Auctores (plures enim, & qui diverso tempore vixerint Libri hujus auctores fuisse credo) : qui si minùs arriserint, ad [e] sanctum Johannem Chrysostomum, [f] Ambrosiastrum, [g] Theodoritum, [h] Johannem Damascenum, & [i] Bernardum adi : non prætermissis sancto [k] Cypriano, S. [l] Cyrillo Hierosolymitano, S. [m] Ambrosio, S. [n] Augustino, & [o] Alcuino. Nostri porro Vatis loquutio imitatione exprimitur ab Homero, Hesiodo, aliisque Poetis Deos *ὀλύμπια δώματα ἔχοντας cœlestes domos habitantes* invocantibus, ab Orpheo & Sibylla à [p] Clemente Alexandrino productis & Dei sedem in cœlo ponentibus ; atque ab [q] Aristotele cui cœlum dicitur *Dei domicilium Θεοῦ οἰκητήριον*.

subsannabit illos. versus iste præcedentis est repetitio ; quod etiam in præcedenti versu, & multis aliis in locis animadvertas.

tunc. impios Deus irridet quum, suam in eos iracundiam exercens & perturbationem eis afferens, efficit ut cogitata perficere non possint, atque ita eos aliis ridendos exponit. Confer Psal. LVIII. 9. & Prov. I. 26.

c lib. contr. Sabell. in fine.
d quæst. V.
e in Psal. CXII. 5.
f in cap. V. secundæ ad Cor.
g in Psal. 122. ℣. 1.
h lib. I. cap. 15.
i serm. I. in Psal. 90.
k lib. de orat. Dominica.
l Catech. 5. myst.
m lib. V. de Sacram. cap. 4
n Serm. 182. de temp.
o lib. II. de Trinit. cap. 5.
p Strom. lib. 5.
q de Mundo cap. 2.

in irâ suâ, & in furore suo conturbabit eos.

alloquetur eos iratus; & furore percitus conturbabit illos, *sic ut sua nequeant consilia perficere.*

6 *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.*

Ego autem *parem non habebo exitum: etenim* à Deo constitutus sum ut in Sione monte ipsi sacro regnem, & statuta ejus prædicem.

7 *Dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Dixit *quippe* Dominus ad me: filius meus es tu, ego hodie genui te.

in ira sua. Cave iram Deo adimas cum a Lucretio aliisque Epicureis. Cave etiam iram, prout est motus quidam seu affectus quantumvis pacatus ac rationalis, Deo affingas cum b Tertulliano ac c Lactantio: quos tamen velim purges, dicendo eorum verba oratoriè fuisse prolata atque ex justo erga Epicureos odio. Medium tu tene: & cum d Johanne Cassiano iræ affectum humano more sumtum Deo non tribue; & cum B. e Augustino existima iram in Deo nihil aliud esse quàm *judicium quo pœna peccato irrogetur.* Quòd si plura de hac re scire velis, consule eundem f Augustinum, g Arnobium, h Hilarium, i Gregorium Magnum, atque k Isidorum Hispalensem, nec l Senecam omiseris.

constitutus sum rex. Rabbini, post Symmachum, sensu non cohærente vertunt, *ego unxi regem meum*; nec meliùs Aquila & Quinta ac Sexta editio *ego incolumem præstiti* seu *salvavi regem meum.* Rectiùs LXX. Senes qui verbum נסכתי in eam acceperunt significationem quâ gaudet Proverb. VIII. 23. quique מלכי interpretati sunt *rex*, ultimum literam paragogicè sumentes; aut legentes מלך pro מלכי

super Sion, &c. per Sionem intelligenda est Ecclesia quæ ex hoc monte oriunda erat suúmque inde primordium captura: vaticinante Isaiâ II. 3. *de Sion exibit lex & verbum Domini de Hierusalem*; & dicente Christo Luc. XXIV. 47. *oportebat... prædicari remissionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab Hierosolymâ.* Adde Psal. CIX. 3. Is. XL. 9. Act. XIII. 46.

sanctum ejus. Rabbini ineptè *sanctitatis meæ.* LXX. legerunt קדשו *sanctum ejus*; eáque lectio melior est hodiernâ קדשי

prædicans præceptum ejus. S. m Cyprianus, *adnuntians imperium ipsius.* S. Hilarius *annuntians præceptum ejus.* Rabbini *narrabo decretum*, vel *super decretum.* tolerantius Theodotio ἰσχυρῦ διάταγμα *ipsius fortis præceptum* sup. annuntians, & Quintæ editionis Auctor καταγγέλλων εἰς θεὸν διαθήκην *pronuntians in Deum testamentum*: neutri tamen rectè ut Hebraicam Grammaticam scientibus liquet. LXX. Senes legisse videntur מספר את חקו *prædicans statutum ejus* pro אספרה אל חק *narrabo statutum* seu *decretum.*

Dominus dixit. rationem attingit cur Christus constitutus sit rex, nimirum quia est Dei filius. Confer Psal. CIX. 4.

hodie genui te. Hunc locum de æternâ Christi generatione intellexit B. Paulus ad Heb. I. 5. sed eum de ejusdem Christi resurrectione exposuit idem Apostolus Act. XIII. 33. Priorem explicationem sequitur heic B. Augustinus; eíque favet vocabulum *hodie* quia in æternitate omnia sunt præsentia, illáque æternitas in uno nunc seu hodie consistit præteriti expers & futuri: ut, præter Ecclesiæ Magistros n Gregorium Nazianzenum, o Gregorium Nyssenum, p Augustinum, q Prosperum, r Boetium, s Gregorium Magnum, t Isidorum, u Maximum Dionysii interpretem, x Petrum Damiani, & y Anselmum, agnoverunt z Parmenides, * Plato, 1 Numenius Pythagoricus, 2 Herennius, 3 Philo, 4 Plotinus, 5 Proclus, & 6 Plutarchus. Posteriorem sententiam amplectuntur SS. 7 Hilarius & 8 Ambrosius aliique non pauci. Augustini partes ego suscipio, mihíque Hilarii & Ambrosii sententia magis probatur quàm S. 9 Cypriani præfatum locum de die natali Christi secundùm carnem explanantis. Hic porrò, quem in manibus habemus, textus irrepsit olim in quædam exem-

a lib. I.
b lib. I. con. Marc. c. 25. & lib. II. c. 16. lib. de Testim. anim. c 2. lib. de Anim. c. 19.
c lib de ira Dei cap. 12. 15.
d lib. VIII. de spir. ira. cap. 4.
e lib XV. de Civ. cap. 25.
f in Enchir. c. 31. lib. 2. con. Advers. legis c. 11. lib. 83. Quæst. q. 52 & in Psal. 2. 82. 105.
g lib. 1. & 7. contr. Gentes.
h in Psal. 2.
i lib. XII. Moral cap. 7.
k lib. 1. Sent. c. 5.
l lib. 1. de ira cap. 16.
m lib. 2. adv. Iud c. 29.
n Orat. 38.
o lib. 1. con Eunom.
p lib. IX. Conf. c. 10. XI 13.
q Epigr. 41.
r lib. V. de Consol. pros. 6.
s lib. IX. Moral. cap. 26.
t lib. 1. Sent. cap 8.
u in cap. V. de div. Nomin.
x Opusc. XXXVI cap. 8. & 15.
y in Monolog c. 26.
z apud Ammon. in lib de Interp.
* in Timæo.
1 apud Euseb. lib. XI. de Præp. cap. 10.
2 in Metaphys.
3 tract. de immut. Dei.
4 Ennead. III, lib. 7 c 4.
5 in secondo Comment. ad Tim.
6 lib. de EI.
7 in hunc Psal.
8 lib 3. de Sacram. c. 1.
9 lib. II. contr. Jud. c. 5.

plaria Biblica ad Matth. III. 17. ubi legebatur *filius meus es tu ego hodie genui te.* quam lectionem S. [a] Augustino memoratam & ab eodem [b] Augustino, nec non [c] Methodio, [d] Hilario, & [e] Marcello repræsentatam fluxisse puto ex Ebionæorum Evangelio, in quo exstabat teste [f] Epiphanio.

a lib. II. de consensu Evang. cap. 14.
b in Enchirid. ad Laur. cap. 49.
c in Convivio virg. orat. 8.
d de Trinit. lib. 8 & 11. & can. 2. in Matth.
e in apocr. lib. de conflict. Petri Apost. & Simonis Magi.
f Hær. 30. num. 13.

Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.	8	Postula à me & gentes *universas* tibi in hæreditatem dabo; tuámque ad extremos terræ fines ditionem extendam.
Reges eos in virgâ ferreâ; & tanquam vas figuli confringes eos.	9	Eos autem *qui tibi obsistent populos ac principes* asperè tractabis, eósque tanquam vas figulinum confringes.
Et nunc Reges intelligite; erudimini qui judicatis terram.	10 *	*Hæc ergo quum ita se habeant*, sapite nunc ô Reges *qui contra principem à Deo unctum congregamini*; & intelligite ò mundi rectores *in vestra potestate non esse situm principem hunc debellare.*
Servite Domino in timore, & exultate ei cum timore.	11	Servite Domino cum timore, & laudes ejus reverenter canite.

reges. Rabbini vertunt *franges*; eisque secunda versus pars favere videtur: sed ea nobis etiam favet, modò prædictum verbum in duram accipiamus significationem, qualem et S. Johannes Apoc. II. 27. XII. 5. XIX. 15. & adjuncta *virga ferrea* mentio tribuunt. Scio Græcam vocem ποιμαίνειν ab hac significatione plerúmque abhorrere; sed quando vox illa, ut ex Platone [g] intelligimus, pastoribus (qui etsi gregem benignè curent petulantes tamen oves coercent) propriè convenit; & ducibus ac regibus (qui ut bonos humaniter moderantur ita malos severè regunt) ab [h] Homero metaphoricè accommodatur; ipsisque curruum rectoribus (quos asperos potiùs quàm mites novimus, quósque à Paulino [i] canone, ab [k] Arelatensibus atque [l] Eliberitanis Patribus, ut & à [m] Tertulliano, [n] Hieronymo, ac [o] Augustino notatos scimus) ab Euripide, cui dicuntur ποιμένες ὄχων, aptatur, rectè à nostro Interprete sub durà significatione subjicitur.

g in Minoe.
h Iliad. I.
i in Constit. Apost. lib. VIII. c. 32. to. 1. p. 363. E.
k Concil. Arelat. I. can. 4.
l Concil. Elib. can. 62.
m de Spectac. cap. 23.
n in vita Hilarionis, ubi de Auriga Gazensi.
o de Opere Monach. c. 13.

eos. Quandoquidem versus iste de perdendis impiis loquitur ut sequentibus (ubi *resipiscentia, timor, & tremor* memorantur) versiculis apparet, ac collatis locis If. XXX. 14. Jer. XIX. 11. pronomen *eos* ad Gentes, quas Messias versu præcedenti possessurum se dixit, referri non potest; idque Noster optimè intellexit genus usurpans masculinum, fœminino certè usurus si pronomen illud ad gentes, quarum mentio immediatè præcesserat, trahendum esse putasset. Quum igitur ad eas gentes non sit accommodandum illud pronomen, quærendi sunt nobis ii eum quibus est consociandum. Eos ego populos ac principes, qui initio Psalmi adversùs Christum convenisse dicuntur, eligo: sequenti fretus versu, in quo Vates reges ac principes alloquitur. Longo quidem intervallo præfatum pronomen *eos* à suis distat substantivis, utpote qui in principio Psalmi commemorentur; sed hoc Vati nostro insolitum non esse advertent qui Psalmos XXXIV. 12. 18. LIV. 16. CVIII. 19. expenderint.

in virga ferrea. S. [p] Cyrillus Hierosolymitanus, S. Hieronymus, Theodoritus, & Euthymius exponunt de *Romanorum disciplinâ* seu *imperio* quod Daniel ferro assimilat, quódque Judæos divino Messiæ sanguine cruentos contrivit. Alii autem *virgâ ferreâ* gladium indicari docent, quasi diceret vates *gladio eos trucidabis*; sed utrique interpretationi nostram præfero,

p Catech 12.

quam Vates, pro more suo, uberiùs in secundo explicat hemistichio; declarans illam, cujus meminerat, animadversionem in confringendis Messiæ hostibus positam esse: quod in Judæis non solùm atque Herode, sed & in Pilato adimpletum vidimus.

confringes. S. Augustinus legit *conteres.*

qui judicatis terram. Quod heic in Hebræo textu adhibetur nomen idem sonat ac *rectores, reges, principes.* Unde liber *Judicum* id est *Rectorum* seu *summorum Magistratuum* Heb. שפטים *sophetim*: quæ vox ab Hebræis ad Tyrios (quorum Reges [a] Josephus vocat *δικαστὰς Judices*) manavit; & à Tyriis venit ad Carthagienses Tyriorum traduces: apud quos summi Magistratus dicti *Suffetes*, ut ex Calidio nos docet Festus. Qui *Suffetes*, pronuntiatione paulisper emollitâ, sunt ipsimet Hebræorum שפטים *sophetim* idest *judices*: quod nomen usurpatum etiam cernas ab Athanarico Gothorum rege, qui *judex* appellatur cùm ab [b] Ammiano Marcellino tum abs * Themistio.

[a] lib. I. con. Apion.
[b] lib. 27.
* Orat. X.

ex[illegible]. Confer Psal. XCIV. 1. & LXXX. 1. & nostram probabis explicationem.

Apprehendite disciplinam nequando irascatur Dominus; & pereatis de viâ justâ.	12	*Ejúsque Messiæ* magnâ cum demissione obedite, ne fortè irascatur Dominus; & de vitâ, quæ justorum est præmium, sublati miserè pereatis.
Quum exarserit in brevi ira ejus. beati omnes qui confidunt in eo!	13	Quum ira ejus exarserit; *quod, nisi resipiscatis*, brevi futurum est. O felices illos omnes qui suam in eo spem collocantes *et se planè submittunt*!

apprehendite disciplinam S. [c] Cyprianus, eodem nobiscum sensu sed verbis paulò diversis, totum hunc versum ita legit: *continete disciplinam, ne fortè irascatur Dominus & pereatis à via recta, cùm exarserit citò ira ejus super vos.* Aquila primam partem interpretatus est *καταφιλήσατε ἐκλεκτῶς osculamini electè.* Symmachus *προσκυνήσατε καθαρῶς adorate purè*, quod sequitur B. Hieronymus in suâ ex Hebræo textu versione. Rabbini *osculamini filium.* Noster, ut dixi, *apprehendite disciplinam* doctâ sane versione & verbis apprimè consonâ Hebraicis: quæ habent נשקו בר idest *osculamini purè*, non filium ut Rabbini atque è Nostris aliqui vertunt; haud attendentes vocem בר *bar*, quum *filium* significat, Chaldaicorum Scriptorum esse propriam, & rarissimè apud Hebræos nunquam in Psalmis significatione illâ gaudere. Hæc autem Hebræorum loquutio *osculamini purè* metaphorica est, & nostræ respondet Gallicæ *obeissez purement & simplement; rendez-luy une obeissance aveugle*; nec inde abit *apprehendite disciplinam*: ultimâ enim hac voce Vulgatus interpres (ut ex Levit. XXVI. 21 23. 27. Jer. V. 3. XVII. 23. XXXII. 33. XXXV. 13. Soph. III. 1. patet) *obedientiam* intelligit, non reluctante Græco nomine *παιδείας*: quo *institutionem* & *doctrinam* sæpe significari ut non negaverim; ita *obedientiam* interdum deuotari posse ii, opinor, concedent qui Græcam dictionem *παῖς* & Latinam *puer* pro servo ab [d] Abrahamo, Varrone, [f] Horatio, [g] Virgilio, [h] Julio Polluce, aliisque accipi meminerint. Quòd autem *osculari* apud Hebræos significet *obedire* apparet Gen. XLI. 40. ubi Pharao, summam Josepho auctoritatem dans, ait על פיך ישק כל עמי *super os tuum osculabitur populus meus*; hoc est *ad tui oris imperium cunctus populus obediet* ut vertit Vulgatus interpres, iis doctior Hebraistis qui vertunt *ad tuum sermonem armabitur omnis populus meus.* Ratio autem, cur Hebraicæ Geneseos loquutioni is quem aperui sensus insit, ea est quia osculum erat subjectionis signum ut decimo primi Regum libri capite liquet, ubi Davidi in regem uncto osculum dat Samuel. Sed osculum illud ori non manui dabatur ut ex utroque, quod adduxi, testimonio perspicuum est: unde Kimchius (cui versionis nostræ sensus non displicet) minus rectè metaphoram sumsit à servis, qui in subjectionis signum manum heri deosculari solent. Hæc quidem osculatio luculentum cultus atque obsequii testimonium erat & Servorum propria, ut ex

[c] lib. I. Ep. 11. & lib. de discipl. & hab. Virg.
[d] Gen. XXII. 5.
[e] Eumenid.
[f] lib. I Sat. 5. & 6. lib. I Od. 18. &c.
[g] Eclog. 1.
[h] lib. III. cap. 8.

a Arriani Epicteto intelligimus; quanquam ea interdum ab ingenuis usurparetur, ut de militibus Catonis manum osculantibus narrat b Plutarchus; sed apud Hebræos saltem antiquos res aliter habebat, & os non manum osculari solebant illi in obsequii ac cultus signum: quam consuetudinem animadvertas etiam apud Ethnicos qui Deos suos in supplicationibus venerabantur, ut c Cicero testatur de Hercule Agrigentino cujus rictus & mentum attritum erat ex continuâ osculatione. Ex quibus liquet in eâ me esse sententiâ LXX. Senes sensum heic non verba sequutos esse: quod tamen non impedit quominùs probabilem esse credam eorum opinionem qui Senes nostros legisse putant נגבו pro נשקו, ut sensus sit *accipite salubria & candida quæ vobis dedi documenta de Deo reverenter colendo.*

a lib. I. c. 19.
b in Catone minore. p. 764 C.
c 6. in Verrem.

de viâ justâ. ultima vox in Hebræo textu deest: eámque à LXX. Senibus explicandi gratiâ additam fuisse nostri tractatores communiter censent. Ita ego non statuo; multò minus vulgaribus prædictorum verborum explanationibus assensum præbeo: sed dictionem צדק *justâ* in Hebræis Codicibus olim exstitisse arbitror, & *viâ justâ* humanam puto designari vitam, quæ *justa* dicitur quia justis promissa est ut patet Deut IV. 1. V. 32. 33. VI. 2. Psal. LXXIII. 29. ex quibus locis cum Psalmo I. 6. collatis apertè cognoscimus *perire de viâ justâ*, nihil esse aliud quàm tolli de mundo qui justis datus est incolendus.

ARGUMENTUM.

PSALMI TERTII.

LUCTUOSI, quo Absalomum filium sibi infensum fugiebat, temporis memoriam David recolit in hoc Psalmo: ubi, descriptâ hostium suorum multitudine, suam in Deo spem collocat; & divino confisus auxilio securum à se somnum captum iri, séque placidè evigilaturum, & victoriam à suis inimicis reportaturum asserit. Præter hunc, qui literæ inhæret, sensum alius in eâ latet sublimior, nobísque ex veteribus Hebræorum traditionibus cum Evangelicâ historiâ collatis illustrandus. d Kimchius è priscorum Rabbinorum sententiâ docet Psalmum istum à Davide editum fuisse quum ascenderet per clivum Olivarum scandens & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite, uti habetur II. Reg. XV. 30. Divinum, sub hoc typo, nostrum cernimus Sospitarem qui, quum à filio charissimo; Juda, inquam, discipulo & Judæis ad mortem quæreretur, egressus est in montem Olivarum: ubi, positis genibus & summâ tristitiâ confectus, orationem Patri adhibuit; & ab Angelo

d in hunc Psal.

corroboratus somno mortis securè se tradidit, non dubitans quin resurrecturus esset & de suis inimicis triumphaturus.

TITULUS.

Psalmus David cùm fugeret à facie Absalom filii sui.

PSALMUS III.		PARAPHRASIS.
DOmine quid multiplicati sunt qui tribulant me! multi insurgunt adversùm me!	1	QUàm multi sunt ô Domine qui me vexant! quàm multi qui adversùm me insurgunt!
Multi dicunt animæ meæ non est salus ipsi in Deo ejus.	2	Multi dicunt de me: nullo modo Deus ejus eripiet eum ex illis in quibus versatur periculis.
Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.	3	*Ita illi cogitant. Verùm* Domine *res aliter eveniet:* eris enim tu defensor meus, gloriâ me afficies, & meum coronabis verticem.

ANNOTATIONES.

anima mea. anima Synecdochicè ponitur pro ipso homine, ut Gen. XLVI. 26. Is. XLVI. 2. & alibi passim in Scripturâ.

non est salus, &c. Tempus in titulo annotatum hæc verba apprimè sapiunt: quum enim David duplici se crimine obstrinxisset à veri non abhorrebat similitudine quod hostes ipsius dicebant: cum scilicet divinam opem, quæ toties ipsi adfuerat, posthac non experturum. Unde liquet sequentem versum minùs benè à Quibusdam explicari quasi diceret David: aiunt multi salutem mihi à Deo allatum non iri; tu tamen Domine solitus es me defendere; tu es Domine qui summo me honore decorasti, & in regiam dignitatem erexisti. Talem sermonem habuisse non videtur David: nam hostes, quibus respondet, optimè sciebant eum antea summo honore decoratum fuisse, in regiam dignitatem erectum, & amplissimis ornatum beneficiis. Hoc absque impedimento & versibus 4. & 7. vertissem post *periculis*. Verùm Domine tu fuisti defensor meus... Deum *anteà* invocavi & exaudivit me... *Hac reputans*, securè dormiam... *sperans* quod *nunc quoque* Dominus adjuvabit me.

in Deo ejus. post hæc verba in Hebræo legitur סלה, & in Græcis nonnullis exemplaribus *διάψαλμα* quomodo vocem סלה reddiderunt Theodotio & Symmachus: quos imitati non sunt Aquila & Quintæ editionis Auctor, quippe qui verterint *διαπαντὸς* idest *semper*. Postremam hanc dictionem Memmianus Codex 1. servat; secunda autem comparet in Codicibus Reg. 222. & Colb. 1, in quibus ponitur *Diapsalma*: quæ vox (in Reg. Cod. 222. in fine 2. versus Psal. II. incipiens) ab omnibus, quibus utor, Regiis ac Colbertinis, Codicibus Græcis abest. Eam Kimchius pro notâ attollendæ in cantu vocis accipit; & de illâ fusiùs disputat S. [a] Hieronymus: quem, si placeat, consule; ut [b] & Hilarium, [c] Gregorium Nyssenum, [d] Cassiodorum, aliósque passim obvios: de quorum opinionibus nullum ego judicium faciam, satis habens perstringi Didymum qui observat istum, cui explanando incumbimus, Psalmum in tres partes esse divisum, duobus diapsalmatis interclusum. Duo quidem diapsalmata agnosco; sed tres Psalmi partes inde colligere non ausim.

exaltans caput meum. Hebraismus cujus explicationem à me traditam probabunt, qui ad Job X. 15. Psal. CIX. 8. & Jer. LII. 31. attenderint.

[a] Epist. 138. ad Marcell.
[b] Prol. in Psal. sub fin.
[c] Tract. 2. in Psal. c. 10.
[d] Præf. Comment. in Psal. cap. 11.

Voce meâ ad Dominum clamavi, & exaudivit me de monte sancto suo.

4 *Hac spe fretus* Deum invoco; ille verò me è monte Sione ipsi sacro exaudiet.

Ego dormivi, & soporatus sum, & exurrexi, quia Dominus suscepit me.

5 Securus *itaque* recumbam & tranquillè dormiam, placidéque evigilabo: *sic habens persuasum* quòd Dominus adjuvabit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: exurge, salvum me fac Deus meus.

6 Nec popularium myriades, quæ me circumdant, timebo, *tuo confisus auxilio. At* exurge, Deus mi; *illúdque mihi auxilium porrigens* salutem mihi præsta *præteritorum memor beneficiorum.*

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine caussâ; dentes peccatorum contrivisti.

7 Nam omnes qui mihi hactenùs sine caussâ adversari sunt percussisti, & improborum hujusmodi dentes contrivisti.

clamavi. ad præteritum tempus illa dictio à multis trahitur, ut sensus fit. Aliàs Dominum, in afflictionibus meis invocavi, & exaudivit me: itaque & jam de divino securus præsidio, quietâ mente consistam, & somno me tradam: habens persuasum quòd Deus me nunc quoque defendet. Verùm præterita beneficia versu penultimo tanguntur ut nova impetrentur, unde probabile mihi non fit ea quoque in nostro memorari versu, cujus præteritum *clamavi* pro præsenti accipio.

exaudivit. præteritum pro futuro, ut notat Kimchius, & res postulat: ídque pro more Prophetarum: qui, ut viris doctis notatum est, rebus præteriti vel præsentis temporis futura tanquam non minùs certa enuntiare solent. Servius ad illud Æneidos XII, VIDEO CONCURRERE, *pro* CONCURSUM ESSE: *licet quasi Dea benè præsenti usa sit tempore, quæ etiam futura cernebat.*

de monte. cœlum quidam intelligunt; ego montem Sionem, unde Deus opem mittere credebatur ob arcam ibi collocatam intelligor; indéque collata ante Absalomitieum bellum beneficia suspecta mihi sunt: nam major horum pars ab hoc, qui tunc sacer non erat, monte non fluxit.

sancto suo. Aquila, *ἡγιασμένου sanctificate.* Symmachus, *ἁγίου αὐτοῦ sancto sui ipsius.*

dormivi. præt. pro fut. pro linguæ Hebraicæ more de quo diximus in Præfatione, quíque passim in hoc opere occurrit. Somno autem summa securitas designatur, ut apparet collatis locis Levit. 6. Ezech. XXXIV. 25. & Os. II. 18. unde cædes non præsumitur ab eo facta qui dormiens invenitur, uti exemplo patet Cæliorum fratrum Terracinensium de quibus [a] Valerius Maximus. [a] lib. VIII. c. 1.

soporatus sum. S. Augustinus legit *somnum cepi*; sed eximius doctor notat nonnullos codices habere *dormivi & soporatus sum.*

suscepit. Ita legit Justinus Martyr; at Augustinus futuro utitur *suscipiet*: quod eodem recidit, si meminerimus præterita pro futuris sæpe accipi.

millia populi. Hæc etiam verba tempus in titulo annotatum mirificè redolent: tunc enim *universus Israel toto corde sequebatur Absalomum.* II. Reg. XV. 13.

sine causa. Rabbini *in maxilla.* Nostri legisse videntur חינם pro לחי; eáque lectio Rabbinicæ præferenda est: quod vel ipsis patet Hebraistarum commentariis, qui maxillarem percussionem plerumque referunt ad ignominiam de quâ heic sermo non est; sed de injustâ persecutione quæ Davidi, aliàs ob duplex peccatum non exaudiendo, patrocinetur.

8 *Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua.*

Sed & hanc, *cujus memini*, salutem tribuat *quæso* Dominus *populo suo à meis partibus stanti*; tuúmque *hunc* populum favore tuo *ô Deus* prosequere *sic ut non cadat in isto bello.*

Domini est salus. versum hunc præcedenti sic connexuissem; ***prædictam autem salutem abs te peto quia Domini est eam afferre : Oro interim ut populo tuo benedictionem tuam impertiaris.*** Hunc, inquam, nexum elegissem nisi in memoriam rediisset illa, de quâ jam locutus sum, regula : nimirum postremum hemistichium prioris repetitionem aut explicationem esse solere. Unde Nostrorum *est* positum puto pro *sit* ut Psalmo XVIII. 15 alibique non raro; quâ de re monui in Præfatione. Observa autem heic personæ mutationem quæ hoc in opere frequens est, ut liquet Psal. IV. 1. LXXXVIII. 1, 2. aliisque quàm plurimis. Nec verò me ab Hebræo textu, in paraphrasi, recessisse putes : nam 1°. litera ה nomini ישועה præfixa illud ad præcedentia trahit; 2°. hæc locutio ליהוה הישועה reddi sic potest *à Domino salus* sup. *sit*., seu ***adveniat*** sup. ***populo*** cujus mentio mox fit; hoc est *salus à Deo præstetur huic populo.* Confer Proverb. XXI. 31. Cæterùm ***Dei populum*** vocat eos qui partes suas susceperant, quique II. Reg. XV. 17. & seq. memorantur. Scio quidem, & anteà ex II. Reg XV. 13. notavi, quòd universus Israel Absalomum sequebatur; sed hoc non de omnibus Israelitis sed de majore eorum parte esse intelligendum prior, quem indicavi, locus ostendit.

ARGUMENTUM.

PSALMI QUARTI.

AD Davidem ab Absalomo oppugnatum hic quoque Psalmus refertur à Kimchio & ab aliis nonnullis interpretibus : quibus eò lubentiùs assentior quòd eorum opinionem Psalmus XXXVI. 3. 17. cum Psalmi nostri versibus sexto atque octavo collatus confirmare videtur. Hoc autem in Psalmo David divinam misericordiam multoties anteà sibi impertitam implorat, tum inimicos suos hortatur ut, pravis suis studiis omissis, justitiæ se dedant & suas in Deo spes collocent; cujus favorem omnibus, quæ hostes sui tantopere expetebant, bonis anteponere se ait : divini etiam heic nostri personam sustinens Sospitatoris, qui juges Deo preces adhibebat, homi-

hominésque sibi infensos ad pietatem revocabat; & cui divinus favor antiquior erat bonis omnibus quibus mortales inhiabant.

TITULUS.

In finem in Carminibus Psalmus David.

PSALMUS IV.	PARAPHRASIS.
1 *QUum invocarem exaudivit me Deus justitiæ meæ; in tribulatione dilatasti mihi.*	DEus, pro suâ erga me misericordiâ, exaudivit me *aliàs* quum eum invocarem; méque ô Deus, ex iis in quibus versabar angustiis *anteà* eduxisti.

ANNOTATIONES.

in finem. Theodoritus heic ista notat. ἀντὶ τῦ, &c. idest: *pro verbis* IN FINEM *Aquila & Theodotio interpretati sunt* τῷ νικοποιῷ VICTORIÆ EFFECTORI; *Symmachus autem* Ἐπινικίος TRIUMPHALIS: idque laudatus Episcopus repetit initio enarrationis in Psal. 8. ubi rem ita se habere ait in quolibet Psalmo, in quo LXX. posuerunt *in finem*. Plerique Rabbini vertunt *vincenti*, hoc est *archimusico* qui alios cantandi peritiâ vincit & ad cantandum urget. Hæc interpretatio; &, quæ eam peperit, lectio למנצח mihi non probantur. Nescius non sum verbo נצח *vincendi* significationem interdum subesse; eámque significationem participio מנצח inde oriundo tribui apud Habacucum III. 19. ibique etiam prædictum participium dictioni *binghinoth*, hoc est in *Psalmis*, jungi. Sed quum animadverto dictionem לנצח significare *in finem* seu *perpetuò*. *in æternum* Psal. IX. 7. XLIII. 24. LXIVII. 17. LXXIII. 1. 10. LXXVIII. 5. IC. XXXIV. 10. & pluribus aliis in locis, dubitare vix possum quin LXX Senes in Hebræo textu pro למנצח legerint לנצח: eáque lectio mihi omninò arridet, dum in Psalmi XLIII. titulo למנצח non למנצחים haberi reputo. Usurpandus heic fuisset pluralis numerus, eò quod de tribus archimusicis nempe filiis Core agatur; & dicendum fuisset למנצחים non למנצח siquidem voce illâ *victor* seu *archimusicus* designaretur. Hoc autem quum sic non habeat verisimile est talem significationem huic vocabulo subjectam non fuisse; atque adeò lectum olim לנצח *in finem* seu in *æternùm*: eâque dictione indicari Carmen non *Archimusico* dandum; sed in *finem* hoc est *perpetuò* canendum: quomodo è Rabbinis interpretatur Saadias Gaon; à quò non longè abit Rabbi Simeon concionator Francofurtensis in libro Ialkut ubi למנצח exponitur: *qui* (nempe Psalmus) *convenit in æternum ei cujus victoria est in sempiternas sæculorum ætates*. Ex quibus nostra confirmatur lectio *in finem*: quam S. Gregorius Nyssenus ad Athleticas cohortationes trahit tract. 2. in Psal. c. 2. alii verò referunt ad Messiæ tempora quæ ab Apostolo *fines sæculorum* dicuntur.

in carminibus. Heb. בנגינות quæ vox multis est instrumentum musicum quod pulsu sonaret, & ad quod Psalmus iste decantatus fuerit. Ego autem prædictâ voce designari puto initium veteris cantilenæ, ad cujus modos Psalmus noster effictus fuerit.

exaudivit. Rabbini legunt in imperativo *exaudi*; sed malè, ut verbo præterito secundi hemistichii apparet.

Deus justitia mea. illud Tractatores plerique sic interpretantur *Deus justitia mea, aut juris mei, testis, approbator, defensor, custos*, &c. a Pineda in loco peregrino ad scopum propiùs accessit, dicens. *David verò vim & injuriam passus ab hostibus, supremum regem appellat: à quo, pro suo justitia tuenda munere, adversùs potentissimos quosque tyrannos statim exauditus est* Psalmo IV. CUM INVOCAREM EXAUDIVIT ME DEUS. (*Eloah judex supremus*)

[a] in Job. I. vers. 1. num. 17.

JUSTITIÆ (*sedech*) MEÆ. *Suam autem David appellat justitiam Dei quòd judicis, sicut Dei, æquitas in miserorum & oppressorum defensionem incumbere debeat.* Hanc Pinedæ explicationem quamvis priore probabiliorem non recipio, quia supponit Davidem petere à Deo ut pro suâ in defendendis miseris æquitate sibi opituletur: quod mihi non probatur consideranti verisimilius esse ut David, qui duplex flagitium conceperat, misericordiam Dei potiùs quàm justitiam imploret, etsi innocentiam suam memoret Psal. XL. 13. Unde *justitiam* heic accipio pro *misericordia* quomodo sumitur Psal. XXIII. 5. L. 15. CII. 18. CXI. 8. S. [a] Hieronymus: *incongruum est hoc de Davide accipere ut qui in superiore Psalmo propter occisionem Uriæ penè est interfectus à filio, nunc audeat dicere exaudivit me Deus justitia mea. Totus itaque Psalmus ad Christum & per Christum ad justos referendus.*

[a] Comment. in hunc Psal.

mea. passivè, hoc est *mihi exhibita*; non activè, *quam colo.*

Miserere mei, & exaudi orationem meam.	2	Mei *nunc quoque* miserere, & orationem meam exaudi.
Filii hominum usquequò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?	3	Vos autem ô *Israelitarum* proceres *qui Absalomi partes sequimini* usquequò tam plumbei eritis ac hebetes *ut me qui rex vester sum insectemini?* Ut quid falsa diligitis & mendacium conflatis *asserentes me jus non dicere?*
Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum; Dominus exaudiet me, quum clamavero ad eum.	4	Scitote quòd Dominus *me sui cultorem victoria* clarum reddet, & quòd exaudiet me quum clamavero ad eum.

dilatasti. ad arctum, è quo effugere difficile sit, locum compulsi censentur qui in periculis versantur; quúmque ex iis evadunt in latum, ubi tutò ambulare liceat, locum educti creduntur. Unde *dilatare* aliquem nihil aliud est quàm periculo eum explicare.

mihi. constructio Hebraicæ accommodata pro *me*, quo casu legitur in Psalterio Romano.

filii hominum. Heb. בני איש idest proceres & principes viri ut docet heic Kimchius, & Psalmo XLVIII. 2. apparet.

gravi corde. S. Augustinus eodem sensu legit *graves corde.* Rabbini legunt כבודי לכלמה *gloriam meam in ignominiam* sup. *vertetis.* LXX. Senes legisse videntur עד מה כבודי לב *usquequò graves corde*; eáque lectio Rabbinicæ est anteponenda quia addititio non eget verbo *vertetis*: quod Rabbinis [illegible] minùs concedi debet quòd subaudiri in linguâ Hebraicâ non solet.

vanitatem, &c. id ita à Kimchio & à quibusdam aliis accipitur ut sensus sit: cur vanam & quæ mentietur, hoc est cui non continget exitus quem putatis, rem aggredimini? Sanctus Johannes Chrysostomus, versum istum explanans, *vanitate & mendacio* vitam quæ in improbitate versatur designari putat; illáque Psalmographi verba trahit ad voluptates & felicitates humanas quæ mentiuntur & improbos eis inhiantes decipiunt, nihilque sunt aliud quàm vanitas vanitatum. His explicationibus nostram, opinor, anteponet qui loca Job. XXXI. 5. Psal. V. 10. XI. 1. 2. XXIII. 4. expenderit; memineritque ex II. Reg. XV. 3. Absalomum (ad cujus exemplum sequaces ejus compositos fuisse credere par est) conjurationem suam eo fundasse mendacio quod in paraphrasi declaratur. [b] Cicero vatem nostrum imitatus vana cum falsis permiscet; séque ad Davidicam loquutionem egregiè accommodat quum ait: *Vera diligimus* idest *fidelia, simplicia, constantia; tum vana, falsa, fallentia odimus ut fraudem, perjurium, malitiam, injuriam.*

[b] lib. 2 de Finib.

mirificavit. præt. pro fut. ut ſequenti verbo ***exaudiet*** planum eſt; ſicut & re de qua agitur: quum enim Davidis hoſtes eum multas antea victorias repotaſſe & miris beneficiis ornatum fuiſſe ſcirent & de futuris dubitarent, vero non videtur ſimile ut David præterita recolat. Id quidem interdùm fit, & à præteritis iiſque notiſſimis geſtis ad futura non raró argumentantur homines: ut quum Rex aliquis victoriis inclytus, alterius Regis turbas facientis legato ait. Scitote quòd multas hactenùs victorias retulerim, & quòd rationes deinceps reperiam quibus novos hoſtes debellem. Sed hunc ſermonem quominus haberet David impediebatur à duplici quod admiſerat peccato; quodque ita tranſlatum fuerat ut pœna remaneret ſolvenda. Vide quæ dixi ad Pſal. III. 3. Alia res eſt quum ad Deum ſemper miſericordem verba fiunt. Pſal. IV. 1. S. Auguſtinus legit ***admirabilem fecit.*** Rabbini legunt הפלה ***ſegregavit*** ſup. ſanctum ſibi. LXX. legerunt הפלא: eámque lectionem Rabbinicæ præpono quia luculentum ſenſum exhibet abſque ullo additamento, quod niſi accipiat Rabbinica lectio frigida erit.

ſanctum. voce illa cultor Dei ſignificatur ut liquet innumeris Scripturæ locis, præſertim Judith. VI. 15. Pſal. XXXVI. 29. LXXVIII. 2. LXXXIV. 9. David autem de ſe heic loquitur in tertiâ perſonâ ut Pſal. XC. 1. CXLIII. 4.

5 *Iraſcimini & nolite peccare; quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini.*

Dolet vobis quod regiâ dignitate orner: doleat per me licet; ſed vidéte ne, *dolore illo*, ad peccatum impellamini *vitæ meæ inſidiantes:* quúmque in lectis veſtris eritis, *ibique tanquam in loco meditationi idoneo veſtram perpenderitis rebellionem*, pœniteat vòs eorum quæ in cordibus veſtris *adverſùm me* machinamini.

6 *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino. Multi dicunt, quis oſtendit nobis bona?*

Móxque ſacrificia contrito corde ſacrificate; túmque *vos veniam à Deo conſequuturos* ſperate. *At*, inquiunt multi, *faceſſant iſta conſilia:* utinámque *imperet Abſalom, &* bona, *quæ ſub regno ejus ſperamus*, contingant nobis!

iraſcimini. ſubſcribit Symmachus interpretans ὀργίζεσθε. Verùm Aquila, quem Rabbinorum grex heic ſequitur, vertit κλονεῖσθε ***contremiſcite***: ſenſu in rem, de quâ agitur, minus benè quadrante. Vulgatus & Hebrææ linguæ convenit ut apparet Gen. XLV. 24. & argumento reſpondet: dummodò in eam, quæ ipſi in Paraphraſi tribuitur, explicationem trahatur; quæ ab originariâ verbi Hebraici ſignificatione non recedit, quum ira accendatur quando de aliqua re dolemus: unde Cicero utrumque doctè conjungit ***ardet dolore & ira Pompeius*** 2. Att. 9. ***dolore efferri & iracundiâ longiùs digredi quàm convenit.*** de Ar. 3.

Quæ dicitis. Rabbini legunt אמרו בלבבכם על משכבכם ודמו ***dicite in corde veſtro ſuper cubili veſtro & tacete.*** Quod ſic ferè interpretantur: ***expendite noctu quod vobis dico & deſinite mihi eſſe rebelles;*** ſenſu non malo; ſed qui literæ minus benè reſpondet Hebraicæ, cui etiam addere cogitur. LXX. Senes legiſſe videntur אשר אמרתם בלבבכם על משכבכם נדמו: quod mirum non videbitur illis qui verſum primum Cantici II. Reg. XXII. cum Pſal. XVII. 1. comparaverint. Præterea Senes noſtri ultimum verbum non in ***quieſcendi*** ſeu

tacendi, cujus capax est, sententiam acceperunt, sed in *exscissionis* significationem: quâ, in conjugatione *Niphal*, gaudet; quæque compunctioni optime convenit, quum compunctio seu dolor sit quædam cordis scissio.

a De Orat. Domin.

compungimini. S. a Cyprianus legit *transpungimini*. *Nonnulli*, teste B. Augustino, *non compungimini sed* APERIMINI *dicebant melius legi, quoniam in Græco Psalterio est* κατανύγητε *quod refertur ad illam dilatationem cordis ut excipiatur diffusio charitatis per Spiritum sanctum.* Sed illa lectio iis non placebit qui ad Davidis argumentum attentos admoverint animos.

b Præp. Evang. XIII. 13 p. 683. B.

sacrificate, &c. Hunc à Menandro locum fuisse exscriptum rectè notat b Eusebius; eundemque locum ad internam animi sanctitatem, nullatenus verò ad exteriora sacrificia trahunt Chrysostomus & Theodoritus. Ego ad utrumque refero ex Psal. L. 17. 18. 19. 20.

multi. Absalomitas intelligo quos Psalmo III. 1. *multos* esse dixit Vates.

quis ostendit, &c. optandi formula apud Hebræos ut apparet II. Reg. XXII. 15. Psal. XIII. vers. ult. & plurimis aliis testimoniis quæ, utpote trita, mitto.

7 *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo.*

Ita quidem illi. Sed ego & qui mecum sunt hoc unum optamus, Domine, ut tuus favor in nobis imprimatur & quasi signetur. *Quod si concesseris* majorem cordi meo lætitiam dabis

8 *A fructu frumenti vini & olei sui multiplicati sunt.*

Eâ quam illi *percepturos se credunt* ex frumento vino & oleo quorum multam copiam, *sub Absalomi imperio*, sibi adfore *sperant*.

9 *In pace in idipsum dormiam & requiescam.*

Præterea pacatè dormiam, & magnâ cum tranquillitate quiescam.

10 *Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.*

Tu enim Domine, *favore illo tuo*, cæteris etiam deficientibus collocabis me in tuto, *omnigenam mihi securitatem præstans.*

signatum est. Heb. נסה præteritum Niphal pro futuro imperativi locum tenente ut Psal. LX. 3. LXIV. 9. Rabbini vertunt *attolle*: sensu non contemnendo, sed qui Hebraico vim facit verbo: duas in eo literas commutans, legendo נשא quod per me nunquam licebit.

lumen vultus tui. Eâ loquutione favorem & misericordiam Dei intelligit Scriptura ut apparet collatis locis Num. VI. 25. Psal. LXVI. 1. LXXXVIII. 16.

dedisti. præt. pro fut. contra atque Kimchio aliisque nonnullis videtur auctoribus: quibus præteritum arridet, ut sensus sit. miror cur me extinctum tantopere hostes mei cupiant, quum ego nunquam illis inviderim: magnam enim lætitiam mihi dedisti ex bonis eorum; sed sensus ille cum præcedentibus non cohæret: nam, quando præfati hostes bona optarunt *quis ostendit nobis bona*, eos tanquam bonis cumulatos describere heic non potest David.

a. sumitur pro *præ* ut Matth. XI. 19. Luc. XVIII. 14.

fructu. S. Augustinus & Cassiodorus cum Rabbinis legunt *tempore*, minùs dilucidè. LXX. Senes sensum heic non verba expressisse videntur.

frumenti vini & olei. His fructibus omnia intelliguntur bona. Ea Davidici hostes optant versu 6. qui nostro respondet.

multiplicati sunt. præt pro fut. multiplicabuntur sup. *uti sperant* ut Psal. V. 3. præmitti autem debet pronomen *quibus* quod per ellipsim heic omittitur.

in idipsum. falluntur qui cum Rabbinis vertunt *simul cum illis* sup. hostibus cubabo seu degam. Mihi quidem יחדו est *simul*; sed illud *simul* accipio ut Latinum *in utramque aurem*, ut *in idipsum* idem sit ac *in pace*.

in spe. Spem Noster pro securitate ponit, nec malè: nam major non est securitas quam ea quæ illis contingit qui suam in Deo spem defigunt.

constituisti. præt. pro fut. uti ab Aquilà observatum videmus.

ARGUMENTUM.

PSALMI QUINTI.

VETERES Hebræorum Magistri à Kimchio laudati docent hunc Psalmum à Davide editum fuisse adversùs Doegum & Achitophelem hostes suos. Sed, quando Doegus & Achitophel diverso tempore & diversâ ratione Davidem vexarunt, ad eos unus idemque Psalmus pertinere non potest. Absalomitica tempora heic respici primo aspectu putabam ob versus 8. 10. cum Psal. IV. 3. LIV. 28. collatos; sed versus 11. & 13. cum Psal. XIII. 4. 7. CXIX. 2. & Zach. II. 10. 11. comparati impulerunt me ut hunc Psalmum nostrum ad Judæos Babylonico jugo addictos referrem. Nec me de hac sententiâ deduxit Templi mentio quæ versu 8. occurrit: quanquam enim Templum tunc temporis eversum esset, Judæi tamen de eo, acsi adhuc staret, verba faciebant ut apparet Psal. LXIV. 5. Hi porrò de quibus loquimur captivi, vel potius Vates personam eorum sustinens Deum orat ut orationem suam exaudiat; tum, considerato Dei erga impios odio, sperat fore ut improbi Babylonii pœnas dent; atque ita Hierosolymas redeat & Deum in templo adoret, quod Judæis lætum simul ac gloriosum fore asserit.

viri magnopere fugiunt: ut ne vita quidem cujuslibet per eorum fallaciam defendatur, ne sua anima noceant dum præstare vitam carni nituntur alienæ.

virum sanguinum. pars hæc priori præcedentis versus hemistichio respondet, & altera secundo: atque unaquæque repetitionem continet, quam Psaltes multipliciter variat ut observare est in Psal. XXXI. 1. 2. XC. 5. 6. CXLVII. 2. 3. & plurimis aliis.

in justitiâ suâ. justitiam pro misericordiâ seu bonitate sumi suprà annotavimus; sicque heic accipiendam esse ostendit respondens ei in altero hemistichio *conspectus*, nam vox hæc ut & *facies* divinum favorem significat. Unde liquet idoneam B. Hieronymo ad Suniam & Fretelam scribenti non fuisse caussam cur lectioni nostræ istam præponeret *dirige in conspectu meo viam tuam*: quanquam istam lectionem retineri posse confiteor, dummodò *via* heic pro *misericordia* sumatur, quemadmodum aliquot in locis accipitur.

propter inimicos meos. Horum castigatio tacitè heic innuitur, siquidem Judæi in patriam redire non poterant nisi pœnas darent Babylonii, quod paulò post clarè attingitur. Mirum autem Vatis artificium attende. Primò universim dixit Deum improbis esse infensum, nunc verò ad thesim descendit; & eo, quod posuit, principio fretus Deum precatur ut sibi faveat castigatis inimicis suis, utpote qui improbissimi sint ut mox ostendit.

viam meam. S. Augustinus legit *iter meum.*

10 *Quoniam non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est.*

Siquidem non est in ore eorum veritas, & illorum animus fraudes nectit.

11 *Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant. judica illos Deus.*

Eorúmque guttur sepulchro aperto *& fœtorem emittenti* simile putidas calumnias fundit: suámque linguam ad fraudem componunt. judicium *ergo* in eos pronuntia ô Deus, *illósque castiga.*

12 *Decidant à cogitationibus suis; secundùm multitudinem impietatum eorum expelle eos quoniam irritaverunt te Domine.*

Irritæ sint pravæ quas *adversùs nos* suscipiunt cogitationes; eósque *è terra ipsorum* expelle ob eorum impietates quæ sunt gravissimæ: nam *nobis non solùm injuriam inferunt*, sed te Domine irritaverunt *potentiam tuam ridentes.*

13 *Et lætentur omnes qui sperant in te, in æternum exultabunt: & habitabis in eis.*

Omnes autem qui in te sperant *Judæi* lætabuntur, & perpetuò exultabunt: tuáque eos præsentiâ beabis.

vanum. idem quod fraudulentum, fallaciæ plenum, ut apparet Psal. IV. 3. istúdque hemistichium prioris est repetitio: quemadmodum in versu præcedenti ubi *dirige in conspectu tuo viam meam* idem valet ac *deduc me in justitia tua*; hoc est tuâ me benevolentiâ complectere, seu fave mihi.

à cogitationibus suis. Hinc conjicio Babylonios de perdendis, qui servitutem apud eos serviebant, Judæis cogitasse, quod à verisimilitudine alienum non videbitur illis qui ad Estheris historiam animum appulerint. Unde ad eos, qui hac in historiâ memorantur, captivos Psalmum nostrum pertinere suspicari fortasse quis posset, non repugnante tempore: quum ad eam, de quâ loquimur, ætatem Esther revocanda sit, ut [a] alibi à me probatum est.

[a] Reflex Relig. Christ. to. 1.

irritaverunt.

judica. Quidam, *desola.* Alii, *condemna.* Nonnulli, *reos perage eos.* Kimchi *delinquere fac eos in consiliis suis*, hoc est non succedat quod cogitant.

irritaverunt, supplementum in paraphrasi positum suppeditat Psal. CXIII. 10.

latentur, pro lætabuntur ut sequentibus patet futuris.

habitabis in eis. Hæc locutio sic accipi non debet quasi revera Deus in loco habitare incipiat ubi antea non erat; sed eâ loquutione Vates utitur ut divinum significet favorem: quem sacri Scriptores, humanæ infirmitati consulentes, præsentiâ denotare solent; quemadmodum iram recessu exprimunt ut apparet collatis locis Jer. VII. 7. Ezech. XLIII. 9. Zach. II. 10. 11. Apoc. VII. 15. XXI. 3. I. Reg. XXVIII. 16. Psal. IX. 22. Jer. VII. 15. IX. 2. quod qui non attendunt interpretantur heic *operias* aut *operire facias eos*: veniâ digni si *opertione* illâ protectionem intelligant; sed minimè excusandi si nostrum vexent Interpretem: cui ipse favet Hebræus textus תסך quum verbum illud (ut ex nomine סך *tabernaculum* inde deducto liquet) significare possit *tabernaculum pones* hoc est *habitabis*, quod verbum favorem notat ut dixi, & versu sequenti explicat Psaltes.

Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices justo	14	Et omnes qui nomen tuum diligunt in te gloriabuntur, quum tu justis benefeceris
Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.	15	Domine, & tuâ (*quæ* instar scuti *erit*) benevolentiâ nos coronaveris.

quoniam. Heb. כי quod interdum significat *quando, quum* ut Psal LXX: vers. ult. ubi Noster lumen nobis præbet quod ipsius caliginem heic discutiat.

justo. sing. pro plurali ut sequenti liquet pronomine *nos*: ubi personæ mutationem alibi observatam videns non immeritò suspicaberis sic olim habuisse textum Hebræum qui nunc præfert *eum*, eodem tamen sensu: quum illud pronomen referatur ad vocem *justo*; quâ captivos intelligo Judæos, ita dictos quia tunc in meliorem frugem se receperant, vexatione nimirùm dante intellectum.

voluntatis tuæ, ita S. Aug. sed Codices Reg. 222. Colb. 1339. & Memm. 2. *voluntatis*. *coronasti nos*. Aquila, *coronabis eum.*

ARGUMENTUM.

PSALMI SEXTI.

MIHI Judæos Babylonico jugo addictos, non solùm pauperes & infirmos sed etiam mortuos cùm apud Prophetas tùm apud Psalmographum vocari cogitanti diu incessit suspicio Carmine isto ut & huic similibus Psalmis XXXVII. & XL. Babylonicæ captivitatis ærumnas repræsentari; sed de hac me sententiâ deduxerunt versus 11. Psalmi XXXVII. & versus 9. 10. Psalmi XL. placuítque nostrum hunc Psalmum & duos alios à me laudatos de Davide acerbissimis, post stupratam Bethsabeam & occisum Uriam, calamitatibus ve-

V

corroboratus somno mortis securè se tradidit, non dubitans quin resurrecturus esset & de suis inimicis triumphaturus.

TITULUS.

Psalmus David cùm fugeret à facie Absalom filii sui.

PSALMUS III.

1 *Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me! multi insurgunt adversùm me!*

2 *Multi dicunt animæ meæ non est salus ipsi in Deo ejus.*

3 *Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.*

PARAPHRASIS.

1 Quàm multi sunt ô Domine qui me vexant! quàm multi qui adversùm me insurgunt!

2 Multi dicunt de me: nullo modo Deus ejus eripiet eum ex illis in quibus versatur periculis.

3 *Ita illi cogitant. Verùm* Domine *res aliter eveniet:* eris enim tu defensor meus, gloriâ me afficies, & meum coronabis verticem.

ANNOTATIONES.

anima meæ. anima Synecdochicè ponitur pro ipso homine, ut Gen. XLVI. 26. & XLVI. 2. & alibi passim in Scripturâ.

non est salus, &c. Tempus in titulo annotatum hæc verba apprimè sapiunt: quum enim David duplici se crimine obstrinxisset à veri non abhorrebat similitudine quod hostes ipsius dicebant: cum scilicet divinam opem, quæ toties ipsi adfuerat, posthac non experturum. Unde liquet sequentem versum minùs benè à Quibusdam explicari quasi diceret David: aiunt multi salutem mihi à Deo allatum non iri; tu tamen Domine solitos es me defendere; tu es Domine qui summo me honore decorasti, & in regiam dignitatem erexisti. Talem sermonem habuisse non videtur David: nam hostes, quibus respondet, optimè sciebant eum antea summo honore decoratum fuisse, in regiam dignitatem erectum, & amplissimis ornatum beneficiis. Hoc absque impedimento & versibus 4. & 7. vertissem post *periculis*. Verùm Domine tu fuisti defensor meus... Deum *anteà* invocavi & exaudivit me... *Hæc reputans*, securè dormiam... *sperans* quod *nunc quoque* Dominus adjuvabit me.

in Deo ejus. post hæc verba in Hebræo legitur סלה, & in Græcis nonnullis exemplaribus διάψαλμα quomodo vocem סלה reddiderunt Theodotio & Symmachus: quos imitati non sunt Aquila & Quintæ editionis Auctor, quippe qui verterint διαπαντὸς idest *semper*. Postremam hanc dictionem Memmianus Codex 1. servat; secunda autem comparet in Codicibus Reg. 222. & Colb. 1. in quibus ponitur *Diapsalma*: quæ vox (in Reg. Cod. 222. in fine 2. versus Psal. II. incipiens) ab omnibus, quibus utor, Regiis ac Colbertinis, Codicibus Græcis abest. Eam Kimchius pro notâ attollendæ in cantu vocis accipit; & de illâ fusiùs disputat S. [a] Hieronymus: quem, si placeat, consule; ut [b] & Hilarium, [c] Gregorium Nyssenum, [d] Cassiodorum, aliósque passim obvios: de quorum opinionibus nullum ego judicium faciam, satis habens perstringi Didymum qui observat istum, cui explanando incumbimus, Psalmum in tres partes esse divisum, duobus diapsalmatis interclusum. Duo quidem diapsalmata agnosco; sed tres Psalmi partes inde colligere non ausim.

exaltans caput meum. Hebraismus cujus explicationem à me traditam probabunt, qui ad Job X. 15. Psal. CIX. 8. & Jer. LII. 31. attenderint.

[a] Epist. 138. ad Marcell.
[b] Prol. in Psal. sub fin.
[c] Tract. 2. in Psal. c. 10.
[d] Præf. Comment. in Psal. cap. 11.

4 *Voce meâ ad Dominum clamavi, & exaudivit me de monte sancto suo.*

Hac spe fretus Deum invoco; ille verò me è monte Sione ipsi sacro exaudiet.

5 *Ego dormivi, & soporatus sum, & exurrexi, quia Dominus suscepit me.*

Securus *itaque* recumbam & tranquillè dormiam, placidéque evigilabo : *sic habens persuasum* quòd Dominus adjuvabit me.

6 *Non timebo millia populi circumdantis me : exurge, salvum me fac Deus meus.*

Nec popularium myriades, quæ me circumdant, timebo, *tuo confisus auxilio. At* exurge, Deus mi; *illúdque mihi auxilium porrigens* salutem mihi præsta *præteritorum memor beneficiorum.*

7 *Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine caussa ; dentes peccatorum contrivisti.*

Nam omnes qui mihi hactenùs sine caussâ adversati sunt percussisti, & improborum hujusmodi dentes contrivisti.

clamavi. ad præteritum tempus illa dictio à multis trahitur, ut sensus sit. Aliàs Dominum, in afflictionibus meis invocavi, & exaudivit me : itaque & jam de divino securus præsidio, quietà mente consistam, & somno me tradam : habens persuasum quòd Deus me nunc quoque defendet. Verùm præterita beneficia versu penultimo tanguntur ut nova impetrentur, unde probabile mihi non sit ea quoque in nostro memorari versu, cujus præteritum *clamavi* pro præsenti accipio.

exaudivit præteritum pro futuro, ut notat Kimchius, & res postulat : idque pro more Prophetarum : qui, ut viris doctis notatum est, rebus præteriti vel præsentis temporis futura tanquam non minùs certa enuntiare solent. Servius ad illud Æneidos XII, VIDEO CONCURRERE, *pro* CONCURSUM ESSE : *licet quasi Dea benè præsenti usa sit tempore, quæ etiam futura cernebat.*

de monte. cœlum quidam intelligunt ; ego montem Sionem, unde Deus opem mittere credebatur ob arcam ibi collocatam intelligor ; indéque collata ante Absalomiticum bellum beneficia suspecta mihi sunt : nam major horum pars ab hoc, qui tunc sacer non erat, monte non fluxit.

sancto suo. Aquila, *ἡγιασμένῳ sanctificato.* Symmachus, *ἁγίῳ αὐτοῦ sancto sui ipsius.*

dormivi. præt. pro fut. pro linguæ Hebraicæ more de quo diximus in Præfatione, quíque passim in hoc opere occurrit. Somno autem summa securitas designatur, ut apparet collatis locis Levit. 6. Ezech. XXXIV. 25. & Os. II. 18. unde cædes non præsumitur ab eo facta qui dormiens invenitur, uti exemplo patet Cæliorum fratrum Terracinensium de quibus [a] Valerius Maximus.

soporatus sum. S. Augustinus legit *somnum cepi* ; sed eximius doctor notat nonnullos codices habere *dormivi & soporatus sum.*

[a] lib. VIII. c. 1.

suscepit. Ita legit Justinus Martyr ; at Augustinus futuro utitur *suscipiet* : quod eodem recidit, si meminerimus præterita pro futuris sæpe accipi.

millia populi. Hæc etiam verba tempus in titulo annotatum mirificè redolent : tunc enim *universus Israel toto corde sequebatur Absalomum.* II. Reg. XV. 13.

sine causa. Rabbini *in maxilla.* Nostri legisse videntur לחינם pro לחי ; eáque lectio Rabbinicæ præferenda est : quod vel ipsis patet Hebraistarum commentariis, qui maxillarem percussionem plerumque referunt ad ignominiam de quâ heic sermo non est ; sed de injustâ persecutione quæ Davidi, aliàs ob duplex peccatum non exaudiendo, patrocinetur.

8 *Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua.*

Sed & hanc, cujus memini, salutem tribuat *quæso* Dominus *populo suo à meis partibus stanti*; tuúmque *hunc* populum favore tuo *ô Deus* prosequere *sic ut non cadat in isto bello.*

Domini est salus. versum hunc præcedenti sic connexuissem; *prædictam autem salutem abs te peto quia Domini est eam afferre*: *Oro interim ut populo tuo benedictionem tuam impertiaris.* Hunc, inquam, nexum elegissem nisi in memoriam reduxisset illa, de quâ jam locutus sum, regula: nimirum postremum hemistichium prioris repetitionem aut explicationem esse solere. Unde Nostrorum *est* positum puto pro *sit* ut Psalmo XVIII. 15 alibique non raró; quâ de re monui in Præfatione. Observa autem heic personæ mutationem quæ hoc in opere frequens est, ut liquet Psal. IV. 1. LXXXVIII. 1, 2. aliisque quàm plurimis. Nec veró me ab Hebræo textu, in paraphrasi, recessisse putes: nam 1°. litera ה nomini ישועה præfixa illud ad præcedentia trahit; 2°. hæc locutio ליהוה הישועה reddi sic potest *à Domino salus* sup. *sit*, seu *adveniat* sup. *populo* cujus mentio mox fit; hoc est *salus à Deo præstetur huic populo.* Confer Proverb. XXI. 31. Cæterùm *Dei populum* vocat eos qui partes suas susceperant, quique II. Reg. XV. 17. & seq. memorantur. Scio quidem, & anteà ex II. Reg XV. 13. notavi, quòd universus Israel Absalomum sequebatur; sed hoc non de omnibus Israelitis sed de majore eorum parte esse intelligendum prior, quem indicavi, locus ostendit.

ARGUMENTUM.

PSALMI QUARTI.

AD Davidem ab Absalomo oppugnatum hic quoque Psalmus refertur à Kimchio & ab aliis nonnullis interpretibus: quibus eò lubentiùs assentior quòd eorum opinionem Psalmus XXXVI. 3. 17. cum Psalmi nostri versibus sexto atque octavo collatus confirmare videtur. Hoc autem in Psalmo David divinam misericordiam multoties anteà sibi impertitam implorat, tum inimicos suos hortatur ut, pravis suis studiis omissis, justitiæ se dedant & suas in Deo spes collocent; cujus favorem omnibus, quæ hostes sui tantopere expetebant, bonis anteponere se ait: divini etiam heic nostri personam sustinens Sospitatoris, qui juges Deo preces adhibebat, homi-

homineſque ſibi infenſos ad pietatem revocabat ; & cui divinus favor antiquior erat bonis omnibus quibus mortales inhiabant.

TITULUS.

In finem in Carminibus Pſalmus David.

PSALMUS IV.	PARAPHRASIS.
1 *QUum invocarem exaudivit me Deus juſtitiæ meæ; in tribulatione dilataſti mihi.*	DEus, pro ſuâ erga me miſericordiâ, exaudivit me *aliàs* quum eum invocarem ; méque ô Deus, ex iis in quibus verſabar anguſtiis *anteà* eduxiſti.

ANNOTATIONES.

in finem. Theodoritus heic iſta notat. ἀντὶ τοῦ, &c. ideſt : *pro verbis* IN FINEM *Aquila & Theodotio interpretati ſunt* τῷ νικοποιῷ VICTORIÆ EFFECTORI ; *Symmachus autem* ἐπινικίους TRIUMPHALIS : idque laudatus Epiſcopus repetit initio enarrationis in Pſal. 8. ubi rem ita ſe habere ait in quolibet Pſalmo, in quo LXX. poſuerunt *in finem.* Plerique Rabbini vertunt *vincenti* , hoc eſt *archimuſico* qui alios cantandi peritiâ vincit & ad cantandum urget. Hæc interpretatio ; &, quæ eam peperit, lectio למנצח mihi non probantur. Neſcius non ſum verbo נצח *vincendi* ſignificationem interdum ſubeſſe ; eámque ſignificationem participio מנצח inde oriundo tribui apud Habacucum III. 19. ibique etiam prædictum participium dictioni *binghinoth*, hoc eſt in *Pſalmis*, jungi. Sed quum animadverto dictionem לנצח ſignificare *in finem* ſeu *perpetuò. in æternum* Pſal. IX. 7. XLIII. 24. LXIVII. 17. LXXIII. 1. 10. LXXVIII. 5. Iſ. XXXIV. 10. & pluribus aliis in locis, dubitare vix poſſum quin LXX. Senes in Hebræo textu pro למנצח legerint לנצח : eáque lectio mihi omninò arridet, dum in Pſalmi XLIII. titulo למנצח non למנצחים haberi reputo. Uſurpandus heic fuiſſet pluralis numerus, eò quod de tribus archimuſicis nempe filiis Core agatur ; & dicendum fuiſſet למנצחים non למנצח ſiquidem voce illâ *victor* ſeu *archimuſicus* deſignaretur. Hoc autem quum ſic non habeat veriſimile eſt talem ſignificationem huic vocabulo ſubjectam non fuiſſe;atque adeò lectum olim לנצח *in finem* ſeu in *æternùm*:eâque dictione indicari Carmen non *Archimuſico* dandum ; ſed in *finem* hoc eſt *perpetuò* canendum : quomodo è Rabbinis interpretatur Saadias Gaon ; à quò non longè abit Rabbi Simeon concionator Francofurtenſis in libro Ialkut ubi למנצח exponitur : *qui* (nempe Pſalmus) *convenit in æternum ei cujus victoria eſt in ſempiternas ſæculorum ætates.* Ex quibus noſtra confirmatur lectio *in finem* : quam S. Gregorius Nyſſenus ad Athleticas cohortationes trahit tract. 2. in Pſal. c. 2. alii verò referunt ad Meſſiæ tempora quæ ab Apoſtolo *fines ſæculorum* dicuntur.

in carminibus. Heb. בנגינות quæ vox multis eſt inſtrumentum muſicum quod pulſu ſonaret , & ad quod Pſalmus iſte decantatus fuerit. Ego autem prædictâ voce deſignari puto initium veteris cantilenæ, ad cujus modos Pſalmus noſter effictus fuerit.

exaudivit. Rabbini legunt in imperativo *exaudi* ; ſed malè, ut verbo præterito ſecundi hemiſtichii apparet.

Deus juſtitiæ meæ. illud Tractatores plerique ſic interpretantur *Deus juſtitiæ meæ, aut juris mei, teſtis , approbator. defenſor. cuſtos* , &c. [a] Pineda in loco peregrino ad ſcopum propiùs acceſſit, dicens. *David verò vim & injuriam paſſus ab hoſtibus , ſupremum regem appellat : à quo . pro ſuo juſtitiæ tuendæ munere , adversùs potentiſſimos quoſque tyrannos ſtatim exauditus eſt* Pſalmo IV. CÙM INVOCAREM EXAUDIVIT ME DEUS. (*Eloah judex ſupremus*)

[a] in Job. I. verſ. 1. num. 17.

T

JUSTITIÆ (*sedech*) MEÆ. *Suam autem David appellat justitiam Dei quòd judicis, sicut Dei, æquitas in miserorum & oppressorum defensionem incumbere debeat.* Hanc Pinedæ explicationem quamvis priore probabiliorem non recipio, quia supponit Davidem petere à Deo ut pro suâ in defendendis miseris æquitate sibi opituletur: quod mihi non probatur consideranti verisimilius esse ut David, qui duplex flagitium conceperat, misericordiam Dei potiùs quàm justitiam imploret, etsi innocentiam suam memoret Psal. XL. 13. Unde *justitiam* heic accipio pro *misericordia* quomodo sumitur Psal. XXIII. 5. L. 15. CII. 18. CXI. 8. S. [a] Hieronymus: *incongruum est hoc de Davide accipere ut qui in superiore Psalmo propter occisionem Uriæ penè est interfectus à filio, nunc audeat dicere exaudivit me Deus justitia mea. Totus itaque Psalmus ad Christum & per Christum ad justos referendus.*

[a] Comment. in hunc Psal.

mea. passivè, hoc est *mihi exhibita*; non activè, *quam colo.*

Miserere mei, & exaudi orationem meam.	2	Mei *nunc quoque* miserere, & orationem meam exaudi.
Filii hominum usquequò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?	3	Vos autem ô *Israelitarum* proceres *qui Absalomi partes sequimini* usquequò tam plumbei eritis ac hebetes *ut me qui rex vester sum insectemini?* Ut quid falsa diligitis & mendacium conflatis *asserentes me jus non dicere?*
Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum; Dominus exaudiet me, quum clamavero ad eum.	4	Scitote quòd Dominus *me sui cultorem victoria* clarum reddet, & quòd exaudiet me quum clamavero ad eum.

dilatasti. ad arctum, è quo effugere difficile sit, locum compulsi censentur qui in periculis versantur; quúmque ex iis evadunt in latum, ubi tutò ambulare liceat, locum educti creduntur. Unde *dilatare* aliquem nihil aliud est quàm periculo eum explicare.

mihi. constructio Hebraicæ accommodata pro *me*, quo casu legitur in Psalterio Romano.

filii hominum. Heb. בני איש idest proceres & principes viri ut docet heic Kimchius, & Psalmo XLVIII. 2. apparet.

gravi corde. S. Augustinus eodem sensu legit *graves corde.* Rabbini legunt כבודי לכלמה *gloriam meam in ignominiam* sup. *vertetis.* LXX. Senes legisse videntur עד מה כבודי לב *usquequò graves corde*; eáque lectio Rabbinicæ est anteponenda quia addititio non eget verbo *vertetis*: quod Rabbinis & minùs concedi debet quòd subaudiri in linguâ Hebraicâ non solet.

vanitatem, &c. id ita à Kimchio & à quibusdam aliis accipitur ut sensus sit: cur vanam & quæ mentietur, hoc est cui non continget exitus quem putatis, rem aggredimini? Sanctus Johannes Chrysostomus, versum istum explanans, *vanitate & mendacio* vitam quæ in improbitate versatur designari putat; illáque Psalmographi verba trahit ad voluptates & felicitates humanas quæ mentiuntur & improbos eis inhiantes decipiunt, nihilque sunt aliud quàm vanitas vanitatum. His explicationibus nostram, opinor, anteponet qui loca Job. XXXI. 5. Psal. V. 10. XI. 1. 2. XXIII. 4. expenderit; memineritque ex II. Reg. XV. 3. Absalomum (ad cujus exemplum sequaces ejus compositos fuisse credere par est) conjurationem suam eo fundasse mendacio quod in paraphrasi declaratur. [b] Cicero vatem nostrum imitatus vana cum falsis permiscet; séque ad Davidicam loquutionem egregiè accommodat quum ait: *Vera diligimus* idest *fidelia, simplicia, constantia; tum vana, falsa, fallentia odimus ut fraudem, perjurium, malitiam, injuriam.*

[b] lib. 2 de Finib.

mirificavit. præt. pro fut. ut sequenti verbo *exaudiet* planum est; sicut & re de qua agitur: quum enim Davidis hostes eum multas antea victorias reportasse & miris beneficiis ornatum fuisse scirent & de futuris dubitarent, vero non videtur simile ut David præterita recolat. Id quidem interdùm fit., & à præteritis iisque notissimis gestis ad futura non raro argumentantur homines: ut quum Rex aliquis victoriis inclytus, alterius Regis turbas facientis legato ait. Scitote quòd multas hactenùs victorias retulerim, & quòd rationes deinceps reperiam quibus novos hostes debellem. Sed hunc sermonem quominus haberet David impediebatur à duplici quod admiserat peccato; quodque ita translatum fuerat ut pœna remaneret solvenda. Vide quæ dixi ad Psal. III. 3. Alia res est quum ad Deum semper misericordem verba fiunt. Psal. IV. 1. S. Augustinus legit *admirabilem fecit.* Rabbini legunt הפלה *segregavit* sup. sanctum sibi. LXX. legerunt הפלא: eámque lectionem Rabbinicæ præpono quia luculentum sensum exhibet absque ullo additamento, quod nisi accipiat Rabbinica lectio frigida erit.

sanctum. voce illa cultor Dei significatur ut liquet innumeris Scripturæ locis, præsertim Judith. VI. 15. Psal. XXXVI. 29. LXXVIII. 2. LXXXIV. 9. David autem de se heic loquitur in tertiâ personâ ut Psal. XC. 1. CXLIII. 4.

5 *Irascimini & nolite peccare; quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.*

Dolet vobis quod regiâ dignitate orner: doleat per me licet; sed vidéte ne, *dolore illo*, ad peccatum impellamini *vitæ meæ insidiantes:* quúmque in lectis vestris eritis, *ibique tanquam in loco meditationi idoneo vestram perpenderitis rebellionem*, pœniteat vos eorum quæ in cordibus vestris *adversùm me* machinamini.

6 *Sacrificate sacrificium justitiæ, & sperate in Domino. Multi dicunt, quis ostendit nobis bona?*

Móxque sacrificia contrito corde sacrificate; túmque *vos veniam à Deo consequuturos* sperate. *At*, inquiunt multi, *facessant ista consilia:* utinàmque *imperet Absalom, &* bona, *quæ sub regno ejus speramus*, contingant nobis!.

irascimini. subscribit Symmachus interpretans ὀργίζεσθε. Verùm Aquila, quem Rabbinorum grex heic sequitur, vertit κλονεῖσθε *contremiscite*: sensu in rem, de quâ agitur, minùs benè quadrante. Vulgatus & Hebrææ linguæ convenit ut apparet Gen. XLV. 24. & argumento respondet: dummodò in eam, quæ ipsi in Paraphrasi tribuitur, explicationem trahatur; quæ ab originariâ verbi Hebraici significatione non recedit, quum ira accendatur quando de aliqua re dolemus: unde Cicero utrumque doctè conjungit *ardet dolore & ira Pompeius* 2. Att. 9. *dolore efferri & iracundiâ longiùs digredi quàm convenit.* de Ar. 3.

Quæ dicitis. Rabbini legunt אמרו בלבבכם על משכבכם ודמו *dicite in corde vestro super cubili vestro & tacete.* Quod sic ferè interpretantur: *expendite noctu quod vobis dico & desinite mihi esse rebelles*; sensu non malo; sed qui literæ minus benè respondet Hebraicæ, cui etiam addere cogitur. LXX. Senes legisse videntur אשר אמרתם בלבבכם על משכבכם נדמו: quod mirum non videbitur illis qui versum primum Cantici II. Reg. XXII. cum Psal. XVII. 1. comparaverint. Præterea Senes nostri ultimum verbum non in *quiescendi* seu

tacendi, cujus capax est, sententiam acceperunt, sed in *exscissionis* significationem: quâ, in conjugatione *Niphal*, gaudet; quæque compunctioni optimè convenit, quum compunctio seu dolor sit quædam cordis scissio.

a De Orat. Domin.

compungimini. S. [a] Cyprianus legit *transpungimini.* *Nonnulli*, teste B. Augustino, *non compungimini sed* APERIMINI *dicebant melius legi, quoniam in Græco Psalterio est κατανύγητε quod refertur ad illam dilatationem cordis ut excipiatur diffusio charitatis per Spiritum sanctum.* Sed illa lectio iis non placebit qui ad Davidis argumentum attentos admoverint animos.

b Præp. Evang. XIII. 13 p. 683. B.

sacrificate, &c. Hunc à Menandro locum fuisse exscriptum rectè notat [b] Eusebius; eundemque locum ad internam animi sanctitatem, nullatenùs verò ad exteriora sacrificia trahunt Chrysostomus & Theodoritus. Ego ad utrumque refero ex Psal. L. 17. 18. 19. 20.

multi. Absalomitas intelligo quos Psalmo III. 1. *multos* esse dixit Vates.

quis ostendit, &c. optandi formula apud Hebræos ut apparet II. Reg. XXII. 15. Psal. XIII. vers. ult. & plurimis aliis testimoniis quæ, utpote trita, mitto.

7 *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo.*

Ita quidem illi. Sed ego & qui mecum sunt hoc unum optamus, Domine, ut tuus favor in nobis imprimatur & quasi signetur. *Quod si concesseris* majorem cordi meo lætitiam dabis

8 *A fructu frumenti vini & olei sui multiplicati sunt.*

Eâ quam illi *percepturos se credunt* ex frumento vino & oleo quorum multam copiam, *sub Absalomi imperio*, sibi adfore *sperant.*

9 *In pace in idipsum dormiam & requiescam.*

Præterea pacatè dormiam, & magnâ cum tranquillitate quiescam.

10 *Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.*

Tu enim Domine, *favore illo tuo*, cæteris etiam deficientibus collocabis me in tuto, *omnigenam mihi securitatem præstans.*

signatum est. Heb. נסה præteritum Niphal pro futuro imperativi locum tenente ut Psal. LX. 3. LXIV. 9. Rabbini vertunt *attolle*: sensu non contemnendo, sed qui Hebraico vini facit verbô: duas in eo literas commutans, legendo נשא quod per me nunquam licebit.

lumen vultus tui. Eà loquutione favorem & misericordiam Dei intelligit Scriptura ut apparet collatis locis Num. VI. 25. Psal. LXVI. 1. LXXXVIII. 16.

dedisti. præt. pro fut. contra atque Kimchio aliisque nonnullis videtur auctoribus: quibus præteritum arridet, ut sensus sit. miror cur me extinctum tantopere hostes mei cupiant, quum ego nunquam illis inviderim: magnam enim lætitiam mihi dedisti ex bonis eorum; sed sensus ille cum præcedentibus non cohæret: nam, quando præfati hostes bona optarunt *quis ostendit nobis bona*, eos tanquam bonis cumulatos describere heic non potest David.

a. sumitur pro *præ* ut Matth. XI. 19. Luc. XVIII. 14.

fructu. S. Augustinus & Cassiodorus cum Rabbinis legunt *tempore*, minùs dilucidè. LXX. Senes sensum heic non verba expressisse videntur.

frumenti vini & olei. His fructibus omnia intelliguntur bona. Ea Davidiei hostes optant versu 6, qui nostro respondet.

multiplicati sunt. præt pro fut. multiplicabuntur sup. *uti sperant* ut Psal. V. 3. præmitti autem debet pronomen *quibus* quod per ellipsim heic omittitur.

in idipsum. falluntur qui cum Rabbinis vertunt *simul cum illis* sup. hostibus cubabo seu degam. Mihi quidem יחדו est *simul*; sed illud *simul* accipio ut Latinum *in utramque aurem*, ut *in idipsum* idem sit ac *in pace*.

in spe. Spem Noster pro securitate ponit, nec malè: nam major non est securitas quam ea quæ illis contingit qui suam in Deo spem defigunt.

constituisti. præt. pro fut. uti ab Aquilâ observatum videmus.

ARGUMENTUM.

PSALMI QUINTI.

VETERES Hebræorum Magistri à Kimchio laudati docent hunc Psalmum à Davide editum fuisse adversùs Doegum & Achitophelem hostes suos. Sed, quando Doegus & Achitophel diverso tempore & diversâ ratione Davidem vexarunt, ad eos unus idemque Psalmus pertinere non potest. Absalomitica tempora heic respici primo aspectu putabam ob versus 8. 10. cum Psal. IV. 3. LIV. 28. collatos; sed versus 11. & 13. cum Psal. XIII. 4. 7. CXIX. 2. & Zach. II. 10. 11. comparati impulerunt me ut hunc Psalmum nostrum ad Judæos Babylonico jugo addictos referrem. Nec me de hac sententiâ deduxit Templi mentio quæ versu 8. occurrit: quanquam enim Templum tunc temporis eversum esset, Judæi tamen de eo, acsi adhuc staret, verba faciebant ut apparet Psal. LXIV. 5. Hi porrò de quibus loquimur captivi, vel potius Vates personam eorum sustinens Deum orat ut orationem suam exaudiat; tum, considerato Dei erga impios odio, sperat fore ut improbi Babylonii pœnas dent; atque ita Hierosolymas redeat & Deum in templo adoret, quod Judæis lætum simul ac gloriosum fore asserit.

TITULUS.

In finem pro eâ quæ hæreditatem consequitur Psalmus David.

PSALMUS V.

1 *VErba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.*

2 *Intende voci orationis meæ rex meus & Deus meus.*

3 *Quoniam ad te orabo, manè exaudies vocem meam.*

4 *Manè adstabo tibi, & videbo quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.*

5 *Neque habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injusti ante oculos tuos.*

PARAPHRASIS.

1 VErba mea auribus excipe Domine, & clamorem meum audi.

2 Intende voci orationis meæ rex mi & Deus mi.

Nam tibi supplico nec alium præter te invoco: *unde* orationem

3 meam matutino hoc tempore exaudies *ut spero.*

4 Manè adsto tibi, & contemplor quòd Deus es qui iniquitatem non amas.

5 *Quòd* impius consuetudinem tecum non jungit, neque improbi in tuam amicitiam recipiuntur.

ANNOTATIONES.

pro ea qua hæreditatem consequitur. Heb על הנחילות quod Rabbino Hsai est instrumentum musicum cujus sonus bombo apum sit similis; mihi autem nihil videtur esse aliud quàm initium veteris carminis ad cujus melodiam nostrum fuerit accommodatum.

auribus. aures aliaque membra Deo tribuit Scriptura imbecillitati nostræ consulens ut docet [a] Philo: cui nòn infructuosè adjunges [b] Clementem Alexandrinum, [c] Origenem, [d] Athanasium, [e] Gregorium Nazianzenum, [f] Basilium, [g] Novatianum aut alterum, S. [h] Augustinum, [i] Fulgentium, [k] Cyrillum Alexandrinum, [l] Damascenum, [m] Isidorum, aliósque qui de rationibus corporearum appellationum te erudient; impediéntque quominus inde corporeitatem Deo affingas: quam Seleuco, Hermiæ Galatæ, Audio, atque Anthropomorphitis à [n] Philastrio, [o] Epiphanio, [p] Augustino, [q] Theodorito, [r] Cassiano, [s] Socrate, & [t] Sozomeno memoratis, non [u] Melitoni Asiano Episcopo Sardensi, [x] Tertulliano, & [y] Lactantio arrisisse puto; & explosam moneo ab [z] Origene, [&] Gregorio Nazianzeno, [*] Cyrillo Alexandrino, [1] Gennadio, & S. [2] Thoma: præter [3] Ciceronem, [4] Sextum Empiricum, [5] Alcinoum, [6] Maximum Tyrium, & [7] Maimonidem.

intellige, &c. humanæ infirmitati heic quoque se accommodat Vates: qui, istâ loquutione ut & præcedenti atque sequenti, idem repetit; oratque ut Deus preces suas exaudire velit.

manè. aliquibus est ***quàm primùm, citò***; sed voce illa indicari puto ipsum tempus matutinum quo orationem hanc suam fundebat Vates: pro more Judæorum qui manè orare solebant ut apparet Psal. LXII. 1. LXXXVII. 14. CXVIII. 147. 148. præter meridie & vespere de quibus Psalm. LIV. 19.

exaudies. Quidam deprecanter exponunt ***exaudias quæso*** quod non vitupero.

a lib. de Caino & Abele.
b V Stromat.
c Homil 3. in Gen. & lib 1. de Princip.
d Orat. 5. contr. Ar.
e Orat 37.
f lib. 2. con. Eunom
g lib. de Trinit. c. 7.
h lib. de Gen. con. Manich. c. 17.
i in resp. 9. ad object. Arian.
k lib. 5. con. Jul.
l lib. I. c. 11.
m lib. I. de sum. Bono c. 7.
n de Hæres. c. 8.
o Hær. 70.
p de Hæres. c. 50.
q lib. IV. de Hæres. cap. 11.
r Collat. X. c. 2. & 5.
s Hist. Eccl. lib VI. c 7.
t lib. VIII. c. 11.
u quicquid dicat Origenes apud Theodoritum quæst. 20. in Exod
x quicquid scribat cont. Prax c. 7.
y quicquid proferat lib de ira Dei.
z lib I de Princip c. 1 & lib. 7. con. Cels.
& Orat. 34.
* lib con. Anthrop.
1 lib. de Eccles. Dogmat. c. 11.
2 lib. I. contr Gentes. & in Sum Theol. 1. part q 3 art. 1.
3 apud Aug. de Civit XX 20.
4 lib. 6. contr. Mathemat.
5 cap. 10.
6 Dissert. 1.
7 lib. I. More Neb. c. 53 & seq.

adstabo. fut. pro præt. adeóque pro præsenti : quod dictum etiam velim de fut. sequenti ***videbo*** : quod quidam minus rectè interpretantur ex'pecto auxilium tuum ; & pro quo S. Cyprianus de'orat. Dom. habet ***contemplabor te.*** Psalt. Arab. ***videbis me.*** Laudatus Cyprianus legit ***assistam*** pro ***adstabo.***

quoniam pro ***quòd*** passim hoc in opere.

non Deus volens iniquitatem. Ex his & quæ sequuntur verbis apertè intelligimus Deum non esse caussam peccati : quam sanctissimi Vatis doctrinam tuentur & explicant a Athenagoras, b Clemens Alexandrinus, c Tertullianus, d Origenes, e Methodius, f Titus Bostrensis, g Eusebius Cæsariensis, h Athanasius, i Basilius, k Gregorius Nyssenus, l Augustinus, m Gaudentius Brixianus, n Guilelmus Parisiensis, aliique passim obvii : quibus addi velim o Homerum, Platonem cùm ab Eusebio p tùm à Theodorito q productum, r Philonem Judæum, s Plutarchum, & t Maximum Tyrium. Quos inter Auctores u Maximus Tyrius, x Clemens Alexandrinus, y Basilius, atque z Augustinus peccatum voluntati nostræ adscribentes veram illius attigere caussam : quam & Plato Justino martyri prolatus, Cerdo, Marcio, Valentinus, Manichæi, & Priscillianistæ à * Basilio, 1 Ambrosio, 2 Augustino, 3 Leone, 4 Bracarensibus Patribus, atque 5 Euthymio notati vel materiæ ingenitæ ; vel malo, eóque æterno ac coæterno, principio perperàm tribuerunt.

Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium.	6	*Quòd* odio habes omnes qui operantur iniquitatem, perdísque omnes qui mendacium loquuntur.
Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus. Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ.	7	*Quòdque* abominatur Dominus viros sanguinarios & fraudulentos. *Tùm* verò, immensâ misericordiâ tuâ fretus,
Introïbo in domum tuam, adorabo ad Templum sanctum tuum in timore tuo.	8	*Spero fore* ut in domum tuam *aliquando* ingrediar, & *te* in sancto tuo templo reverenter adorem.
Domine deduc me in justitiâ tuâ : propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.	9	*Oróque sic* : deduc me Domine per bonitatis tuæ tramites ; & cœpta mea favore tuo prosequere. *ut templum illud repetam ; idque concede* ratione habitâ inimicorum quibus sum mancipatus.

loquuntur mendacium. Quanta sit mendacii atrocitas ex isto colligitur loco : qui, licet eas, quæ in societate civili sive verbo sive opere fiunt, fraudes propriè spectet, ad ipsa tamen levia atque officiosa non incommodè trahi potest mendacia : quæ etsi ab 6 Herodoto, 7 Diphilo, 8 Platone, Sophocle, Pisandro, Philone, 10 Maximo Tyrio, 11 Clemente Alexandrino, 12 Origene, 13 Hieronymo, 14 Chrysostomo, 15 Cassiano, 16 Pseudo-Hilario, 17 Ruperto, 18 Martino de Magistris, 19 Merulo, & ab aliis nonnullis laudentur aut excusentur, mihi 20 Euripidem, Chœremonem, Phocylidem, Cleobulum, 21 Aristotelem, 22 Ælianum, S. 23 Augustinum, S. 24 Gregorium Magnum, 25 Alexandrum III. S. 26 Thomam, 27 Caietanum, 28 Alphonsum à Castro, & 29 Sixtum Senensem legenti probari non possunt. Præclarè Magnus 30 Gregorius. ***Hoc quoque mendacii genus perfecti***

a in Apolog.
b l. Stromat.
c lib. contr. Hermog. cap. 16.
d lib. 6. contr. Cels.
e apud Phot. cod. 236.
f l. 2 contr. Manich.
g Præp. Evang. lib VI. c. 6.
h lib. contr. Gentes & lib. de sal. adv. Chr.
i to. 1. pag. 426.
k in Catechet. cap. 1. & 3.
l lib. 83. Quæst. q. 4. & 21. lib. 1 de peccat. mer. c. 19. lib de Gen. ad lit c. 5. lib. 1. contr. Jul. c. 8. &c.
m Serm. 3. de Pasch.
n lib. de vitiis cap 4.
o Odyss. 1. qui tamen in contrariam sententiam trahitur à Platone ap. Euseb. mox cit.
p Præp. Evang XIII. 3.
q Serm. 6 contr. Græc.
r lib. quod deterior potiori insid. lib. de Conf ling. lib. de Profug. &c.
s adv. Stoicos p. 1086.
t Dissert. 35.
u loc. cit.
x l. Stromat. p. 311.
y to. 1. p. 426.
z de peccat. merit. c. 19 & lib. 1. con. Jul. c. 8.
& in Protrept.
* Homil. 2. in Hex.
1 in l. Hex. c. 8.
2 lib. de Hær. c. 46.
3 Epist. 93.
4 capitulo 7.
5 Panopl. part. 1. tit. 9.
6 lib. 3.
7 apud Stobæum ferè 12. ubi etiam nonnulli alii auctores, heic producti, citantur.
8 lib. 3. de Rep.
9 lib. de Cherubim.
10 Serm. 3.
11 Stromat. VII p 731. D. E.
12 Comment in Ep ad Gal. & in 6. 10 Strom. quorũ meminit Hier. Ep 89. & lib. 1. adv. Ruf.
13 Comment in 2. Ep. ad Gal. & Ep. 87. quæ est Aug.
14 Homil. 53. in Gen.

15 Collat. 17. c. 17. 16 Enarratione in Psal. 14. quæ vero Hilario abjudicanda videtur ob ea quæ dicit Hier. in Hil. 17 lib. 1. Com. in Exod. cap. 7. 18 tract. de fortit. q. 5. de Martyr. 19 lib. 4 c. 4. 20 apud Stob. loc. cit. 21 Ethic. lib. 4. c. 7. & lib. 1. Elench. 22 var. Hist. lib. 12. & ult. ubi de Pythagora, & de Sene Cæo. 23 lib de Mend. Quæst. 74. in Gen. lib. XVI. de Civit. c. 37. &c. 24 lib. XVIII. Moral. ad Iob. 27. 25 lib 5. Decretal. tit. 19. de Vsuris c. 4. 26 2. 2. q. 110. art. 3. 27 in 2. 2. q. 124. art. 5. ad 3. dub. 28 de hæres. in verbo mendacium. 29 lib. 5. annot. 107. 30 loc. cit.

viri magnopere fugiunt: ut ne vita quidem cujuslibet per eorum fallaciam defendatur, ne sue animæ noceant dum præstare vitam carni nituntur alienæ.

virum sanguinum. pars hæc priori præcedentis versus hemistichio respondet, & altera secundo: atque unaquæque repetitionem continet, quam Psaltes multipliciter variat ut observare est in Psal. XXXI. 1. 2. XC. 5. 6. CXLVII. 2. 3. & plurimis aliis.

in justitiâ tuâ. justitiam pro misericordiâ seu bonitate sumi suprà annotavimus; sicque heic accipiendam esse ostendit respondens ei in altero hemistichio *conspectus*, nam vox hæc ut & *facies* divinum favorem significat. Unde liquet idoneam B. Hieronymo ad Suniam & Fretelam scribenti non fuisse caussam cur lectioni nostræ istam præponeret *dirige in conspectu meo viam tuam*: quanquam istam lectionem retineri posse confiteor, dummodò *via* hæc pro *misericordia* sumatur, quemadmodum aliquot in locis accipitur.

propter inimicos meos. Horum castigatio tacitè heic innuitur, siquidem Judæi in patriam redire non poterant nisi pœnas darent Babylonii, quod paulò post clarè attingitur. Mirum autem Vatis artificium attende. Primò universim dixit Deum improbis esse infensum, nunc verò ad thesim descendit; & eo, quod posuit, principio fretus Deum precatur ut sibi faveat castigatis inimicis suis, utpote qui improbissimi sint ut mox ostendit.

viam meam. S. Augustinus legit *iter meum.*

10 *Quoniam non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est.*

Siquidem non est in ore eorum veritas, & illorum animus fraudes nectit.

11 *Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant. judica illos Deus.*

Eorúmque guttur sepulchro aperto *& fœtorem emittenti* simile putidas calumnias fundit: suámque linguam ad fraudem componunt. judicium *ergo* in eos pronuntia ô Deus, *illósque castiga.*

12 *Decidant à cogitationibus suis; secundùm multitudinem impietatum eorum expelle eos quoniam irritaverunt te Domine.*

Irritæ sint pravæ quas *adversùs nos* suscipiunt cogitationes; eósque *è terra ipsorum* expelle ob eorum impietates quæ sunt gravissimæ: nam *nobis non solùm injuriam inferunt*, sed te Domine irritaverunt *potentiam tuam ridentes.*

13 *Et lætentur omnes qui sperant in te, in æternum exultabunt: & habitabis in eis.*

Omnes autem qui in te sperant *Judæi* lætabuntur, & perpetuò exultabunt: tuáque eos præsentiâ beabis.

vanum. idem quod fraudulentum, fallaciæ plenum, ut apparet Psal. IV. 3. istúdque hemistichium prioris est repetitio: quemadmodum in versu præcedenti ubi *dirige in conspectu tuo viam meam* idem valet ac *deduc me in justitia tua*; hoc est tuâ me benevolentiâ complectere, seu fave mihi.

à cogitationibus suis. Hinc conjicio Babylonios de perdendis, qui servitutem apud eos serviebant, Judæis cogitasse, quod à verisimilitudine alienum non videbitur illis qui ad Estheris historiam animum appulerint. Unde ad eos, qui hac in historiâ memorantur, captivos Psalmum nostrum pertinere suspicari fortasse quis posset, non repugnante tempore: quum ad eam, de quâ loquimur, ætatem Esther revocanda sit, ut [a] alibi à me probatum est.

[a] Reflex. Relig. Christ. to. 1.

irritaverunt.

judica. Quidam, *desola.* Alii, *condemna.* Nonnulli, *reos perage eos.* Kimchi *delinquere fac eos in consiliis suis*, hoc est non succedat quod cogitant.

irritaverunt. supplementum in paraphrasi positum suppeditat Psal. CXIII. 10.

latentur. pro lætabuntur ut sequentibus patet futuris.

habitabis in eis. Hæc locutio sic accipi non debet quasi revera Deus in loco habitare incipiat ubi antea non erat; sed eâ loquutione Vates utitur ut divinum significet favorem: quem sacri Scriptores, humanæ infirmitati consulentes, præsentiâ denotare solent; quemadmodum iram recessu exprimunt ut apparet collatis locis Jer. VII. 7. Ezech. XLIII. 9. Zach. II. 10. 11. Apoc. VII. 15. XXI. 3. I. Reg. XXVIII. 16. Psal. IX. 22. Jer. VII. 15. IX. 2. quod qui non attendunt interpretantur heic *operies* aut *operire facies eos*: veniâ digni si *opertione* illâ protectionem intelligant; sed minimè excusandi si nostrum vexent Interpretem: cui ipse favet Hebræus textus תסך quum verbum illud (ut ex nomine סך *tabernaculum* inde deducto liquet) significare possit *tabernaculum pones* hoc est *habitabis*, quod verbum favorem notat ut dixi, & versu sequenti explicat Psaltes.

Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices justo

14 Et omnes qui nomen tuum diligunt in te gloriabuntur, quum tu justis benefeceris

Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.

15 Domine, & tuâ (*quæ* instar scuti *erit*) benevolentiâ nos coronaveris.

quoniam. Heb. כי quod interdum significat *quando*; *quum* ut Psal LXX. vers. ult. ubi Noster lumen nobis præbet quod ipsius caliginem heic discutiat.

justo. sing. pro plurali ut sequenti liquet pronomine *nos*: ubi personæ mutationem alibi observatam videns non immeritò suspicaberis sic olim habuisse textum Hebræum qui nunc præfert *eum*, eodem tamen sensu: quum illud pronomen referatur ad vocem *justo*, quâ captivos intelligo Judæos, ita dictos quia tunc in meliorem frugem se receperant, vexatione nimirùm dante intellectum.

voluntatis tuæ. ita S. Aug. sed Codices Reg. 112. Colb. 1339. & Memm. 2. *voluntatis*.

coronasti nos. Aquila, *coronabis eum.*

ARGUMENTUM.

PSALMI SEXTI.

MIHI Judæos Babylonico jugo addictos, non solùm pauperes & infirmos sed etiam mortuos cùm apud Prophetas tùm apud Psalmographum vocari cogitanti diu incessit suspicio Carmine isto ut & huic similibus Psalmis XXXVII. & XL. Babylonicæ captivitatis ærumnas repræsentari; sed de hac me sententiâ deduxerunt versus 11. Psalmi XXXVII. & versus 9. 10. Psalmi XL. placuítque nostrum hunc Psalmum & duos alios à me laudatos de Davide acerbissimis, post stupratam Bethsabeam & occisum Uriam, calamitatibus ve-

xato & peccata sua deplorante exponere, quod sic conficio. Absalomus conjurationem suam moliri cœpit quadriennio antequam eam patefaceret ut liquet ex II. Reg. XV. 2. 3. 7. 10. dummodò cum Codicibus Regio 222. Colbertinis 1. 158. & Memmiano 1. atque Josepho & Theodorito legamus ℣. 7. *post quatuor autem annos*, pro his verbis *post quadraginta autem annos* cum impressis libris, qui crassum heic continent errorem: quem commodè non tollas quadraginta illos annos à primâ Davidis unctione computans; multò minus eos ita intelligens ut sensus sit Absalomum anno ætatis quadragesimo ad Davidem dixisse *vadam & reddam vota mea quæ vovi Domino in Hebron* Consultiùs egeris si laudatos Codices manu scriptos & nobiles, quos memoravi, Auctores sequutus mendum, quod non solùm in impressos libros sed etiam in Hebræum Bibliothecæ Memmianæ Codicem ubi legitur ארבעים, irrepsit, expungas; & pro *quadraginta annos* rescribas *quatuor annos*: nisi malis, cum Codice Regio 138. legere *quadraginta dies*; quam tamen lectionem, etsi aliquâ probabilitatis specie ornatam, tuo (si mihi credas) assensu non comprobabis. Intra quadriennium à me annotatum Psalmus noster conditus videtur; idémque de Psalmis XXXVII. & XL. judicium facio: & ex illis omnibus conjicio Davidem eâ tempestate in gravem incidisse morbum., qui trium horum Psalmorum componendorum locum dederit; nisi credere velimus poeticas esse, quæ in eis leguntur, morbi descriptiones; iisque Davidem fuisse usum ut doloris sui & suæ miseriæ gravitatem exprimeret: quod tamen minùs mihi arridet, etiamsi Psalmi 87. & 142. huic explicationi favere aliquantulùm videantur. Hujus quidem, quem in prædictis Psalmis 6. 37. & 40. verè memorari puto, morbi

nulla cùm in Regum tum Paralipomenon libris mentio occurrit; nec eum Nathan II. Reg. XII. inter eas recenset pœnas quas Davidi, propter peccata ab eo admissa, comminatus est: sed, præterquam quod nemo facilè in animum induxerit Davidem, qui ad summam senectutem vixit quique maximas acerbitates pertulit, nullo unquam morbo laborasse, probabiliter ex I. Paralip. XXIX. 29. colligitur multa in his & Regum libris desiderari quæ in libro Nathan prophetæ atque in volumine Gad videntis exstarent. Morbi de quo agitur fortasse meminerant duo illi auctores; sed eorum damnum resarciunt laudati à me Psalmi: qui, meo quidem judicio, docent Davidem, præter eas quas pro peccato expendit pœnas in secundo Regum libro commemoratas, valetudinem amisisse; túncque inimicos ejus conjurationem, quam Absalomus II. Reg. XV. inchoaverat, promovisse; multámque deformando Davidi, ejúsque dignitati detrahendæ ac spoliandæ operam dedisse. Tria possunt contra hanc doctrinam objici: primùm vero non esse simile defleri à Davide peccatum Psal. XXXVII. quod sibi à Deo indultum sciret, & reformidari mortem quam se hac vice non obiturum didicisset; secundò probabile fieri ex II. Reg. XV. 31. Achitophelis defectionem Davidi non innotuisse intra quadriennium à me notatum quod tamen Psalmus XL. supponit, sed tunc demùm quum ex Urbe egressus est David; tertiò Davidem morbo tentatum & viribus destitutum benevolentiam hostium suorum blanditiis & assentationibus colligere debuisse potiùs quàm eis, octavo Psalmi nostri versu, insultando illorum odium inflammare, eósque impellere ut ad extrema descenderent, præsertim quum Davidis morbus amplam ad id faciendum occasionem offerret. Primæ

objectioni satis me facturum arbitror si dixero esse hoc in more positum institutóque piorum ut se à deplorando peccato liberos non existiment, tametsi veniam illius sint consequuti; hominésque sic esse comparatos ut malum, à quo se declinaturos norunt, reformident quum in periculo versantur. Secundam objectionem sic diluo fieri potuisse ut Achitophel esset in numero illorum Israelitarum quorum corda Absalomus II. Reg. XV. 16. sollicitaverat antequam ipsius conjuratio è latebris erumperet; neque hoc Davidem latuisse quanquam secùs existimarent ii qui II. Reg. XV. 31. nunciaverunt ei quòd & Achitophel esset in conjuratione cum Absalomo. Quod autem tertio loco objectum est elevare facilè possem dicendo cum Cornelio Jansenio, *Davidem volentem significare inimicos suos delusos esse suâ expectatione præcepisse ut à se discederent & converterentur in fugam, per tropum significando eos desistere debere à suâ expectatione.* Sed quando tropus ille cum Psalmo XL. minùs benè cohæret, eâ responsione uti nolo; & dicere malo nihil obstare quominus David, altiore vir animo & divinis roboratus promissis, eum cum inimicis suis habuerit sermonem qui in octavo Psalmi versu describitur. His generatim de Psalmis VI. XXXVII. & XL. disputatis ad nostrum seorsim venio; & dico Davidem morbo afflictum sanitatem à Deo petere: quam ut impetret ad divinam misericordiam primò confugit; tum declarat sanitatem à se optari ut Dei laudes unà cum vivis canere possit; deinde malorum suorum magnitudinem depingit ut Dei iram, quam initio carminis deprecatus fuerat, omninò mitiget, atque ita è morbo recreetur. Denique divino nixus auxilio & certam de victoriâ spem, ex divinis promissis, concipiens inimicos suos ipsum specie amici-

tiæ invisentes repellit, asserens orationem suam auditum eósque pudore suffusum iri. Egregia, ex hoc Psalmo, documenta capimus: atque, ut ea breviter attingam, admonentur ægroti ut divinam misericordiam implorent: hinc afflictionis gravitatem commemorantes; hinc verò, quod caput est, ingerentes sanitatis recuperandæ desiderio se flagrare ut Deum in mundo celebrare possint. Præterea admonentur ægroti ut, Deo nixi, animo confidant; & crudelissimum generis humani hostem nempe Diabolum insidias, hoc præsertim tempore, struentem viriliter propulsent. Quæ omnia ad morbum spiritualem optimè etiam traxeris.

TITULUS.

In fin m in Carminibus Psalmus David pro octava.

PSALMUS VI.		PARAPHRASIS.
Domine ne in furore tuo arguas me; neque in ira tua corripias me.	1	NE quæso, Domine, castiges me iracundiâ elatus; nec me irâ inflammatus punias.
Miserere mei Domine quoniam infirmus sum; sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea;	2	*Sed* miserere mei Domine, nam valdè sum infirmus; sana me Domine quoniam conturbata sunt ossa mea;
Et anima mea turbata est valde, sed tu Domine usquequo?	3	Et anima mea, *præ mortis metu*, vehementer turbata est. Quousque tandem Domine malis me atteres?

ANNOTATIONES.

in finem in carminibus. De his vocibus jam diximus.

pro octava. Hac dictione musicum, quod octo chordis constaret, instrumentum denotari plerique existimant; sed illa opinio mihi vigesimum primum capitis XV. prioris Paralipomenων libri versum *octavam* שמינית cum instrumento musico nempe citharâ conjungentem expendenti probari nunquam potuit. Alii octavâ intelligunt novissimum judicii diem qui septem diebus, quibus nunc vita peragitur, succedet; quique octavâ die designari solet; verùm hæc sententia, quantumvis pia, à laudato Paralipomenων loco refellitur. Arbitror ego dictione illâ significari Carmen nostrum juxta melodiam veteris cantilenæ ab hac voce בנגינות idest *carminibus* incipientis cantatum fuisse, *tono* videlicet *octavo*. Cod. Colb. 1339. habet: *in finem pro octavo Psalmus David vox Christi ad Patrem:* quæ ultima verba in Cod. Reg. 138. Colb. 158. & Memm. 2. comparent.

in furore. idest ne punias me acerbiùs: nam qui irati puniunt severè castigant,

& eas exquirunt pœnas quas Themistius à [a] Stobæo productus vocat *ἀνηλεῖς, ϗ ἀγρίας ϗ ἀμέτρους intolerabiles, crudeles & immoderatas.* Petit ergo David puniri citra iracundiam: quomodo delicta puniri vult [b] Leo, exemplo scilicet patris filium benignè castigantis.

[a] Serm. 44.
[b] Constit. 105.

4 *Convertere Domine, & eripe animam meam: salvum me fac propter misericordiam tuam.*

Bonitate utere Domine, & me *ex hoc morbo* eripe; salutem mihi, pro tuâ misericordiâ, præsta; *nec mortem me obire finas:*

5 *Quoniam non est in morte qui memor sit tui; in Inferno autem quis confitebitur tibi?*

Mortui enim memoriam tui non celebrant *unà cum vivis*, & nemo in sepulchro laudes tuas canit: *unde si vitâ functus fuero præconium tibi inter vivos non tribuam. Salvum me fac igitur ut te laudare possim in hoc mundo.*

6 *Laboravi in gemitu meo; lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.*

Ad hæc reduc me ad salutem habitâ ratione malorum quibus premor. Laboro gemens, lectúmque meum singulis noctibus perluo, & stratum meum lacrymis meis irrigo.

7 *Turbatus est à furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.*

Caligine obductus est oculus meus præ *ploratu quem edo cernens* furorem *hostium meorum*; & *tristitiâ* consenui inter inimicos meos.

convertere. Dei ad nos conversio favorem ejus denotat, ut ejus à nobis aversio iram illius adversus nos prodit ut jam observavimus.

in morte idem quod in inferno, & infernus idem quod sepulchrum ut isto patet versu & Psal. LXXXVII. 12. Is. XXXVIII. 18 Baruch. II. 17. Gen. XXXVII. 35. XLII 38. Tob. VI. 15. Immortalitatem animæ nullatenùs heic lædit David; sed ad suam respicit ætatem: in quâ, quum Dei laus ab uno tantùm populo Judaico caneretur atque in terris rara admodum esset, gloriosa Deo putabatur ab Israelitis; unde in vitâ servari cupiebant ut Deum celebrarent, ídque David postulat qd. vitam mihi conserva ut te laudare possim in hoc mundo, ubi à tam paucis hominibus laudem consequeris.

lavabo, &c. Hanc locutionem imitatus est [c] Homerus dicens Λέξομαι, &c. idest: *in lecto qui dat suspiria multa cubabo; Quémque meis lacrymis largo velut imbre rigavi.*

[c] Odyss. [illegible]

à furore. S. Augustinus *in ira.* Aquila, *αὐχμώθη squaluit.* Symmachus, *ἐφλέγμανεν ἀπὸ πικρασμοῦ languit præ amaritudine.*

inveteravi. Heb. *inveteravit.* LXX. Senes pro עתקה *inveteravit* legerunt עתקתי *inveteravi*; & melior est eorum lectio: nam, quum Psaltes heic agat de senio quod molestiæ ab hostibus allatæ acceleraverant, toti homini rectiùs quàm oculo prædictum senium tribuitur. Quòd autem homines afflictionibus senescant [d] Homerus, [e] Hesiodus, [f] Aristophanes, ejúsque Scholiastes cum nostro dixerunt Vate: cujus lectionem, prout à LXX. Senibus in primâ præteriti personâ repræsentatur, Hebraicæ hodiernæ esse anteponendam insuper colligitur ex vetustissimis Interpretibus Aquilâ & Symmacho: quorum prior vertit

[d] Odyss. τ.
[e] lib. 1. Oper. & Dier.
[f] in Ranis.

μετήχθην ἐν πᾶσιν ἐνδέουσί με translatus sum in omnibus illigantibus me ; alter autem interpretatus est *ἐπαλαιώθην διὰ τοὺς θλίβοντάς με consumtus sum propter eos qui tribulant me inter omnes*, S. Aug. *in omnibus*. Hæc porro verba Davidem inter hostes tunc fuisse versatum innuunt : quod nostram, de Psalmo condito dum conspiratio conflaretur, conjecturam firmat.

8 *Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.*

Verùm ô iniqui omnes hostes mei, *qui me in lecto decumbentem specie amicitiæ invisitis & tamen prava in corde consilia agitatis*, discedite à me : nam Dominus vocem meam fletu permixtam exaudiet.

9 *Exaudivit Dominus deprecationem meam ; Dominus orationem meam suscepit.*

Audiet Dominus deprecationem meam ; Dominus orationem meam admittet.

10 *Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei, convertantur & erubescant valdè velociter.*

Pudore suffundentur & vehementer conturbabuntur omnes inimici mei ; retrocedent & *spe suâ frustrati* valde & velociter erubescent.

iniquitatem. Aquila eodem sensu vertit *ἀνωφελὲς inutile* : iniquitas enim ipsis improbis inutilis esse solet.

exaudivit. accipitur à Quibusdam in præterito ut sonat : quasi repentino afflatu orationem suam auditam esse prævideri David. Sed ego præteritum illud pro futuro sumo ex Psal. IV. 4.

conturbentur. Aquila minus rectè : *καταταραχθήτωσαν σφόδρα sollicitì sint vehementer.*

convertantur. Aben Ezra : pœnitebit eos aut quærent mihi reconciliari. Kimchius revertentur ad me ut mecum in gratiam redeant, atque ita illos pudebit. Alii, à cœpto & cogitatione suâ retrocedant. Ego literaliter interpretor : in fugam convertentur, seu retrocedent mecum dimicantes ; atque adeò pudore afficientur. Confer Psal. XXXIV. 26. XXXIX. 15.

valdè. id adverbii deest in Hebræo textu ; sed illud Lex Synonimica postulat : ita ut suspicari liceat præfatum adverbium in antiquis Codicibus Hebraicis exstitisse.

ARGUMENTUM.

PSALMI SEPTIMI.

PSALMUS, ad cujus explanationem aggredimur, tempus respicere videtur quod I. Reg. XXII. 7. 8. 9. describitur : ibi enim Saulem Davidi iratum, eíque per-

duellionis crimen inferentem cernimus ; & utraque hæc res isto in Psalmo repræsentatur. Ira Saulis apparet in primo & secundo versibus in quibus ejus persequutio exprimitur ; præterea ỷ. 3. 4. memoratur crimen quod ab eo, cujus in Libro Regum à Saule insimulatur David, non discrepat. Ad hæc Saulina tempora in hoc Psalmo recoli suadent & titulus & postremi versus. Titulus carmen editum esse affirmat ad retundenda verba Chusi filii Jemini. Saul autem *Chus* seu *Æthiops* dici potuit quòd atris esset moribus, quos non magis mutaret quàm cutem Æthiops : nam etsi v. g. aliquoties se adversus Davidem odio non inflammatum iri asseruisset, cum tamen semper oderat nec odium illud magis deponebat quàm pellem Æthiops, comparatione in Scripturis usitatâ & apud Jeremiam XIII. 23. legendâ. Deinde Saul filius erat Jemini, quippe qui tritavum habuerit Jemini ut apparet I. Reg. IX. 1. 21. Postremi versus de inimico suis artibus casuro loquuntur ; & Saulem gladio, quem Davidi infigere cupiebat, concidisse scimus. Chaldæus Paraphrastes nobis consentit, dum Psalmum ad Saulina tempora refert ; sed à nostrâ explicatione ut & ab Hebræis literis recedit quum pro *Chus filii Jemini* ponit *Saulis filii Kis qui de tribu Benjamin* S. Augustinus Chusum exponit de Chuso Arachite amico Davidis in II. Reg. XVI. commemorato, atque adeò Psalmum ad Absalomitica tempora trahit ; subscribentibus Theodorito atque Euthymio. Verùm opinio illa Hebraico refellitur textu in quo Chusus Arachites primam nominis literam habet ח *Cheth* ; noster autem Chusus literam כ *Caph* præfert. Eò accedit quod Chusus Arachites non erat filius Jemini (nisi ad allegoricam recurratur interpretationem, quam etsi S. Basilio probatam recipere

recipere heic non ausim) & nullam in Davidem adhibuerat calumniam, qualem finxerat Chus ille cujus in nostro carmine mentio fit. Addit Hieronymus, aut alter ejus nomine gaudens, quòd Chusus Arachites per ס *Samech* literam scriptum est; hic verò per שׂ *Sin*: sed labitur vir doctus; saltem in hodiernis Hebræorum exemplaribus tertia utriusque nominis litera, de quâ heic est sermo, per literam שׂ *Sin* exprimitur. Melior est altera S. Hieronymi ratio quæ ex Davidis in Absalomum amore petitur quæque impedire debebat quominus David, qui Joabo & cæteris ducibus præceperat dicens *parcite puero Absalom*, de morte filii nunc loquatur CONCEPIT DOLOREM ET PEPERIT INIQUITATEM. LACUM APERUIT ET EFFODIT EUM, ET INCIDIT IN FOVEAM QUAM FECIT: *maximè qui, morte ejus auditâ, operuit caput suum & ejulans clamaret filius meus Abessalon, filius meus Abessalon.* Melior, inquam, est illa ratio; sed decretoria non videtur, quum laudatus à B. Hieronymo textus propheticè, non deprecanter enuntietur. Quod verò S. Hieronymus de Davidis ejulatione subjungit ipsi non minùs quàm iis, quos confutat, auctoribus officit: quum David, auditâ Saulis morte, vestimenta sua sciderit, eúmque amarè planxerit. Aliis Chus videtur fuisse Semei qui filius Jemini erat; quíque Davidi Absalomum fugienti maledixit II. Reg. XVI. 11. Sed postremi versus Psalmi non benè in illum quadrant virum cujus exitus ignoratur: adde quod viri hujus maledicta pacatè ac demissè excipit David, illumque excusat; in Psalmo autem de suis queritur inimicis, eósque in culpa ponit. At hinc, ut & ultimo Psalmi versu, aliquis objecerit vero nullatenus esse simile ut David qui I. Reg. XXIV. XXVI. & II. Reg. I. Sauli, quem occidere poterat, vitam servat; quíque summam

adverſus eum, utpote Dei unctum, reverentiam adhibet, & mortuum plangit, de hujus exitio Principis in extremo Pſalmi verſu lætetur, & de eo minùs honorificè ℣. 14. loquatur; præſertim quum [a] Eccleſiaſtis hoc ſit præceptum *etiam in cogitatione tua regi ne detrahas* Reſpondeo Davidis gaudium non in Saulis mortem, ſed in Dei juſtitiam hac morte manifeſtandam cadere: ut perſpicuum eſt ex his, quæ in extremo illo verſu leguntur, vocibus *confitebor Domino ſecundùm juſtitiam ejus*. Quòd ad contemtum, qui ſecundo loco objicitur, attinet Kimchianâ, quam Muiſius (ut Kimchii pleráque) ſequitur, ſolutione non utar: dicendo mirum non eſſe quòd David, de Saule loquens, in hæc verba *Ecce parturiit injuſtitiam, concepit dolorem*, &c. eruperit; quum ipſi in os dixerit *ab impiis egredietur impietas*: hac, inquam, ſolutione non utar, ſiquidem laudatus à Kimchio locus non Saulem reſpicit; ſed impios vulgari proverbio reprehenſos, quos David imitari non vult ne in eorum impietatem incurrat. Verum eſſe quod dico fatebuntur omnes qui locum accuratè legerint, & concluſionem expenderint quam David ex allato proverbio elicit, quæque cum Kimchianâ ſolutione cohærere nequit. Hanc itaque ſolutionem mittens, dico iniquum potuiſſe à Davide vocari Saulem utpote qui projectus jam à Deo eſſet & gravi ſe obſtrinxiſſet ſcelere, Davidem de ſe benè meritum & juſſu divino unctum inſectando. Atque hinc reſponſio patet ad Eccleſiaſtis auctoritatem quæ diverſâ in ſpecie verſatur: quum ſubditos, qui principem quantumvis iniquum venerari debent, reſpiciat; in noſtro autem Pſalmo rex à Deo electus regem à Deo rejectum iniquitatis inſimulet. Quòd demùm de Davidis planctu opponitur perfaciles exitus habet: quum nihil impediat quominus triſti poſſimus

[a] X 20.

illachrymari morti, & de eâ gaudere ob laudem Deo inde accedentem. His paulò fusius ita disputatis tota Psalmi materia paucis aperienda est. Divinam adversus Saul ejúsque sequaces opem implorat David, suam commemorans innocentiam; petítque à Deo ut se insontem defendat, & finem accipiat vexatio sibi illata ab hostibus: quos de serâ Numinis vindictâ admonitos ad pœnitentiam hortatur; impendentem, ni resipiscant, pœnam proponens. Tum Saulis interitum prænuntiat & laudes Deo, pro servatâ justitiâ, promittit: nostrum crasso modo adumbrans Redemtorem, qui Deum, suis in ærumnis semper invocabat; suósque ad resipiscentiam jugiter excitabat afflictores: quorum cladem, non sine lacrymis, vaticinatus est.

TITULUS.

Psalmus David quem cantavit Domino pro verbis Chusi filii Jemini.

PSALMUS VII.

1 *Domine Deus meus in te speravi; salvum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.*

PARAPHRASIS.

Domine Deus mi in te spero *non in humano auxilio: quapropter* eripe me ex omnibus qui me persequuntur, méque *ex eorum manibus* libera.

ANNOTATIONES.

Psalmus David quem cantavit, &c. Hunc titulum retinet Sanctus Johannes Chrysostomus; sed de duobus aliis meminit ita conceptis: ψαλμὸς ὑπὲρ ἀγνοίας, &c. idest *Psalmus pro ignorantia David.* & ἀγνόημα τῷ Δαυίδ, idest *ignorantia David.* Quod enodatiùs explicat Sanctus Hieronymus dicens. *Aquila hunc locum ita interpretatus est pro ignorantia David qui cecinit Domino pro verbis Æthiopis. Symmachus in hunc modum pro ignoratione David qui cecinit Domino pro verbis Chusi filii Jemini.* Interpretationes illæ hodiernum supponunt titulum Hebræum in quo legitur שגיון, quod ad literam sonat *ignorantia* (seu error ex ignorantiâ profectus;) quomodo à Vulgato interprete vertitur Hab. III. 1. quódque Rabbino Aben Ezra est initium cantilenæ ad cujus tonum hic Psalmus decantatus sit, Kimchio species aliqua symphoniæ, aliis cantio erratica seu varia quæ om-

nibus Musicæ rationibus decantaretur simul. Verùm prædictum nomen שגיון ab iis, quos LXX. Senes terebant codicibus, abfuisse videtur; veríque est admodùm simile ut Codices illi habuerint מזמור, pro שגיון quâ de voce nonnihil addam. Rabbinum Aben Ezra, quem in explicatione dictionis *binghinoth* Psal. IV. sequutus sum, heic non desererem nisi vocem נגינות *neghinoth* unà cum nomine שגיונות in oratione Habacuci nancíscerer: inde enim vocabulo שגיון initium veteris cantilenæ denotari non posse colligitur, quum nomine נגינות initium illud designetur. Crediderim igitur vocabulum שגיון esse nomen toni ad quem cantilena, quæ à dictione נגינות incipiebat, accommodata erat; quíque nomen ab ignorantiâ fortè traxerit eò quod perfacilis esset ille tonus, posséque vel ab ipsis ignaris atque indoctis nullo negotio edisci.

2 *Nequando rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat neque qui salvum faciat.*

Ne fortè me, ut *solet* leo *oviculam*, discerpat *Saul* si nemo sit qui me *ex illius manibus* eripiat ac servet.

3 *Domine Deus meus si feci istud; si est iniquitas in manibus meis.*

Domine Deus mi si illud, *cujus insimulor, crimen* admisi; si manus meæ scelus, *quo accusor*, patrarunt.

4 *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis.*

Si, *inquam*, benefactoribus meis malum reddidi *insidias eis struens*, opto ut inimicis meis succumbam spe frustratus.

5 *Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat; & conculcet in terra vitam meam & gloriam meam in pulverem deducat.*

Persequatur & comprehendat me hostis; vitam mihi adimat, méque in sepulchrum deducat.

ut leo. vocabulum hoc Saulinam sapit persequutionem, ut apparet Psalmis LVI. 5. LVII. 6. XC. 14.

istud. quodnam fuerit hoc crimen explicatur in versu sequenti: ex quo intelligimus accusatum fuisse Davidem quòd Sauli benefactori suo insidiaretur. Confer 1. Reg. XXII. 8.

retribuentibus. in malam partem ab Aquilâ, Origene, S. Chrysostomo, Hesychio, aliísque non paucis sumitur ut sensus sit, si malum malo compensavi. Sed, quando Saul non malum pro malo sed potiùs malum pro bono sibi à Davide reddi querebatur nullámque Mosaica Lex pœnam imponebat iis qui bonum pro malo non reddidissent, minùs apta est prædicta interpretatio: à quâ noster non solùm recedit Interpres (qui verbum *retribuere* in bonam partem non raró accipit ut Psal. CXVIII. 17. CXLI. 8. &c.); sed etiam Hebræus textus qui propriè habet *si malum reddidi pacificè degenti mecum.*

decidam, &c. Rabbini contrario Psalmistæ menti sensu: *& erui oppugnantem me sine causa*: idest, juxta Aben Ezra, eripui eum qui me immeritò persequebatur; &, juxta Kimchium, eripui hostem meum nullo beneficio affectus ab illo. Naturalis ordo ista præcedentibus annectit, atque adeò is oritur sensus planè absurdus: si hostem immeritum aut immeritò mihi infensum erui, persequatur inimicus animam meam. Quòd si ad præcedentia hemistichium istud non referatur, & cum Muisio interpretemur *imò eripui oppugnantem me sine causâ*, insulsus pariter exurget sensus addito versu sequenti *persequatur inimicus animam meam*, siquidem persequutio non debetur ei qui hostem periculo liberavit. Sensum paulò meliorem efficerent Rabbinorum alumni si, S. Hieronymum sequuti aut versionis

nostræ lumine collustrati, verterent *& dimisi hostes meos vacuos*, vel *& eras hostes meos inaniter* hoc est *nullatenus*. Paulò melior esset ille sensus; sed Davidis & menti & tempori parùm responderet: menti, quia David non accusabatur quòd hostes vacuos dimisisset aut inaniter eruisset; tempori, quia lex Mosaica, cui David addictus erat, beneficia hostibus negantes non puniebat. LXX. Senes pro hodiernis verbis ואחלצה צוררי *& eras hostes meos* legisse videntur ואחלצה מצוררי *& subtrahar ab inimicis meis*; hoc est *decidam meritò ab inimicis meis*. nam copula ו, pro commoditate sententiæ, significare potest *meritò, certè* & id genus alia; & qui *è conspecta inimicorum inanes eripiuntur, cecidisse censentur*. Quòd autem verbum חלץ aliquando significet *eripi è conspectu alicujus* patet ex Os. V. 6. Quòd verò ריקם significet *inaniter* aut *inanis* tam certum est quàm quod certissimum.

animam meam. anima heic & infrà pro personâ sumitur ut Psal. III, 2.

& conculcet, &c. ignominiam sub hoc verbo & sub sequenti nomine *pulverem* subjectam esse plerique annotant qd. Vates: vitam mihi ignominiosè eripiat, & gloriam meam meique nominis memoriam funditùs extinguat & in nihilum redigat ac pulverem. Sed interpretationes illæ ab isto alienæ sunt loco: ubi *conculcare vitam in terra & gloriam in pulverem deducere* idem valent; & *mortem inferre* atque *in sepulchrum deducere* significant. Nam qui mortui sunt in terrâ jacent ubi à prætereuntibus calcantur; & qui in sepulchrum deducuntur in pulvere dormiunt quippe qui terræ mandentur & pulvere tegantur: pro vetusto humandorum cadaverum more: quem Judæi non solùm atque Hussitæ, Pythagorei, prisci Carthaginenses, Athenienses & omnes ferè Græci testibus Job. VII. 21. Psal. XXI. 16. XLIII. 25. CXVIII. 25. [a] Plinio, [b] Justino, [c] Cicerone, [d] Lucretio, [e] Laertio, [f] Plutarcho, [g] Æliano, & Theocriti [h] Interprete tenuerunt; sed etiam veteres Romani qui olim (uti colligimus ex his quæ de Numæ Pompilii corpore, in arcâ lapideâ post multa sæcula, invento tradunt Cassius Hemina à [i] Plinio laudatus, [k] Livius, & [l] Valerius Maximus) defuncta corpora humi condebant, non cremabant. Quæ cremandi consuetudo apud Romanos ex erutis, dum longinqua bella gererentur, defunctis introducta, & à Cornelio Sylla, juxta [m] Ciceronem ac [n] Plinium, primò usurpata; atque Ægyptiis & Persis juxta [o] Herodotum, [p] Diodorum Siculum, [q] Strabonem, [r] Nicolaum Damascenum à [s] Stobæo productum, [t] Pomponium Melam, [u] Plinium, & [x] Laertium exosa jam inde ab ævo Macrobiano apud Romanos desierat, ut ex insigni [y] Saturnalium loco discimus. Quam autem versui nostro dedi explicationem confirmant laudati à me textus Job. VII. 21. Psal. XXI. 16. XLIII. 25. CXVIII. 25.

gloriam meam. gloriam pro anima cum Aben Ezra & Kimchio heic accipio ex Gen. XLIX. 6. & animam pro personâ sumo.

[a] lib. XXXV. c. 12.
[b] Hist. lib. 19.
[c] lib. 2. de Legib.
[d] lib. 6. sub fin.
[e] in Solone.
[f] in Solone.
[g] Var. Hist. lib. 5. & lib. 7. paulo ante fin.
[h] in Pharmaceut.
[i] lib. XIII. cap. 13.
[k] Decad. IV. lib. 10.
[l] lib. I. c. 1.
[m] lib. 2. de Legib.
[n] lib. VII. cap. 54.
[o] lib. 3.
[p] lib. II. c. 5.
[q] lib. ult.
[r] in Collect. de Morib. Gent.
[s] Serm. 121.
[t] lib. I. c. 9.
[u] lib. XI. c. 37.
[x] in Proœm.
[y] lib. VII. c. 7.

Exurge Domine in irà tuà; & exaltare in finibus inimicorum meorum. 6

At, *quando benefactoribus meis insidiatus non fui*, exurge Domine iratus; & sublimis ac magnus appare in finibus inimicorum meorum.

exurge. ἀκούων δὲ τὸ ἀνάστα, & idest: *quum autem audis exurge nihil corporale suspiceris. Quemadmodum enim sedere non dicitur in Deo corporaliter... ita nec etiam surgere: sed illic quidem* (significatur) *stabilitas, heic autem puniendi vis & consumendi potestas*, ait hoc loco S. Chrysostomus, cui [z] Philonem & [*] Clementem Alexandrinum conjungam: τὰς δὲ μεταβατικὰς, &c. idest: *nominum igitur*, ait Philo, *qua progressionem ac motum significant nullum Deo convenit velut suprà, infrà, ad dexteram, ad sinistram, antè, retrò. Nam ea nulla eorum qua dicta sunt cogitatur, ut qui nunquam mutatus locum vertit*. σχῆμα δὲ, &c. *figura autem & motus*, inquit Clemens, *vel status, vel sedes, vel locus, vel dextera, vel sinistra de patre universorum ne sunt quidem cogitanda*. Ex quibus perspicuum est modos illos dicendi *exsurge, sede*, & id genus alios esse tropicos; & humano mori, ob nostram imbecillitatem, accommodatos ut docet laudatus à me Philo.

[z] lib. de Confus. Ling.
[*] Stromat. V. p. 582. C.

in ira tua. Symmachus teste Theodorito ἐν χόλῳ *in bili*, Theodotio ἐν θυμῷ *in furore*

Aquila *ἐν ἀνυπερθεσίᾳ in celeritate*, sive *ἐν ἀνυπερθέτοις ἐνδιαμυχούντων in celeritatibus illigantium* ut, suppresso nomine, tradit S. Chrysostomus: qui etiam primam & secundam lectionem aliter refert: hinc ponens *in furore super inimicos tuos*; illinc verò *in bili tribulantium me*. Vates porro Deum optat iratum non ut divinum Numen in suos animadvertat hostes quos ipse infrà ad pœnitentiam hortatur, sed ut sui propugnationem viriliter suscipiat: quomodo suscipi solet ab hominibus qui utilem defendendis aliis operam tunc demum egregiè ponunt quum iracundiâ efferuntur.

exaltare. Chrysostomus, *πῶς ὑψοῦται ὁ ὑψηλὸς*, &c. *quomodo exaltatur altus & qui est semper altissimus? Ejus enim natura altitudo nec crescit nec minuitur: siquidem perfectus est & nullius rei indigens, & qui semper similiter & eodem modo se habet. Quomodo ergo & quanam ratione exaltatur? Exaltatur in multorum mentibus. Quemadmodùm sæpe lenitate & longanimitate usus est in eos qui gravia peccata commiserant; inimici autem existimaverant hæc non esse longanimitatis sed humilitatis & imbecillitatis: quocirca etiam humiliatur non re quidem ipsâ sed illorum cogitatione... Quid ergo dicit justus? Exaltare etiam apud inimicos meos, persequere, & vires tuas ostende ut qui te humilem existimant, ex iis qua patientur tuam gloriam videant.* Similia ferè habet Theodorus Antiochenus in Catenâ à Daniele Barbaro versâ productus, ubi enarrans illud *exaltare* ait. *Exaltare. non quòd ipse exaltetur (non enim opus habet exaltari;) sed quia hujusmodi cogitatio atque opinio in mentibus nostris ingeneratur cùm admirabile aliquod & formidabile signum ediderit.* In eandem fermè sententiam alii vertunt *fortem te ac potentem exhibe*. Ego animum ad versum 8. infrà & ad Psal. XCIII. 2. atque ad Is. XXXIII. 10 13. advertens respici heic puto judiciale solium: quod quum Deus conscendit, regem se; adeóque magnum, fortem, excelsum, ac potentem (quæ Regis sunt dotes) verè exhibet, quum præstantiùs & summo Principe digniùs nihil sit quàm jus reddere: unde Scriptura regium munus in judicando ponit I. Reg. VIII. 5. & Judices Deo assimilat Psal. LXXXI. 1. Hanc autem justitiam non in popularium animadversionem, sed in unam Davidis propugnationem heic traho.

in finibus. B. Chrysostomus minùs benè in textu Hebræo legit *bibareth*, nam dicendum est *beâbroth*.

meorum. S. Chrysostomus legit *tuorum*, eodem sensu: qui enim Davidis erant inimici, erant & Dei.

7 *Et exurge Domine Deus meus in præcepto quod mandasti, & synagoga populorum circumdabit te.*

Atque expergiscere, Domine Deus mi, ut quod *nobis, de tuendis qui opprimuntur innocentibus*, præceptum mandasti ipsemet impleas: *quod ubi feceris*, cinget te undique populorum turba *laudes tibi dictura*.

& exurge. id verbi Vates ut suprà humano sumit more, ad quem se fingit nostræ consulens infirmitati: ratione cujus Deum repræsentat dormientem & jacentem quum miseris non opitulatur; surgentem verò, exaltatum, atque expergiscentem describit quum oppressis suppetias fert.

in precepto. Interpres quidam B. Chrysostomo memoratus vertit *in judicio*; quam interpretationem Kimchius aliíque comprobantes *judicium* illud de *regno* exponunt, ut sensus sit: tu qui judicandi munus hoc est jus regium mihi per Samuelem, rejecto Saule, demandasti, accurre ad me; & tandem effice ut eo potiar jure quod mihi contulisti. Sed de hoc tunc non agebatur, illúdque unum petebat David ut miseriæ, quibus premebatur, desinerent: unde sensum in paraphrasi expressum & SS. Chrysostomo ac Theodorito probatum sequutus sum: eâ etiam (licet probabili) rejectâ explanatione, cujus meminit Sanctus Chrysostomus his verbis; *Alii autem dicunt etiam aliud, quòd promisit se inimicum fore inimicis ejus qd. exsurge uti te facturum promisisti*; eâ quoque rejectâ explicatione quam Rasi ex

Midras affert; expergiſcere ad me ut poſſim in illos judicium ultionis exercere quod tu mandaſti dicens Pſal. II. 9. *conteres eas* (gentes) *in virgâ ferreâ.*

Synagoga populorum, &c. Hoc ita ferè interpretantur Tractatores. Tunc, nimirùm regno potitus, operam dabo ut omnis populus in cultum tuum coaleſcat. Aliter ego interpretor; &, præeunte Pſalmorum III. 8. XXV. 6. & CXXXIX. 14. luce, *Synagogam populorum* accipio pro illâ hominum turbâ quæ Davidis partes ſuſcipiebat, quæque Deo præconium in Templo dictura erat poſt finitam vexationem.

circumdabit. vox Templi propria ut apparet Pſal. XXV. 6. ex quo colligere eſt circumdare Deum idem eſſe quod circumdare altare Dei. Eximiè B. Chryſoſtomus: τί ἐστι τὸ κυκλώσει σε, &c. *Quid eſt ergo circumdabit te? Pro eo quod eſt canet tibi, laudabit te; bonis & honorificis verbis aſſatim te proſequetur. Quoniam enim hoc per choros faciebant, in orbem circumſiſtentes in templo & altari, & ita gratiarum actiones offerebant, ex ipsâ ſtandi formâ laudationem eorum ſignificavit.*

Et propter hanc in altum regredere, Dominus judicat populos.	8	Ob hanc *turbam* in tribunal, *quod reliquiſſe videbaris*, redi: *id enim tibi competit, nam* Domini eſt judicare populos.
Judica me Domine ſecundùm juſtitiam meam, & ſecundùm innocentiam meam ſuper me.	9	Meíque Domine, habitâ integritatis meæ & innocentiæ meæ ratione, patrocinium arripe.
Conſummetur nequitia peccatorum, & diriges juſtum, ſcrutans corda & renes Deus.	10	Ceſſentque improbi malum *mihi* inferre; & *me* juſtitiæ ſtudentem ad optatos *quæſo* exitus provehas ò Deus qui corda intimoſque animi ſenſus noſti.

in altum. alludit ad judiciale ſolium non quia altum & editum eſſe ſolet ut plerſque docent; ſed quia altus verèque Rex apparet Deus quum, ſolium illud conſcendens & jura cuíque deſcribens, miſeris opem fert eorumque propugnationem ſuſcipit. Confer verſ. 6. ſuprà nec non Pſal. LXVII. 19. XCIII. 2. Iſ. XXX. 10.

Dominus judicat. Hanc lectionem ſequitur S. Auguſtinus. Sed Patres Græcì Euſebius, Appollinarius, Baſilius, Chryſoſtomus, Theodorus Antiochenus, Heſychius, & Theodoritus legunt *judicabis*: illúdque verbum ad præſens non ſolùm, ſed ad futurum judicium ferè trahunt. Vati ſuccinit & lucem affert Abraham Gen. XVIII. 25.

judica me. præcipuum judicis officium eſt ut innocentium defenſionem & patrocinium arripiat; idque Vates hoc loco tangit.

juſtitiam meam. cauſſæ non perſonæ juſtitiam intelligit, ut patet Pſalmis XVIII. & CXVIII. noſtri æqualibus, in quibus peccatorem ſe agnoſcit. Quod tamen ſic accipi velim ut levia, & quæ ab humanâ infirmitate oriantur, peccata denotentur: tunc enim David gravibus ſe criminibus nondum adſtrinxerat: ut poſteà contigit, dum Bethſabeæ ſtuprum intulit & Uriam occidi juſſit.

conſummetur, &c. Symmachus, ἀπαρτισθήτω, &c. *compleatur malum & pœna impiorum.* S. Baſilius, ἄκρως μαθητής ἐστι, &c. *his verbis orans verum ſe præcepti Evangelici diſcipulum palàm oſtendit. Orat enim pro perſequentibus ſe & ita orat ut fine quopiam ac termino peccantium eorum circumſcribatur iniquitas.* Sanctus Hieronymus: *non poteſt mea juſtitia dirigi niſi illorum iniquitas impleta fuerit, videlicèt Judæorum.* B. Chryſoſtomus ἐπάγαγε, &c. *infer ſupplicium & ceſſare facies illos à vitio* S. Auguſtinus *perveniatur ad ſummam nequitiam ut poſſit juſtum jam venire judicium.* Theodoritus εἰ μα-

mia, &c. *si irrita fuerit reddita nequitia eorum qui malitiâ assuevere, virtutis alumni studiosiùs ejus propositum iter facient.* Recentiorum nonnulli *consumat malum improbos.* Aliqui: *absumantur improbi prout eorum meretur nequitia.* S. Basilii interpretatio, quanquam mihi non undecunque probata, cæteris præstat, etenim cum Hebræo textu & Psalmi serie consentit, Hebræo textui consonat, quia verbum יִגְמָר propriè significat *deficere* seu *cessare* ut apparet Psalmis XI. 1. LXXVI. 9, cum serie congruit quia quum Vates improbos ad resipiscentiam infrà hortetur *nisi conversi fueritis*, &c. eorum perniciem atque exitium optare heic non potest nisi secum ipse pugnet: unde liquet omnes, quæ malum heic apprecantur, explanationes à Psalmi serie abire. Unum vexationis finem expetit David ut secundo apparet hemistichio, in quo prosperitas optatur his verbis *& diriges justum.* Ex quo planum est nequitiâ in priore hemistichio memoratâ intelligi vexationem quæ Davidi inferebatur, & cujus finem ille peroptet: sibi magis quàm hostibus consulens; quanquam eos in meliorem frugem recipi paulò post velit. Sensum nequitiæ datum confirmat versus 14. infrà.

diriges justum. fut. pro imp ut Psal. LX. 2. Quidam S. Chrysostomo memoratus, eodem sensu vertit *& stabilies justum.* Aquila autem, & Symmachus, ac Theodotio minùs benè interpretati sunt & *dirigit justus*: etsi eis subscribat Origenes in sua explanatione ubi ait; *justus rectà peraget viam suam nullâ ab illis oppugnatione impediente.*

justum. de se loquitur in tertia personâ ut Psal. IV. 4.

scrutans corda, &c. Didymus in Catenâ à Daniele Barbaro versâ è qua Græci Patres Origenes, Hesychius, Nicephorus, aliíque nonnulli à me promuntur. *Scrutator & quæritat Deus non tanquam qui inquirat & indagetur; sed tanquam cognitor & perspector: siquidem scrutari est absolutè noscere. cognitor enim est occultorum nec illum ulla mens latet Renes autem non corporis, sed intellectuales animæ facultates intelligit: quod patet ex pluribus Scripturæ locis, quorum unus est* ª *propè es tu ori eorum & longè à renibus eorum.* S. Chrysostomus: νεφρὰς. &c. idest; *Renes heîc dicit mentis arcana: quæ sunt intima quæ sunt profundissima, ex positurâ partis innuens. Quid est scrutans? Quod alius dicit probans. Etsi autem sint humanæ dictiones sunt tamen sensa Deo convenientia. Quemadmodum enim* ᵇ *Paulus, quum dicit qui autem scrutatur corda, scrutari posuit pro apertè scire; etiam heic scrutans pro perfectè cognoscente. Porrò autem examinare est etiam nudare quod est perfecta scientia. ut etiam dicit* ᶜ *Paulus omnia autem sunt nuda & resupinata oculis ejus.* Theodoritus: νεφρὰς, &c. idest; *Renes heic cogitationes appellat: quoniam enim pudendos appetitus renes excitant; & hinc deinceps concupiscentia cogitationes moventur. renes tropicè cogitationes appellavit.* Nicephorus: *nonnulli, per cor, irascibilem facultatem; &, per renes, concupiscentem intelligunt, ex quibus facultatibus peccata omnia ortum habuere. Alii verò per renes intimas cogitationes capiunt.* Didymi explicatio & ratio à S. Chrysostomo allata, mihi septimum Psalmi XV. versum (ubi renes concupiscentiæ cogitationes non important) expendenti magis placent quàm Theodoriti: quamvis non eam inficias cogitationes, quæ renibus designantur, ad malum sæpiùs quam ad bonum vergere. A Patribus Psalmistam illustrantibus, ad Ethnicos Psalmistæ succinentes venio. Thales à ᵈ Clemente Alexandrino productus interroganti cuidam an quippiam agens latere Deum homo possit: & quomodo, inquit, *qui ne cogitans quidem* ὅς γε οὐδὲ διανοούμενος: quod iisdem ferè verbis à ᵉ Laertio relatum sic narrat ᶠ Valerius Maximus. *Mirificè etiam Thales: nam interrogatus an facta hominum Deos fallerent: ne cogitata, inquit.* Quibus vetus Poeta consonans dixit Deum respicere ὅσα τε κεύθουσι μερόπων *quæcunque tegit mens hominum.*

ª Jer. XII. 2.
ᵇ Rom. VIII. 27.
ᶜ Heb. IV, 13.
ᵈ Strom. V. p. 594. 595
ᵉ in vita Thaletis.
ᶠ lib. VII. c. 2.

11 *Justum adjutorium meum à Domino qui salvos facit rectos corde.*

Jure autem auxilium peto à Deo: quippe qui salvos faciat eos qui candido sunt pectore, *qualis ego sum.*

justum. vox hæc ab Eusebio, S. Basilio, & ab anonymo, quem profert S. Chrysostomus, Interprete ultimæ versus præcedentis dictioni connectitur sic *Deus justus.* Rabbini similem connexionem probant; sed in vocativo ferè legunt *Deus juste.* Verùm, quum Deus suum

jan

jam habeat epitethum *scrutans corda*; & paulò post Deus vocetur *justus*, inepta videtur duplex, quam notavi, lectio: ut & ea quam in Psalterio Græco Complutensi, & Codicibus Reg. 928. 1532. 1775. 2225. 2603. 2604. 2653. 2723. ac Colbert. Græco aureis literis scripto & 4427. numerato inveni *δικαίως justè*. Nostram lectionem Psalterium Alexandrinum sequitur; eáque eò magis est retinenda quòd luculentum efficit sensum ut videre est in Paraphrasi: in qua Didymo adhæsi potiùs quàm B. Chrysostomo ita explananti: *jure ac meritò mihi continget à Deo, nihil enim pete injustum*; aut memorato apud eumdem Chrysostomum interpreti qui vertit *justus protector meus*.

12 *Deus judex justus, fortis; & patiens, nunquid irascitur per singulos dies?*

Deúsque judex *sit* justus ac fortis. Patiens equidem est *ille*, nec per singulos dies irâ ardescens, *fateor ô hostes*:

13 *Nisi conversi fueritis gladium suum vibrabit; arcum suum tetendit, & paravit illum:*

Sed, nisi animum mutaveritis, gladium suum vibrabit; *jamque* arcum suum tetendit, & paravit illum:

14 *Et in eo paravit vasa mortis; sagittas suas ardentibus effecit.*

Et in eo paravit instrumenta lethifera; suásque fabricatus est sagittas *quibus eos feriat* qui odio *in me* ardent.

Deus judex. Hebræi codices hodierni sic habent אלהים שופט צדיק ואל זעם בכל יום idest; *Deus judex justus, & fortis, irascitur in omni die* hoc est *quotidie*. Hanc lectionem rejicere qui nolent ex versionis nostræ fide, repellere cogentur si attendant sensum à Psalmographi instituto abhorrentem ex prædictâ confici lectione: pro quâ veteres Hebræorum Codices habuisse videntur אלהים שופט צדיק אל וארך אפים הלא זעם בכל יום idest; *Deus judex justus, fortis & patiens: nunquid irascitur in omni die*? Hæc porrò interrogatio *nunquid* resolvenda est per *non*, quomodo legunt Basilius, Chrysostomus, Augustinus, Theodoritus, & Nicephorus. Nonnulli, teste B. Chrysostomo, vertebant *infremens & acriter comminans per singulos dies*; vel *minitabundus & fremens non puniens*, pro *nunquid irascitur per singulos dies*.

patiens. Occurrit objectioni quæ ex Dei bonitate ac lenitate fieri ab inimicis poterat adversus id quod dixerat sperare se meritò auxilium à Deo. Illos itaque hostes divinâ patientiâ, plusquam par esset, innixos hoc affatur loco: ubi præcedentia verba egregiè confirmat, qd. putatis Deum, pro suâ in sustinendis vasibus iræ patientiâ, in vos non animadversurum atque adeò mihi non opitulaturum. Magnam, fateor, esse Dei patientiam: sed, nisi conversi fueritis, castigabit vos; &, pœnâ de vobis sumtâ, liberabit me ab iis, in quas me compellitis, angustiis. Eximium autem de serâ Numinis vindictâ documentum Vates heic tradit: quo de argumento fusè disserit [a] Plutarchus; & scitè loquuntur [b] Homerus, [c] Euripides, [d] Theodectes à Stobæo prolatus, [e] Julius Cæsar, [f] Cicero, [g] Juvenalis, [h] Tibullus, [i] Valerius Maximus, & [k] Statius.

nisi conversi fueritis. Heb. *nisi conversus fuerit* sup. Saul. Sed huic lectioni non favet vox pluralis דלקים quæ paulò post sequitur; quæque nostram roborat lectionem: ex quâ conjicere est vetustos Hebræorum Codices habuisse תשובו *conversi fueritis* pro ישוב *conversus fuerit*: quod Kimchius, nec Hebræo textui nec Psalmistæ menti consentiens, interpretatur sic, *quia Saul non convertitur sed gladium vibrat. arcum tendit*, &c.

gladium suum. S. Chrysostomus: ἆρα τόξα, &c. idest: *sunt ne in superis regionibus arcus & tela, & cos, & gladius, & pharetra?.. Cur ergo hæc dicta sunt? propter auditorum crassitudinem; & ut, his consuetis armorum nominibus, eorum mentem terreant. Cujus enim*

[a] lib. de serâ Numinis vind.
[b] Iliad. δ. Εἴπερ γάρ, &c.
[c] in Oreste: Κἂν μ' ἐᾶ, &c.
[d] in Eclog. Phys. lib. 1. c. 7.
[e] lib. 1. de Bell. Gall. Consuesse Deos immortales, &c.
[f] pro Cœlio: Proh Dii immortales, &c.
[g] Satyr. 13. Ut sit magna, &c.
[h] lib. I. Eclog. 10. Ah miser, &c.
[i] lib. 1. c. 1.
[k] Theb. lib. 3. circa finem.

in manu est omnium nostrum spiritus & à cujus frigoris facie nullus sustinebit quomodo hic armis indiget? sed, ut dixi, hac propter auditorum crassitudinem & tarditatem ita dicta sunt.

vibrabit. Rabbini Interpretem à S. Chrysostomo prolatum sectantes vertunt *acuet*; sed retinenda est Vulgata lectio non solum quia eam comprobat Jobus XVI. 10. Sed quia Orientalium populorum (uti colligi potest ex I. Reg. XVIII. 11.) mos erat ut hastam, atque adeò ensem & id genus alia vibrarent: cui consuetudini (quam hodie Turci in vibrandis suis *zagais* tenent) Vatem heic allusisse puto. S. Cyrillo *vibrabit* idem est quod *nudabit*. S. Augustinus observat esse in aliis exemplaribus *frameam suam splendificabit*.

vasa mortis. Vas Hebræis est instrumentum; & isto in loco sagittas denotat, ut ex secundo liquet hemistichio.

ardentibus. Origenes *inflammatos & ardentes affectionum studio* intelligit. SS. Basilius & Theodoritus *improbos qui multam materiam ad comburendum aptam collegerunt.* B. Chrysostomus *eos qui puniendi sunt*, hoc est *reos*. Hesychius *libidinis igne accensos*. Nicephorus *subjectos pœnarum ardore qui omni prorsus carent humore virtutis.* Alii prædictâ voce innui existimant *sagittas ex ardenti materiâ* aut *cum ardentibus carbonibus confectas*. Omnes hæ explanationes Hebræo vocabulo לדלקים non tam consonant quam nostra: cui succinunt ii quibus *ardentibus* idem est ac *fervidè insectantibus*. Symmachus vertit *ad ardendum*. S. Augustinus notat pleraque Latina habere *ardentes operatus est*.

Ecce parturiit injustitiam; 15 *concepit dolorem, & peperit iniquitatem.*	Ecce *Saul* totus est in concinnando exitio *meo*, meditatur *mihi* perniciem, & malum *mihi interim* infert.

ecce. probat quod versu præcedenti dixit: videlicet Deum jacula lethifera fabricatum esse ut suos afflictores feriat. Argumentum verò ducit ex Saule cujus vexationem primò describit; tum necem prænuntiat.

parturiit. Quandoquidem fœminæ primùm concipiunt, deinde parturiunt, postremò pariunt; heicque priùs ponitur parturitio, mox conceptus, demùm partus, SS. Basilius, Chrysostomus, aliique in hoc elaborant ut res à Psalmographo ordinatè dispositas esse ostendant. Eorum conatus, ut quidem ego sentio, exitum minùs felicem heic habent. Hunc ego nodum sic expedio. Duplex est conceptio: fœtus una; doloris altera: prior parturitionem antecedit; posterior subsequitur. Nam fœminæ dolorem concipiunt ac sentiunt postquam parturire cœperunt unde Psal. XLVII. 8. dicitur *ibi dolores ut parturientis*: Vates ad secundam conceptionem respicit; hùcque spectans parturitionem conceptioni doloris meritò præponit. Hoc autem *dolore* ut & *injustitiâ* atque *iniquitate* malum à Saule sibi inferendum & jam illatum denotat David; illùdque vocat *injustitiam* & *iniquitatem* quia injustè & iniquè invehebatur, *dolorem* verò appellat quia dolorem auctori suo variis ob excogitandam perniciem molestiis implicato inurebat. Sed aureum Doctorem aureè heic loquentem audiamus. ὥσπερ ὁ ἐν πονηρίᾳ, &c. *Quemadmodum ergo qui improbè vivit tanta patitur; ita qui vitam ex virtute instituit tranquillitate & mente minimè perturbatâ fruitur. Considera autem si voluerit quis ulcisci quempiam vel prior injuriam facere, vide quot mala patitur: furore repletur, ab irâ discerpitur, movet innumerabiles fluctus cogitationum, mille vias ingreditur, invadit timor, pavor, ac tremor: quomodo offendet, quomodo ulciscetur; &, ante eum quem est injuriâ affecturus, seipso perdit. Qui autem iram expulit ab omnibus his liber est; & jure certè: hoc enim est in ejus potestate, & universum confecit; at illud non itidem: sed & opportunitate opus est, & loco, & dolo, & maleficio, & armis, & machinationibus, & offensionibus, & adulatione, & servitute, & simulatione. vides quàm facilis res sit virtus; difficilis autem vitium: quemadmodum illa quidem est tranquilla; hoc verò turbâ & tumultu refertum. Id ergo describens dicebat Propheta: ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Ex hoc ostendit injustitiam non esse nobis secundùm naturam, sed esse quid alienum: & ideò grave est; &, donec ab eo fuerimus liberati, nobis dolores immittit.*

dolorem. S. Aug. legit *laborem* eodem ſenſu. Confer Pſal. X, 7. B. Chryſoſtomus: *Alius, & quum concepiſſet & peperit iniquitatem.*

iniquitatem. Aquila *mendacium* eodem vertit ſenſu: nam improbi plerumque falluntur contrarium optatis exitum habentes. Confer Pſal XXVI. 15.

Lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foveam quam fecit.	16	Foveam aperuit & effodit eam *ut me in illam dejiciat*; ſed *ipſemet* in foveam cadet quam fecit.
Convertetur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipſius iniquitas ejus deſcendet.	17	Pernicies, *quam mihi* cum moleſtiâ *ſtruit*, in caput ejus recidet; & quod *mihi* iniquè *molitur* exitium in verticem ipſius deſcendet.
Confitebor Domino ſecundùm juſtitiam ejus, & pſallam nomini Domini altiſſimi.	18	*Túmque* laudabo Dominum pro ejus *in me ſervando* æquitate; & nomen Domini altiſſimi celebrabo.

incidit. præt. pro fut. ut ſequentibus patet futuris, & S Auguſtino qui legit *incidet.*

in foveam. B. Chryſoſtomus: *Alius, in interitum quem fecit.* Aquila, *in corruptionem.*

ARGUMENTUM PSALMI OCTAVI.

PLERIQUE Auctores, tertio præſertim ac ſeptimo verſibus adducti, divinam in humanum genus beneficentiam hoc Pſalmo celebrari exiſtimant. Et primò quidem iis, qui neminem latent quíque tertium verſum ad miram mammarum ſtructuram referunt, interpretibus omiſſis, venio ad virum *ſuo* (ut Sidonii verba uſurpem) *celebratum ſæculo deſiderandum alieno* Marinum Curæum *de la Chambre* inſignem Medicum, Scriptorem eloquentiſſimum, & ſummum Philoſophum, qui (uti ab Abbate ſpectatiſſimo & paternæ eruditionis atque eloquentiæ hærede Petro Curæo *de la Chambre* accepi) novam & nemini, puto, hactenus auditam tertio Pſalmi verſui explicationem dare ſolebat: quum, de verſu iſto (erat

enim is sæcularibus non solùm literis deditus, sed vehementi sacræ Scripturæ studio tenebatur) in familiaribus congressionibus disserens, aiebat divinam præfato versu decantari sapientiam ac providentiam quæ infantium & lactentium os sugendi lactis artem edocuisset: quod eò magis mirum esse asserebat eruditissimus Curæus quòd ars hæc ipsis adultis minùs sit explorata; doctúsque Hippocrates aut alius pueros in utero matris suxisse crediderit, sic habens persuasum fieri non posse ut pueri recens nati lac sugere nossent nisi priùs in utero materno existentes in arte sugendi se exercuissent. Verba [a] Hippocratis sic habent τὸ δ' παιδίον ἐν τῇ γαστρὶ, &c. idest: *At verò puer, dum in utero est, compressis labris ex matris utero tum alimentum sugit; tum etiam spiritum qui in puero calidissimus est, ubi sanè mater respirat, in cor attrahit.... Quod si quis roget unde hoc quis noscit quòd puer in utero trahat & sugat? hoc illi respondere licet: pueri quum in lucem prodeunt, stercus in intestinis habere conspiciuntur, & simul ac in lucem editi sunt tum homines tum pecora id iis per ventrem secedit. Atqui neque stercus haberet nisi in utero sugeret; neque, ut primùm puer natus est, ubera sugere nosset nisi in utero suxisset:* οὐδ' ἂν θηλάζειν τὴν μάζον ἠπίστατο γινόμενον αὐτίκα εἰ μὴ καὶ ἐν τῇ μήτρῃ ἔμυζε. Hippocrati Curæus adjungebat celeberrimum Medicum Harvæum ita scribentem. [b] *Videmus enim nuperos fœtus, tentando primùm & periculum faciendo, res omnes aggredi: nempe membrana movere, incedere, & vocem proferre, quæ postea diutinâ assuetudine edocti promptè & accuratè peragunt. Fœtus autem, quamprimùm in lucem editur imò verò priusquam natus est, sugit tanquam id in utero jam pridem egisset: quippe experti sumus eum in partu hærentem, antequam ejulare aut respirare possit, digitum ori admotum apprehendere & sugere. Quinimò recens natus suctionem*

[a] lib. de Carnibus sect. 3. p. 130. edit. Gr. Lat. Francof.

[b] Exercit. 57.

accuratiùs molitur quàm adultus, aut ipſemet per aliquot dies deſuetus queat: neque enim infans papillam labris comprimens ſugit ut nos abſorbendo; ſed, quaſi deglutire vellet, totam in fauces uſque attrahit, linguâque eſt palati auxilio tanquam manducando lac emulget; majore profectò conatu atque arte quàm adultus poſſit didiciſſe. Igitur longâ conſuetudine didiciſſe videtur, antequam natus eſſet quod deſuetudine tam brevi dediſcere poſt nativitatem experimur. Quòd ſeptimum ſpectat verſum, eo Interpretes commemorari ferè putant dominium quod Deus, in ſtatu innocentiæ, Adamo aut ſpectatæ in illo naturæ humanæ dedit: [a] *& creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum, maſculum & fœminam creavit eos: benedixitque illis Deus, & ait; creſcite & multiplicamini, & replete terram, & ſubjicite eam, & dominamini piſcibus maris & volatilibus cœli & univerſis animantibus quæ moventur ſuper terram.* Verùm hæc, quæ Pſalmum de divinâ erga Adamum aut ſpectatum in eo hominem beneficentiâ exponit, opinio cum univerſo Pſalmi contextu, ejúſque ſerie, atque Apoſtolicâ explanatione minùs benè cohærere videtur. Tria in Pſalmo leguntur quæ (ut notavit doctiſſimus [b] Huetius) in Adamum aut ſpectatum in eo genus humanum non quadrant. 1. memoratur *filius hominis.* At Adamus filius hominis dici non potuit quippe qui non hominem ſed Deum patrem habuerit *qui fuit Dei,* inquit, S. [c] Lucas. 2. filius ille hominis dicitur *paulò minus ab Angelis minutus.* At Adamus & homines multùm Angelorum excellentiæ concedunt; nec paululùm quid Angelica natura humanæ præſtat, ſed illam multis ſuperat gradibus. Mitto momentum quod quidam in voce Hebraicâ מעט ponunt: quódque, ſi brevitatem temporis ut illi cenſent, denotet, verſum Adamo & humano abjudicat generi, quod non ad exiguum

a Gen. I. 27. 28.

b in Demonſtr Evang. pag. 181.

c III. 38.

tempus infra Angelorum dignitatem positum est. Tertiò præfatus hominis filius *constitutus* dicitur ℣. 6. *super opera manuum Dei*, hoc est *super cælos* qui ita vocantur in Psal. CI. 26. Atqui neque Adamus neque spectatus in eo homo ullam in cœlum potestatem habuerunt; ergo. Ad hæc Psalteriana series prædictæ opinioni non favet: nam 1°. quartus versus cum eâ conjungi nequit opinione, nisi additamentum accedat & dicatur, cum Apollinario, quod Psalmista non dicit: *Deum, licet tantorum operum effectorem, hominis tamen perquàm exigui & abjecti curam habere* non minùs quàm cœlestium illarum creaturarum; aut cum Cornelio Jansenio: *cælum, lunam, & stellas hominum utilitati servire.* 2°. sextus versus *minuisti eum*, &c. extra rem positus videtur: siquidem juxa Auctores illos David hominis præconium celebrat: at, quum panegyrim alicui dicimus, moris non est ut ea tangantur in quibus ille infrà aliorum dignitatem positus est; sed ea in quibus alios superat, aut saltem æquat. Adde quod Dei nomen in universâ terrâ admirabile dici propriè non potest ob creatum hominem ab Angelicâ dignitate paulò distantem; admirabile potiùs fuerit ob creatos Angelos hominibus præstantiores; & propter alias res quam plurimas quibus Deus admirandum magis se præbuit quàm quum hominem infrà Angelos demisit. Scio quidem dictum jam versum à quibusdam explicari quasi homo dicatur non Angelis, sed Deo æqualis propè redditus; sed, præterquam quod explicatio illa Apostolicæ auctoritati contraria est, à veritate abest quum homo non paululùm sed immensùm Deo inferior sit. Denique vulgaris, quam refello, sententia ab Apostolicâ recedit explanatione quæ Psalmum Christo addicit ut patet Matth. XXI. 16. I. Cor. XV.

26. & Heb. II 8. 9. &c. Nescius non sum Cornelium Jansenium Episcopum Gandavensem difficultati huic ita occurrisse:. *Quia hunc versum* EX ORE INFANTIUM, *&c. Dominus in Evangelio adduxit de pueris ei acclamantibus* OSANNA; *& Paulus Christo tribuit illud* MINUISTI EUM PAULÒ MINÙS AB ANGELIS, *&* : OMNIA SUBJECISTI SUB PEDIBUS EJUS *existimant plerique priorem illum versum de pueris illis vel solum vel propriè dictum, imò totum Psalmum ad solum Christum referendum etiam secundùm primum & literalem sensum. Verum neutrum ex citationibus istis necessariò consequitur, cùm constet frequenter Scripturas quibusdam attribui quibus non solùm competunt; idque variis modis. Primùm, quia quod in genere dictum est & diversis convenit, quibusdam in genere illo comprehensis tribuitur, maximè si illis eximio & peculiari modo conveniat. Secundò, quia quod de figurâ primò & ad literam dictum est tribuitur veritati adumbratæ, propter quam potissimùm dictum est, quale est illud* OS NON COMMINUETIS EX EO, *& alia multa. Tertiò, quia quod de aliquo propriè dictum est sine figurâ, accommodatur alicui in quam illud etiam rectè quadrat, quale videtur esse illud* VOX IN RAMA AUDITA EST &c. *Quòd autem hic Psalmus secundùm primum & literalem sensum non pertineat ad solum Christum satis ostendit similis locus in Psal.* CXLIII. *ubi similiter exclamat* DOMINE QUID EST HOMO QUIA INNOTUISTI EI AUT FILIUS HOMINIS QUIA REPUTAS EUM &c. *Et omninò videtur, quum hîc dicit* OMNIA SUBJECISTI SUB PEDIBUS EJUS OVES ET BOVES UNIVERSAS &c. *commemorare dominium quod humano generi in principio Geneseos Dei beneficio collatum describitur. Itaque rectiùs sic Psalmus iste accipietur ut omni tempore conveniat, & in genere Dei celebret potentiam, & bonitatem humano generi declaratam: & citationes illæ, in novo Testamento factæ, non accipiantur quasi peculiarem &*

injecerat; & ferè suadebat victoriam in illum Gigantem reportatam carmine nostro decantari. Suspicionem augebant locus I. Reg. XVII. 34. 45. 46. & Psal. CXLIII. 3. Nam in illo Regum loco Davidem cernimus dicentem *ut sciat omnis terra quia est Deus in Israël:* quæ verba non longè ab isto Psalmi exordio abeunt *Domine Dominus noster quàm admirabile est nomen tuum in universa terrâ.* Præterea in laudato Regum capite David Leonem & Ursum interficiens repræsentatur; & Psalmus noster describit hominem cui omnia animantia sint subjecta. Tertius autem Psalmi CXLIII. versus similis est quinto Psalmi nostri versui: quúmque tertius ille Psalmi CXLIII. versus in Davidem cum Goliathe pugnantem quadret juxta titulum nostrum, idem de quinto Psalmi octavi versu dicendum videbatur. Hæc mecum ipse reputabam quum novæ cogitationes primas extruserunt: atque, ut missam faciam Tituli vocem *Ghittith* in quâ, utpote aliis in Psalmis ad Goliathem non spectantibus adhibitâ, nullum hujus caussæ firmamentum collocari potest; ut etiam Psalmi CXLIII. titulum, qui spurius apparet, omittam, visum est mihi tertium Psalmi versum cum Davide congruere non posse non solùm quia infans non erat & lactens quo tempore cum Goliathe dimicavit; sed quia non ex ore ejus, benè quidem ex ipsius fundâ Goliathem percutiente laudem tunc sibi perfecit Deus. Ad hæc, tametsi David Leonem & Ursum occidisse dicatur, nullibi tamen videmus eum tantam in animalia potestatem habuisse quanta in postremis Psalmi versibus describitur: nec obstat Psal. XC. 13.* Postquam in eas cogitationes veni; & Psalmi versus 3. 5. 6. 7. Christo ab Evangelistis & Apostolis aptari memini, non dubitavi quin Psalmus ille noster de eodem Christo

* nam ibi figurata loquutio est.

gloriâ propter passionem mortis coronato exponendus cum B. [a] Paulo esset : illáque opinio mihi eò arrisit magis quòd cum Psalmi textu, & serie, ac Rabbinis consentiat. Ait Psalmus ℣. 1. *Dei nomen* in universâ terrâ *admirabile* evasisse; & nemo nescit Dei nomen, quod exiguis Judeæ finibus claudebatur, post Christi passionem in omnem terram penetrasse & remotissimis populis innotuisse. Laudatur in tertio versu *filius hominis*; eam autem appellationem præ cæteris Christo placuisse sciunt omnes qui Evangelicam historiam legerunt. Mox præfatus hominis filius ad * exiguum temporis spatium aut paululùm *ab Angelis minutus* depingitur : quod Christo optimè convenit qui, ad breve tempus infrà Angelos demissus, gloriâ postmodum coronatus est ; quíque assumtam naturam humanam eò evexit præstantiæ ut non multùm Angelorum excellentiæ concederet, aliquâ etiam ex parte superaret. Deinde prædictus hominis filius *super opera manuum Dei*, hoc est super cœlos constitutus dicitur, & præpositus omnibus terræ ac maris animantibus : Christus autem crudelissimum crucis supplicium pro humano genere passus atque à mortuis excitatus *datam sibi esse ait* [b] *omnem potestatem in cœlo & in terra*; eúmque B. [c] Paulus *hæredem universorum* vocat : non quòd ante passionem dominus omnium non esset & omnis carnis potestas non fuisset ei data (hæc enim potestas, teste S. [d] Johanne, ei competebat ;) sed quia summam illam, quâ pollebat potestatem, notam potissimùm fecit post suam resurrectionem. Psalmi series cum hac sententiâ optimè cohæret ut nostram Paraphrasim legentibus planum erit : ubi, inter alia, observare licebit principium consequenti orationi connexum esse, media utrisque, omnia omnibus ; quod frustrà apud eos quæras Inter-

[a] Heb. II.

* Interpretationem hanc adduco : non quòd magnum ad opinionem nostram stabiliendam momentum in eâ esse putem ; sed quia ostensum volo quamlibet hujus loci interpretationem nobis favere. De cætero prædicta interpretatio, quæ adverbio מְעַט brevitatem temporis heic notari vult, falsa mihi apparet : nec, qui eam probat vir eruditissimus, contrarium ostendit ex prolato Psalmo II. Nam heic legitur כמעט & non sequitur litera מ comparativa ; in octavo autem Psalmo scribitur מעט & proximè venit litera מ comparativa quæ brevitatem temporis nusquam importat.

[b] Matth. XXVIII. 18.

[c] Heb. I.

[d] XIII. 3. XVII. 2.

pretes qui Psalmum ad homines universim vel ad Davidem speciatim referunt. Demùm in *Medrasch Koheleth* ad vers. 9. cap. I. ista leguntur, כגואל ראשון כן גואל אחרון &c. idest, interprete V. CL. de * Voisin, *Sicut Redemtor primus; sic erit Redemtor novissimus. Sicut de Redemtore primo dictum est Exod. IV. 20 & tulit Moses uxorem suam & filios suos & equitare fecit eos super asinum; sic de novissimo Redemtore dicitur Zach. IX. 9. mansuetus & sedens super asinum, &c. Itidem quemadmodum data est Lex vadibus puerorum acclamationibus juxta illud Psal. VIII. 3. ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem vel fundasti fortitudinem: sic etiam fuit quum suam legem dedit novissimus Redemtor.* In quibus verbis obiter observandum est eam, quæ vades puerorum acclamationes spectat, partem inter commenta Rabbinica referendam esse: sed quod de novissimo Redemtore hoc est Messiâ subditur eò suspiciendum est magis quòd Evangelicis citationibus congruit: unde perspicuum fit illam laudati testimonii partem, quæ tertium Psalmi octavi versum Messiæ adscribit à priscis Hebræorum magistrorum traditionibus manasse; adeò mediis in tenebris, quibus Hebræa Gens hodie circumfunditur, aliqua veritatis scintilla micat. Parem cernimus scintillam in libro *Caphtor* ubi terrenarum rerum imperium peccato Adami amissum Messiæ beneficio redditum iri traditur: quod Apostolis hunc Psalmi textum *omnia subjecisti sub pedibus ejus* divino Sospitatori tribuentibus egregiè consonat. Verùm, ut quæ fusè tractata sunt, paucis contraham, dico Psalmum duabus constare partibus. In utraque Christus Dominus à morte ad vitam revocatus (is nàmque toto Psalmo loquitur) Deum repræsentat admirabilem: in priore quidem hoc ei præconium tribuit ex excitatis puerorum Hebræorum linguis ad de-

* lib. de Lege div. cap. 43. p. 578. unde istud prompsi testimonium: quod ad Hebræa fontis verba (quorum partem tantùm adducit vir CL. de Voisin) non exegi, quia fons ille penes me non est.

cantandas Meſſiæ laudes quo tempore contumelioſas in eum voces Phariſæi & Scribæ immittebant. In ſecundâ parte Deum ſuſpicit qui eundem Meſſiam ad humanæ naturæ humilitatem depulſum ſummâ affecerit gloriâ eum cœlo & terræ præficiens. Duo hæc miracula in Pſalmo canuntur. Prius occupatur iſtâ Chriſti Deum admirantis exclamatione *Domine Dominus noſter quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſâ terrâ*: poſterius ſimilis exclamatio excipit. illud ad tres verſus excurrit; hoc autem à quarto verſu exordium capiens ad finem uſque decurrit. Ex quibus planum eſt hallucinari eos qui in ſecundâ Pſalmi parte Deum celebrari putant ob conditos cœlos. Exſtat id præconii in Pſalmo XVIII; ſed in Octavo extollitur Deus qui Chriſtum ad humanæ conditionis miſerias depreſſum; ſeu, ut [a] Iſaias Davidi ſuccinens prædixerat, *deſpectum, noviſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem; quaſi leproſum & percuſſum à Deo, & humiliatum* (hæc enim omnia, vel ipſis Hebræorum [b] magiſtris fatentibus, inſunt his Vatis noſtri vocibus אנוש *homo* & בן אדם *filius hominis*) ad cœli & terræ dominatum erexerit. Illud, opinor, aſſentientur quicunque inſulſum & minimè inter ſe cohærentem Pſalmum habere noluerint; eâque ducor ſpe fore ut æqui judices firmiſſimum ad probandam Chriſtianæ fidei veritatem argumentum ex iſto Pſalmo promi poſſe deinceps confiteantur.

[a] LIII. 3. 4.

[b] vide Kimchium in *Michlol* ad verbum אנש, & ejus in Pſal. Comment. ad Pſal. IV. 3. Confer loca II. Reg. XII. 15. Jer. XXX. 15. 18. Pſal. XLVIII. 2.



TITULUS.

In finem pro Torcularibus Psalmus David.

PSALMUS VIII.

Domine Dominus noster, 1
quàm admirabile est no-
men tuum in universa terrâ!
Quoniam elevata est ma- 2
gnificentia tua super cœlos.
Ex ore infantium & la- 3
ctentium perfecisti laudem
propter inimicos tuos, ut de-
struas inimicum & ultorem.

PARAPHRASIS.

Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universâ terrâ!

Siquidem gloria tua cœlos *ipsos* exuperat.

Nimirum infantium & lactentium *puerorum Hebræorum* os *in Messiæ tui* laudem aperuisti propter inimicos tuos *principes Sacerdotum & Scribas*: ut *scilicet* tuorum illorum inimicorum atque adversariorum *in Messiam tuum debacchantium* impudentiam reprimeres.

ANNOTATIONES.

in finem. S. Chrysostomus Hebraicam vocem hodiernam minus benè reddit *lamanasse*: nam legendum est *lamnatseach.*

pro torcularibus. Heb. על גיתית *al Ghittith*: quæ ultima vox Quibusdam est instrumentum musicum petitum à Philistinis quorum urbs Geth, aut familiæ Obededom Gethæi peculiare. Alii eâdem voce indicari putant carmen tempore vindemiæ in prælis & torcularibus cantandum, aut à Davide in Geth degente conscriptum. Eusebius, Athanasius, Didymus, Apollinarius, Theodoritus, Nicephorus, atque Hesychius dictionem GHITTITH *torcularia* de fidelium Ecclesiis exponunt, quia videlicet Dominus in Evangelio *vitis* appellatur. Origenes *torcularibus* intelligit rationales naturas, quæ fructus è spiritali vite suscipiunt. *Nonnulli*, inquit Theodorus Antiochenus, *dicunt & in communem hominem de tabernaculorum celebritate hunc Psalmum fuisse dictum, in quâ fructuum repositio fieri solebat; & propterea pro torcularibus inscribi.* Mihi dictio גיתית *ghittith*, pro quâ LXX. legisse videntur גתות *gattoth*, nihil aliud est quàm initium veteris Cantilenæ ad cujus modulos Psalmus noster fuerit decantatus. Cod. Reg. 138, & Colb. 158. hunc habent titulum. *in finem pro Torcularibus Psalmus David vox Ecclesiæ.*

Domine Dominus noster. Prius nomen est יהוה *Jehovah* sive *Jahuéh* Dei proprium & ab ipsius essentiâ petitum quod *ἄῤῥητον ineffabile* & *τετραγράμματον quadriliterum* dicitur; quódque à solis Sacerdotibus sacra celebrantibus olim pronuntiabatur: ut ex [a] Philone discimus & * Talmudistis. Sacrum autem hoc nomen Ethnicis non fuit ignotum ut apparet oraculo Apollinis Clarii apud [b] Macrobium recitato; colligitúrque ex [c] Platone, [d] Diphilo, [e] Cornelio Labeone, [f] Diodoro Siculo, [g] Dione Cassio, ac [h] Porphyrio; & de eo plura habes apud [i] Philonem, [k] Josephum, [l] Talmudistas, [m] Mosem Maimonidem, [n] Rabbi Bechai, [o] Rabbi Chiskia, & in libris [p] *Schemoth rabba*, [q] *Taame mitzvoth*, [r] *Caphtor*, & [s] *Jalkut*: præter [t] Irenæum, [u] Clementem Alexandrinum, [x] Eusebium, [y] Hieronymum, [z] Theodoritum, & [&] Damascenum. Posterius nomen est אדני *adonai* quod commune dicitur,

[a] lib. 3 *de Vitâ Mosis* paulo ante medium.
* tract. *Tamid.* cap. ult. tract. *Kiddusihin* cap. 4 & tract *Ioma* cap. 6
[b] lib. I. Saturnal cap. 18.
[c] apud Euseb. de Præp. lib XI. cap. 12. pag. 530.
[d] apud Clem. Alex. Strom. V. pag 606. C.
[e] apud Macrob. loco citato.
[f] lib. II. c. 5.
[g] lib. 38.
[h] apud Euseb. de Præp. lib I. cap. 9. pag. 31. A.
[i] lib *Quis rer. div. sit hæres* circa med. & lib 3 *de vit. Mos.* post med
[k] Antiq. III. 8. XI 8. &c.
[l] tract *Schabbat* c. 6. tract. *Pesachim* c. 3. tract. *Sota* cap. 7. tract *Sanhedrin* c. 4. tract. *Aboda zara* c. 1.
[m] in *More Neb.* lib. I. c. 61. & seq.
[n] in Exod. fol. 65.
[o] in lib. *Chaskuni* in collect marg. ad cap. 3. Exod.
[p] Exod. III. Parasch. 3.
[q] fol. 31.
[r] fol 56.
[s] in Psal. 91.
[t] apud S. Epiphanium in Valent. Hær. 31. num 16.
[u] Strom. V. p. 562. D. 565. B.
[x] Præp. XI. 6. p. 519. D 520 A.
[y] Epist. 138. & in Psal. VIII 1.
[z] Quæst 15 in Exod.
[&] lib. I. Select. tit. 1.

a in Ezech. VIII. 1.
b in Psal. VIII. 1.
c in Ezech. VI. 3.
d Homil. 14. in Num.

& Tetragrammato postponitur ut docet [a] Origenes, observátque S. [b] Hieronymus. Excipias tamen velim Ezechielis prophetiam in quâ *Adonai* ponitur ante *Jahneh* ut annotavit B. [c] Hieronymus. De utroque nomine, proprio scilicet & communi consule [d] Origenem: cujus verba non ab homine Hebraicæ linguæ rudi ut vir magnus existimavit; sed ab homine modestissimo videntur mihi prolata.

quoniam elevata est. Hebraicæ, *qui ponere magnificentiam tuam*, literæ sensum LXX. Senes optimè expresserunt vel ipsis annuentibus Rabbinis: qui vertunt *quoniam* aut *qui ponis* vel *posuisti magnificentiam tuam.* S. Chrysostomus. *Alius, qui posuisti laudem tuam super cælos.*

ex ore, &c. B. Chrysostomus. *Alius, ex ore infantium & lactentium fundasti potentiam. Alius, constituisti fortitudinem* Noster Hebræam vocem עז *fortitudinem* rectè interpretatus est *laudem* ut apparet collatis locis Psal. XCV. 6. 7. XCVIII. 3. Cur autem laus ab Hebræis fortitudo appelletur ea videtur esse caussa quia tunc maximè fortes sumus & validè consistimus quum in ore omnium versamur & benè audimus ac rumorem bonum colligimus. *Famâ bella stant* ait eo sensu Q. Curtius. Hanc porrò laudem ad illud, quod pueri Hebræorum Matth. XXI. 15. Christo tribuerunt, præconium refero cum B. Chrysostomo, cujus aurea verba prætermittere heic non possum: ϰ τί δή ποτε, &c. *Et quamnam ob caussam aliis omissis miraculis, mortuorum resurrectione, leprosorum mundatione, Dæmonum expulsione, nunc puerorum miraculi meminit? Quoniam illa quidem etiam ante facta sunt; &, si non sic, tamen facta sunt & aliquid commune inter se habuerunt, licet non modum. Suscitatus est enim mortuus sub Elyssæo, & leprosus mundatus, & Dæmon per Davidem expulsus est quando Saul invadebatur à Dæmone. Chorus autem infantium & lactentium nunc primùm loquutus est. Ne ergo impudenter se gereret Judæus asserens hæc de iis dicta esse quæ sunt edita in veteri lege, elegit signum quod tunc primùm & solùm factum est.. In aliis* (miraculis,) *etsi præter rationem, aliqua tamen suspecta habebant qui sunt impudentes; heic autem nihil potuerunt dicere, quum ipsa per se nuda natura contenderet.*

propter inimicos tuos. S. Chrysostomus interpretationis ad rem, de quâ heic agitur, apprimè conducentis meminit *Alius*, inquit, PROPTER ILLIGANTES TE: *ii enim eum alligarunt ductum ad crucem.* Supplementum autem in Paraphrasi positum subministrat S. Matthæus XXI. 15. & confirmat Eusebius ita hæc enarrans verba PROPTER INIMICOS TUOS: *tum propter principes Sacerdotum, tum propter Pharisæos dicitur.*

ut destruas. S. Chrysostomus. ALIUS, UT CESSARE FACIAS *hoc est ut eorum de medio tollas impudentiam.*

inimicum & ultorem. B. Chrysostomus populum Judaicum intelligit sancto doctior Athanasio atque Hesychio qui de Diabolo exponunt. Hæc autem nomina singularia *inimicum* & *ultorem* pluralium locum tenent ut patet nomine *inimicos* quod præcessit Unam verò atque eandem rem notant: nam ultor idem est ac inimicus, qui vocatur ultor quia vindictam semper spirat habétque animum jugiter intentum ad ulciscendas, quas accepit aut accepisse credit, injurias. Quod rectè intellexit Anonymus apud S. Chrysostomum vertens *ut compescas inimicum & qui seipse ulciscitur.* Aliò quidem prædicta nomina trahit S. Chrysostomus dum iis significari vult Judæos Christum expellentes ut inimicum, tanquam Patrem ulciscentes; sed interpretatio illa mihi non arridet expendenti Psal. XLIII. 17. S. Augustinus, qui heic legit *defensorem*, enarrans versum 6. Psalmi CII. legit *ut destruas inimicum & vindicatorem*; additque: *quod nonnulli Codices defensorem habent: sed veriùs, ultorem, vindicatorem.*

4 *Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum, lunam & stellas quæ tu fundasti:*

Quum verò, *præter hoc miraculum aliud attendens*, cœlos tuos, *qui sunt* digitorum tuorum opera, video; lunámque aspicio atque stellas quas creasti *tam nobiles:*

quoniam. Heb. כי pro *quando* interdum sumitur, ut jam alibi notavimus; atque in hanc sententiam heic accipi debet: quanquam S. Chrysostomus moneat alium interpretem

vertisse *videe enim cœlos*; ipséque Chrysostomus res sic connectat εἰπὼν ὅτι κατέλυσας, &c. *Quum dixisset* DESTRUXISTI INIMICOS, *splendida hujus victoriæ affert probationem. Tu enim*, inquit, *qui crucifixus es, apparuisti orbis terrarum creator & opifex. Propterea dicit* VIDEBO COELOS TUOS *significans multos, non anteà cognovisse, posteà quidem certè omnes scient.* Deum Vates describit admirandum non ob cœlos conditos, sed ob præfectum iis cœlis Christum: unde quartus iste versus ad sexti finem cadit, ut in antecessum in paraphrasi explicavi, lucem obscuro loco allaturus.

tuos. S. Hieronymus in Epistolâ ad Suniam & Fretelam notat pronomen TUOS *esse de editione Theodotionis in* LXX. *Interpretibus sub Asterisco.* Idem pronomen non legitur à S. Johanne Chrysostomo; abéstque ab Augustino in edit. Basil. 1529. & in undecim MSS. ut testantur Monachi Benedictini qui illud tamen in textu reponunt.

fundasti. S. Chrysostomus. *Alius*, ἐτίμησας *parasti. Alius*, ἥδρασας *stabiliter collocasti*

Quid est homo, quòd memor es ejus; aut filius hominis quoniam visitas eum?	5	*Tùm sic apud me reputo.* Quid est homo *Christus* quòd ejus memor fueris; aut *quid est idem Christus* filius hominis ut ejus rationibus prospexeris *illum cœlis atque astris tam admirandis præficiens?*
Minuisti eum paulò minùs ab Angelis; gloriâ & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.	6	Eum *quidem in diebus carnis ejus* infrà Angelos paululùm demisisti; *sed* illum, *propter passionem mortis,* gloriâ & honore coronasti, eúmque *cœlis* manuum tuarum operibus præposuisti.

quid est homo. Locum hunc Anonymus apud Sanctum Johannem Chrysostomum interpres sic vertit *quid est pertinens ad hominem quòd recordaris ejus?* Christus porrò in isto loco, pro Scripturæ more alibi observato, de se loquitur in tertiâ personâ; & quidem ratione humanitatis: secundùm quam non solùm homo & filius hominis vocari voluit, sed etiam vermem seipse appellavit. Quæ stupenda humilitas atque demissio heic tangitur ut tantò sublimior & admiratione dignior appareat Deus qui abjectum sic hominem, & hominis filium in tantas miserias depulsum: divinum, inquam, nostrum, qui se in hanc humilitatem coegerat, Sospitatorem cœlo & terræ præfecerit. Porro etsi *Christus in formâ Dei esset*, nec *rapinam arbitratus* fuerit *esse se æqualem Deo* ut docet B. Paulus; nihilominus, ut addit idem Apostolus, *exinanivit semetipsum formam servi accipiens in similitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo.* Ultimam partem attingit Vates; eámque unam attingere heic debuit: quum enim Christum gloriâ coronatum descripturus sit; eámque, Apostolo interprete, gloriam Christus sibi ex passione mortis comparaverit, repræsentandus erat ut homo quia mortem passus est ratione humanitatis: ac proinde mirum videri non debet si Vates, omissâ Christi divinitate, ejus humanitatem hoc loco duntaxat memoret. Divinitas canitur in Psal. II. XLIV. aliísque.

quod memor es ejus. S. Augustinus legit *quia* eodem sensu.

paulò minùs, &c. Tertullianus adv. Jud. cap. 16. & aliis in locis legit, *minoratus modicum citra Angelos.* S. Chrysostomus. *Alius*, BREVE QUIDDAM A DEO. *Alius*, PAULULUM QUIDDAM A DEO. Sed, quamvis S. Hieronymus in suâ ex Hebræo versione duabus istis interpretationibus faveat, vertens *paulò minùs à Deo*; & vox Hebraica אֱלֹהִים *Deum* non raró significet, retinenda est vulgata Interpretatio: non solùm quia eam Rasi, Aben Ezra, Kimchius, aliique Hebræorum magistri comprobant; sed quia à S. Paulo laudatur, & sententiæ magis convenit. Diminutionis heic memoratæ vestigium exstat in Luc. XXII. 43.

Lectio Hebraica *outasreou mat meelchim* à S. Chrysostomo heic relata parùm accurata est: vitio non ejus, sed Scriptorum expositiones sancti atque eximii hujus Doctoris concionantis properanter heic & aliis in locis à me redargutis & redarguendis excipientium. Unde etiam evenisse puto ut aurei Doctoris codices manu scripti multam variarum lectionum copiam exhibeant: variè nimirum sancti Patris concionantis verba excipientibus Scribis.

coronasti. minùs benè Quidam apud S. Chrysostomum vertit *coronabis*.

constituisti. S. Chrysostomus. *Alius, fecisti ut haberet potestatem operum manuum tuarum.*

super opera manuum tuarum: idest cœlos ut apparet vers. 4. suprà & Psal. CI. 28. Hunc locum respexit a Christus dicens *data est mihi omnis potestas in cœlo*; & planissimè explicat B. b Paulus quum ait: *qui credimus secundùm operationem potentiæ virtutis ejus* (Dei) *quam operatus est in Christo: suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus suprà omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Et omnia subjecit sub pedibus ejus*, &c. Quæ B. Pauli verba S. Hieronymus parùm feliciter ex Origenis sententiâ tractat quum sic scribit. *Cur autem omnia idest Angeli, Throni, Dominationes, Potestates, & Virtutes cætera, quæ nunquam contraria fuerunt Deo, ejus pedibus subjiciantur? Potest itaque responderi quòd absque peccato nullus sit; & sydera ipsa non sunt munda coram Deo, omnisque creatura paveat Redemteris adventum: unde & Crux Salvatoris non solùm ea quæ in terra, sed ea quæ in cœlis purgasse perhibetur.*

a Math. XXVIII. 18.
b Eph. I. 19 & seq.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus; oves & boves universas; insuper & pecora campi:	7	*Ad hæc* omnia, *quæ sunt in terrâ*, potestati ejus subjecisti: oves *nimirum* & boves omnes; *insuper & feras agrestes:*
Volucres cœli & pisces maris qui perambulant semitas maris.	8	*Nec non* volucres aeris, & pisces maris qui maris semitas perambulant.
Domine Dominus noster quàm admirabile est nomen tuum in universa terrà!	9	*Hæc expendens iterùm exclamo.* Domine Dominus noster quàm admirabile est nomen tuum in universâ terrâ!

omnia subjecisti, &c. ad alteram potestatis Christo datæ partem hoc est terræ imperium transit: ipso interprete Christo: c qui, postquam datam sibi esse in cœlo potestatem dixisset, statim subdidit *& in terra.* Sed potestas illa dupliciter considerari debet: ratione nimirum possessionis, & ratione imperii. Prior potestas *ovibus & bovibus* denotatur quorum peculiariter meminit Vates quia Judæi, teste d Josepho, Agriculturæ potissimùm dediti erant; eorúmque divitiæ ovibus atque bovibus præcipuè continebantur ut ex sacrâ historiâ liquet. Possessivam hanc potestatem attingit S. e Paulus quum Christum vocat *hæredem universorum.* Potestas imperativa *pecoribus campi, volucribus cœli*, & *piscibus maris* designatur; eamque respicit f Christus quum ita fatur: *in nomine meo serpentes tollent; &, si mortiferum quid biberint non eis nocebit*, ut infrà enodatius explicabitur.

pecora campi. Anonymus apud S. Chrysostomum ἄγρια *agrestia* rectè: nam feræ heic describuntur quæ in agris & campis versari solent: atque heic secundum potestatis Christo datæ membrum incipit ut jam monui.

cœli. cœlum ponit pro aere. g Lucretius..... *in hoc cœlo, qui dicitur aer.* Succinunt h Plautus, i Cicero, k Virgilius, l Plinius, ac m Servius.

qui perambulant. est repetitio hujus quæ præcessit loquutionis *pisces maris*: unde iis non assentior qui explicant quidquid maris semitas transit; sive sint pisces, sive monstra, sive quid aliud; multò minùs Rabbinis Aben Ezra & Kimchio existimantibus significari his verbis

c loc. cit.
d lib. 1. contr. Ap. p. 1038 edit. Gr. Lat.
e Heb I. 2.
f Marc. XVI. 17.
g lib. 1.
h Pseud. Scen. II. act. 3.
i 4. Tuscul.
k Georg. I.
l Hist. nat. lib II. c. 38.
m in Georg. 1. ubi hæc verba: *& varium cœli prædiscere morem* explicans ait, *cœli idest aeris.*

verbis hominem suâ sapientiâ naves aptare quibus maria decurrat, & in alto pisces capiat. Hebræus textus hodiernus habet עבר *transiens*; sed antiquus, quo LXX. Senes usi sunt, habuisse videtur עברים *transeuntes*: quanquam res eodem redit; in linguâ maximè Hebraicâ in quâ numerorum enallage crebra est. Cæterùm Græci doctores B. Athanasius atque Hesychius & Latini SS. Hieronymus atque Augustinus animalia hoc in Psalmo memorata allegoricè sumunt. S. Athanasius per OVES & BOVES intelligit eos *qui ex Israel crediderunt*; per PECORA CAMPI, *Gentes*; per VOLUCRES COELI ET PISCES MARIS, *elatos in vitâ, & alta sapientes & maximè à ratione alienos*. Hesychius VOLUCRIBUS COELI indicari putat *qui alta & sublimia dogmata perscrutantes Theologiæ incumbunt*; PISCIBUS MARIS *illos qui in hujus vitæ negotiis tanquam in fluctibus natant*; OVIBUS *homines innocenter viventes*; BOVIBUS *præceptorum observatores*; & PECORIBUS *peccatores*. B. Hieronymus OVES ET BOVES interpretatur *animas sanctas fructum innocentiæ operantes*; PECORA CAMPI *inferioris meriti homines*; VOLUCRES COELI *qui, per superbiam, iniquitatem in excelso loquuntur*; PISCES MARIS *qui, per nimiam curiositatem, non contemplantes cœlestia, inter hujus sæculi fluctus putant esse vitam æternam*. S. Augustinus hæc verba *omnia subjecisti sub pedibus ejus* enarrans ait. *Nihil excipit quum dicit* OMNIA. *Et ne aliter liceret intelligi sic Apostolus credi jubet* a *quum dicit* EXCEPTO EO QUI EI SUBJECIT OMNIA. *Et hoc ipso hujus Psalmi testimonio utitur ad Hebræos* b *quum ita vult omnia intelligi esse subjecta Domino nostro Jesu Christo ut nihil exceptum sit. Nec tamen quasi aliquid magnum videtur adjungere, quum dicit* OVES ET BOVES UNIVERSAS; INSUPER ET PECORA CAMPI, VOLUCRES COELI, ET PISCES MARIS QUI PERAMBULANT SEMITAS MARIS. *Videtur enim, relictis cælestibus Virtutibus & Potestatibus & omnibus exercitibus Angelorum; relictis etiam ipsis hominibus, tantùm ei pecora subjecisse: nisi* OVES & BOVES *intelligamus animas sanctas vel innocentiæ fructum dantes, vel etiam operantes ut terra fructificet, idest ut terreni homines ad spiritualem ubertatem regenerentur*. Idem sanctus Doctor, allegoricam interpretationem persequens, PECORA CAMPI exponit *de hominibus in carnis voluptate gaudentibus*; VOLUCRES COELI *de superbis qui posuerunt in cælum os suum*; & PISCES MARIS *de curiosis qui perambulant semitas maris, idest inquirunt in profundo hujus sæculi temporalia*. His allegoriis opus heic esse non credo; nec me in contrariam sententiam trahit duplex, quod à B. Augustino movetur, dubium. Nam, quod ad prius attinet, cælestes Virtutes, Potestates, & omnes Angelorum exercitus attingi existimo in sexto versu, ubi *opera manuum Dei* hoc est *cœli* memorantur. Quòd autem homines spectat, generali voce *omnia* continentur; nec eos speciatim omissos esse miror quia hominibus ipsi terræ reges dominantur; & describendum erat dominium quod vel ipsi terræ Reges non haberent quodque nobis admirationem moveret: quale est ferarum, volucrium, & piscium, in quæ nullus unquam rex, quantumvis potens, imperium tenuit. Sed, ut hæc enodatiùs explicentur, dico Christum in postremis Psalmi versibus repræsentari ut *hæredem* & *dominatorem* qualis describitur Heb. I. 2. *quem constituit hæredem universorum* & Matth. XXVIII. 18. *data est mihi omnis potestas in terrâ*, ac Marc. XVI. 17. *in nomine meo... serpentes tollent*. Hæreditatem denotant *oves & boves* quia præcipuam Judaicarum divitiarum partem constituebant, ut dixi: dominium *pecoribus campi, volucribus cœli, & piscibus maris* designatur quia, quum animantes istæ cicures non sint, magnam gloriam ei conciliant cujus imperio subsunt; quum è contrario oves & boves, utpote mansueta animalia, eum non commendent qui ipsis imperat. *Oves* ergo & *boves* possessionem seu hæreditatem spectant; cætera animalia ad dominatum pertinent. Utrumque porrò *subjectione pedum* denotatur. Nam 1°. *possessio*, ut ait c Labeo, *est quasi quædam pedum positio*, unde Deut. XI. 24. *omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit*, Jos. XIV. 9 *terra quam calcaverit pes tuus erit possessio tua* & Cic. 3. Philip. 28. *hodie in possessionem libertatis pedem ponimus*, & pro Cæc. 39. *cùm pedem intulero atque in possessionem vestigium fecero*. 2°. qui imperium in alios tenent, eos quasi pedibus subjectos habent; atque in hanc sententiam dicitur Psal. XLVI. 3. *subjecit populos nobis & gentes sub pedibus nostris*. & Psal. CIX. 2. *donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. Hæc autem in Christo Domino ad vitam revocato impleta videmus: atque ut priorem, quæ notissima est, partem omittam, Christus d à mortuis excitatus *stetit in litore, & dixit discipulis: mittite in dextram navigii rete, & invenietis. miserunt ergo; & jam non valebant illud trahere præ multitudine piscium*. Pisces Christo morem gerentes heic cernimus, *& pisces maris qui perambulant semitas maris*. Ad

a I. Cor. XV. 27.
b cap. II. vers. 8.
c In l. 1. in princip. ff. *de acq. possess.* in Vulgat.
d apud Joh. XXI.

hæc Christus Marc. XVI. 17. suæ in agrestia potestatis compotes facit Discipulos his verbis : *in nomine meo serpentes tollent* ; unde B. Paulus Act. XXVIII. à viperâ percussus nihil mali patitur, *& pecora campi.*

ARGUMENTUM.

PSALMI NONI.

HEBRAICUS hujus Psalmi titulus למנצח עלמות לבן Auctores in varias traduxit sententias : quas antequam refero monitum velim Lectorem variè legi hunc titulum ; &, pro varietate lectionum, varias ortas fuisse sententias. Aliqui secundam dictionem in duas, hoc pacto על מות *al mout* idest *super morte*, dividentes ; & ultimam לבן anagrammaticè *Nabal* legentes dicunt hunc Psalmum à Davide compositum fuisse, postquam Nabal Carmelita mortuus esset. Alii legunt על מות לבן *al mout labben* ; & interpretantur *super morte filii*, nempe Absalomi. Nonnulli existimant tertium vocabulum לבן idem esse ac si scriberetur cum Iod, atque eo vocabulo designari putant Goliathem : utpote qui I. Reg. XVII. 4. dictus fuerit vir הבנים *habbenaim* idest *medietatum* eò quod se inter duo castra interposuerit, non secùs ac Gallus ille provocator : qui, narrante Livio, in medium inter castra pontem processit, & quem Manlius Torquatus occidit. Hanc qui probant explicationem arbitrantur Goliathis mortem hoc Psalmo decantari ; & in eâ sententiâ sunt Chaldæus Paraphrastes, Kimchius, aliíque non pauci. LXX. Senes Titulum ita legerunt לנצח על עלומות לבן *lanetsach al alloumot labben* idest *in finem pro occultis filii* ; suósque alumnos Origenem, Eusebium, Didymum, Hieronymum, Augustinum, Theodoritum, Nicephorum, alióς-

que adduxerunt ut Psalmum de *unigenito Dei filio* hoc est *Christo*, cujus mysteria fuerint occulta, exponerent. Muisius constare affirmat *ex contextu Psalmi celebrari insignem aliquam victoriam*; ipséque de Goliathe interpretatur; *ut quivis tamen* (sunt ejus verba) *facilè possit ad quancumque aliam victoriam accommodare: fieri enim potest ut Labben fuerit nomen Regis aut Principis cujusdam extranei, qui Davidi & Israelitis bellum intulerit.* Harum opinionum nulla mihi probatur: atque; ut exordium ducam ab illâ quæ Nabalem profert, perstringitur in Psalmo vir qui Israelitis maximas acerbitates intulerit: at Nabal Israelitas nunquam vexavit, sed avarum se duntaxat erga Davidicos socios exhibuit; ergo. Absalomum Psalmus respicere nequit: ille enim (postquam conjuratio ex latebris erupisset) in occulto nihil molitus est, quod tamen versibus 30. 31. 32. observatur; & David de eo nunquam dixit quod versu 39. legitur *contere brachium peccatoris & maligni*. Ad Goliathem Psalmus non pertinet: nam versu 14. Sionis mentio fit, illéque mons nondum sacer erat quo tempore Goliathes cum Davide pugnavit. Scio à Kimchio responderi *Sionem montem heic memorari quia traditio erat apud Hebræos in Sion aliquando habitaturum Deum, ibique ædificandum Templum.* Sed ineptam esse hanc solutionem nemo non videt: nec mihi probatur altera quæ affertur à Muisio asserente *fieri potuisse ut hic Psalmus à Davide fuerit conscriptus quum jam in illius potestate esset arx Sion & in illum Arca esset invecta.* Potuisset equidem Psalmus isto tempore conscribi; sed Sionem memorari non sinebat historiæ * veritas. Christo Domino possunt quidem versus aliquot accommodari; sed totum ei Psalmum vix aptaveris. Insignis aliqua victoria quominùs in Psalmo celebretur impediunt versus 13. *Miserere mei Domine, vide humilitatem meam de inimi-*

* Alia est ratio quum de musicis agitur instrumentis: de quibus dixi in Præf. pag. 102.

cis meis & 18. *convertantur peccatores in infernum, &c.* quod Muisio homini docto; & eo doctiori miror perspectum non fuisse Didymo: qui eam, quæ Psalmum de Absalomi morte interpretatur, sententiam refellens hoc usus fuerat argumento. *Sed quæ dicuntur à Prophetâ vana & amentiæ plena essent: non enim, mortuo filio, confiteretur & gratias ageret quoniam & eum occidi vetaverit & mortem quoque defleverit*: quibus verbis patet Psalmum Dydimo ἐπινίκιον *epinicium* hoc est carmen, pro victoriâ reportatâ, visum fuisse; quum è contrario carmen sit pro victoriâ reportandâ ut ex laudatis textibus liquet. Mihi Psalmi nostri versus 30. 31. 32. 33. cum Psalmis LV. 6. LVI. 7. CXLI. 4. comparanti aliqua Saulinæ vexationis suspicio movebatur; sed eam Sionis, qui sacer tunc non erat, montis mentio & alia nonnulla in Psalmo commemorata, quæ in hoc tempus non quadrant, à me propulsarunt: quúmque eosdem Psalmi nostri versus nec non 1. 7. 14. 19. 23. 25. 26. 27. 28. 29. 35. 39. 40. cum Psalmis V. 7. 10. 12. XI. 2. 5. XIII. 1. 6. LXV. 5. 6. 10. LXXII. 6. 8. 9. 11. 18. 29. LXXIII. 19. CI. 13. CXXII. 5. CXLV. 9. If. XXIV. 23. LII. 7. 8. & Jerem. L. 20. contulissem, nulla mihi relicta est dubitatio quin Psalmus noster ad Babylonica pertineat tempora; fuerítque à captivis usurpatus Judæis qui Deo laudes se dicturos esse dicant postquam irritos reddiderit suorum conatus inimicorum, ipsósque destruxerit. Quod ut consequantur, Dei justitiam; & vetera, quæ Judaicæ Genti præstitit, beneficia prædicant; tum misericordiam ejus implorant adversus hostes suos: quorum impietatem longâ oratione prosequuntur; & suam subinde miseriam commemorant, ut Deus ad illorum animadversionem & sui commiserationem faciliùs exci-

tetur. Nihil video quod huic meæ ſententiæ obſtare poſſit niſi verſus illos qui de *abſconſo laqueo* & *ſtructis* verba faciunt *inſidiis*; quibus erga captivos, populari etiam ludibrio permiſſos, uti non ſit neceſſe. Sed, quando Pſalmi V. LXV. & CXXIII. qui Babylonica tempora ſpectant, occultarum *cogitationum* & *laquei* meminerunt eam, quæ mihi opponi poteſt, difficultatem ſolvunt; inſupérque anſam nobis dant ad conjiciendum 1° Judæis, poſt diuturnam apud Babylonios commorationem, eveniſſe quod in Ægypto contigerat & quotidie in Germaniæ, Italiæ, & Hollandiæ, ubi exules degunt, civitatibus contingit, ut ſcilicet eorum nonnulli opibus valerent & gratiâ florerent: quos quum invidi apertè petere non auderent, clandeſtinis oppugnarent conſiliis. 2° *ſuperbo* illo, *impio, peccatore, iniquo, cujus maledictione os plenum eſt & amaritudine & dolo;* quíque *ſedet in inſidiis ut interficiat innocentem* verſibus 22. 24. 29. 30. denotari *Amanem* qui Eſth. III. 9. 13. VII. 6. VIII. 3. 5. *Judæis exitium molitur*, quíque *inimicus peſſimus atque inſidiator Judæorum* dicitur, & *contra eos machinationes peſſimas excogitat*; atque adeò Carmine noſtro eos reſpici Judæos qui in urbe Suſan erant; quomodo Pſalmus CXIX. ad eos pertinet captivos qui in Cedar verſabantur. Utrique à Nabuchodonoſore Babyloniorum rege in ſervitutem dati fuerant; & priores in urbem Suſan deportati videntur eâ occaſione quam [a] alibi annotavi. Harum conjecturarum utra ſit verior ſi à me quæratur, dicam utramque eſſe probabilem; ſed priorem mihi paulò magis arridere. Hic porrò Pſalmus à Rabbinis ſecatur in duos: quorum poſterior, qui decimi locum apud eos obtinet, incipit ab his verſiculi 22. verbis *ut quid Domine receſſiſti, &c.* Hanc diviſionem veteribus

[a] to. 1. Refl. Chr. pag. 159. 160.

Hebræis ignotam fuisse colligitur è LXX. Senum opere; ineptam verò eam esse apparebit illis qui totum, eúmque indivisum, Psalmum optimè inter se cohærere cogitaverint.

TITULUS.

In finem pro occultis filii Psalmus David.

PSALMUS IX.		PARAPHRASIS.
Confitebor tibi Domine in toto corde meo; narrabo omnia mirabilia tua.	1	Laudabo te Domine toto pectore, & tua omnia miracula narrabo.
Lætabor & exultabo in te; psallam nomini tuo altissime,	2	Canam ac laudabo te; & nomen tuum celebrabo ô altissime,
In convertendo inimicum meum retrorsum. infirmabuntur, & peribunt à facie tua:	3	Quum inimicos meos *spe frustratos* pudore suffuderis. Impingent autem *ut spero*; &, te adjuvante, peribunt:

ANNOTATIONES.

pro occultis filii. De hac tituli parte plura in argumento diximus; & nonnulla heic addemus. S. Hieronymus in Commentario legit *pro absconditis filii.* Tum sic fatur: *licet Aquila pro absconditis filii adolescontiam filii posuerit, tamen sciendum in Hebræo haberi pro morte filii. Denique & Symmachus in hunc modum transtulit pro victoria de morte filii.* Hoc confirmat Theodoritus, qui addit Theodotionem interpretatum fuisse pro *floridâ ætate filii.* Quidam pro עלומות *alleumoth* idest *occultis* legunt עלמות *alamoth*: idque vocabuli aliis est instrumentum musicum, alii autem eâ dictione significari credunt musicam acutæ vocis quam Virgines commodè exprimunt, ut est Musicorum superior & altus; alii denique intelligunt eos qui chorum puellarum docebant eanere. Quod spectat vocabulum לבן, illud Pater Davidis Kimchii exponit de Cantore qui vocabatur *Ben*, & cujus mentio exstat I. Paralip. XV. 18. In eâ ego sum sententiâ prædictis verbis עלומות לבן denotari initium veteris cantilenæ ad cujus melodiam Carmeu nostrum decantatum fuerit.

mirabilia tua. liberatam vide fidem Psal. LXV. 6.

lætabor & exultabo in te. Confer Psal. II. 11. XXXII. 1. & videbis *exultare in Deo* nihil aliud esse quàm Deum laudare. Hæc autem laus, lætitiæ & exultationis nomine exprimitur: quia quum aliquem laudamus, lætis atque exultantibus animis id exequi solemus.

altissime. Heb. עליון *Elion.* Hinc [a] Sanchoniato in Phænicum historiâ à Philone Byblio in Græcam linguam conversâ: Ἐλιοῦν καλούμενος ὕψιστος *Elioun qui vocatur excelsus.* Id verò nominis Pœni idest Phœnices Africani pronunciabant *Alon*, ut ex Sisenna & Plauti Pœnulo liquet.

[a] apud Euseb. de Præp. lib. 1. c. 10.

inimicum. plurale pro sing. ut sequentibus patet pluralibus verbis.

in convertendo retrorsum. Confer Psal. XXXIV. 4. 5. 26. 27. XXXIX. 19. 20. 21.

infirmabuntur. Heb. *impingent, corruent:* eodem sensu, qui enim infirmantur cadere solent quum tantisper progrediuntur. Symmachus à Theodorito laudatus & B. Chrysosto.

mo innominatus ista præcedentibus annectit sic : *cùm ceciderint inimici mei retrorsum, corruerint, & perierint à facie tua* ; sed connexionem illam non patiuntur Hebrææ voces יפלו & בשוב ; nec eam series orationis facilè recipit.

4 *Quoniam fecisti judicium meum & causam meam, sedisti super thronum qui judicas justitiam.*

Tu enim *antea* mei parrocinium arripuisti & causam meam suscepisti defendendam ; *túque*, qui justè judicas, pro tribunali sedisti *ut judicium in hostes meos exerceres.*

5 *Increpasti gentes & periit impius ; nomen eorum delesti in æternum, & in sæculum sæculi.*

Subvertisti gentes *nobis infensas*, & perierunt impii *qui nos insectabantur*, nomén*que* eorum delevisti in perpetuum.

6 *Inimici defecerunt frameæ in finem, & civitates eorum destruxisti ;*

Et tandem inimicorum nostrorum gladii defierunt in nos sævire, & civitates eorum destruxisti ;

7 *Periit memoria eorum cum sonitu, & Dominus in æternum permanet.*

Periítque memoria eorum unà cum famâ *quam collegerant*, quæque undique circumsonabat : Dominus autem in æternum permanet.

fecisti judicium meum. B. Chrysostomus. *Alius, judicasti pro me!*

causam meam. Causam quæ fuit veterum Israelitarum, quorum memoriam heic refricat, suam vocat Vates quia beneficia patribus nostris concessa nobis indulta censentur : à præteritis autem ad futura argumentatur pro more in Scripturâ usitatissimo.

sedisti super thronum. S. Chrysostomus. ἀνθρωποπόρως, &c. *humano more loquitur dicens thronum & cathedram..... illud ergo sedisti super thronum, judicasti, significat persecutus es, ultus es.*

impius. singulare pro plurali, ut sequenti liquet pronomine *eorum.*

increpasti Anonymus apud B. Chrysostomum *perdidisti.* Assentitur Kimchius.

inimici. sing. pro plur. ut sequenti patet pronomine *eorum.* Illud autem *inimici* gentivus heic est, ut textu Græco apparet & sensu.

frameæ. Rabbini, cum Interprete cujus meminit S. Chrysostomus, vertunt *ruinæ, vastitates* ; sed nostram, ut Muisio notatum est, versionem confirmat apud Aben Ezra filius Labrati legens *charavoth*, & sequuntur Rasi atque versionis Syriacæ auctor.

in finem. pro *tandem* ut Psal. XII. 1. alibique non raro.

eorum. Deest in Hebræo & Græco ; sed à Latino rectè additur Interprete ; qui prædictum pronomen in antiquis LXX. Senum codicibus legisse videtur cum B. Hieronymo : quanquam ab aurei Doctoris, Augustini, & Theodoriti commentariis ; ut & à Codicibus Reg. 222. 138. Colb. 1. 158. 1339. 1200. & Memm. 2. absit.

cum sonitu. Rabbini, cum Interprete quem citat B. Chrysostomus, vertunt *cum ipsis* ; sed hodierna vox Hebræa המה addititiam non patitur præpositionem *cum* : quam tamen in priscis Hebræorum codicibus fuisse intelligimus ex veteri, quem B. Chrysostomus profert, interprete ; sed is perperam legebat בהמה *behemmah* idest *cum ipsis*, quum unà cum LXX. Senibus legendum sit בהמה *behamah* idest *cum sonitu*, seu *strepitu* ut habet Sanctus Augustinus.

permanet. sup. semper affuturus his qui spem in eo ponunt. Quidam apud S. Chrysosto-

mum interpretatur *sedebit*, sensu non vario. Alteram Vates heic attingit caussam cur hostium interitum speret: priorem à veteribus Dei judiciis & beneficiis petiit; secundam nunc à Deo petit æternùm manente, adeòque suis semper affuturo; maximè cùm sit justus & pauperum refugium non minùs quàm olim fuit.

8 *Paravit in judicio thronum suum, & ipse judicabit orbem terræ in æquitate, judicabit populos in justitia:*

Paratúmque habet solium suum ad jus dicendum; ipséque orbem terræ æquis moderatur legibus, & justa populis dispensat:

9 *Et factus est Dominus refugium pauperi, adjutor in opportunitatibus in tribulatione.*

Estque Dominus pauperum defensor; ipsósque in ærumnis jacentes opportunè adjuvat.

10 *Et sperent in te qui noverunt nomen tuum: quoniam non dereliquisti quærentes te Domine.*

Meritò ergo *Judæi*, qui nomen tuum noverunt, in te sperant Domine: eos enim qui te colunt nunquam dereliquisti.

11 *Psallite Domino, qui habitat in Sion: annuntiate inter Gentes studia ejus:*

Vos verò, ô socii, Dominum in Sione habitantem canite; &, *medios* inter Ethnicos *cum quibus versamini*, mira, *quæ in Patrum nostrorum gratiam egit*, opera prædicate:

12 *Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est; non est oblitus clamorem pauperum.*

Siquidem in effusum Israëlitarum sanguinem inquirens eorum *olim* recordatus est; nec pauperum clamorem oblitus *unquam* fuit.

13 *Miserere mei Domine; vide humilitatem meam de inimicis meis.*

At, tu Domine, *veterum illorum memor beneficiorum*, miserere mei; & miseriam, in quam inimici mei me depulerunt, vide.

paravit in judicio. Symmachus à Theodoro Antiocheno prolatus & B. Chrysostomo innominatus interpretatur *in judicio thronum suum firmavit*: quod verbum Rabbini retinent minùs benè.

in opportunitatibus in tribulatione. Heb. *ad tempora in angustiâ* hoc est ad tempora quibus fuerit in angustia. Idem ubique sensus. Aquila Hebræam vocem; Symmachus nostram probavit versionem: nam Origenes & Theodoritus testantur Aquilam vertisse *in tempore*; Symmachum *opportunè*. Clemens Alexandrinus Strom. 6. legit *in opportunitate & tribulatione.*

sperent. Aquila & Symmachus dixerunt *confident*, ut asserit Theodoritus. Idem ubique sensus.

qui habitat in Sion. In Sione habitare dicitur Deus ob peculiarem favoris sui influxum ex hoc monte manantem. S. Chrysostomus τί λέγεις, &c. *Quid dicis? cujus cœlum sedes est, & terra scabellum pedum; cujus in manu sunt fines terræ, is habitat in Sion? Certè.*

Habita tenen

Habitationem enim heic dicit, non loco circumcludi (est enim infinita ejus magnitudo ;) sed peculiarem affectionem ad locum & peculiariter in eum affici, ut Judaos per hanc sui demissionem ad se attraheret. In hanc sententiam accipienda sunt verba Psalmographi : qui à Judaico, cujus SS. [a] Hieronymus & [b] Cyrillus Alexandrinus meminerunt, errore Deum æde Hierosolymitanâ concludente longè abest ; nec enim error ille omnium erat Judæorum, sed rudium & imperitorum quorumdam ut patet ex [c] Origene. Quamvis autem dirutum esset Templum, nihilominus in Sione habitare Deus censebatur : unde Vates, captivorum personam tuens, alibi dicit [d] *levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.*

[a] in cap. 66. If.
[b] lib. 2. cont. Jul p. 72.
[c] Homil. 12. in Genes.
[d] Psal. CXX. 1.

studia ejus. Symmachus, teste Theodorito, *artes* dixit, Aquila *mutationes.* Alius B. Chrysostomo memoratus, *machinationes ejus.* Doctiùs ille cujus versionem repræsentat S. Augustinus *mirabilia ejus* : respicit enim Vates ad mira beneficia priscis Judæis præstita, quorum recordatione suas Captivi levabant ærumnas. Confer Psal. LXXVI. 13.

sanguinem eorum. Vide Deut. XXXII. 43.

14 *Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion;*

Vide, inquam, tu qui me à mortis faucibus *hactenus* eripuisti : &, *præteritum instaurans auxilium, mihi etiam nunc succurre* ut omnes, quæ tibi debentur, laudes, *pro modulo meo*, in portis urbis Sionis enarrem :

15 *Exultabo in salutari tuo: infixæ sunt gentes in interitu quem fecerunt;*

Et de salute *mihi* abs te allatâ gaudeam : Gentes *autem nobis infensæ* cadant in foveam quam *nobis* fecerunt;

16 *In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.*

Earúm*que* pes in ipsomet comprehendatur reti quod absconderunt *ut nos intercipiant.*

17 *Cognoscetur Dominus judicia faciens : in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.*

Cognoscendum se Dominus *anteà* præbuit judiciis *quæ in improbos nostros hostes pronuntiavit*; impiíque *illi* operibus manuum suarum comprehensi sunt *suo pereuntes consilio.*

qui exaltas me. Magna me suspicio tenet participium מרוממי *exaltans me* ; seu *qui exaltas me* resolvendum esse per imperativum subaudiendo *sis*, hoc modo *exaltans sis me* idest *exalta me* : sed, quando vetustatis (quòd sciam) auctoritatem non habet illa interpretatio, mihi non sumsi tantùm neque arrogavi ut eam in paraphrasi reponerem, quamquam reponenda videbatur ob duas rationes. 1° quia Vates præstita veteribus Judæis beneficia jam proposuit *quoniam requirens sanguinem eorum* ; &c. nec concessa sibi beneficia postea laudaturus erat : præsertim quum à mortis faucibus, dum captivitas duraret, ereptus non esset sed potius iis proximus semper censeretur. 2°. quia versiculi rectiùs inter se cohærerent si diceretur. *Miserere mei Domine, vide humilitatem in quam inimici mei me depulerunt ; & me è portis mortis eripe, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filia Sion.*

de portis mortis, &c. portis mortis portis Sionis rectè opponit : nam de Deo Sionem incolente dicitur Psal. XXXV. 10. *apud te est fons vita.* Origenes & Cyrillus Alexandrinus portis mortis peccata intelligunt. B. Hieronymo portæ mortis sunt studia parentum qui

colebant diversos Deos ; vel Dæmoniorum aut Hæreticorum doctrina. Sed illas, quæ in sensu morali recipi possunt, interpretationes literalis non probat sensus: juxta quem portæ mortis nihil sunt aliud quàm mortis proximitas ut docet Kimchius ; seu magna illa pericula in quibus quum versamur non procul à morte absumus.

filia Sion. Cornelius Jansenius : *phrasi Hebraicâ, filia Sion dicitur congregatio Sion, sicut posteà Psal. 44. filia Tyri pro congregatione & populo Tyri, eo quod populus à civitate protegatur sicut filia à matre.* Muisius : *Filia Sion hoc est populi Sion. More Scripturæ populum nominat filiam : urbs enim populi quasi mater est.* Ego ad Is. X. 32. XVI. 1. Jer. IV. 31. Thren. I. 6. II. 1. 2. 4. 5. 8 10. 11. 13. 18. III. 48. IV. 6 & Mich. I. 13. attendens vereor ut filia populum significet; præsertim quum in aliquot è laudatis locis filia jungatur cum populo. Præfata qui expenderit loca, mecum, ni fallor, existimabit filiam Sion nihil esse aliud quàm Urbem Sionem ; quæ dicta sit filia quòd à populo illam condente ortum haberet, aut filiæ instar inclyta esset & amplè magnificéque exornata. Hæ autem Sionis portæ mihi aliæ videntur à portis ubi judicia fiebant & quarum mentio extat Deut. XVI. 18. XXII. 16. Ruth. IV. 1. Psal. LXVIII. 13. CXXVI. 6. Proverb. XXII. 22. XXXI. 23. Amos V. 12. Hæ portæ ad domum judicii, seu, Synedrium ; illæ verò ad domum Dei seu Templum ducebant.

interitu. S. Aug. *corruptione.*

cognoscetur. Quidam apud B. Chrysostomum interpres optimè vertit : *cognitus est fecisse judicium.* S. Aug. *cognoscitur.*

peccator. pluralis locum tenet singulare illud: post quod in Hebræo legitur הגיון סלה idest, juxta Vatablum, *meditatio in sæculum* qd. *ô rem perpetuâ meditatione dignam quòd improbi suis pereant artibus.* LXX. Senes hæc vel non legerunt ; aut, pro Musicæ notâ accipientes, vertenda non esse putarunt. Prius mihi suadent Codices Reg. 138. 928. 1532. 1771. 2225. 2606. 2653. 2723. Colb. 4427. & Memm. 2. in quibus nihil est quod prædictis Hebræis respondeat vocibus : quas tamen Codices Reg. 222. & Colb. 1. 1339. peculiari exprimunt titulo qui sic habet *Canticum Diapsalmatis.* Quæ verba agnoscit & explicat Didymus, habet S. Augustinus, legit S. Chrysostomus ; qui monet Alium vertisse *vox semper*, Alium *modulatio semper.* Eadem verba nempe *Canticum Diapsalmatis* à S. Gregorio Nysseno explanantur ; sed ab iis, quos SS. Hieronymus & Theodoritus versabant, codicibus abfuisse videntur.

Convertantur peccatores in infernum, omnes Gentes quæ obliviscuntur Deum :	18	*Pari modo* detrudentur, *ut spero,* in sepulchrum improbi *qui nos infectantur*; omnes, *inquam*, ethnicæ, *inter quas versamur, Gentes,* quæ Deum ex animo ejecere, peribunt:
Quoniam non in finem oblivio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem.	19	Siquidem pauperum perpetuà à Deo non fiet oblivio ; nec inanis æternùm erit miserorum spes *Israelitarum.*
Exurge Domine : non confortetur homo ; judicentur Gentes in conspectu tuo.	20	*Hæc autem ut fiant,* exurge Domine ; nec majus robur accipiat homo, *qui nobis exitium molitur*, & pœnas tandem, te judice, luant Gentes *quæ nos affligunt.*

a lib. IV. contr. Marc. c. 14. p. 425. edit. Rigalt.

convertantur. pro convertentur, ut præcedenti futuro *cognoscetur* apparet ; & sequenti voce *quoniam*, quæ minùs benè cum optativo cohæret. a Tertullianus legit *avertantur pecca-*

teres in inferos, omnes nationes quæ Dei obliviscuntur : quoniam non in finem oblivioni habebitur mendicus ; tolerantia pauperum non peribit in finem.

non in finem oblivio, &c. S. Chrysostomus. Alius, ὁ γὰρ &c. *non enim in finem expectatio mitium oblivioni tradetur.*

non confortetur. S. Augustinus *non prævaleat.* Quidam apud B. Chrysostomum *non confidat audacter.*

21 *Constitue Domine legislatorem super eos, ut sciant gentes quoniam homines sunt.*

Præfice eis Domine rectorem qui eas severis coerceat legibus, ut Gentes *illæ* sciant quòd homines sunt.

22 *Ut quid Domine recessisti longè, despicis in opportunitatibus in tribulatione?*

Verùm, Domine, cur longè *à nobis* recessisti, *& nos* calamitoso hoc tempore, quum opportunum esset *nobis opitulari*, despicis?

23 *Dum superbit impius, incenditur pauper: comprehenduntur in consiliis quibus cogitant.*

Quare, inquam, à nobis recessisti dum superbit impius *noster Afflictor*, pauperésque *Israelitæ* vexantur. *Ipsis quæso* quæ *contra nos* cogitant consiliis *hostes nostri* capiantur.

24 *Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur.*

Nam improbus, *qui eis præest Afflictor*, ob *illa* consilia desideriis animæ suæ consentanea laudatur, *& super astra tollitur*; plausúmque iniquus *ille* accipit *quasi his solis consiliis exterminanda sit Judaica gens.*

25 *Exacerbavit Dominum peccator, secundùm multitudinem iræ suæ non quæret.*

Sed & impius *ille* Dominum irritat; *&*, quo est furore, eum non curat.

26 *Non est Deus in conspectu ejus, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.*

Deum flocci facit; *nihilque ab eo metuens* omni flagitiorum genere indesinenter se inquinat.

legislatorem. Rabbini, cum interprete cujus mentionem facit S. Chrysostomus, vertunt *timorem*; sed sensus eodem redit, quanquam LXX. legisse videantur מוֹרה *moré* non מורה *mora*. Pineda hæc Jobi I. 1. verba *ac timens Deum* enarrans, veram affert caussam cur legislator & terror idem sint. *Quòd timor autem*, inquit doctus ille Interpres, *in lege naturæ, & in veteri præsertim, omnem cultum & legis universæ observationem significaret & comprehenderet illa ratio est quod tunc timore peragebantur omnia; & veluti servi colebant Deum, pœnæ potiùs & vindictæ declinandæ gratiâ quàm amore Numinis: timebant nimirum sibi, nisi timerent punientem Deum legémque minantem. Quare David dum penitus compressam hostium audaciam; &, vel supplicio vel terrore inflicto, ab inferendâ sibi injuriâ coercitos desiderat*: CONSTITUE, *inquit*, LEGISLATOREM SUPER EOS UT SCIANT GENTES QUONIAM

HOMINES SUNT. *Hier. juxta Heb. pone terrorem sive timorem : idem nimirum censebatur lex aut legislator quod terror aut timor. Quare legem illam terrificam, timorem appellabant; nominis hujus rationem reddente Moise* Exod. XX. & seq. CUM ENIM CUNCTUS POPULUS VIDEBAT VOCES ET LAMPADES ET SONITUM BUCCINÆ MONTEMQUE FUMANTEM ; ET PERTERRITI AC PAVORE CONCUSSI STETERUNT PROCUL, dicentes Moysi : LOQUERE TU NOBIS, ET AUDIEMUS ; NON LOQUATUR NOBIS DOMINUS, NE FORTE MORIAMUR, ait Moyses ad populum. NOLITE TIMERE : UT ENIM PROBARET VOS VENIT DEUS, ET UT TERROR ILLIUS ESSET IN VOBIS, ET NON PECCARETIS. *Nec verò modo Lex, Deus etiam legislator* TIMOR *dicebatur justorum Jacob & patris sui Isaac : abstracto illo nomine significante non leviter, sed vehementer timendum illius numen.* Sancti quidem Hieronymus & Augustinus *legislatorem* de *Antichristo* exponunt ; Eusebius autem, Theodoritus, & Euthymius prædicto *legislatore* Christum designari putant ; sed Pinedæ explicatio vero similior apparet.

ut sciant. S. Augustinus legit *ut* cum nobis ; sed particula hæc à codicibus Reg. 138. 222. Colb. 1. 1339. & Reg. 928. 1532. 1775. 2225. 2603. 2606. 2653. 2713. Colb. 1. 1339. 4427. & Memm. 2. abest ; ut & à S. Athanasii, B. Chrysostomi, & Theodoriti commentariis. S. Chrysostomum legere ἵνα γνῶσιν *& cognoscant* observat Nobilius : sed memoriâ labitur ; aut editionem à meâ diversam sequitur, Parisina Gr. Lat. anni 1638. quâ utor habet solùm γνώτωσαν in Græco pag. 121. D. & E. quamvis Latina versio ubique habeat *&*

in tribulatione. S. Chrysostomus ἐν θλίψεσι *in tribulationibus* : quam lectionem sequitur B. Augustinus.

dum superbit. Theodorus Antiochenus mihi non probatur quum ait. *Hunc sensum series & ordo verborum postulat.* DUM SUPERBIT IMPIUS INCENDITUR PAUPER QUONIAM LAUDATUR PECCATOR IN DESIDERIIS ANIMÆ SUÆ. *Illud verò* COMPREHENDUNTUR IN CONSILIIS QUÆ COGITANT *interjectum est. Hæc autem in medio metri causâ interposita sunt : quoniam (ut quæ in Psalmis sunt, non solutè sed mensurâ quadam proferantur, nonnulla frequenter cùm hoc ipsum est, quo metri ratio servetur) in medio conjiciuntur.*

impius. singulare videtur esse pro plurali ut versu 17. aliisque benè multis : præsertim quum sequatur verbum plurale *comprehenduntur*, & versu 40. ad Gentes sermo convertatur. Sed, quando multa heic & infra coacervantur singularia nomina & verba, existimo peculiarem heic respici afflictorem Babylonium Amanis similem, qui Israelitis potissimùm noceret, & in ipsos odium popularium suorum inflammaret. Unde pluralia singularibus permixta videmus : quia mox præcipuus hostis ; mox turbæ ei auscultantes tanguntur, ut Psal. LIV. & CVIII. idque inviolatâ Synonimorum regulâ.

incenditur. æstum persecutionis denotat hæc vox juxta tritum Scripturæ sermonem quo afflictiones, vexationes, & ærumnæ dicuntur ignis. Vide Psal. XVI. 3. LXV. 10. 11 Theodoritus: ἐμφόδως, &c idest : *valdè appositè verbum* INCENDITUR *mœrentibus dedit: nam ardentibus similes sunt qui dolore afficiuntur, & veluti quendam fumum, per os, gemitum emittunt.*

in consiliis. Eodem sensu S. Augustinus legit *cogitationibus suis*

laudatur, &c. S. Chrysostomus. *Alius quoniam laudans iniquus juxta desiderium & avarus benedicens, irritavit Dominum : quum exaltatus fuerit furor ejus non exquiret : Alius, quoniam hymnum dicit super cupiditate animæ suæ, & avarus benedicens infamavit Dominum : impius secundùm elationem suam non exquiret ; non est Deus in omnibus cogitationibus ejus.* Rabbini : *laudat se impius super desideriis animæ suæ ; & avarum seu iniquum benedicit* qd. suâ gloriatur malitiâ ; aut sibi, ob expletas nefarias cupiditates, gratulatur, & iniquos sui similes laudat. Verùm interpretationes illæ institutæ à Vate orationi non tam conveniunt quàm nostra : quæ Hebrææ, modò in conjugatione *Pual* sumatur, voci optimè respondet. Ea porrò, de quibus heic agitur, *desideria* ad vitia, quibus impii contaminantur aut mala quæ illi patrant & quorum gratiâ laudem consequuntur, trahunt SS. Chrysostomus & Theodoritus. Ego ad pessima, quorum mentio paulò ante præcessit, consilia refero.

exacerbavit S. Augustinus *irritavit.*

secundùm multitudinem, &c. Rabbini, cum Interprete cujus mentio exstat apud B. Chrysostomum, exponunt de arrogantiâ atque insolentiâ impii, & vertunt *præ elatione faciei suæ non quærit.* Sed vereor ut vox אף, quæ *iram* (& *vultum*, sed iratum) denotare solet, hunc patiatur sensum : quem si efficere voluisset Vates, Hebraicè dixisset כגבה לבו, non כגבה אפו. Theodoritus : Ἐξαῦτα, &c. *Heic distinguendum est ; & posteà subjungendum* NON

QUÆRET: qd *exacerbavit Dominum, dicens non quæret: nam, furore atque rabie utens, tanquam nemine prospiciente, in omnem iniquitatem fertur non putans judicem ea quæ patrantur inquirere.* Hanc textus inversionem non probo; & Eusebium seqnor sic explicantem. *Qui in peccatis persistit, quominùs Deum quærat, coacervatâ sibi iræ multitudine, impeditur: ideò dictum est* SECUNDÙM MULTITUDINEM IRÆ SUÆ NON QUÆRET; *sed ne Deus quidem est in conspectu ejus: nam vehementia iræ illius animam, quæ naturales ejus cogitationes Deo implet, ab ipsius sensibus aufert.*

in conspectu ejus. Rabbini eodem sensu *in cogitationibus ejus.*

inquinatæ sunt. S. Augustinus, *contaminantur.* Rabbini: *dolore afficiunt viæ illius* sup. *pios*: non malè, si nihil addendum foret. LXX. Senes Hebraici vocabuli vim meliùs assequuti sunt; illúdque à radice חלל derivarunt.

Auferuntur judicia tua à facie ejus; omnium inimicorum suorum dominabitur.	27	Supplicia, quæ *superbis comminatus es*, spernit; & omnes inimicos suos *Judæos* crudeli dominatione premit.
Dixit enim in corde suo, non movebor à generatione in generationem; sine malo.	28	Sic enim apud se reputat. Nunquam excidam ab eâ quâ utor felicitate; *eróque* sine ærumnâ *perpetuò.*
Cujus maledictione os plenum est, & amaritudine & dolo; sub linguâ ejus labor & dolor.	29	*Indéque fit ut* os ejus maledicis, amaris, ac dolosis verbis plenum sit; & lingua ejus nihil loquatur aliud quàm exitium ac malum *quod Israelitis inferre cupit.*

auferuntur. Hesychius. *Non dixit* ἀναιρεῖται *hoc est tolluntur & destruuntur; sed* ἀνταναιρεῖται *hoc est auferuntur: nam cùm Deus, ad auferendum peccatum, judicium se missurum comminatus esset, Diabolus peccatores inducit ut judicii comminationi non credant; & tanquam judicii abolitionem incredulitatem excogitavit.* Meliùs Theodoritus: παντελῶς, &c. *penitus tuas leges despicit.* Quanquam nomen *judicia* vulgari significationi subjectum fuisse mallem: hoc enim nomine leges heic denotari non puto; etsi me non lateat in eam sententiam prædictum nomen aliquando accipi. Illud autem *auferuntur* Rasi & Kimchius ineptè interpretantur: dum de sublatis ab impiorum domo pœnis exponunt qd. pœnæ tuæ illos non attingunt, sed omnigenis voluptatibus fruuntur.

dominabitur. Symmachus à Theodoro Antiocheno productus & S. Chrysostomo innominatus doctè vertit: *omnes inimicos suos ventilat*, seu *dominatione premit*: hísque vestigiis insistens laudatus à me Theodorus rectè ait. *Narrat quæ ab injuste fiunt, & hoc innuit: propter hæc omnibus imperare nititur; & omnes sine discrimine injuriâ lædit, & immaniter exagitat.* Rabbini minùs benè: *inimicos suos difflat* qd. Solo flatu prosternit, hoc est nullo negotio disturbat; adeò omnia ei ex sententiâ eveniunt. Confer Ezech. XXI. 31. & videbis verbum יָפִיחַ *sufflabit* idem valere ac iram & indignationem in aliquem effundere, adeóque eum crudeli dominatione premere. Aliqui vertunt *illaqueabit*, non benè.

non movebor, &c. Optimè Symmachus à Theodorito productus. *Non evertar in generationem & generationem, neque in afflictione ero.* Quæ verba ei qui apud Principem in maximâ gratiâ est, qualis erat Aman, egregiè conveniunt; sed in potentem aliquem Babylonium, qui Urbi v. g. præesset, quadrare etiam possunt: non impedientibus insidiis vers. 30. nam Aman, quantumvis potens, erat insidiator.

labor. damnum, rectè appellavit memoratus à B. Chrysostomo Interpres; totúmque versum eruditè explanat Theodoritus quum ait, δόλους &c. *Dolos struit & machinatur mala, vitámque in insidiis contra pauperes agit.* Vide quæ notabam ad Psal VII. 15.

30 *Sedet in insidiis cum divitibus, in occultis ut interficiat innocentem.*

Ex insidiis & ex occulto cum divitibus agit ut innocentes interficiat *Judæos.*

31 *Oculi ejus in pauperem respiciunt; insidiatur in abscondito quasi leo in speluncâ suâ.*

Oculi ejus in afflictos *Israelitas* sunt defixi *ut occasionem, quâ eos perdat, captet; illisque* perniciem occultè molitur non secùs ac leo qui, in speluncâ suâ *delitescens*, insidias *prætereuntibus bestiis* struit.

32 *Insidiatur ut rapiat pauperem, rapere pauperem, dum attrahit eum*

Insidiatur *denique* ut miseros *Israelitas* expilet : eorum autem bona diripere *incipiet* dum eos attraxerit

33 *In laqueo suo : humiliabit eum, inclinabit se & cadet quum dominatus fuerit pauperum.*

In rete suum : illos *tunc* bonis evertet; *séque* inclinans, in eos, *ut fortunis omnibus spoliet,* irruet quum illos in potestatem suam redegerit.

34 *Dixit enim in corde suo : oblitus est Deus; avertit faciem suam, ne videat in finem.*

Sic enim apud se cogitat : rerum humanarum memoriam abjecit Deus *sic ut earum curâ non tangatur*; & faciem suam avertit ne unquam videat *ea quæ in mundo geruntur.*

in insidiis. Aman in historiâ Estheris vocatur *insidiator* : unde hæc verba ad eum videntur referenda; sed nihil obstat quominus ejus vestigiis potens aliquis Babylonius insisteret, atque adeò versus de eo exponatur. Laudatus à B. Chrysostomo Interpres vertebat *ἐνεδρεύων ἐπὶ τὰς αὐλὰς insidians apud aulas* seu *vestibula* aut *atria* : minùs benè legendo חצרים pro בעשירים. Quam postremam vocem LXX. Senes legisse videntur loco hodiernæ חצרים : quæ à Rabbinis vertitur *villarum*, ut sensus sit; *sedet in insidiis villarum* : quod sanè cum dotibus, quas Vates in toto Psalmo præcipuè in quatuor versibus præcedentibus hosti suo tribuit, parùm congruit. Majorem profectò verisimilitudinem vox *divitibus* præfert : nam divites avaritiâ plerumque ardent, & alienis bonis inhiant juxta vulgare carmen : *quò plus sunt pota, plus sitiuntur aquæ.*

in speluncâ suâ. S. Augustinus *in cubili suo.*

ut rapiat. rapinam vides post necem quæ paulò ante sub his subest verbis *ut interficiat innocentem.* Utrumque cernitur in historiâ Estheris cap. III. 12. & seq. ubi hæc leguntur verba *& literæ signatæ ipsius* (Regis) *annulo missæ sunt per cursores Regis ad universas provincias ut occiderent, atque delerent omnes Judæos... & bona eorum diriperent.* Quæ verba versui nostro comparata eum, adeóque totum Psalmum ad Estheris historiam revocassent nisi antepenultimus, qui de gentibus è terrâ Domini sublatis loquitur, versus impedimentum attulisset. Nostrum itaque versum intelligo de insigni aliquo Afflictore qui Judæis Babylone noceret, non secùs ac Aman in Susan.

rapere. sup. incipiet : quomodo nobilissimus scriptor Sallustius sæpè loquitur; atque ita nostra loquutio ab Hebræo non recedit textu, qui habet in futuro *rapiet.*

in laqueo suo. laqueo dicit pro laqueum: nam *Grammatica leges plerumque Ecclesia sprevit.* Sanctus Augustinus *in muscipulâ suâ* legit pari inelegantiâ: quam qui non agnoscunt interpretantur sic: *insidias ponit ut pauperes diripiat; ut eos, inquam, diripiat dum suis adinventionibus eos ad se attraxerit eisque cœperit dominari, quemadmodum solent ad se trahere capta animalia aucupes ut ea rapiant. Per suas insidias, quas tanquam laqueos tetendit, deprimet & conteret pauperem; quúmque dominatus fuerit pauperum inclinabit se super eos, & procumbet ad eum modum quo in luctâ victor, toto corpore omnibúsque viribus, procumbit super prostratum ut nequeat exurgere; & quomodo aucupes capta præda incumbunt ut non possit effugere.* Vel *insidiatur ut rapiat pauperem: rapere autem pauperem insidiatur tunc quum eum ad se attraxit, alliciendo incautum. In laqueo verò suo jam captum humiliabit idest opprimet; & inclinabit se super eum, atque in eum cadet, idest super eum irruet, cum dominatus fuerit pauperum, idest cùm iis planè potitus fuerit.* Ita Jansenius & Bellarminus: quibus non subscribo existimans verba hæc *humiliabit eum, inclinabit se,* & *cadet quum dominatus fuerit pauperum* esse repetitionem istorum *rapere pauperem, dum attrahit eum in laqueo suo.* Nam 1° *humiliare aliquem* idem heic valet ac *rapere eum*: præsertim quum adhibeatur verbum דכה ex quo fit nomen דך *pauper*; nec ab eâ significatione abest verbum *humiliare*: siquidem *humiles* propriè dicuntur qui terram contingunt aut sese ab eâ altiùs non tollunt: unde a Virgilius... *atque humiles habitare casas*; b alibi: *non omnes arbusta juvant humilésque myricæ*; & c Cicero: *alia animalia humiliata ut cibum terrestrem facilè rostris contingant; alia altiora sunt,* &c: pauperes autem terram contingunt utpote qui humi plerumque jaceant; & nemo nescit eum censeri pauperrimum cui cubile est terra, nec lectum habet in quo recumbat. Certè apud nos humicubatio summæ egestatis signum est; nec alicujus paupertatem significantiùs exprimimus quàm quum ejus humicubationem memoramus. 2. *attrahere aliquem in rete suum* idem est *ac dominari illi,* cùmque *sub imperium suum subjungere.* Illud unum Jansenio assentior alludi heic ad aucupem qui captæ prædæ incumbit ut non possit effugere; seu qui, ut ait Pineda ad Job. XVIII. 8. num. 3. *irruere solet supra prædam jam irretitam & implicatam*: nec verò eorum probo explicationem qui, metaphoram aliò trahentes, respici heic putant ad venatores: qui, ut prædam faciliùs capiant, deprimunt se, inclinant se ut non videantur; atque ita in potestatem eorum cadat avis. Cæterùm deploratissimus est Hebræus textus hodiernus & nostram, qualemcunque, poscit operam. Verba Hebræa sic habent ודכה ישח ונפל בעצומיו חלכאים quæ ita vertuntur ab Anonymo, cujus S. Johannes Chrysostomus meminit, interprete: *qui autem fractus est curvabitur irruente eo cum fortibus suis in infirmos*; à S. Hieronymo: *& confractum subjiciet & irruet viribus suis valenter*; à Pagnino: *contritum humilémque se ostendet & cadet cum fortibus pauperum*; ab Aria Montano: *atteret se, humiliabitur, & cadet in robusta ejus congregatio attritorum*; à Muisio: *humiliat se, inclinat se; & cadit in vires ejus turba pauperum*; & ab aliis: *humiliabit, incurvabit se, & cadet in fortia ejus,* hoc est *fortes ejus casses, exercitus attritorum* seu *turba miserorum.* Harum interpretationum primam & secundam non patitur vox חלכאים nisi lecta dicatur ab Anonymo על חלכאים; & à B. Hieronymo בחיל כבד. Cæteræ interpretationes cohærere non possunt cum verbo דכה quod nusquam significat *inclinare se*: neque heic denotare potest virum qui se attritum, demissum, contritum, & humiliatum fingit ut alios illaqueet: hunc, inquàm, denotare nequit virum quum de superbo atque insolente homine, qui Deum non curet & suam jactet felicitatem, Psalmista paulò ante loquutus fuerit, & deinceps loquatur. Vix etiam aut ne vix quidem interpretationes illæ cum dictione בעצימיו cohærent: nam ea Pagnini constructionem respuit; & *robustas casses* non significat; nec propriè dicitur quis *cadere in vires alicujus*; sed cadere in potestatem aut quid aliud simile. Hæ omnes explanationes deploratam Hebræi textus valetudinem arguunt: sed ille morbo, quantumvis gravi, recreabitur si ad salutiferam LXX. Senum versionem admotus, sic restituatur דכהו ישח ונפל בעצם מחלכאים idest: *humiliabit eum* (seu *bonis illum evertet*) *inclinabit se, & irruet quum dominatus fuerit pauperum*; non *turba pauperum*: etenim חלכה est *pauper* versu 31. & in isto mutatur solùm ה *hé* in א *aleph.* S. Augustinus legit, *inclinabitur & cadet dum dominabitur.*

a 1. Eclog.
b 4. Eclog.
c 3. de Nat Deor.

35 *Exurge Domine Deus; exaltetur manus tua; ne obliviscaris pauperum.*

Hæc quum ita sint, exurge Domine Deus; & tua, *quæso*, manus attollatur *ut impium hunc percutias*; nec afflictos desere *Israelitas*.

36 *Propter quid irritavit impius Deum? dixit enim in corde suo non requiret.*

Cur improbus *ille, nostram ternens miseriam, ulteriùs* irritabit Deum; & secum reputabit *te humanas res non curare*?

37 *Vides quoniam tu laborem & dolorem consideras, ut tradas eos in manus tuas:*

Eas profectò vides: siquidem molestias & acerbitates, *quæ miseris afferuntur*, consideras ut eos tuearis:

38 *Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adjutor.*

Nimirum curæ tibi sunt ærumnosi, & orphanorum tu es adjutor.

39 *Contere brachium peccatoris & maligni. Quæretur peccatum illius, & non invenietur.*

Propterea obsecro: frange potentiam impii ac maligni *nostri Afflictoris*: miserorum *autem Judæorum* peccatum, *quòd* illos *in ærumnis detinet*, deleatur.

40 *Dominus regnabit in æternùm & in sæculum sæculi: peribitis Gentes de terrâ illius;*

Sic Dominus longos annos regnabit *super illos*: vósque ô Gentes *ethnicæ, quæ terram illius nunc occupatis*, ex eâ *sublati* peribitis:

41 *Desiderium pauperum exaudivit Dominus: præparationem cordis eorum audivit auris tua:*

Et Dominus desiderio afflictorum *Judæorum* respondebit: audietque auris tua, Domine, preces quas illorum cor *tibi* adhibet:

42 *Judicare pupillo & humili, ut non apponat ultrà magnificare se homo super terram.*

Quæque in eo consistunt ut pupillos ac calamitosos *Israelitas ab oppressorum manibus* liberes, ne *arrogans*, qui nos vexat, homo ultrà in mundo superbiat.

exaltetur manus tua. Eusebius: *per manum Dei exaltatam tropicè judiciariam Dei potestatem significat: quæ, quandiu malos non plectit, tandiu depressa & pacata stare videtur: quum verò postea moveri cœperit, jus unicuique tribuens, tum dicitur exaltari.* Rabbini, cum Interprete cujus mentio fit apud B. Chrysostomum, vertunt *eleva manum tuam*; sed res eodem redit.

pauperum. S. Augustinus addit *in finem.*

propter quid. Deum ad suas rationes adjungit ut ea quæ cupit facilius obtineat: qd. convitiis

te

te lacessit impius; & bilem tibi commovet asserendo res humanas tibi curæ non esse. Cur impias illas voces diutius patieris? eas comprime saluti nostræ prospiciens; atque ita tuo honori consule.

enim. Deest in Hebræo textu; nec ullam habere videtur necessitatem.

vides, &c. Symmachus, narrante Theodorito, ita distinxit: *vides quòd tu laborem & irritationem intueris.* Sic autem explicat Theodoritus καὶ μνελκὶς φησὶ, &c. *Licet millies dixerint impii te minimè res humanas inspicere; nos tamen novimus te videre & inspicere illorum iniquitates, & condignam pœnam ab eis exigere: tibi enim derelictus est pauper, &c.* Theodorus Antiochenus: *verba inverso ordine procedunt: nam pro*, QUONIAM VIDES, *positum est* VIDES QUONIAM. *Hoc autem ex Hebraicâ interpretatione desumtum est: nam, quum de injustis illud attulisset* DIXIT IN CORDE SUO NON REQUIRET, *illud intulit* VIDES QUONIAM LABOREM ET DOLOREM CONSIDERAS; *quasi Deo dicere vellet. Quod impius ille hoc de te existimare inducitur te nullam de iniquis curam [illegible]re, neque facta hominum abs te exquiri: siquidem quum iram & malignitatem eorum videas non statim ulcisceris; sed consideras hoc est expectas donec præ multitudine iniquitatum suarum ipsi se tradant in manus tuas, &c.* Nihil eorum probo præter unam Theodoriti connexionem; *tibi enim derelictus est pauper; propterea, obsecro, contere.* Quam tamen sic aptassem: *Hac spe freti ærumnosi Israelitæ committunt se tibi. Sis, obsecro, orphanorum adjutor; & contere brachium impii:* sic, inquam, aptassem nisi obstitisset observata superiùs regula juxta quam posterius hemistichium prioris esse solet repetitio aut explicatio. S. Augustinus ita legit: *vides quoniam tu laborem & iram consideras.* Et pro *ut tradas eos in manus tuas*, Interpres, à B. Chrysostomo memoratus, vertebat *ut dentur in manus tuas.*

ut tradas eos. Rectè [a] Pineda: IN MANU ESSE, vel IN MANUS TRADI *protectionem & defensionem significat aliquando; quâ ratione justi dicuntur esse in manu Dei* Psal. 9. TU LABOREM ET DOLOREM CONSIDERAS (*quo opprimuntur justi ab iniquis*) *ut* deinde TRADAS EOS IN MANUS TUAS, *idest ut illos tuearis & illorum patrocinium suscipias; & sic cohæret quod sequitur* TIBI DERELICTUS EST PAUPER, ORPHANO TU ERIS ADJUTOR. [a] ad Job. XII. 11. num. 2.

orphano tu eris adjutor. Hæc, & quæ versu ultimo leguntur, verba cum istis Platonis II. de Legib. compone: Ταύτῃ δὲ, &c. *si verò hæc secundùm naturam hoc modo se habeant, primùm quidem superos Deos venerantur qui orbitatem pupillorum persentiunt..... & hi qui adversus eos justi sunt benignos se præbent; illis autem maximè indignantur qui pupillos & orbos contumeliâ afficiunt.*

eris. Quidam apud S. Chrysostomum eodem modo vertit; sed Alius apud eundem interpretatur *factus es*, quod rectiùs videtur.

quæretur, &c. Didymus: *peccator verò & malignus qui cum articulo heic profertur quis alius esse potest quàm Diabolus? Hujus brachium à Deo conteritur & peccatum illius quæsitum non invenitur: illud enim quum patratur suum esse habet, & desinit quum perfectum est. Non est enim peccatum vis & natura aliqua, sed qualitas; & ita in omnibus finis instabit cujus gratiâ cætera omnia facta sunt; ipse verò nullius causâ subsistit.* B. Chrysostomus: οὐχ ἁπλῶς, &c. *Non vult peccatorem absolutè conteri; sed vires, potentiam, & ejus improbitatis fomitem. Deinde vult eum eorum, quæ fecit, reddere rationem; &, ostendens iræ magnitudinem, dicit. Si hoc feceris, ne stare quidem poterit nec apparebit, sed peribit, interibit, radicitùs delebitur iis quæ fecit examinatis.* Theodoritus: Ἔςαι δὲ τοῦτο, &c. *Erit autem hoc*, idest conteretur brachium peccatoris, *si tantummodò ipsius peccatum velis inquirere: id enim si factum fuerit repente vanus erit & ad extremam usque perniciem redigetur. Hoc namque ostendit quum dicis* QUÆRETUR PECCATUM ILLIUS ET NON INVENTUS EST *propter ipsum peccatum. Et hoc apertiùs Symmachus dixit* INQUIRETUR IMPIETAS EJUS UT NON INVENIATUR IPSE: *quum enim illa inquiritur & ostenditur, iste perit.* S[illegible]ntiunt Origenes & Nicephorus. Theodorus autem Antiochenus ita loquitur. *Tanta est, inquit, perversitas & malitia quæ adversus pauperes exercetur ut, si eam quæras & accurata de illâ investigatio fiat, nequaquam subsistere possit; usque adeò magna est, ut ne ferre quidem inquisitionem valeat.* S Augustinus: *Requiretur delictum ejus nec invenitur. Propter illud, idest judicabitur de peccato suo; & ipse periet propter peccatum suum.* Bellarminus: *contere brachium idest potentiam & robur peccatoris; & sic humiliatus resipiscet nec amplius peccabit: idèo quæres postea peccatum ejus, & non invenies. Nam, ut ait Esaias,* SOLA VEXATIO DA-

BIT INTELLECUM AUDITUI ; *& David*, IMPLE FACIES EORUM IGNOMINIA ET QUÆRENT NOMEN TUUM. Muisius : *Inquire peccatum illius qui dicit te non inquirere ut dictum est suprà versu 13. Fac ut sciat inquirere te in scelera ; quod si tu feceris non invenies impium in terra : nam si confregeris istius scelerati robur, qui supererunt isto exemplo admoniti resipiscent.* Inter has explanationes tertia & penultima vero similiores apparent ; neutra tamen mihi probatur. Prior quidem duplici nomine displicet : nam verbis *quæretur* & *non invenietur* duplex affingit substantivum, at naturalis ordo unicum postulat ; deinde loquutioni *non invenietur* significationem tribuit quacum tritus Scripturæ sermo parùm congruit. Altera autem explanatio cum toto Psalmi spiritu præsertim cum decimo sexto Psalmi versu non consentit. Præterea ambas explanationes, ut & reliquas à me adductas, explodit iste Jeremiæ locus cap. L. 20. *in diebus illis & in tempore illo, ait Dominus, quæretur iniquitas Israel, & non erit ; & peccatum Juda, & non invenietur : quoniam propitius ero eis quos reliquero* Usurpatur heic à Je[illegible]iâ phrasis nostræ prorsùs similis ; cùmque Jeremiæ sensus ab eo, quem relatæ superiùs explanationes præferunt, longè diversus sit, consequens est ut explanationes illæ à veritate sint alienæ. Hunc ego Jeremiæ locum expendens non dubitavi quin pronomen *illius* referatur *ad pauperem* aut *orphanum* cujus mentio fit in versu præcedenti ; nec nominis *peccatoris* proximitas obstat : siquidem ex Psal. II. 9. discimus pronomina ad proximum substantivum aliquando non referri, sed cum remotiore construi.

Dominus regnabit. Theodoritus : Επειδὴ, &c, *quoniam enim impii dixerunt non quærit neque inspicit, meritò propheticus sermo docet regnaturum esse ; neque simpliciter regnaturum sed in sæculum sæculi : proprium autem regum est ut subditorum curam gerant.* Malo ego *regnum* illud ad ea, quæ nobis Isaias in argumento suppeditavit, loca referre ; videlicet ad divinum, cui Judæi post finitam captivitatem Babylonicam subjiciendi erant, regnum. Quod sempiternum dicitur quia ad tempus satis longum duraturum erat : sic enim loquutio illa sumi multoties debet, ut in harum Annotationum serie pluribus demonstrabimus testimoniis ; ex quibus perspicuum erit eas veteris Testamenti auctoritates, in quibus v. g. Circumcisionis fœdus sempiternum dicitur, adversus nos à Judæis frustrà proferri. Nostræ porrò explicationi Psalteriana series magis favet quàm Theodoriti sententiæ.

de terra illius. Hoc ideò dictum quia degebant in Judæâ aliquot Chaldæi quorum imperio terra Israelitica suberat. Confer Jerem. XL. 10. XLI. 3. Unus porrò hic locus avertit me à referendo ad Estheris historiam hoc Psalmo : nam, quando Medi in terrâ Israeliticâ tunc non degebant, visum est mihi prædicta verba ad eos accommodanda non esse.

humilium. vox hæc pro *afflicto* in Psalmis plerumque sumitur; nec malè : nam afflicti summissè se gerere solent.

præparationem. citatus à B. Chrysostomo interpres, quem à Symmacho alium non esse ex Theodorito discimus, *præparationem* dixit *propositum*. Alius S. Chrysostomo prolatus vertebat *præparabis cor eorum ad attendendum auris tua.* Hodierna Hebræorum Codicum lectio habet תכין *præparabis* seu *diriges* ; sed LXX. Senes legisse videntur תכונת *præparationem* seu *directionem*. Quæ lectio hodiernæ vel hinc est anteponenda quòd, eâ admissâ lectione, usitatam in utroque hemistichio invenimus repetitionem : quæ in hodiernis Hebræorum Codicibus, intermediâ loquutione Vati inusitatâ, è nativâ non solùm sede dimovetur ; sed manca est : illi enim sic habent *præparabis cor eorum, audit auris tua.* Nostra autem *præparatio* sic est accipienda ut in utroque hemistichio idem, pro solito more, repetatur aut explicetur : atque in eum modum accipietur si *præparationem* sumamus pro *oratione* mentis seu in corde paratâ, aut in qua diligens præparatio adhibita fuerat ; vel pro *directione* ut sensus sit. *Audiet auris tua preces quas eorum cor ad te dirigit.*

magnificare[illegible] Rabbinorum sequaces ferè interpretantur *sævire*. Sed versionem nostram confirmat ver[illegible]ius locus Psal. XXXVI. 35. unde B. Hieronymus vertit ex Hebræo *superbiam* ; atque hinc fortasse originem duxit Gallicum nomen *arrogant* ultimâ literâ Hebræi vocabuli ערץ paulisper immutatâ.

super terram. Rabbini : *de terrâ.* Sed LXX. Senes legisse videntur על pro מן : quæ posterior constructio invenitur quidem cum verbo ערץ ; sed in aliam, nempe pavendi & formidandi, significationem (quæ locum heic habere nequit) accepto.

ARGUMENTUM.

PSALMI DECIMI.

ALLEGORICI Judæorum interpretes Psalmum hunc de Ezechiâ rege exponunt. Verùm explicatio illa nullam veri similitudinem consequitur: non solùm quia montana non petiit Ezechias quando Hierosolymas obsedit Sennacheribus; sed quia ridiculum esset Regi suadere ut, relictâ urbe obsessâ, in montes fugiat. Kimchius in eâ est sententiâ Davidem hoc in Psalmo loqui contra adversarios suos qui locum, in quem ipse se recipiebat ut hostes effugeret, statim indicabant Sauli; sed hæc opinio à Psalmi contextu abhorret. Censent aliqui Davidem Deo nixum de iis heic queri qui ipsum, dum Saulis acerbitatem subterfugeret, in montanis latitare semper debere arbitrarentur. Crediderim ego Carmen istud, ante arreptam fugam, editum fuisse, & ipso Saulini odii initio: quo tempore amici Davidis ad eum accessisse videntur ut fugam ei suaderent; ille autem Deo confisus noluerit tunc fugere: quam tamen fugam, rebus in deteriorem statum prolapsis, posteà probarit. Regum quidem & Paralipomen historia improbatam à Davide sub initium Saulini odii fugam non memorat: sed multa in his libris desiderari fatebuntur qui eos legerint; & mecum, nisi fallor, existimabunt, vero esse simillimum ut omissarum in libris Regum & Paralipomen rerum nonnullæ in Psalmis describantur, ut illi nova quasi sint Paralipomena dum res ab aliis prætermissas produnt. Rem hujusmodi Psalmus VI. jam nobis

suppeditavit, aliam noster exhibet, & plures sequuturi Psalmi aperient. Is porrò, quem explanaturus sum, Psalmus, dialogus est inter Davidem & amicos ejus: qualem reperias apud [a] Horatium aliósque Poetas, qui hoc carminis genus ut & alia non pauca è sacris libris desumserunt. In hoc autem dialogo David amicis fugam suadentibus respondet se Domino confidere: qui quum è cœlis, ubi residet, omnia quæ in mundo geruntur aspiciat, probos tuetur & impios castigat; utpote qui justitiæ sit amantissimus, & suum cuíque tribuat pro eâ qua est æquitate.

[a] lib. 3. Od. 9.

TITULUS.

In finem Psalmus David.

PSALMUS X.		PARAPHRASIS.
IN Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer?	1	*DAVID.* In Domino spem meam pono. Cur *igitur*, *ô amici de salute meâ diffidentes*, dicitis mihi: transmigra in montes sicut passer *qui à venatoribus petitus montana adit?*
Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum; paraverunt sagittas suas in pharetrâ, ut sagittent in obscuro rectos corde.	2	*Montana pete (dicitis mihi ô amici:)* nam ecce improbi arcum jam tetenderunt; suásque sagittas nervo admoverunt ut insontes, *qualis tu es*, occultè configant.

ANNOTATIONES.

in finem. Hæc vox Eusebium impulit ut Psalmum conferret in tempus ab ipso Psalmi contextu alienum. *Quoniam Psalmus hic*, inquit doctissimus Cæsariensium Episcopus, *in finem inscriptus est secundùm Aquilam: victoria auctori; vel canticum pro victoriâ ipsius David ut Symmachus tradit, meritò dices post calamitatem qua Prophetam invaserat ipsum cecinisse.* Theodoritus & Nicephorus rectiùs opinantur dum existimant hunc Psalmum à Davide compositum fuisse quum ipsum persequeretur Saul.

Psalmus. dictionem illam non legit S. Johannes Chrysostomus. Totum autem titulum sic repræsentat Codex Regius 138. *in finem Psalmus David vox Christi ad Patrem*, Codex autem Colbertinus 158. *in finem Psalmus David vox Christi ad Patrem de fixâ fide.*

in montem. Hebræi codices nunc habent הרכם *montem vestrum* : sed vitiosa est hæc lectio ut patet, & ex Chaldæo colligitur Paraphraste ac veteri, cujus S. Chrysostomus meminit, Interprete : quorum prior vertit *transmigra in montem sicut passer* ; alter verò interpretatur *transi in montes sicut passer*. Didymus etiam legit *in montes*. LXX. Senes legerunt non הר כמו צפור ut vulgò dici solet ; sed בהר כצפור (ut apparet collatis locis Gen. IV. 12. Prov. XXVI. 2.) hoc est *in montem sicut passer* pro הרכם צפור *montem vestrum passer*. Quæ prava lectio post sancti Hieronymi tempus intrusa videtur : nam eximius ille Doctor vertit ex Hebræo *transvola in montem ut avis*.

quoniam ecce peccatores. Theodoritus sequacem me non habet 1° quum ait. Τινὲς ᾗ τοῦτο, &c. *Nonnulli & hac cum supradictis verbis conjunxerunt ; sed ea quæ sequuntur non sinunt : subjungit enim* QUONIAM QUÆ PERFECISTI DESTRUXERUNT. *Hinc autem discimus Prophetam convertisse verba in Deum, colloquio utentem, docentémque & arcus & jacula hostium parata esse* : 2° quum ista enarrans verba *quoniam quæ tu perfecisti, &c.* addit ; *Non rapuè, inquit, regnum ; sed à tuâ gratiâ regnandi electionem suscepi ; illi autem destruere me conantur contra sententiam tuam armati.*

suas, abest ista vox à Græco SS. Chrysostomi & Theodoriti textu, quanquam in Latino compareat. Legitur autem à S. Augustino, & benè.

in obscuro. SS. Chrysostomus, Augustinus, & Theodoritus legunt *in obscurâ lunâ* ; sed lectio illa minùs benè cum præcedentibus cohæret : nam arcus non intenduntur & sagittæ non parantur ut contorqueantur dum luna est obscura seu, ut explicat Theodoritus, *dum nox est illunis* ; benè quidem immittuntur tela occultè & ex insidiis ut incautos feriant, unde versio nostra prædictæ lectioni est anteponenda. Memoratus à B. Chrysostomo interpres legebat *quasi in caligine*, minùs appositè.

rectos corde. Davidem & eos intellige qui Davidis caussam complectebantur : quique in tertiâ personâ exprimuntur pro more Hebraicæ linguæ quem alibi observavimus ; & infrà observari potest in voce *justus* quæ Davidem notat.

3 *Quoniam quæ perfecisti destruxerunt ; justus autem quid fecit?*

Ad hæc quæ *potentiæ tuæ* fundamenta jecisti destruxerunt, *Saulem tibi infensum reddentes tuáque in eum officia labefactantes.* Justus autem quid fecit *ut sic tractetur. Abi ergo in montes ut tutus sis ab hostium tuorum machinationibus.*

quoniam quæ tu perfecisti destruxerunt. Alius, inquit S. Chrysostomus, legit *quoniam leges dissoluta sunt. Alius, quoniam doctrina confringentur.* B. Chrysostomus hæc verba Davidi Deum alloquenti tribuit cum Theodorito ; sed aliter interpretatur dicens : *Tecum bella gerunt & præliantur, legem tuam & præcepta destruentes.* Quem sensum, licet Nicephoro aliisque etiam probatum, quominùs recipiam impediunt desiderata in eo commissura, & omissum in textu nomen Dei. Multò minùs recipienda est Hebræa lectio hodierna כי השתות יהרסון idest *quia fundamenta destruentur* ut vertit Muisius, qui hoc ad illa primi versus verba *in Domino confido* refert, ut sensus sit : *in Domino confido quoniam fundamenta*, hoc est *consilia impiorum destruentur*. Sed hæc coustructio cum præcedentibus pugnat & sequentibus : cum præcedentibus, etenim si istud *quoniam fundamenta* ad primum versum trahatur, præcedens loquutio *quoniam ecce peccatores* ad prædictum versum pariter referri debet ; eâque ratione ineptissimus efficietur sensus : cum sequentibus, quia verba hæc *justus autem quid fecit* sententiam minus rectam conflant hoc pacto. *In Domino confido quoniam consilia impiorum destruentur ; ego enim quid commisi sceleris.* Quis hæc audiens, & difficultates cernens, in quas Hebraici textus hodierni propugnatores delabuntur, eum de corruptione non postulet textum : qui equidem Hieronymianâ versione (*quia leges dissipata sunt*) ab insulsitate vindicatur, sed minùs accuratè conversus videtur : siquidem nomen

שתות *leges* non significat, nisi ad metaphoram recurratur cujus in Scripturâ sacrâ exemplum exstat nullum. Unde justa nobis subest caussa cur Hebræos codices hodiernos improbemus; eósque, prælucentibus LXX. Senum versione & Psal. VIII. 3. pristinæ integritati reddamus sic כי אשר יסדת יהרסון *quoniam quæ perfecisti destruxerunt* pro כי השתות יהרסון *quoniam fundamenta destruentur.*

4 *Dominus in templo sancto suo; Dominus in cœlo sedes ejus:*

Ita vos ô amici. Sed ego Domino fido, neque iniquorum timeo insidias: siquidem Dominus in templo sancto suo degit; Dominus, *inquam*, in cœlo sedet:

5 *Oculi ejus in pauperem respiciunt; palpebræ ejus interrogant filios hominum;*

Unde oculi ejus calamitosos respiciunt, & palpebræ ejus ærumnosos habent perspectos;

6 *Dominus interrogat justum & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.*

Dominúsque justos cognoscit atque impios: istique *sibimet adversantes, adeóque* animam suam odio habentes, *Deum cuncta sic noscentem ad sui exitium concitant:*

templo, cœlum intelligit, ut sequenti patet hemistichio quod priori facem præfert.

sedes ejus. Theodoritus: ἰστέον ὅτι, &c. idest: *Sciendum autem est & oculos, & palpebras, & sedes, & cætera hujusmodi tanquam de re corporeâ dici, ab humanis rebus res divinas edocendo; & divinis actionibus humanorum membrorum appellationes imponendo.* Vide Annotata ad Psal. VII. 6.

interrogant. idest apprimè cognoscunt, ac si priùs interrogatio diligénsque inquisitio & examinatio adhibita fuisset. Atque huc spectant quæ ad Psal. VII. 10. collegi: nam idem ubique verbum Hebræum בחן occurrit. Ethnici porro à Vate nostro edocti Deum cuncta tenere; &, quæ in mundo fiunt, omnia nosse tradiderunt ut Thales à Cicerone & Clemente Alexandrino laudatus, Orpheus à Justino martyre & Clemente Alexandrino productus, Epicharmus ab eodem Clemente prolatus, [f] Hesiodus, [g] Euripides, Sophocles, [i] Arrianus, [k] Plautus, & [l] Plutarchus. Erátque, teste Hesychio, cultus apud Achæos Jupiter πανόπτης *omnia videns*; & Ægyptii, narrante Clemente Alexandrino, aures oculósque exquisitâ ex materiâ fingentes Diis consecrare solebant, in Templis appendentes ut hoc significarent Deum omnia videre & audire. Quam in sententiam apud Laertium Deus dicitur ὅλον ὁρᾶν ϗ ὅλον ἀκούειν *omnia videre & omnia audire*; cui succinens Plinius ait de Deo: *totus est sensus, totus visus, totus auditus*: quæ ab injustis possessoribus vindicata proferunt S. [p] Irenæus, [q] Clemens Alexandrinus, atque Hippolytus: quibus si [s] Theophylum Antiochenum, S. [t] Ephræmum, S. [u] Cyrillum Hierosolymitanum, S. Hilarium, S. [y] Ambrosium, S. [z] Augustinum, S. [&] Dionysium, * Synesium, [a] Zachariam Mitylenæum, S. [b] Cyrillum Alexandrinum, [c] Maximum martyrem, [d] Anselmum*, [e] Petrum Damiani, S. [f] Thomam, Imperatores [g] Leonem & Alexandrum, [h] Philonem, [i] Aristotelem, [k] Ciceronem, Plotinum, [m] Asclepium, Ammonium, atque Alcinoum adjunxeris, & firmam de divinâ scientiâ opinionem comprehendes, & non exiguam ejusdem scientiæ notitiam habebis.

filios hominum ignobiles, miseros, abjectos, atque afflictos intelligo ex Psal. VIII. 5. & XLVIII. 2. unde liquet *interrogare filios hominum* & *respicere pauperem idem esse.*

interrogat. Theodoritus: οἶδα, &c. *Nosti verò exactè & justorum & injustorum actiones; & digna operibus rependis*; sed hæc additio non videtur necessaria. Ter porrò idem hoc repetitur ut Psal. I. 1.

[a] lib. 2. de Legib.
[b] Stromat. V. p. 595. A.
[c] Cohort. ad Græc.
[d] Stromat. V. p. 585. D. Adde p. 609 B
[e] Stromat. V p. 597. C.
[f] in Ergis & dieb. lib. 1.
[g] in Phryxo apud Stob. in Eclog. Phys. lib. 1. c. 7.
[h] in Electra.
[i] in Epicteto lib. I. c. 14.
[k] in Captivis scen. 4.
[l] in Symposiaco.
[m] Stromat V p. 566. D
[n] in Xenophane.
[o] lib. II. c 7.
[p] lib. I. c. 6. & lib. II. c. 16
[q] Stromat. VII. pag. 72. B
[r] de Susanna. in Auctar. noviss. Combef. p. 55.
[s] ad Autolyc.
[t] tract. de vitâ Spirit.
[u] Catech. 6.
[x] in Psal. 37.
[y] lib. de Interpell'ac c. 2. & lib. I. de Offic. cap 14.
[z] de Civit. Dei XI. 7. lib 5. de Gen. ad lit. c. 15 lib. 83. Quæst. quæst. 45 lib. VI. de Trin c. 10. & XV. c. 14.
[&] lib. de div. Nom. cap 7. & lib. de Myst. Theol. cap. 5.
* lib. de Insomn. sub initium
[a] to 1 Bibl. Gr. Lat. PP. pag. 330.
[b] lib XI. Comment. in Joh. & Thes. lib. 15. & 32.
[c] in cap. 3. de Div. nom. & in cap. 5. de myst. Theol.
[d] in Monolog. cap. 9. & 33.
[e] 4. Opusc. 36. c. 7.
[f] 1. part. q 14. art. 6. ad 2.
[g] in Constit. de Judiciis.
[h] de Immutabilit. Dei.
[i] lib 1 Metaphys. & X Nicomach c 8. 9.
[k] in Hortensio.
[l] Enoead. V lib. 9. cap. 6.
[m] in librum I Metaphys. Arist.
[n] in librum Aristot. de Interpret.
[o] lib. de Dogmat. Platon. cap 10.

qui diligit iniquitatem. id B. Chryſoſtomo eſt velut ſecunda ratio quæ Davidi animos addat: quaſi impii propriis vincantur armis nempe vitio, quod animæ eorum infeſtum eſt ac perniciosum, atque ad eos conſumendns ſufficit. Hoc prævio lumine, præfata verba ſic accipio ut præcedentis de divinâ ſcientiâ doctrinæ uſum edoceant. Dixit Vates cuncta Deo eſſe explorata, eique juſtos perinde ac improbos perſpectns eſſe: nunc verò oſtendit quænam ſit ea res quæ Deum omniſcium ad perniciem impiobis inferendam flectat; aitque eam nihil eſſe aliud quàm ipſius improbi iniquitatem à Deo viſam: unde rectè ſubdit impium ſibimet nocere, dum ſcilicet ſui exitii cauſſam ſubminiſtrat, atque adeò nihil ſibi eſſe timendnm quum una iniqui impietas à Deo cognita perniciem ipſi conciliet; illéque, ut ait S. Chryſoſtomus, propriis armis vincatur. Unde patet noſtram, quæ nonnullis minimè conſectaria heic apparet verſionem, optimè ſecum cohærere; atque Hebraicæ ***& qui diligit iniquitatem odit anima ejus*** fortaſſe anteponendam eſſe: non quòd Hebraica interpretatio inſulſum ſenſum efficiat; ſed quia factam divinæ cognitionis mentionem non tam benè quam verſio noſtra connectere videtur: quanquam lubens confiteor Hebraicam recipi heic poſſe interpretationem, cujus antiquum exſtat veſtigium apud Interpretem B. Chryſoſtomo memoratum, qui vertit ***juſtum probat & impium & eum qui amat injuſta odit anima ejus.***

Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis & ſulphur & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.	7	*Deus namque, perſpectâ improborum iniquitate*, prunarum imbrem in eos effundet: igniſ*que* & ſulphur ac tempeſtas horribilis pars erunt quam illis epotandam præbebit.
Quoniam juſtus Dominus, & juſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus.	8	Scilicet juſtus eſt Dominus, & juſtitiam diligit, ejuſque vultus in æquitatem *jugiter* intentus eſt.

laqueos. prunæ ſunt ſeu ***carbones*** quomodo vertit Anonymus apud S. Johannem Chryſoſtomum.

ignis & ſulphur. Alludit ad Sodomiticam, quæ Gen. XIX. 24. deſcribitur, conflagrationem: quæque [a] Strabonis & [b] Taciti ſcriptis confirmatur; [c] Solini, [d] Joſephi, [e] Hegeſippi, [f] Tertulliani, S. [g] Auguſtini, & [h] Pauli Oroſii terræ Sodomiticæ ſtatum narrantium teſtimoniis ſuadetur; & fidem vel apud ipſos invenire debet impios ſi, præter ea quæ allata ſunt, expenderint quæ de Volſinio Tuſciæ oppido flammâ cœleſti aut fulmine exuſto tradunt Julius Obſequens ac [i] Plinius, & de Pompeios Campaniæ oppido cœlitùs concremato ſcribit [k] Tertullianus. Aliqui, per ***ignem & ſulphur***, ignem fulmineum intelligunt ob Plin. XXXV. 15. minùs benè, ut puto.

æquitatem vidit, &c. Anonymus apud S. Johannem Chryſoſtomum ***æquitates videbit facies eorum.*** Hic porrò, quem præ manibus habemus, verſiculus imitatione expreſſus eſt à Platone in Thæteto ut notatum [l] Euſebio Cæſarienſi ad quem adi.

a lib. 16.
b Hiſt. lib 5.
c cap 38.
d de bello Jud. lib. 4. cap. 27. Gr. edit.
e lib IV. cap 18.
f Apolog. cap. 40.
g de Civit. Dei lib. XXI. cap. 5.
h lib. 1 cap. 5.
i lib. II. cap. 51.
k loc cit.
l de Præp. Evangel. pag 605.



ARGUMENTUM.

PSALMI UNDECIMI.

CONTAMINATISSIMA Saulis aut Absalomi tempora describi heic putant omnes, quos legi, Auctores: præter paucos qui, sensus morales non historicos persequentes, aiunt eò tantùm spectare Psalmistam ut doceat Deo esse fidendum non hominibus, quòd verba hominum plerumque sint fallacia; Dei autem sermones verissimi semper sint & fidelissimi. Iis, qui Saulina tempora heic recoli arbitrantur, assentitur Muisius, & sic fatur. *Probabile est hoc carmen à Davide editum quum à Doeg & Ziphæis Sauli esset proditus, ac nullibi tutò hærere posset. Vide I. Sam. XXII. 22. neque dubium est quin Aulicos præcipuè notet.* Ab iis autem, qui Psalmum ad Absalomitica tempora revocant, stat Grotius, & ista observat ad ỳ. 4. *videtur David agere de iis qui Absalomum contra se incitaverant.* Neutram partem ego suscipio: nostrum enim carmen cum Psalmis XIII. & LII. de corruptione nostræ persimili loquentibus; & cum Psalmis V. 9. 10. IX. 19. 29. 31. 32. 35. ac CI. 18. 21. parem vel memorantibus corruptionem, vel eundem servantibus ordinem, aut pauperum mentionem facientibus collatum ad Babylonica referendum viderur tempora: ita ut Deum inter & captivos Judæos colloquium contineat, in quo Captivi isti, propositâ Babyloniorum impietate, Deum obsecrant ut eos disperdat; Deus autem asserit se misericordiam capturum gemituum miserorum captivorum. Tum isti promissorum veritatem Deo ingerunt;

gerunt ; orántque ut salutem sibi afferat, & bonis tandem cumulet.

TITULUS.

In finem pro octavâ Psalmus David.

Psalmus XI.

1 *Salvum me fac Domine: quoniam defecit sanctus; quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominum.*

2 *Vana loquuti sunt unusquisque ad proximum suum; labia dolosa, in corde & corde loquuti sunt.*

Paraphrasis.

1 Vates. Salutem mihi affer Domine, *liberans me è Babyloniorum manibus illósque castigans :* siquidem nullus inter eos reliquus est qui justitiam colat ; probitásque ab *illis* hominibus recessit omninò.

2 *Eorum* unusquisque socium suum mutuis in sermonibus fallit ; labia *insunt eis* fraudulenta ; & duplici corde loquuntur, *aliud dicentes aliud sentientes.*

ANNOTATIONES.

in finem pro octavâ. De his vocibus jam diximus. Addendum heic est titulum istum in Codice Regio 138. habere sic : *in finem pro octava die. Psalmus David Christus pro passione sanctorum suorum dicit ad patrem* ; in Codice autem Colbertino 1339. ita concipi : *in finem pro octave Psalmus ipsi David.*

quoniam. ratio hæc à quibusdam sic intelligitur ut sensus sit : *Serva me Domine quando omnia plena sunt fraudibus ; nec jam reliquus est ullus cui possim in hac meâ calamitate fidere : & quia contingit ut, quum inter homines impuros ætatem agimus, ad eorum consuetudinem morésque traducamur, oro ut animum à vitiis & corruptelis sæculi hujus integrum salvúmque conserves, ne me reliquorum perditi mores & exempla corrumpant, néve illorum imitatione in aliquam turpitudinem dilabar.* qd. *propulsa à me impietatem eorum cum quibus versor.* Alii : *serva me tum ut fallacium hominum dolis non peream ; tum ut ipsorum, cum quibus mihi videndum est, perditi mores me non corrumpant.* Nonnulli : *serva me : nullus enim est qui pietatem colat, adeóque miseris opituletur ; desierúntque qui probitatis sint studiosi & afflictis succurrere velint.* Ego, Psalmum V. (cujus ordinem Psalmus noster imitatur) expendens ; & versum tertium proximè venientem ac de dispersione loquentem considerans, existimo petitam à Vate salutem nihil aliud esse quam libertatem : cujus ut compos fiat, Babyloniorum iniquitatem Deo repræsentat, gnarus eum, illâ auditâ, in populos istos animadversurum (quoniam, ut in laudato Psalmo V. dicitur, *Deus iniquitatem non vult, neque habitat juxta eum malignus ; sed odit omnes qui operantur iniquitatem, perditque omnes qui loquuntur mendacium*) ; atque ita Judæos libertatem repetituros : hæc enim libertas danda eis non erat nisi post subactos ac destructos à Cyro Medisque Babylonios, quemadmodum Prophetæ vaticinati fuerant.

sanctus. Aquila *castum* interpretatus est. Alii *beneficum* aut *misericordem* vertunt, minùs benè : nam voce *sanctus* vir probus & qui justitiæ operam dat heic significatur, ut ex serie liquet.

veritates. probitatem omnis doli & simulationis expertem; seu veritatem dictorum & conventorum, quæ humanæ societatis fundamentum est, intelligo ex collatis locis Psal. XIV. 3. If. I. 23. 26.27. Soph. III. 13. Zach. VII. 9. 10. VIII. 3. 16. 17. quibus addi velim ea quæ ad Jobi cap. I. vers. 1. num. 51. 52. 53. 54. & ad cap. XVIII. 15. num. 9 observat Scripturæ sacræ callentissimus Pineda : è quo unum heic Ciceronem alibi jam prolatum & Vati nostro succinentem mutuabimur, *Vera diligimus* idest *fidelia, simplicia, constantia; tum vana, falsa, fallentia odimus, ut fraudem, perjurium, malitiam, injuriam.*

vana. vox hæc dolos, mendacia, iniquitatem erga proximum hoc loco significat, uti apud Job. XI. 11. n. 2. quod ibi annotat Pineda, qui doctè subdit. *Hinc ferè peccata omnia, quæ contra proximum sunt, per vanitatem significari solent, idest dolum, fraudem, mendacium, juramentum falsum, quo in contractibus & litibus utuntur.* Theodorus Antiochenus prædictam Psalmi nostri vocem enarrans ait : *Vana posuit pro dolosa : communiter autem quæ absurda sunt, ut quæ temerè fiant, vana solet appellare.* Adde Ciceronis locum paulò ante productum, & istum ex 3. Offic. depromtum : *in vendendo orationis vanitatem adhibere.*

proximum. Socium denotat dictio ista; sed socio heic memorato Judæos, qui cum Babyloniis conjunctim vivebant & in eorum degebant societate, tantùm intelligo ex vers. 5. infrà : qui quidem Judæi omni fraude & perfidiâ fallerentur à Babyloniis, quibus idcircò exitium apprecantur.

in corde & corde loquuntur. Hebraismus pro duplici animo loqui, aliud dicere aliud sentire : quo sensu S. Jacobus in primo Epistolæ suæ capite *virum duplicem animo* dixit. Quam duplicitatem à sacris Scriptoribus damnatam exe[illegible] etiam auctores [a] Homerus, [b] Zenodotus, [c] Lucianus, aliique perstringunt atque exsecrantur.

[a] Iliad. I. Ἐχθρὸς ... , &c.
[b] M... &c.
[c] de non temerè credendo calumniæ: H... &c.

Disperdat Dominus universa labia dolosa, & linguam magniloquam	3	Disperdat Dominus omnes *Babylonios* dolosis *sic* labiis utentes, & superbam *eorumdem* linguam *Babyloniorum*
Qui dixerunt: linguam nostram magnificabimus; labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est?	4	Qui dicunt : linguam nostram roborabimus *eam ad fraudes erga Judæos magis ac magis componendo* ; labia nostra penes nos sunt, quis noster est Dominus *ut nos impedire valeat quominùs iis ad fallendos Israelitas utamur?*
Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum; nunc exurgam dicit Dominus.	5	*DEUS. bono sis animo* ait Dominus : nunc *enim*, propter miseriam inopum & gemitum pauperum *Israelitarum*, exurgam, *eorúmque hostes puniam.*
Ponam in salutari; fiducialiter agam in eo.	6	*VATES. Meam ergo spem* in salutifero *Dei* auxilio ponam ; cóque confisus securè degam.

magnificabimus. Anonymus apud B. Chrysostomum : ***dominabimur*** : minùs benè.

à nobis sunt. memoratus à S. Chrysostomo interpres : *adsunt nobiscum, quis noster est Dominus?* Alius à S. Chrysostomo prolatus : *quis nostri dominabitur?*

pauperum. sunt Israelitæ : & quidem Babylonicam servitutem servientes, ut ex variis colligitur locis, præsertim ex titulo Psal. CI. qui pauperis eo sensu meminit.

nunc exurgam. Deum sic loquentem inducebat Vates ut captivis alacritatem adderet; nec immeritò talem sermonem Deo tribuebat : nam, præterquam quod peculiari Dei instinctu atque afflatu pœnam Babylonis impendentem & subsequuturam Judæorum libertatem noscere poterat, ut ex Psalmo LXXXIV. 8. colligere licet, cognita hæc erant ex Isaiæ atque Jeremiæ vaticiniis. Interim ex adverbio *nunc* conjicio Psalmum nostrum circa finem Babylonicæ captivitatis editum fuisse. Quod spectat verbum *exurgam*, audi Cyrillum ita docentem. *Exurgere autem dixit, non qualem corporis surrectionem intelligimus aut expergiscí dicimus; sed quale est annuere quum servantem manum laborantibus præbere parat.*

ponam in salutari, &c. Theodoritus : ἐν σωτηρίῳ, &c. *non enim eos despiciam... sed patientiam, veluti quendam somnum, excutiens perspicuam & illustrem eorum salutem faciam : nam hoc modo Symmachus interpretatus est* PONAM SALUTARE EVIDENS. Eandem interpretationem, innominato auctore, memorat & sequitur S. Johannes Chrysostomus : qui isto versu Deum loqui existimat cum Theodorito & omnibus, quos legi, tractatoribus. Hebræa verba sic habent; *ponam in salute, laqueum injiciat illi* : quæ Muisius ita explicat. *Ironica est loquutio hoc sensu : omnia experiatur Saul, nihil non tentet, tendat undique laqueos, struatque insidias : ego ipsum Davidem servabo.* Bellarminus : *explicat quid sit facturus quum surrexerit.* PONAM, *inquit*, IN SALUTARI, *idest collocabo eos in salute, stabiliam illos in salute ut semper salvi consistant* : FIDUCIALITER AGAM IN EO, *idest nemo me impediet, audacter & liberè agam in hac re. Exprimit vox Græca* παῤῥησιάσομαι *hoc loco confidentiam; & libertatem, atque audaciam Ex Hebræo S. Hieronymus vertit* PONAM IN SALUTARI AUXILIORUM EORUM; *sed nescio quid in hac re sequatus sit : nam vox Hebræa* IAPHIACH LO *significare potest sufflabit in eum, vel illaqueabit eum, vel aspirabit ei. Certè verò septuaginta Interpretes videntur legisse in prima persona* APHIACH LO *afflabo in eo, sive aspirabo ei : unicuique pauperum aspirabo & favebo; & quia spiritus ubi vult spirat; & ubi spiritus Domini ibi libertas, ideò fortasse verterunt* FIDUCIALITER *agam, idest liberè aspirabo, & favebo.* Unus Isaiæ locus capitis XI. 2. tritæ Synonimorum regulæ junctus has interpretationes refellit : ostenditque Vatem non Deum heic loqui; & depravatum esse Hebræum textum, eúmque ab eruditissimo Bellarmino minùs benè emendatum fuisse. Quod ultimum assertionis nostræ caput etiam probatur ex Psal. IX. 27. Ezech. XXI 31. aliisque Scripturæ locis : quibus patet verbum פוח cum aliquo nomine aut pronomine constructum in malam partem semper accipi; & cum ב aut על, non verò cum ל conjungi : quâ ex conjunctione hodiernus Hebræorum textus in suspicionem depravationis meritò venit; maximè si ad usitatam exigatur regulam quâ posterius hemistichium præcedentis repetitio aut explicatio esse solet. Hac ego regulâ & laudato Isaiæ loco fretus dico Vatem non Deum in utroque versus hemistichio loqui, & priore concisam contineri loqutionem ex secundo supplendam hemistichio; verique admodum simile esse ut textus Hebræus, quo LXX. Senes utebantur, habuerit אבטח בו *confidam* seu *fiducialiter agam in eo* pro יפיח לו *illaqueabit eum*.

7 *Eloquia Domini, eloquia casta; argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.*

Promissa *enim* Domini ab omni falsitatis labe *sunt* pura; & argenti igne examinati, in fundibulo terreo excocti & diligentissimè purgati; *adeòque purissimi & neminem fallentis*, similia.

probatum terræ. Heb. בעליל לארץ : quod Chaldæus interpretatur *à Domino terræ* : alii vertunt *in catino terræ.* prædicta vox עליל mihi valdè suspecta est : tum quia semel in Bibliis occurrit : tum quia infrequenti gaudet constructione ל cum nomine לארץ; tum denique quia eam non repræsentat versio nostra, sed verbum simili in re apud sacros Scriptores usitatissimum ut apparet Job. XXIII. 10, Zach. XIII. 9. aliisque Scripturæ locis, ubi

aurum probari dicitur. Itaque in eâ sum sententiâ LXX. Senes legisse נבחן לארץ *probatum terra* seu *terrâ*, hoc est in vase terreo; aut, quod idem est, fundibulo testaceo (nam fabri conflatum argentum funduot in terram) pro בעליל לארץ *in catino terra*: quæ interpretatio sensum quidem à nostro diversum non efficit, sed à tritis Grammaticæ regulis recedit; & nomini עליל significationem divinatione potiùs quàm auctoritate suffultam tribuit, dum vertit *catinum*. Anonymus apud B. Chrysostomum interpretatur *ignitum codens terre* pro *probatum terra*.

septuplum. Theodoritus: ὃ ἑπταπλασίως &c. *Septuplum pro sæpenumero posuit: hoc enim divinæ Scripturæ consuetum est*. Rectè omninò, ut apparet collatis locis Gen. IV. 15. Levit. XXVI. 24. Psal. CXVIII. 164. Proverb. XXIV. 16.

8 *Tu Domine servabis nos, & custodies nos à generatione hac in æternum.*

Horum tu *promissorum memor* servabis nos Domine, & nos *tandem* à pravâ hac Gente liberabis.

9 *In circuitu impii ambulant: secundùm altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.*

Impii *quidem Babylonii* circumstant nos undique & circumeunt *quærentes quem devorent*; *sed tu*, pro eâ qua præditus es animi altitudine (*cujus est jacentes & afflictos erigere*) miseros hominum filios *Israelitas* multiplicibus ornabis beneficiis.

servabis nos. *Alius*, inquit S. Chrysostomus, *custodies ipsos*. *Alius*, *custodies eos & conservabis nos ab hac generatione & in sæculum*. *Alius*, *cum generatione quæ est in sæculum*. Utroque in hemistichio Hebræus textus hodiernus habet *eos* pro *nos*: minùs benè, quanquam mendum hoc solitâ personarum mutatione excusari possit. Præstat interim versio nostra, in quâ *generatio* sumitur pro *gente* ut Psal. XXIII. 6. XLVIII. 20. Prov. XXX. 11. 12. 13. & *in æternum* idem valet ac *tandem*, uti similis vox נצח aut לנצח accipitur Psal. XII. 2. LXXIII. 1. LXXXVIII. 47.

in circuitu, &c. *Alius*, ait B. Chrysostomus, *ambulabunt*. *Alius*, *in circuitu impiorum ambulabunt*. Codices Hebræi hodie habent כרום זלות לבני אדם *quum exaltantur (impii) vilitas (est) filiis hominum*: hoc est, juxta Kimchium, *quum extolluntur impii vilescunt cæteri homines*, *actúmque de illis est* juxta illud Prov. XXIX. 2. *quum impii sumserint principatum gemet populus*. Menachem accipit כרום *secundùm exaltari*, seu *quum exaltantur* pro כרים *sicut rhinoceros* & זלות *vilitas* pro זולל *vorator*; totúmque locum ita interpretatur: *in circuitu pauperis ambulant impii ut ipsum devorent & absorbeant, sicut rhinoceros vorator ad filios hominis*, hoc est *ad vorandos homines soles discurrere*: indéque non longè abit Chaldæus qui vertit, *circùm*, *circùm impii ambulant sicut sanguisuga quæ exugit sanguinem filiorum hominis*. Harum interpretationum optima profectò est Kimchiana; sed ea locum heic habere non potest: nam disjunctam profert sententiam, hæc enim nullatenus sunt consectaria. *Tu Domine servabis eos, custodies eos à generatione hac in æternum. in circuitu impii ambulant; quumque extolluntur impii jacent cæteri homines*. Nec meliùs alii: *in circuitu impii ambulant cùm extollitur vilis aliquis apud filios hominum*. Nulla sanè heic inest connexio; unde facilè intelligimus textum Hebræum hodiernum in mendo cubare, quod nullo negotio tolles si nostram consulas versionem: hæc enim ostendit LXX. Senes legisse כרום רבות לבני אדם *secundùm exaltari* sup. *tuum*, hoc est *secundùm altitudinem tuam multiplicasti filios hominum*, seu *multâ dignatus es curâ* quæ eos multiplicaverit, pro כרום זלות לבני אדם *secundùm exaltari* sup. *impiorum*, *vilitas (est) filiis hominum*. Nec verbum רבה cum literâ ל nunquam construi dicas: nam con-

tratium pater ex Os. X. 1. Interpres quidam apud B. Chrysostomum vertit : *quando exaltati fuerint viles filiorum hominum.* Alius, *secundùm altitudinem parvo empti fitis hominum.*

multiplicasti. præteritum pro futuro, ut aliàs sæpe.

filios hominum. idest abjectos, calamitosos homines : nam hæc ferè significatio sub his vocibus בני אדם subjicitur ut jam notavimus ex Psal. VIII. 5. XLVIII. 2.

ARGUMENTUM.

PSALMI DUODECIMI.

THEODORITUS initio hujus Psalmi ita edisserit. *Καὶ τοῦτον εἰς ἑαυτὸν* &c. idest. *Hunc quoque Psalmum de seipso magnus David protulit : non Saulem fugiens, verùm ab Absalomo oppugnatus. Ea enim quæ de Saule feruntur ante peccatum fuerant ; &, hac de caussâ, magnâ cum fiduciâ dicebantur. Ea verò quæ de Absalomo, post peccatum exstitere ; & propterea luctus & gemitus verbis immistus est.* Nicephorus Theodoriti vestigiis insistens Psalmum ad Absalomitica tempora trahit ; putátque cantatum fuisse à Propheta hunc Psalmum quum Absalomus bellum in illum pararet. Cornelius Jansenius complurésque alii Psalmum exponunt de Davide divexato à Saule. Allegorici autem Judæorum interpretes, qui *Medraschim* appellantur, scribunt vocabulum *usquequò* quater hoc in Psalmo repeti, ut denotentur quatuor imperia : Babylonicum scilicet, Persicum, Græcum, & Romanum sub quibus Judæi varias experturi erant miserias, quibus heic se liberari postulent. Duabus primis sententiis vox נצח quæ in primo versiculo usurpatur, quæque æternum idest longissimum tempus notat, repugnare videtur : nam Saulis aut Absalomi persequutio non ad tantum tempus duravit. Postrema autem opinio probabilitate prorsùs

caret. Ego, primum Psalmi nostri versum cum Psal. LXXIII. 1. LXXVI. 7. 8. 9. LXXXIV. 5. & LXXXVIII. 47. comparans, non dubito quin Psalmus iste circa finem captivitatis Babylonicæ conditus fuerit à Vate aliquo Judæo popularium suorum personam sustinente, & Deum enixè rogante ut suæ tandem calamitatis misereretur, nec ansam de suo exitio gaudendi hostibus suis præberet.

TITULUS.

In finem Psalmus David.

PSALMUS XII.

1 *Usquequò Domine oblivisceris me in finem? Usquequò avertis faciem tuam à me?*

2 *Quamdiu ponam consilia in anima mea: dolorem in corde meo per diem?*

3 *Usquequò exaltabitur inimicus meus super me? Respice, & exaudi me Domine Deus meus.*

PARAPHRASIS.

1 Quousque tandem Domine oblivisceris mei? Quousque faciem tuam à me avertes?

2 Quamdiu consilia, *quibus à meis ærumnis expediar*, apud me inibo! Quamdiu dolore cor meum conficiam *etiam* interdiu, *quando solent alii mœrorem deponere*?

3 Quousque inimicus meus imperium in me tenebit! Benignus *quæso* me aspice, & exaudi me Domine Deus mi.

ANNOTATIONES.

usquequò oblivisceris. Didymus: *Non dicit hæc sanctus vir tanquam Deus oblivioni subjiciatur, licet hæc dicat in modum supplicantis; sed potiùs quæ hominum sunt in seipsum admittit.* Succinunt B. Chrysostomus & Theodoritus: quorum prior hæc dicit λήθην δὲ &c. *oblivionem autem ne existimes esse affectionem, sed devolutionem*; alter autem sic scribit τὴν ἀναβολὴν τῆς βοηθείας ἐπιλησμονὴν προσηγόρευσε *procrastinationem auxilii oblivionem appellavit.* Interpres quidam apud B. Chrysostomum vertit *oblivisceris me perfectè* seu *omninò*. Alius, *ad contentionem.*

avertis faciem tuam. faciei aversio iram designat in sacrâ Scripturâ ut superiùs annotavi.
[a] Addo hæc profanum Auctorem Virgilium qui aversionem eodem sensu accipit. *Talia dicentem jamdudum aversa tuetur.* In eandem sententiam Interpres B. Chrysostomo memoratus vertit *abscondis.*

[a] IV. Æneid.

quamdiu ponam, &c. Symmachus, teste Eusebio, explicavit *quamdiu ponam sollicitudinem in mente mea per diem.* Eandem interpretationem suppresso, ut moris est, auctoris nomine refert S. Chrysostomus: qui istam quoque memorat *ordinabo sententias.* S. Augustinus legit *consilium* pro *consilia.*

respice. aspectu favorem ac misericordiam in libris sacris denotari jam monui. Affero heic ethnicos Auctores sacrorum Scriptorum vestigia persequentes. [a] Terentius: *Age, me in tuis secundis rebus respice.* [b] Cicero: *nisi quis nos respexerit Deus*; & [c] alibi: *respice aliquando Rempublicam.* [d] Virgilius: *si quid pietas antiqua labores respicis humanos.* [e] Juvenalis: *solus enim tristes hac tempestate camenas respexit.*

per diem. B. Chrysostomus & Theodoritus addunt *& noctem*: sed id ab Hebræo textu & Symmacho abest: ut mirum non sit in nostrâ versione desiderari.

[a] Andr. Act. 5.
[b] ad Attic lib. 1.
[c] 2. Philip.
[d] Æneid. V.
[e] Sat. 7.

Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte: nequando dicat inimicus meus, prævalui adversus eum;	4	Debilitatum me atque afflictum recrea ne mortis somnum obdormiam; dicatque inimicus meus prævalui ei;
Qui tribulant me, exaltabunt si motus fuero. Ego autem in misericordiâ tuâ speravi;	5	Gaudeántque vexatores mei si periero. *Interea* ego in misericordiâ tuâ spem collabo;
Exultabit cor meum in salutari tuo: cantabo Domino qui bona tribuit mihi; & psallam nomini Domini altissimi.	6	*Et* cor meum exultabit quum salutem *mihi* attuleris; Dominúmque benefactorem meum canam, & nomen Domini altissimi celebrabo.

illumina, &c. Observarunt multi, atque ex Job. XV. 22. XVII. 12. aliisque Scripturæ locis probarunt, *luce* prosperitatem ac felicitatem; *tenebris* miserias & ærumnas metaphoricè significari. Verissima est observatio; sed paulò longius heic proferenda ob eam quæ fit oculorum mentionem. Eam Vates facit quia vigor inest in oculis: unde medici ægrotorum oculos inprimis aspicere solent; quúmque eos depressos atque abjectos minúsque hilariores cernunt gravem esse morbum augurantur: atque hinc fluxit nostra loquutio *illumina oculos meos*, quæ idem sonat ac afflictum me & jacentem erige, ut apparet collatis locis I. Reg. XIV. 27. & Psal. XXXVII. 10.

unquam, deest in Hebræo, & omitti potest illæso sensu: qui nostro non deformatur adverbio, dummodò subaudiatur *inter inimicos meos.*

obdormiam in morte. Mors dormitionis & somni nomine sæpe afficitur. [f] Hermas: *nihil aliud exspectant nisi dormitionem suam.* B. [g] Hieronymus: *neque enim mors, sed dormitio appellatur.* Sic εὕδειν *dormire* [h] Æschylus & κοιμᾶσθαι [i] Sophocles pro interire ponunt; & apud eundem [k] Sophoclem κατακοιμίσαι est *soporem mortis inducere*: indéque mos sepulchrorum loca vocandi κοιμητήρια idest *dormitoria* (Gallicè *cimetieres*.) [l] Virgilius mortem somno designat: nec longè inde abeunt [m] Homerus, [n] Hesiodus, Gorgias Leontinus [o] Æliano memoratus, [p] Pausanias, [q] Virgilius, [r] Valerius Flaccus, [s] Seneca, atque Hyginus qui somnum vocant fratrem mortis; sed præ cæteris, quæ huc spectare possunt, elegantissimum est Callimachi epigramma Τᾷδε Σάων &c. Atque ex his omnibus mortuorum resurrectio adstruitur: nam sicut à somno, quantumvis ferreo, expergiscimur, ita à morte in vitam revocabimur. Vide epistolam 120. B. Augustini cap. 32.

nequando dicat inimicus meus, &c. Hoc ideò dictum quia inimicorum irrisione ludi

[f] in Past. vis. 3. cap. 11.
[g] epist. 29. Vide etiam lib. I. adv. Jovin. c. 14. lib. contr. Vigil. c. 3. & ad Is. XIV. 8.
[h] in Eumenid.
[i] in Electra
[k] in Aiace
[l] Æneid. X & XII.
[m] Iliad ξ.
[n] in Theogon.
[o] lib. 2. var. hist. cap. 35.
[p] in Laconicis & in Eliacis.
[q] Æneid. VI.
[r] lib. 7.
[s] in Hercule furente.

omnium graviorum gravissimum est πάντων τῶν αἰσχρῶν αἰσχρότατον ut ait hoc loco Theodoritus: cui præiverat [a] Euripides, dicens. Οὐ γὰρ &c. *non enim tolerabile est, ò amica, rideri ab hostibus*; Unde Oraculum à [b] Demosthene memoratum ait nos ita semper facere debere ne gaudeant inimici: scilicet ita ferè comparati sunt homines ut ex adversis hostium suorum rebus voluptatem capiant, quod Vatis non solùm; sed & aliis obtinuit temporibus ut ex [c] Sophocle, [d] Plauto, [e] Cicerone, [f] Petronio Arbitro, & [g] Statio intelligimus.

a in Medeâ.
b Orat. πρὸς ἐπιστολ.
c in Ajace Lorario.
d in Casinâ Scen. 8.
e in L. Pisonem.
f Theb. lib. 2.

exultabunt. præcedentibus verbis à Quibusdam connectitur sic: *etenim qui tribulant me exultabunt*, &c. ab aliis autem ad sequentia sic trahitur: *afflicteres mei exultabunt si periero: ego autem in misericordia tuâ sperabo.* Sed, quando in Psal. XXXVII. 17. simili in re dicitur, *nequando supergaudeant mihi inimici mei* verisimile est ut *exultabunt* positum fuerit pro *exultent.* Quod verò connexionem spectat, ea rectior videtur adhibendo adverbium *interea.*

speravi. præt. pro fut. ut ex sequenti futuro *exultabit* colligere est.

qui tribuit. Idem valet hæc loquutio ac *qui tribuerit*, seu *quum tribuerit*, uti ex Hebræo colligimus textu qui habet כי: quæ particula heic sonat *quum*, quemadmodum in nonnullis aliis locis.

& psallam nomini Domini altissimi. Verba hæc ab Hebræo textu hodierno absunt: sed, quum à LXX, S. Chrysostomo, S. Hieronymo, S. Augustino, Theodorito, atque Euthymio laudentur, probabile est illa in antiquis exstitisse Hebræorum codicibus, è quibus tractu temporis exciderint.

ARGUMENTUM.

PSALMI DECIMI TERTII.

THEODORITUS hunc Psalmum de Sennacheribo Assyriorum rege Judæam oppugnante exponit hoc modo. ἡ δὲ ὑπόθεσις ἐστὶν αὕτη ἐπεστράτευσε &c. idest: *Argumentum autem est hoc. Sennacherib Assyriorum rex aliquando Judæam bello infestavit; multásque civitates cepit: has quidem pactione; has verò obsidione. Sperans porrò & Hierosolymarum potiri, misit Rapsacem ad Ezechiam qui tunc temporis Judæis imperabat, execrationibus sermonibúsque impiis contrà Deum utentem. Dicite enim, aiebat, Ezechiæ: ne te decipiat Deus tuus cui tu ipse confisus es, quoniam liberabit Hierosolymas de manu mea? Ubi est Deus Emath & Arphad? & ubi est Deus civitatis Sepharim, nunquid potuerunt liberare de manu mea, quoniam Dominus Hierosolymas de manu mea eripiet? Verùm hæc quidem ille. Ezechias verò magnum ejus exercitum & insanos sermones despiciens, propriâque utens pietate*

pietate divinam imploravit opem, & statim hanc consequutus est, &c Theodorito Nicephorus atque Euthymius assentiuntur. Cornelius Jansenius Psalmum ad Saulina refert tempora: in quibus justi detinerentur captivi, ut non quæ vellent dicerent & agerent. Grotius autem eundem Psalmum in Absalomitica tempora confert Annotatione in vers. 12. ubi, ista explicans verba *cùm averterit Dominus captivitatem plebis suæ*, ait. *Meliùs cùm reduxerit Deus reducem populum suum, id est cùm nos vi Absalomi fugatos Hierosolymam salvos reverti fecerit.* Theodoriti ejúsque sequacium sententia cum 5. versu, qui linguas dolosas memorat; & cum undecimo, qui captivitatem Israelis canit, cohærere non videtur: nam Sennacheribus non dolum sed vim in expugnandâ Judæâ adhibebat; nec ille, etiamsi aliquas Judææ urbes cepisset, Israelem in servitutem dederat: prædictâ enim voce totus populus Israeliticus aut saltem nobilissima ejus pars ferè intelligitur. Cornelii Jansenii opinionem una *Sionis* mentio labefactat: siquidem hujus montis sanctitas sub Davidico regno conspicua tantùm esse cœpit, altúmque de monte illo silentium, apud Judæos, erat quo tempore ipsis imperabat Saul. Denique *captivitatis* nomen in eam, quam David ab Absolomo vexatus arripuit, fugam rectè non quadrat: neque his temporibus generalis illa, quæ in Psalmo describitur, corruptio convenit: nam v. g. universa Davidis domus, omnis Israël, legiones Cerethi & Phelethi, omnes Gethæi sexcenti viri, Ethai Gethæus, Sadoc, Abiathar, universi Levitæ, & Chusai Arachites II. Reg. XV. memorati, qui Davidem sequuti fuerunt, probitate ac fidelitate clari erant: quod cum istis Psalmi verbis *non est qui faciat bonum non est usque ad unum* nullatenus consentit; ut mirum sit Grotium

Ee

ſacris literis haud mediocriter eruditum & peracri, plerúmque, judicio prædítum in eam, quæ tertio loco adducta eſt, opinionem iviſſe : à quâ omnes Scripturæ loquutiones *captivitatis* nomen uſurpantes abhorrent, & firmum abeſt judicium. Ego Pſalmum noſtrum cum Pſalmis V. IX. & XI. comparans ; & captivitatem in ultimo verſu memoratam ſuo nominis pondere penditans non dubito quin ille Pſalmus ad tempora Babylonica pertineat ; fueríque ab Aggæo aut alio hujus ævi prophetâ conſcriptus ut captivis Judæis alacritatem adderet eorum liberationem prædicendo ; & Babyloniorum, quorum impietatem fusè deſcribit, exitium vaticinando. Neque hæc octavi verſus loquutio *plebem meam* obſtat : etenim Prophetæ, quamvis populo non præeſſent, eum tamen *plebem ſuam* vocabant ut apparet Danielis IX. 20. ex quo loco ad Pſalterianum exacto non immeritò colligimus Prophetam fuiſſe qui Pſalmum noſtrum condidit. Verùm, quando captivitas Babylonica iſto non ſolùm Pſalmo ; ſed & aliquibus, quos jam explanavimus & multis quos explicaturi ſumus, Pſalmis mandata fuerit, hujus rei cauſſa aperienda à nobis eſt ; & ſublimis, qui in hujuſmodi Pſalmis latet, ſenſus eſt inveſtigandus. Non enim putandum eſt ſanctiſſimos Prophetas in hoc tantùm elaboraſſe ut Babyloniorum crudelitatem, Judæorum ſervituti apud eos addictorum miſerias, & conceptas, pro ſuo in urbem Hieroſolymas reditu, orationes atque id genus alia poſteros edocerent ; ſed exiſtimandum eſt illos in animo potiſſimùm habuiſſe duram illam adumbrare captivitatem in qua ſæviſſimus tyrannus Diabolus homines vitiis omnibus deditos & flagitiis omnigenis inquinatos detinebat ; & quâ eos Chriſtus Dominus exemerit, illos in cœleſtem, cujus

terrena typum gerebat, Hierosolymam deducens, & multa patrans alia quæ in hujus operis progressu attingemus. Unde B. Hieronymus in hunc, qui à nobis tractatur, Psalmum scribens meritò dixit: *redemtionem nostram ex Sione hoc est Ecclesiâ à Christo fundandâ processuram in illo Psalmo pronunciari*: &, ne quis Ecclesiam Sione designari miretur, ea recolat quæ ad Psal. II. 6. notavimus; & B. Chrysostomum audiat sic loquentem. Σιὼν ἡ κατ' ἀναγωγὴν &c. *Sion autem Ecclesia anagogicè dicitur.* ACCECISTIS ENIM AD MONTEM SION ET ECCLESIAM PRIMOGENITORUM. *Et meritò mons est Ecclesia quòd sit firma, & stabilis, nec possit conquassari: quemadmodum enim mons non potest labefactari, ita nec Dei Ecclesia.*

TITULUS.

In finem Psalmus David.

PSALMUS XIII.	PARAPHRASIS.
Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. 1	Secum reputant stulti *Babylonii* nullum esse Deum, *qui res humanas curet; & qui ipsos, ob mala quæ nobis inferunt, puniat.*

ANNOTATIONES.

in finem, &c. Codices Reg. 138. & Colb. 158. hunc habent titulum. *in finem Psalmus David. Verba Christi ad divitem interrogantem se de populo Judaico.*

insipiens. [a] Hierocles: ὁ γὰρ &c. idest: *non potest vel non insanire qui Deo vacuus sit; vel Deo vacuus non esse qui in amentiam incidit: est enim necesse & dementem Deo carere; & Deo carentem insanire.* Atque hæc divini Numinis negatio tam exsecranda ipsis Ethnicis visa est, ut atheos è medio tollerent quemadmodum [b] Plato, [c] Josephus, & [d] Julius Pollux testantur. Notavit hoc loco Grotius *insipientes* vocari more Platonico eos qui improbi sunt etiamsi multum sibi sapere videantur; & Vatem voluisse dicere sæculum tam esse depravatum quàm fuerat ante diluvium. Sed dictionem *insipiens* paulò longius, quàm Psalmista vellet, dictus jam Grotius protulit: etsi enim sub hanc *insipientis* appellationem omnes improbi cadere possint; eâ tamen, in Psalmo nostro, illud duntaxat continetur improborum genus qui Deum negant providentem & res humanas curantem. Ultima verba addo quia ea Psalmi series postulat: nec mirere atheum Vati dici qui Deo improvidentiam adscribit: nam qui providentiam tollit, etiam Deum negat esse testibus Clemente Alexandrino, Tertulliano, &

[a] Comment. in Carmen aureum Pythag. p. 261. edit Lond. 1673.
[b] lib. X. de Legib.
[c] lib. II. contr. Ap.
[d] lib. X. c. 24.

a Stromat. VI.
b lib. II, cap. 24.

Lactantio. a Clemens ἢ πόθεν &c. *Constat jam supplicium magis quàm confutationem mereri illum omnem qui providentiam esse non putat, ac revera esse atheum.* b Tertullianus adversus Marcionem: *Nemo te sustinebit improvidentiam adscribentem Deo ei, quem Deum non negans confiteris & providum: hac enim illi propria divinitas constat.* Lactantius contra Epicurum: *Si est Deus, utique providens est ut Deus: nec aliter ei potest divinitas attribui nisi & præterita teneat, & præsentia sciat, & futura prospiciat. Quum igitur providentiam sustulit, etiam Deum negavit esse. Quum autem Deum esse professus est, & providentiam simul concessit: alterum enim sine altero nec esse prorsus, nec intelligi potest.*

in corde suo. Eusebius: *Quoniam* (athei) *id* (sup. non esse Deum) *ore profiteri non ausi sunt (siquidem innata quædam semina & notiones de Deo naturâ insita ad Deum confitendum cogebant:) ideò labiis quidem negare non audebant; quin scire se non unum tantùm sed plures esse Deos simulabant. Cæterùm corde non ore dicebant Deum non esse: cujus impiæ opinionis argumentum erant quæ continenter ab ipsis agebantur (à fructu enim arbor dignoscitur.) Nam quum omni scelerum genere animum & corpus inquinassent in omnem corruptelam traditi, ita ut mares maribus commiscerentur; & se omnibus impietatibus & nefandis facinoribus corrupissent, quorum causâ facti sunt abominabiles: quomodo non manifestum fiet, licet illi mille Deos esse ore faterentur, eos nullos in corde Deos habuisse; hoc est in eorum cogitatione ne minimum quidem verum de Deo sensum habuisse. Hujusmodi erat vita hominum ante Salvatoris nostri adventum, quæ quàm verissimè insipiens, & natura maximè Dei ignara nominata est: nam si principium sapientiæ est timor Domini: nil timere profectò, & contemnere sapientiæ contraria sunt.* B. Augustinus illud *in corde suo* expendens similia ferè habet: *Nec ipsi enim*, inquit, *sacrilegi & detestandi quidam Philosophi, qui perversa & falsa de Deo sentiunt, ausi sunt dicere non est Deus. Ideo ergo dixit in corde suo quia hoc nemo audet dicere etiamsi ausus fuerit cogitare.* Succinit S. Chrysostomus in Catenâ à Daniele Barbaro versâ laudatus.

Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.	2	*Impia hæc persuasio effecit ut* corrupti sint, & abominandi operibus suis evaserint; *indéque etiam fit ut* ne unus quidem *inter eos* reperiatur qui faciat bonum.
Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum:	3	Dominus è cœlo *illos* hominum filios contemplatus est, ut videret num inter eos esset qui saperet, aut Numinis curam gereret:
Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum; non est usque ad unum.	4	*Et ecce* declinaverunt omnes *à justitiæ tramite*: vitiosi exstitere omnes; nec fuit qui bonum faceret, ne quidem unus.

corrupti sunt. Sixtina LXX. Senum editio habet διέφθειραν idest *corruperunt.* Sed Codices Reg. 928. 1532. 1775. 2225. 2603. 2653. 2723. & Colb. 4439. 6051. 6158. legunt διεφθάρησαν *corrupti sunt.* Hebraica vox השחיתו vertitur à plerisque *corruperunt* sup. *viam suam* aut *mores suos.* Sed versio nostra melior est tum quia nihil subaudit, tum quia verbum השחיתו significat *corrupti sunt* in libro Jud. cap. II. vers. 19. ubi legimus והשחיתו מאבותם idest ad lit. *& corrupti sunt præ patribus suis.*

studiis suis. S. Augustinus, *affectionibus suis.*

non est usque ad unum. ab Hebræo textu & Theodorito absunt hæc verba, nec à B. Hieronymo exponuntur: sed proferuntur & explicantur à SS. Chrysostomo & Augustino: unde

probabile ſit ea in primævis LXX. Senum Codicibus adeóque in Hebræo textu olim exſtitiſſe ; præſertim quum paulò infrà adducantur. Nec obſtat Pſalmus LII. 2. ubi non comparent.

inutiles. obſervavimus ad Pſal. XI. 2. *vanitate* ſignificari dolum, mendacium, iniquitatem præſertim erga proximum : unde doloſi, improbique, de quibus heic agitur, viri meritò vocantur *inutiles*, hoc eſt *vani* : quo ſenſu II. Paralip. XIII. 7. dicitur : *congregati ſunt viri vaniſſimi & filii Belial.* In hanc autem ſententiam vox Hebræa נאלחו *puditi facti ſunt* aut *fœtuerunt* facilè trahitur : nihil enim eſt iniquitate fœtidius ac putidius.

5 *Sepulchrum patens eſt guttur eorum : linguis ſuis doloſè agebant ; venenum aſpidum ſub labiis eorum.*

Guttur eorum ſepulchro patenti *& fœtorem emittenti* ſimile *putidas fundit fallacias* : ſuámque linguam ad fraudem componunt ; *latétque* ſub labiis eorum venenum *tam noxium quàm ſolet eſſe illud quod* aſpis *mordendo exſpuit.*

6 *Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt : veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.*

Os illorum maledicis atque amaris verbis plenum eſt ; eorúm*que* pedes ad effundendum ſanguinem *ſunt expediti.*

7 *Contritio & infelicitas in viis eorum : & viam pacis non cognoverunt ; non eſt timor Dei ante oculos eorum.*

Omnes eorum cogitationes in hoc verſantur ut *nos* conterant, & malis afficiant : nullam *nobis* pacem dant ac tranquillitatem ; *&* Dei timor ante oculos eorum non eſt.

8 *Nonne cognoſcent omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam ſicut eſcam panis,*

Nonne omnes *hujuſcemodi viri* qui ſcelus edunt, qui plebem meam devorant tanquam fruſtum panis,

ſepulchrum, &c. verſus iſte & duo qui proximè ſequuntur deſunt in Hebræo textu : neque in Catenâ à Daniele Barbaro verſâ leguntur ; neque in Regiis aut Colbertinis, quos ſuprà laudavi, Codicibus comparent ; neque etiam apud Theodoritum & in Pſalterio Complutenſi exſtant. Sed quum ab Apoſtolo laudentur ; atque à noſtro memorentur Interprete ; & in Sixtinâ LXX. Senum editione legantur, atque à Beato Auguſtino citentur, vero perquam eſt ſimile ut præfatos verſus habuerint priſci Hebræorum Codices ; nec Pſalmus LII. è quo prædicti verſus abſunt, obſtat : nam Pſalmus iſte noſtri eſt epitoma. Sanctus quidem Hieronymus in ſententiam à noſtrâ diverſam abit cùm in Proœmio in lib. 16. Comment. in Iſ. ubi Apoſtolicum teſtimonium de Pſalmis & de Iſaia eſſe contextum aſſerit ; tum in ſuo ad iſtum Pſalmum commentario, ubi ita ſcribit. *Quæritur ergo quomodo Apoſtolus hoc uſus ſit teſtimonio in epiſtolâ quam ad Romanos ſcripſit. Reſpondemus Apoſtolum de Deuteronomio ac Pſalterio & cæteris Scripturarum locis hoc teſtimonium texuiſſe.* Verùm, ſalvâ tanti Doctoris reverentiâ, dico contrariam ſententiam videri probabiliorem. Vide quæ dixi in Præfatione.

venenum aſpidum. linguæ virulentia morſui aſpidis rectè comparatur : nam morſus ille

a in Theriacis.

immedicabilis est. a Nicander: Ἀσπίδα &c. *Aspida crudelem cujus super omnia morsus immedicabilis est.* Confer Deut. XXXII. 33. & Aristotelem lib. VIII. hist. Animal. c. 29, atque Ælianum lib. I. c. 54.

nonne cognoscent. Interrogatio hæc affirmationem valet apud Hebræos qd. certè cognoscent. Confer III. Reg. XV. 7. XVI. 5. XXII. 39. IV. Reg. I. 18. VIII. 23. X. 34. XII. 19. XIII. 8. &c.

escam panis. S. Augustinus, *cibum panis.*

9 *Dominum non invocaverunt: illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.*

Quique Dominum non invocant. *Nonne, inquam, omnes hujusmodi homines cognoscent Deum esse qui res humanas curet & suum cuique tribuat? Cognoscent profectò*: in ea *enim* urbe in quâ, *utpote munitissimâ*, non est timendi locus trepidabunt *invadente eam Cyro.*

10 *Quoniam Dominus in generatione justâ est, consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes ejus est.*

Siquidem Dominus justæ *Judæorum* genti aderit: *genti, inquam, (cui*, ob susceptum de spe, mediis in ærumnis in Domino *provido* ponendâ consilium, illuditis *ô Babylonii)* opitulabitur: *terrorem vobis in mediâ Babylone injiciendo; atque ita eam sub imperium Cyri ditionémque subjungendo.*

11 *Quis dabit ex Sion salutare Israel? Quum averterit Dominus captivitatem plebis suæ: exultabit Jacob, & lætabitur Israel.*

Utinam salutare *hoc* auxilium Israelitis ex Sione *quamprimùm* adveniat? Exultabunt *sanè* Jacobæi, & lætabuntur Israelitæ quum Dominus plebem suam è captivitate *Babylonicâ* reduxerit.

b lib. 1. pag. 81. 82. 84. 85. edit. Gr. Lat. Henr. Steph. 1592.
c pag. 87.

illic. Babylonem intelligit naturâ & arte munitissimam, quomodo describitur ab b Herodoto: qui, c postea ait. οἱ δ' ἐξεπιστάμενοι &c. idest: *Is quidem* (Babylonii) *quia Cyrum jampridem animadverterant inquietum esse; viderántque omnes pariter gentes aggredientem, comportaverant permultorum annorum commeatus; ideoque tunc obsidionem nihili faciebant* ἐνθαῦτα οὗτοι μὲν λόγον εἶχον τῆς πολιορκίης οὐδένα: quæ postrema verba cum istis *ubi non erat timor* optimè congruunt.

d lib. cit. pag. 88.

e Cyrop. lib. 7. pag. 188. edit. Gr. Basil.
f pag. 187.
g pag. 189.

trepidaverunt. Hoc ideò dictum quia, quum Persæ ex inopinato Babyloniis adstitissent ut refert d Herodotus, subito terrore correpti sunt: quod egregiè confirmat Xenophon ut & alteram versiculi partem Is enim de Babylone à Cyro obsessâ sermonem faciens memorat e *firmos & excelsos muros* τείχη ἰσχυρὰ καὶ ὑψηλά: f quos postquam Cyrus contemplatus esset, ab urbe copias abducere parabat. g Deinde ait *eos, qui in muro stabant, obsidionem*, hoc est fossam circum murum à Cyro undique actam, *irrisisse*, quòd eis commeatus esset copiosior quàm in annos viginti οἱ δ' ἐν τοῖς τείχεσι κατεγέλων τῆς πολιορκίας. Heic cernis ista Psalmi verba *ubi non erat timor.* Alia, nempe *illic trepidaverunt* comprobat laudatus à me Xenophon: nam *exanimationis, clamoris, strepitus, & tumultus* mentionem facit: ἐπεὶ δὲ καὶ

αἰσθῶνται &c. *posteaquam senserint Babylonii* (aiebat [a] commilitonibus suis Cyrus) *etiam nos intùs esse multo magis quam nunc usui nullo futuri sunt* ὑπὸ τοῦ ἐκπεπλῆχθαι , *quia exanimati erunt.* Quum verò Urbem intrassent Persæ ortum fuisse clamorem ac strepitum & tumultum tradit [b] Xenophon his verbis. ὡς δὲ κραυγὴ καὶ κτύπος ἐγένετο, αἰσθόμενοι οἱ ἔνδον τοῦ θορύβου &c. *orto autem clamore ac strepitu, quum ii qui erant intus, tumultum sentirent,* &c. a p. 291. b pag. 272.

generatione. generationem pro gente interdum sumi jam annotavimus.

justa. Psalterium Complutense, Regius Codex 928. Colb. 4439. aliique eodem sensu legunt δικαίων *justorum.*

consilium inopis. Unica , ut mihi quidem videtur, est heic ellipsis : nimirum *cujus*; & dictio *generatione* quæ præcessit , per zeugma repeti debet hoc modo : *quoniam Dominus in generatione justa est ; in generatione* , inquam , *cujus consilium inopis confudistis* , &c. Nexum quidem aliquem sine illa ellipsi inveniebam hoc pacto : *siquidem Deus justis tandem aderit , eorum inimicos castigando. Nihilominus , ô Babylonii , consilium quod miseri Israelitæ de spe in Deo tam provido collocandâ susceperunt irridetis. Utinam ergo prodeat ex Sione qui Israelitas servet , atque ita impiorum Babyloniorum os obstruat ? Exultabunt sanè* , &c. Verùm prior nexus magis arrisit tum quia conjunctior apparet ; tum quia à celebri non desciscit regulâ quâ posterius hemistichium præcedentis repetitio aut explicatio esse solet. Quod non adverteus doctissimus Gandavensium Episcopus secundo nexui ferè insistit, & ita connectit. *Vos autem , impii , consilium pauperum mundi auxilio destitutorum nec illud quærentium pudore sustulistis : quasi stultum illud irridentes , videlicet quoniam in Deo omnem suam spem collocaverunt , quam non vanam fuisse suo tempore cognoscetis. Consideratâ autem impiorum tyrannide, quâ populum Dei justum graviter premunt exclamare cogor. O utinam det Dominus ex sanctissimo monte Sion salutem Israeli* &c. Aptior nexus his Buchanani verbis non inest. *Nec rerum Dominum mente colunt Deum. Ast illos gelido metu horror concutiet , justitiæ Deus quum patronus opem feret insonti , increpitans talibus impios. Vobis ludibrio fuit insontum pietas : vos inopum pium risistis studium , preces , spes lentas , trepidas sollicitudines. At , cui fidit inops. Deus spes &, vota bonos ducet ad exitus. O si mittat opem suis speratam Deus è rupe Sionis* &c. Nec feliciùs Joachinus Hopperus ; aut M. Antonius Flaminius : quorum prior ante nomen *consilium* ponit *quanquam* ; alter autem *propterea quod.* Johannem mitto Campensem aliósque qui productis non præstitere auctoribus : quos, qui vertunt *vos quidem consilium inopis irridetis sed Dominus spes illius est eique fidere nunquam desinent* , sanè anteirent si sensum illum vox Hebræa כי pateretur : quod non credo , etsi non venerim in oblivionem Psalmi I. 2.

Jacob. Judæos à Jacobo oriundos ita vocat Vates.

ARGUMENTUM.

PSALMI DECIMI QUARTI.

SANCTUS Basilius *virum perfectum* , nempe eum qui beatitudinis compos futurus est, in isto Psalmo describi putat ; & *tabernaculum* Dei exponit de carne animæ homini ad habitandum datâ : *per montem* autem *sanctum* intelligit locum supercœlestem ac fulgoribus plenum, de quo Apostolus : *accessistis ad montem Sion & civitatem Dei viventis cœlestem Hierusalem* &c. Didymus & S.

Chryſoſtomus *tabernaculo divino* indicari putant Chriſti Eccleſiam in quâ peregrinamur : *monte* autem *ſancto* ſupernam primogenitorum Eccleſiam, in quâ requieſcimus & quæ non habet inquilinos ſed pios habitatores. Aſterius ita diſſerit. *Quum ne unum quidem Propheta cerneret qui benè jaceret, quemadmodum in Pſalmo præcedenti oſtenſum eſt : mœrens & animo conſternatus ob graſſantem & depopulantem errorem, Deum interrogat dicens :* DOMINE QUIS HABITABIT IN TABERNACULO TUO, *ut poſtquam mundum tanquam peregrinus incoluerit ipſum poſteà cœlum inhabitet? Nam tanquam ſcena* ([a] *Paulus inquit*) PRÆTERIT FIGURA HUJUS MUNDI... *Tabernaculum, teſte* [b] *Paulo, eſt corpus hominis... Montem verò cœlum intelligit.* Euſebius cùm *tabernaculo* tum *monte* cœlum deſignari exiſtimat: Theodorito autem *tabernaculum* eſt templum ; *mons* autem Hieruſalem. Amborum, quos ultimo loco recenſui, Doctorum ſententiæ inter cæteras à me relatas excellunt : etenim Dei tabernaculum aliud non eſt à monte ſancto ; contra atque ſentiunt Didymus, S. Baſilius, S. Chryſoſtomus, & Aſterius qui tabernaculum à monte diſtinxerunt ob vocem Græcam παροικήσει quæ tabernaculo conjungitur, quæque ſignificat *peregrinabitur*: quam peregrinationem quum cæleſti patriæ minimè conſentaneam ducerent, eâ, quam annotavi, diſtinctione uſi ſunt. Nodum viderat Euſebius, & ſic expedierat. *Homo qui velut à terrenæ hujus converſationis captivitate in cæleſtem habitationem migraturus eſt, non ſecus ac hoſpes & peregrinus illic erit ut qui aliunde tranſlatus ſit & ex aliâ regione moverit.* Sed melior afferri potuiſſet ſolutio: dicendo verbum cùm Hebraicum יגור tum Græcum παροικήσει ſignificare etiam *habitabit*, ut patet ex B. Hieronymi epiſtolâ ad Suniam & Fretelam ac Lexicis Græcis:

a I. Cor. VII. 31.
b II. Cor. V. 4.

Græcis : atque aſſerendo eam ſignificationem utrique verbo ſubjiciendam heic eſſe. Ut autem Euſebii & Theodoriti ſententiæ inter cæteras præſtant: ita Theodoriti opinio Euſebianæ præponenda videtur in ſenſu literali. Nam, quòd ſublimem ſpectat, Euſebio primæ ſine controverſiâ deferendæ ſunt. Utramque autem opinionem in concordiam facillimè reducemus ſi Pſalmum de terrenâ Hieruſalem directò explanaverimus ; myſticè autem ad cœleſtem revocaverimus Hieroſolymam : quam viam in hoc Pſalmo tenendam eſſe mecum , opinor , affirmabunt qui in terrenâ Hieroſolymâ cœleſtem adumbratam fuiſſe meminerint. Litera igitur heic, ut & alibi plerumque, ſpiritui adjungenda eſt : atque, ut de literâ verbum addam, dico in eâ me eſſe ſententiâ Pſalmum noſtrum fuiſſe à Davide conditum quo tempore Arcam in monte Sione collocavit. Alium quidem hymnum in ſolemni hoc feſto decantatum prior Paralipomenων liber memorat; ſed vero eſt ſimile plures eâ de re compoſitos fuiſſe hymnos : cujuſmodi fuerit Pſalmus XXIII. nec non iſte ad cujus explicationem aggredior Pſalmus, qui dotes enumerat quibus inſtructi debent eſſe illi qui in monte Sion dignè verſari cupiant.

TITULUS.

Pſalmus David.

PSALMUS XIV.

1 *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo ; aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?*

PARAPHRASIS.

Dominē ecquis *dignus erit qui* habitet in tabernaculo tuo ; aut quis *merebitur ut* in monte Sione tibi ſacro commoretur?

ANNOTATIONES.

Pſalmus David. Regius Codex 138. *Pſalmus David de exemplo & magiſterio Chriſti de*

Apostolis & de Sanctis; eundémque titulum repræsentat Codex Colbertinus 158. nisi quod pro *Apostolis* habet *Apostolorum* corruptè.

tabernaculo tuo. Locum in quo erat Arca vocat tabernaculum quia, ut dicitur II. Reg. VII. 17. & I. Paral. XVI. 1. *arca constituta fuit in medio tabernaculi quod tetenderat ei David.* Erat autem locus iste in monte Sion ut secundo patet hemistichio, quod prioris est explicatio. Confer Psal. LXXXIII. 1.

Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam:	2	Qui immaculatam ducit vitam, & justitiam colit:
Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in linguâ suâ:	3	Qui, *cor linguæ consonum habens*, cogitationem de veritate dicendâ suscipit, & linguâ suâ mendacium non profert:
Nec fecit proximo suo malum; & opprobrium non accepit adversus proximos suos:	4	Qui damnum proximo suo non infert; neque opprobrio socium suum afficit:
Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus; timentes autem Dominum glorificat:	5	Qui impium nihili facit; eos autem qui Deum timent laudibus ornat:
Qui jurat proximo suo, & non decipit; qui pecuniam suam non dedit ad usuram, & munera super innocentem non accepit.	6	Qui jusjurandum proximo suo datum non violat; qui pecuniam suam fœnori non dat, nec munus in perniciem insontis accipit.

opprobrium non accepit. Quidam interpretantur: *non sustinuit opprobrium aliquod jactari contra proximos suos, imò omnem proximi contumeliam & injuriam avertere conatus est*: sed malè: nam *accipere* activè heic sumitur uti Exod. XXIII. 1.

ad nihilum deductus est. Heb. *contemtus (est) in oculis ejus reprobus.* Hæc interpretatio cum nostrâ consentit: nam Latinus interpres *in nihilum deducere* sumit pro *nihili ducere* seu *contemnere, spernere*, ut apparet collatis locis Psal. LVIII. 8. LXXVIII. 59.

qui jurat, &c. Rabbini eorúmque sequaces: *qui jurat affligere se & non mutat*: sensu Hebreæ Grammaticæ parum consentiente, & in personas, de quibus heic agitur, nequaquam quadrante. Dicunt quidem Hebræi jurare לו *ei*; aut jurare לשקר *falsò*: sed, sequente verbo, adhibent לבלתי ut Deut. IV. 21. Quod verò ad personas spectat: quum prisci, qui primariò heic respiciuntur, Judæi raro se affligerent & rarius afflictioni se adstringerent interposito juramento, veri non est simile ut rem, quæ raro apud eos fiebat, Vates imitandam heic proponat: præsertim quum in toto Psalmo verba faciat de studiis ad quæ sæpissimè & per totum vitæ curriculum incumbere deberent Judæi. Hæc qui reputaverit & quartum vigesimi tertii Psalmi versum consideraverit, nostram sine dubio probabit versionem; nec dubitabit quin LXX. Senes legerint נשבע להרע ולא רמה *nischbay lehareay velo ramah* idest *jurat proximo suo & non decipit* pro נשבע להרע ולא ימר *nischbay leharay velo iamir* idest *jurat ut se affligat & non mutat.* His adde quod verbum מור, quum *mutare* significat, ferè cum י *Jod* construi sic in fut. ימיר, non ימר: quæ posterior dictio sonat potiùs *amare flere*, aut *amaritudine* aliquem *afficere* quàm *mutare* ut colligitur ex Exod. XXXII. 21. Job. XXVII. 2. Zach. XII. 10. &c. Denique Hebraica ista vox להרע in *mali* significationem accepta malum aliis, non sibi, illatum propriè importat; unde ex

lectione Rabbinicâ pessimus hic oritur sensus *qui jurat malefacere & non mutat.* Cæterùm isto quem tractamus loco, ut & Psalmis LXII. 10. CXVIII. 106. ac Deut. VI. 13. Jerem. IV. 2. atque exemplis [a] Dei, [b] Abrahami, [c] Josephi, [d] Elisei, B. [e] Pauli, priscorum Christianorum [f] Plinio & [g] Tertulliano memoratorum, & S. [h] Athanasii, nec non [i] Collatione Carthaginensi, & Conciliis [k] Ephesino, [l] Toletano VIII. ac [m] Constantiensi apparet licitum esse jurare. Neque [*] Christus, S. [n] Polycarpus, Basilides ab [o] Eusebio productus, [p] Origenes, S. [q] Athanasius, S. [r] Hilarius, S. [s] Epiphanius, S. [t] Hieronymus, S. [u] Basilius, S. [x] Ambrosius, S. [y] Chrysostomus, [z] Chromatius, & Theophylactus, [†] Oecumenius, [a] Euthymius, [b] Plato, [c] Chœrilus, [d] Apollodorus, Clinias Pythagoricus à S. [e] Basilio prolatus, [f] Esseni, & [g] Philo contrarium docent: nam quum aiunt non jurandum omninò vel etiam in justâ caussâ; aut à juramento abstinere voluerunt, hanc eorum doctrinam vel hoc eorum factum interpretari debemus ut juramentum non sit in re modicâ, vel futurum incertum spectante, aut ad idololatriam, vel ad pravum exemplum vergente; sed tantum in negotiis necessariis magníque momenti, & quæ ad Dei honorem & salutem aliorum præcipuè pertineant, ut intelligimus ex S. [h] Jacobo, [i] Clemente Alexandrino, [k] Gratiano, [l] Philone, [m] Epicteto, [n] Isocrate, [o] Hierocle, atque [p] Eustathio: sic tamen ut juxta præclaras Solonis & [q] Philonis sententias *probitati ita studeamus ut ei magis quam juramento credatur, & veritati ita nos assuefaciamus ut verba pro juramentis accipiantur*; atque habeamus cum Clemente Alexandrino persuasum viri boni esse *fidem promissi ostendere in verborum ac vitæ stabilitate & constantiâ.* Jurare igitur licet eâ quam dixi ratione; sed fidem datam fallere & jusjurandum negligere nefas est ut nostro apparet Psalmo, nec non [r] Homero, [s] Hesiodo, [t] Herodoto, [u] Phocylide, [y] Euripide, [z] Aristotele, [&] Polybio, [*] Pausaniâ, [a] Cicerone, [b] Tibullo, [c] Juvenali, & [d] Philone. Si quis autem varias jurandi formulas nimirum per *salutem, genium*, aut *thronum* Principum; per *tactum ararum*, per *sceptri elevationem*, per *parentum timorem*, per *tactum cerei accensi ignem*, per *sydera*, per *mare*, per *terram*, per *lapidis jactum*, per *saxi in profundum projectionem*, & per alias res: si, inquam, varias hujusmodi jurandi formulas ab Hebræis, priscis Christianis, Æthiopibus, Arabibus, Persis, Græcis, Romanis, Carthaginensibus, aliisque populis usurpatas nosse velit adeat ad Gen XXIV. 2. XXXI. 53. XLII. 15. XLVII. 29. Deut. XXXII. 40. I. Reg. IX. 6. & IV. Reg. II. 2. Judith. I. 12. Jerem. IV. 2. II. Cor. XI. 31. Tertullianum, [e] Concilium Ephesinum, [g] Homerum, [h] Herodotum, [i] Platonem, [k] Aristotelem, [l] Sophoclem, [m] Xenophontem, [n] Teleclidem, [o] Polybium, [p] Plautum, [q] Demosthenem, [r] Ciceronem, [s] Virgilium, [t] Horatium, [u] Ovidium, [x] Diodorum Siculum, [y] Athenæum, [z] Livium, [&] Dionem Cassium, [†] Suetonium, [a] Æmilium Probum, [b] Solinum, [c] Plutarchum, Julium Pollucem, [e] Digestum, [f] Suidam, & Alexandrum ab Alexandro lib. V. c. 10.

ad usuram. Hinc intelligimus vetitam esse usuram: quod veteribus non solùm Judæis probatum est; sed etiam Ethnicis [g] Aristophani, [h] Oxylo, [i] Lycurgo, [k] Lucullo, [l] Platoni, [m] Aristoteli, [n] Agidi Lacædemoniorum regi, [o] Demostheni, [p] Plauto, [q] Catoni, [r] Ciceroni, [s] Horatio, [t] Lucano, [u] Plutarcho, [x] Indis, [y] Chiis, [z] Byzantiis, & [&] Germanis. Usuram quoque damnavit Christus apud Luc. VI. 35. Non me latet [*] Grotio post Casaubonum placuisse hunc B. Lucæ locum ad illud beneficii genus quod ἐρανισμὸς Græci vocant pertinere; & [†] Tertullianum ac B. [a] Hieronymum docuisse prædicta Christi lege

[a] Gen. XXII. 16. Psal. CIX. 5. [b] Gen. XXI. 25. [c] Gen. XLII. 15. [d] IV. Reg. II. 2. [e] Rom. I. 9. Gal. I. 20. [f] lib. X. Epist. 60. [g] Apolog. cap. 32. [h] Apol. ad Constant. paulo post initium. [i] to. 4. edit. Reg. Paris. 1644. p. 245. ubi Marcellinus secundùm allegationes partium se judicaturum jurat. vide & pag. 237. 334. [k] to. 3. p. 593. ubi Nestorio juramentum imponitur. [l] Cap. 2. [m] to. 29. p. 238. ubi Vvicleñanæ hæreseos articulus 41. tollens juramenta damnatur cum aliis. [*] Matth. V. 34. 37. [n] in Epist. Eccl. Smyrn. de Martyr. S. Polyc. n. 9. 10. [o] Hist. Eccl. l. VI. c. 5. [p] tract. 35. in Matth. [q] Serm. de pass. & cruce Domini tom. 1. [r] can. 4. in Matth. [s] lib. 1. Panarii quo loco contra Ossenos disputat. [t] Comment. in c. V. Matth. 17. Zach. Jer. & Com. in c. V. 37. Matth. [u] in Psal. 14. [x] in Psal. 118. [y] homil. 15. in Gen. hom. 9. in Act. Apost. homil. 8. ad pop. Antioch. lib. 1. adv. vitup. vitæ Monast. & lib. 1. de compunct. cordis. [z] in Matth. V. [&] in Matth. V. [†] in Marc. V. [a] Matth. V. [b] lib. X. de Legib. [c] apud Stob. serm. 27. [d] ibid. [e] ... de leg. lib. Gene.

[f] apud Joseph. de Bell. lib. 2. p. 78. [g] lib. de spec. leg. & de Decal. [h] c. V. 12. [i] Strom. VII. p. ... [k] in Decr. caus. 22. q. 1. [l] loc. cit. [m] apud Arrian. cap. 40. [n] ad Demonic. [o] Comment. in carm. aur. [p] ad illud Odyss. ξ. Ἀλλ' ... [q] libro de Decalogo. [r] Stromat. VII. p. 728. D. [s] Iliad. III. [t] in Theogonia & in Ergis lib. I. & lib. II. [u] lib. 6. post medium ubi de Glauco Epycedidis filio. [x] in poem. admonit. [y] circa finem Medeæ [z] lib. de mirab. auscult. p. 977. E. [&] sub fin. lib. 6. [*] in Eliac. & Messen. [a] lib. 3. de off. & pro Rosc. Com. [b] lib. 1. *Ah miser* &c. [c] Satyr. lib. 5. *Has patitur pœnas* &c. [d] lib. de Special. legib. [e] Apologet. cap. 32. & lib. ad Scap. [f] to. 5. p. 669. ubi de Zenone Chorepisc. Quatuordecim annorum, aliisque [g] Iliad. 3. & 19. & Odyss. 2. [h] lib. 3. ubi de Arabibus. [i] in Hipp. maj. Cratyl. & Tim. [k] lib. III. de Rep. cap. 14. p. 265. H. [l] in Antigone [m] in Oeconomicis [n] apud Athen. IX. 2. p. 3 ... [o] lib. ... [p] in fine Aulul. [q] Orat. in Conon. [r] pro Flacc. & pro L. Cornel. Balbo. [s] Æneid. lib. 4. & 12. [t] Od. 16. Epod. [u] lib. 2. Trist. [x] lib. 4. [y] lib. ... p. 158. & ibi Casaub. p. 283. [z] lib. 1. Decad. 3. [&] lib. 37. [†] in Caligul. c. 24. [a] in vita Hannibal. [b] cap. 15. [c] in vitis Solon. p. 92. & Dion. p. 982. [d] lib. 8. [e] l. 5. *non erit juratum* de jurejur. & l. 13. *Si duo patroni* par. fin. de jurejur. [f] in verbo ἐπὶ Βύρσης ἐκαθίζετο. [g] in Nubibus [h] apud Aristot. lib. VI. de Rep. c. 4. p. 285. C. [i] apud Plutarchum in Agide. p. 504. D. [k] apud Plutarc. in vita ejus p. 503. A. [l] lib. 5. de Legib. [m] de Rep. lib. 1. c. 10. [n] apud Plutarc. in vita eius. [o] 1. Olynth. [p] in Sren. 2. [q] de re rust. initio, & apud Livium IV. Decad. lib. 2. ubi dicitur: *Sardiniam*, &c. [r] pro Cœlio. [s] lib. 1. Satyr. 6. [t] lib. 1. [u] lib. non esse fœnerandum. [x] apud Ælianum var. hist. l. 4. c. 1. [y] apud Aristot. lib. 2. Oeconom. p. 3. [&] G [z] ibid. p. 389. E. [&] apud Tacitum de moribus German. [*] Comm. in Luc. VI. 35. [†] l. 4. advers. Marcion. c. 17. [a] Comm. in Ezech. XVIII. 8.

illud comparatum esse ut pecunia commodaretur nullâ restitutionis spe. Hæ, inquam, explicationes me non latent: sed, etsi alterutra admittatur & concedatur præfatum locum ad quæstionem fœnebrem propriè non spectare, ex eo tamen per consequentiam conficitur vetitam esse à Christo usuram: qui enim pecuniam nullâ compensationis aut restitutionis spe mutuam dari jubet, ille utique eandem etiam pecuniam sine usurâ dandam esse sancit. Christo succinunt antiqui Ecclesiæ magistri: auctorem non dico a Canonum Apostolicorum, aut b Laodicenos, c Nicenos, & d Afros Patres, horum enim decreta solos Ecclesiasticos petunt; sed e Lactantium dico, S. f Basilium, S. g Gregorium Nyssenum, S. h Ambrosium, S. i Chrysostomum, aliósque Ecclesiæ Doctores, ut & k Leonem primum hujus nominis Imperatorem qui Christianos omnes fœnore prohibuerunt: adducti non modò Sospitatoris, sed etiam Mosis lege Deut. XXIII. 19. aliisque in locis recitatâ, quæ, quum sit honesta moraliter, Christianos quoque, utpote ad majora virtutum specimina vocatos, obligat; & quidem strictiùs, sic ut quæ in Mosaicâ, cujus memini, lege officia viro Judæo præstari jubentur, ea à nobis cuilibet homini præstanda sint sublato per Evangelium omni populorum discrimine. Hanc doctrinam l Apollinaris Sidonius in Epistola ad Turnum non impugnat. Fateor doctum juxta ac sanctum Arvernorum Episcopum de usurâ centesimâ loqui ut de re, suo tempore, in Galliis licitâ; sed licitam, intelligit Imperatorum non Evangelii legibus: idque manifestè ostendit Sidonius ipse quum, de illâ differens usurâ, eam per bilustre productam tempus modum sortis ad duplum adduxisse ait. m Romanis enim legibus (sicut & iis quas Asianis à Lucullo & Ægyptiis à Boccboride impositas fuisse narrant n Plutarchus & o Diodorus Siculus) constitutum erat ut excurrentis suprà duplum summæ ratio non haberetur: unde fiebat ut usura centesima per decennium producta modum sortis ad duplum duntaxat adduceret apud Sidonium Cæsarearum legum callentissimum, & verba de illis facientem; quo nisi spectasset, usuram centesimam per bilustre productam tempus modum sortis ad duplum adduxisse perperàm dixisset. Plura si velis de fœnore, lege p Abulensem, q Carolum Molinæum, r Salmasium, s Grotium, t Samuelem Petitum, compluresque alios qui de usurâ fusè disputant; quósque, utpote notissimos, si indicavero meam operam luserim. Illud utiliter admonebo rejicienda esse quæ doctrinæ superiùs traditæ non consentient.

& munera, &c. pertinent hæc ad judices qui pecuniis & muneribus corrumpuntur, & quos u Cicero *nummarios* judices eleganter vocat; capitéque plecti vult x Plato; aliaque pœnâ afficiunt y Leges in Digestis, z Codice, & & Novellis memoratæ. Inprimis verò Psalmistæ menti consonat Lex Cincia de *donis & muneribus*: quâ illis, qui in munere publico constituti sunt, dona accipere interdicitur. Legis hujus * Cicero & Festus meminerunt: eámque, qui a Petronium Arbitrum leget, non solùm probabit; sed etiam fatebitur iniquam non fuisse pœnam corruptis pecuniâ judicibus inflictam, ut scilicet cutis eis detraheretur cui deinde alii judices supersedere cogerentur: cujus rei exemplum consuetudo Persarum exhibet; & quanquam de eâ subdubitet b Ammianus Marcellinus, ab c Herodoto tamen & d Diodoro Siculo comprobatur, ita ut de illâ ambigi non debeat.

7 *Qui facit hæc non movebitur in æternum.*

Qui facit hæc, perpetuâ utetur felicitate: *atque adeò dignus erit qui in sacro Dei monte versetur.*

non movebitur. sup. è *tabernaculo Dei* juxta quosdam; sed hoc tantùm per concomitantiam habet locum: nam observasse videor ex Psal. IX. 26. XXIX. 7. CXI. 6. non commoveri idem esse ac prosperitate uti: quæ significatio eò magis heic est admittenda quod propositæ in principio Psalmi quæstioni respondet, quum major felicitas homini contingere nequeat quàm si dignus evadat qui in templo Dei habitet.



a can 44.
b can 5.
c can 17.
d in Concil. Carth. 3. can. 16.
e lib 6 Instit.
f in Psal. 14.
g orat. contr. Usur.
h lib. de Tobia cap. 3. 4. 5. 9. 10. 12. 13. 14. &c.
i in Psalmum 14. in Catena Græc.
k apud Harmenopulum.
l lib. IV. Epist 24.
m leg. 26. ff de condict. indeb. & leg. 4. ff de fœnore naut.
n in vita Luculli pag. 504. D.
o lib II. cap. 3.
p in cap. 25. Matth. q 171. & 172.
q de contr. usur.
r de fœn. trap
s Comment. in Luc. VI. 35. & lib. 2. de Jure pacis & belli.
t in Leges Atticas pag. 401. & seq.
u lib. I. ad Attic. epist. 13.
x lib. 12. de Legib
y leg. *si quis aliquid* parag *judices pedanei* ff de pœnis.
z leg *omnes cognitores* & seq. ad leg. *Jul. repet.*
& Novell. 8.
* lib. 2. de Orat. & lib. 1. ad Attic. epist. fin.
a ubi ait: *Quid faciant leges &c.*
b lib. 23. sub fin.
c lib. 2. ubi refert exemplum in Sisamnem à Cambyse editum.
d lib. 15. ubi memorat exemplum trium judicum quibus Artaxerxes Tribazi præfecti ab Oriente delati causam commiserat judicandam,

ARGVMENTVM.

PSALMI DECIMI QUINTI.

CHRISTIANORUM interpretum nonnulli credidere Davidem de suâ in regiam dignitatem erectione gaudentem & suas in Deo spes collocantem primario sensu heic respici. Sententiam hanc Christianis, qui B. Petri verba in Apostolicis Actis relata non ignorabant, hominibus probari potuisse semper miratus sum: ea enim Psalmum Davidi aptari non posse aliquidò asseverant. *Viri Israelitæ*, inquit B. * Petrus, *audite verba hæc. Jesum Nazarenum virum approbatum in vobis, virtutibus & prodigiis & signis quæ fecit Deus per illum in medio vestri sicut & vos scitis: hunc definito consilio & præscientiâ Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis. Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. David enim dicit in eum.* PROVIDEBAM DOMINUM IN CONSPECTU MEO SEMPER QUONIAM A DEXTRIS EST MIHI NE COMMOVEAR. PROPTER HOC LÆTATUM EST COR MEUM ET EXULTAVIT LINGUA MEA, INSUPER ET CARO MEA REQUIESCET IN SPE. QUONIAM NON DERELINQUES ANIMAM MEAM IN INFERNO; NEC DABIS SANCTUM TUUM VIDERE CORRUPTIONEM. NOTAS MIHI FECISTI VIAS VITÆ, ET REPLEBIS ME JUCUNDITATE CUM FACIE TUA. *Viri fratres liceat audenter dicere ad vos de Patriarchâ David quoniam defunctus est & sepultus, & sepulchrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem. Propheta igitur quum esset & sciret quia jurejurando jurasset illi Deus* DE FRUCTU LUMBI EJUS

* Act. II. 22. & seq.

a Psal. CXXXII.

SEDERE SUPER SEDEM Ejus, *providens loquutus est de resurrectione Christi quia* NEQUE DERELICTUS EST IN INFERNO NEQUE CARO Ejus VIDIT CORRUPTIONEM. Ex his verbis perspicuum est Apostolorum principem in eâ fuisse opinione Psalmum Davidi accommodari non posse: atque hæc opinio eò magis est comprobanda quòd universa Psalmi series ei faveat, ut ex Paraphrasi liquebit; nec ullo modo Psalmum de Davide exponi patiatur. Petita in versu primo conservatio periculum arguit, quum eam Psalmographus rogare non soleat nisi quando in discrimine versatur: at David, regno opinio potitus & de eo gaudens sibíque præclaram regni hujus hæreditatem adepto gratulans, caussam non habebat idoneam cur de periculo verba tunc faceret adeóque conservationem postularet, etiamsi multi labores superessent exantlandi. Sed præsertim justa ei non suberat caussa cur versu 4. diceret eorum, quos habere cœperat charissimos, infirmitates multiplicatas fuisse: illi enim amici Idolis antea non servierant, quod tamen * supponit versus sequens. Dices fortasse cum Cornelio Jansenio *illud* EORUM *non referri ad vocem sanctis; sed ad impios: de quibus etsi non facta sit prius expressa mentio, tamen in sequenti versu satis insinuatur. Nam etiam apud Hebræos relativum sine expresso antecedente nonnunquam ponitur, ut patet in principio Psalmi 86. fundamenta ejus in montibus sanctis;* vel cum aliis totum versum sic explanabis: *multiplicantur dolores eorum qui ad alium festinant* qd. sanctos qui sunt in terrâ amplector atque amo quia eorum, qui ad Deos alienos festinant hoc est Idola colunt, dolores multiplicantur idest miseri sunt & ærumnosi; aut cum Muisio ita interpretaberis: *multiplicantur Idola eorum qui ad alium festinant*, ut sensus sit. Qui te Deum non agnoscunt,

* juxta communionem sententiam. Nā probabilis nullatenus est ista Kimchii explicatio. *Adhærebo sanctis & fortibus; & multiplicabuntur dolores illorum hominum qui festinant ad alios homines ut ambulent in viis aliis quæ non sunt viæ Dei. Absit à me ut libem libamina eorum quæ sunt de sanguine qd. eorum libamina non sunt vinum; sed sanguis seu rapina*, &c.

nullum unquam certum Deum habituri sunt sed infinitos Deos pro suâ libidine semper effingent. Verùm adversus omnes illas explicationes primùm oppono intempestivam esse Idolorum mentionem, si Psalmus de Davide exponatur. Etsi enim cæteræ Gentes Idololatrico cultui tunc essent addictæ, ab eo tamen Judæi omnes tantopere abhorrebant ut verisimile non sit Davidem, eo nomine, gloriam quærere voluisse. Deinde, ut singulatim unamquamque explicationem evertam, doctissimo Gandavensium præsuli concedo relativum sine expresso antecedente nonnunquam poni; sed hoc ita contingit quando nullum ejusdem numeri antecedens præcessit ut in exemplo Psalmi 86. Quum verò antecedens hujusmodi præcessit ut in nostro Psalmo, ad illud relativa vox sive proximè sive remotè semper refertur: unde Janseniana corruit solutio; quæ etiam ob duplex, ídque minùs usitatum quod petit, additamentum *eorum* & *qui* fidem, apud æquos æstimatores, vix invenire potest. Secunda explicatio admitti non debet: tria namque vocabula, nempe *quia*, *qui*, *ad*, textui addit, cujus multifariæ additionis nullum in toto Bibliorum corpore exemplum repetiri potest. Eò accedit quòd juxta præfatam explicationem Psalmographus noster ineptè ratiocinatur: quum enim minimè consectarium sit Idola coli ab eo qui pios singulari amore non complectitur, insulsa est ista sententia: omnis voluntas mea in sanctos seu pios propendet quia iis, qui Idola reverentur, multiplices dolores inuruntur. Denique Muisii explanatio disjunctum omninò sensum conflat: etenim nullus in istis prædicti Auctoris verbis nexus invenitur: *Sanctos solùm amplector, ab his exemplum capio. Qui te Deum non agnoscunt, nullum unquam certum Deum habituri sunt.*

Verùm primus non ſolùm ac quartus verſus cum eâ, quæ Pſalmum de Davide interpretatur, opinione pugnant; ſed & undecimus ejuſdem Pſalmi verſiculus cum eâ conſtare nequit. Ait verſus ille *quia non derelinques animam meam in ſepulchro*: at David in ſepulchro relictus eſt ut optimè annotabat S. Petrus, ergo dictus jam verſus Davidi accommodari non poteſt. Ad hæc illa *ſepulchri* mentio à Davide feſtivum imperii ſui diem celebrante alienâ prorſus eſt, unde ei perperàm aptatur. Ambas, quæ poſtremo loco à me propoſitæ ſunt, difficultates fortaſſe vidit Grotius; ſaltem ad Davidem, non de adepto poſt Saulis mortem regno exultantem; ſed Iſraelitico, dum Saul viveret, imperio deſtinatum & maximis calamitatibus vexatum Pſalmus ab iſto traductus eſt Auctore ita ad verſus 5. 6. 10. 11. ſcribente. *Regnum mihi obtigit in quo verus ille Deus colitur, optima terra mihi velut ſorte obtigit: &, quanquam undique opprimor à Saule, tamen certus ſum, ex promiſſione regni mihi factâ, non fore ei poteſtatem me interficiendi: gaudebo fretus auxilio tuo uſque ad finem vitæ, nempe ubi in regno ero collocatus.* Sed illa explicatio admitti non debet utpote quæ cum B. Petro, ipſiúſque Pſalmi & ſerie & textu pugnet. Cum B. Petro pugnat quia Pſalmum Davidi aptat, & B. Petrus eum cum Davide nullatenus congruere liquidò oſtendit. Cum ſerie itidem pugnat: quæ enim in quarto verſu, exſtat Idolorum mentio à Davidicis temporibus omninò aliena videtur, ut ſuprà annotavi. Deinde nulla Davidi neceſſitas erat optimam terram verſu 6. commemorandi quum eam non poſſidebat, ſed innumeris miſeriis circumcludebatur. Denique Grotii explicatio textui adverſatur: is enim verſ. 10. virum non canit à morte liberandum, ſed potius morte afficiendum & ſepulchro mandandum, poſteáque

que ab illa morte revocandum & in ſepulchro illo non derelinquendum ; Grotii autem explanatio contrarium ſtatuit : unde à nobis eſt explodenda, ferè ut impia meritóque in Concilio Quinto damnata Theodori Mopſueſteni vox * quæ Pſalmum non ad Chriſtum ſed ad Iſraeliticum populum ſpectare dicebat ; aſſerebátque eundem Pſalmum ab Apoſtolis Chriſto, pro re natâ, aptatum fuiſſe verbis in res fortuitò non conſultò congruentibus. Cæterùm quando neque in Davidem neque in Iſraelitas quadrat Pſalmus : illéque, ut noſtrâ paraphraſi planum erit, Chriſto mirificè convenit, ei eſt accommodandus cum omnibus Eccleſiæ magiſtris, nominatim cum Euſebio cujus verba digna ſunt quæ heic proferantur. *Ipſi David inſcriptus eſt Pſalmus ; vel juxta reliquos interpretes ipſius David. Pſalmum verò appellavit conſuetudine abuſus : nam ſi quis accuratè conſideret, Pſalmum minimè dixerit quum ne hoc quidem prænotatio indicet. Verùm eſt* STILOGRAPHIA *quæ continet admirandam prophetiam tanquam in columnâ inciſam & perpetuâ ſcripturâ dignam. Quòd verò quæ prophetiâ continentur ab ipſo David expreſſa ſunt, cuilibet erit manifeſtum. Quærenti verò mihi ad quem verba hæc referenda ſint, fide dignus mihi magiſter eſſe poteſt Petrus Apoſtolus : qui, in Actis Apoſtolorum, mentionem facit eorum quæ in ipſa dicuntur. Nam quum quæ in hoc Pſalmo afferuntur ad populum percurreret, & ea de Salvatore dicta fuiſſe oſtendiſſet, deinceps infert, & inquit.* VIRI FRATRES LICET AUDENTER VOBIS LOQUI DE PATRIARCHA DAVID, &c. *Quæ quum ita ſint ſupervacaneum erit quærere ad quemnam referenda ſit prophetia, tam locuplete præſertim teſte docente Cæterùm, juxta Septuaginta, Prophetia dicta eſt* STYLOGRAPHIA *eò quòd Salvatoris victoriam contra*

* vide Collat. IV. n. 21.

mortem per ejus resurrectionem à mortuis comparatam contineat: nam quemadmodum maxima & admiranda in stadiis decertantium certamina digna sunt ut in columnis incidantur; & in bello præclarè se gerentibus ad futuram memoriam trophæa eriguntur ab hostibus erepta: sic ingens Salvatoris trophæum, quod erexit quum eum, qui mortis imperium habebat, destruxisset, jam pridem à Prophetarum temporibus eorum scriptis cælatum est; ideò stylographiæ nomine insignitum est. Quod ait Eusebius de Prophetiâ incisâ in columna eò probandum est magis, quòd in Oriente inveteraverat jam Jobi temporibus ut res insignes columnis mandarentur, ut apparet Job XIX. 24. qui mos ab aliis etiam populis usurpatus fuit, quemadmodum apud Manethonem à [a] Georgio Syncello productum, nec non apud Ammianum Marcellinum videre est. Addit Eusebius Psalmum nostrum ex personâ Salvatoris, ídque secundùm humanitatem dictatum esse. Verè hoc dictum: &, nisi mea me fallit conjectura, Christus humanam personam sustinens & in Limbo degens hunc cecinit Psalmum: in quo Patrem. 1° obsecrabat ut se pro eâ quam erga homines, illos ab Idolorum cultu revocando, testatus fuerat voluntate integrum incoluméque servaret; nec corpus suum in sepulchro derelinqui pateretur; sed illud à morte ad vitam quamprimùm excitaret. 2° divinâ ope confisus & bonam de eâ spem habens, resurrectionem suam & perpetuam, quâ donandus erat, felicitatem prædicabat.

a Chronogr. pag. 46.
b lib. 22.



TITULUS.

Tituli inscriptio ipsi David.

PSALMUS XV.

1 *Conserva me Domine quoniam speravi in te.*

2 *Dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

3 *Sanctis, qui sunt in terrâ ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis.*

PARAPHRASIS.

ME in te sperantem conserva Domine *solvendo me nexibus sepulchri.*

Confiteor, Domine, te meum esse Deum, quippe qui bonorum meorum non egeas; *adeòque tibi nil indigo rependi à me non posse quicquam quo conservationem illam excipiam.*

Sed, etsi parem pro conservationis beneficio gratiam referre Deo non possim, miro *saltem ille* me inflammavit amore in sanctos *piósque homines* qui in terrâ ejus versantur; *unde hoc nomine petitam à me conservationem impetratum iri spero.*

ANNOTATIONES.

tituli inscriptio. Hebræi legunt מכתם; illâque voce præstantissimum & quasi *aureum* Psalmum denotari putant plerique: alii autem existimant eâdem voce indicari instrumentum musicum; cæteri denique arbitrantur prædictam vocem fuisse initium vulgaris cantilenæ ad cujus numeros Psalmus iste accommodatus fuerit. LXX. Senes pro מכתם *aureo* legerunt מכתב id est *rem scripturâ dignam* seu in columnâ inscribendam. Senum nostrorum lectionem hodiernæ antepono cùm propter eorum auctoritatem, tum ob annotatum in argumento morem exarandarum in columnis insignium rerum: qualis profectò fuit salutifera Christi Domini incarnatio & admiranda ipsius resurrectio quæ in præclaro isto Psalmo celebrantur. Codex Regius 138. Titulum sic repræsentat: *in tituli inscriptione ipsi David.* In codice Colbertino 158. præfatus titulus ita concipitur: *tituli scriptione ipsi David. vox Ecclesiæ.* Regius autem Codex 2603. habet solùm ψαλμὸς τῷ Δαβὶδ *Psalmus Davidi.* B. Hieronymus aut alter de nostro differens titulo hæc scribit. *Tituli inscriptio in tumulis & in sepulchris est, qua mortuorum corpora tenent Pro quo, Aquila & Symmachus, humilem & simplicem immaculatúmque posuerunt, significantes Psalmum ad Christum propriè pertinere, dicentem: discite à me quia mitis sum & humilis corde, & mansuetus. Psalmus, ut diximus, regis nostri vocem. quam in assumto homine profert, sine diminutione retinet Deitatis missam à patre. David id est Christus. Iste Psalmus ad passionem pertinet. Tres sunt tituli, qui scribuntur: unus super tumulos mortuorum. alius in liminibus civitatis vel domorum, tertius in victoriâ regis. Hic ergo de titulo victoria regis dicit, sicut iste rex fuit, hoc est Christus: & fuit scriptum super caput ejus, in Pascha post victoriam id est post victum Diabolum redemto humano genere. tribus linguis: id est Græcè, Hebraicè, & Latinè. Unde & Pilatus dixit quod scripsi scripsi; & posuit super caput ipsius causam Christi: hic est rex Judæorum.*

conserva me. Theodoritus: [illegible], &c. *dictus est Psalmus secundùm humanitatem... Ergo ut conservetur postulat, & à seipso conservatur: postulat enim ut homo; petitionem verò*

concedit ut Deus. Quæ sit autem illa, quam Christus poscit, conservatio docet B. a Petrus quum ait: *solutis doloribus inferni juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo*: quibus verbis apparet Christum petiisse *ut inferni doloribus solveretur*, hoc est ut ea, in quibus versantur qui in sepulchro jacent, pericula non ingrederetur: nimirum ut diu in eo non maneret, adeóque corruptioni non esset obnoxius. Hæc sunt pericula in quæ mortui adducuntur, & quæ à se propulsari obsecrat Christus. *Dolores inferni* sunt nexus seu funes & pericula sepulchri. Confer Psal. XVII. 6. 7. & observa vocem nostram *me* dici ratione corporis.

a Act. II. 24.

dixi. hodierna Hebræorum codicum lectio depravata est: habet enim אמרת *dixisti*: quod absurdum efficit sensum; quem nec satis purgant suppletæ à Chaldæo, Rasi, Aben-Ezra, Kimchio, aliísque voces istæ *ò anima mea*. LXX. legerunt אמרתי *dixi* pro אמרת *dixisti*. Quæ verò Hebræos Codices hodie deformat macula, aspersa illis videtur post sancti Hieronymi tempus: nam eximius ille Doctor vertit ex Hebræo *dixi*.

Domine S. Athanasius: *Dominum patrem appellat, quòd in formâ servi esset.* Personam porrò mutat Vares: sed quia hæc mutatio, utcunque Hebræis auctoribus probata & in eorum idiomate venusta, ab usu nostro heic & alibi ferè abhorret, ad eam me non conformo, & ab illâ multoties recedam.

quoniam bonorum meorum non eges. LXX. Senes obscura Hebræi textus verba טובתי בל עליך *bonum meum non super te* mirum in modum suâ illustrarunt versione: quæ Symmachianæ à Theodorito memoratæ interpretationi *bonum mihi non est sine te* præponenda est, ut & reliquis omnibus quæ afferuntur. Divinam autem sufficientiam à Davide celebratam canunt b Plato, c Aristoteles, d Lucretius, & e Plotinus: & de illâ ejúsque appendicibus disserunt S. f Hilarius, S. g Gregorius Nyssenus, S. h Fulgentius, i Philo, k Alcinous, l Proclus, & m Maimonides, præter laudatum n Platonem. S. Athanasius per nomen *bonorum* intelligit *sacrificia*, Theodoritus *justitiam*.

b In Euryphrone.
c Moral. Eud. cap 12.
d lib. I.
e Enn. V. lib. IV. c. 1. Enn. VI. lib. IX. c. c. 6.
f in Psal. 2.
g tract. 2. in Psal. cap. 4.
h Epist. 6. ad Theod. cap. 4.
i lib: de nom. mutat.
k lib. de Doctr. Plat. cap. 10.
l comment. in Remp. Plat. pag 357. 358.
m lib. I. More nebokim cap. 55.
n lib. II. de Repub. p. 378. & apud Euseb. de Præp. lib. XIII. c. 3.

sanctis qui sunt, &c. corruptus heic est Hebræus textus in quo hæc leguntur verba לקדושים אשר בארץ המה ואדירי כל חפצי בם *sanctis qui in terra ipsi* (sunt) *& inclytis* (seu fortibus) *omnis voluntas mea in eis.* Corruptionem arguit non sententiæ insulsitas; sed linguæ Hebraicæ Grammatica quæ vix finit ut vox ואדירי tanto intervallo distet à dictione לקדושים; quæque prædictam vocem ואדירי utpote in regimine non positam respuit. Nec obstant allata à Kimchio loca III. Reg. VI. 4. Is. XVII. 10. LXX. Senes legisse videntur לקדושים אשר בארצו המה האדיר כל חפצי בם id est *sanctis qui* (sunt ipsi) *in terrâ ejus mirificavit omnes voluntates meas in eis.* S. Augustinus legit *mirificavi* pro *mirificavit*; Eusebius autem ac Theodoritus legunt *ejus* pro *meas*. Utraque lectio vitiosa est. Cæterùm voce *sanctis* Pagani ab Idololatriâ ad Christianam fidem conversi denotantur: & sic priscos Christianos vocatos fuisse scimus. Qui autem à Christo, ut conservationem impetret, isto in versu & sequenti habetur sermo huic, quamvis aliâ occasione prolato, respondet sermoni. *Ego te clarificavi super terram: opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam. & nunc clarifica me Pater... manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo*, &c. Joh. XVII. 4. 5. 6.

in terra ejus. S. Hieronymus *terram* exponit de Ecclesiâ. Mundum ego intelligo qui rectè appellatur *terra ejus*: dicente Davide Psal. XXIII. 1. *Domini est terra & plenitudo ejus.*

4 *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, posteà acceleraverunt.*

Hujus porrò mei * *in Sanctos amoris specimina hæc sunt.* Multiplicatæ erant infirmitates eorum *variisque peccatorum laborabant morbis: quibus præpediti in viâ mandatorum Dei ambulare nequibant; sed*, postea *per Evangelium meum sanati, præfatam viam* celeri cursu confecerunt.

* *multiplicatæ sunt.* Hebræorum plerique: *multiplicabuntur dolores eorum* (qui) *post alium*

(Deũ) *festinant*. Hanc interpretationem in argumento evertimus. Symmachus, teste Theodoro Antiocheno, verterat : *multiplicata sunt idola eorum & retrorsum acceleraverunt*. Explicat Vates admirandum Dominicæ incarnationis effectum quo ii, qui antea ob peccatorum, maximè Idololatriæ, vulnera infirmi erant, ad fidem advolarunt. Id quidem, vivente Christo, factum non fuit ; neque divinus ille Sospitator Ethnicis Evangelium prædicavit : sed quia quæ Paganis oritura erat lux à Dominicâ incarnatione ortum ducebat & præcipuus ejus effectus erat, Ethnicorum conversionem Christus statim post mortem memorare potuit : præsertim quum prophetico more loqueretur, & in instituto Prophetarum positum sit ut res futuræ, tanquam præteritæ describantur ob earum certitudinem. Eusebius : *Arbitror autem per eos* (sanctos) *veterem omnem Idololatrarum statum significari : in quo quum impii essent ac Idololatræ non in unum tantùm errorem inciderunt* (*varius enim & multiplex illis multorum Deorum & Idololatriæ & infirmitatis error inerat*) *sed quum ab illis Salvatoris gratiâ se avertissent, sancti Dei facti sunt. Hac de causa dictum est :* SANCTIS QUI SUNT IN TERRA EJUS MIRIFICAVIT OMNES VOLUNTATES EJUS IN EIS : *& quoniam additum est* MULTIPLICATÆ SUNT, *idola, ærumnas, aut etiam infirmitates illorum intellige. Hæc enim omnia illis acciderunt, qui paulò post facti sunt sancti, antequam à profano cultu ad veram Dei religionem converterentur ; sed postea acceleraverunt, nihil cunctantes, nullâ interpositâ morâ : sed pœnitentiam celeriter præferentes, post impetratam à Deo gratiam, quâ omnes Salvatoris voluntates mirabiles in ipsis apparuerunt. Unde priorum delictorum remissionem illis impertitus* NON CONGREGABO, *inquit*, CONVENTICULA EORUM DE SANGUINIBUS, &c.

5 *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus : nec memor ero nominum eorum per labia mea.*

Nimirum cœtus eorum non convocavi ut sanguinem humanum *Idolis* litarent ; nec talium *conversuum* memoriam labiis meis usurpavi *unquam*.

non congregabo. fut. pro præt. ut alibi sæpe. Christus caussam affert cur Sancti hoc est Christiani multiplicibus, antequam Evangelicam fidem susciperent, morbis tentati viam Domini celeriter confecerint ; docetque id ita contigisse ob abjectum Idolorum cultum à quo infirmi illi homines revocati Dominica præcepta celeriter adimplere cœperint. Porrò Idololatriam unico ; sed detestabili, quod instar omnium sit, designat exemplo litandi falsis Diis humani sanguinis. Quæ execranda consuetudo totum fermè orbem occupaverat : ut, præter Ecclesiæ magistros [a] Tertullianum, [b] Clementem Alexandrinum, [c] Origenem, [d] Minucium Felicem, [e] Auctores Quæst. & Resp. ad Orth. [f] Lactantium, Cyrillum Alexandrinum, & [h] Theodoritum, testantur ipsi Ethnici. [i] Sanchuniato, referente [k] Porphyrio, multa immolatorum Saturno hominum exempla adduxit. [l] Istrus, eodem narrante [m] Porphyrio, tradit pueros olim Saturno immolari à Curetibus solitos fuisse. [n] Pallas, apud dictum jam [o] Porphyrium, narrat solemnia passim apud omnes fermè populos hominum sacrificia Hadriano imperante funditus exterminata esse. Græcos passim universos, antequam in hostem moverent, humano sanguine litavisse refert Philarchus apud eundem [p] Porphyrium : [q] qui Carthaginenses, Dumatios Arabiæ populos, Thracas, Scythas, atque Athenienses prædicto sacrificio utentes non solùm memorat ; sed etiam magnâ in urbe hominem circa Jovis Latiaris ferias suâ adhuc ætate mactatum fuisse prodit. Abominandæ immolandorum hominum consuetudinis alia testimonia suppeditant [r] Plato, [s] Asclepiades Myrleanus, [t] Parthenius, [u] Strabo, [x] Cæsar, [y] Cicero, [z] Diodorus Siculus, & Athenæus, * Pausanias, [a] Dionysius Halicarnassensis, [b] Plinius, [c] Suetonius, [d] Pomponius Mela, [e] Silius Italicus, [f] Lucanus, [g] Justinus, [h] Plutarchus, aliíque non pauci : ita ut de nefariâ mactandorum hominum ambigi non possit consuetudine, cujus abrogationem Christo acceptam meritò refert Vates noster : cui succineus [i] Eusebius egregiè ait, πῶς ὐκ εὐλόγως, &c. *Quidni tandem jure meritòque concludas illos tum populos* (humanis hostiis Idola placantes) *improbis omnes Dæmonibus mancipatos fuisse ; nec ante genus humanum tantorum acerbitate*

a in Apologet cap. 8.
b in Protrept. p. 27.
c lib. 5. contr. Cels.
d in Octavio.
e quæst. 126.
f Instiut. divin. lib. I. c. 21.
g lib. 6. contr. Julian.
h serm. 7. contr Græc.
i in hist. Phœnic.
k de Abstin. animal. apud Euseb. Præp. lib. IV. c. 16.
l lib. de Cretensium Sacrificiis.
m loc. cit.
n in collect. de Mithræ mysteriis.
o loc. cit.
p loc. cit.
q Ibid
r in Minoe & lib. 8. de Repub.
s in Bithynicis citatus.
t in Eroticis citatus.
u lib. 4. ubi de Druidibus.
x de bello Gall. lib. 6.
y pro Fonteio & lib. I. Tusc.
z lib. 20. Biblioth.
& lib. 4. ubi de Ægyptiis.
* in Arcad. Messen. Eliac. Achaic. & Bœot.
a lib. I.
b lib 30. cap. 1.
c in Claudio.
d lib III. cap. 2.
e lib. 4.
f lib. I ubi de Druidib.
g lib. 18.
h in Sympos & lib. de serâ Num. vind.
i Præpar. Evang. lib. IV. cap. 17. pag. 164. C. D.

malorum vexari desiisse quàm Servatoris nostri doctrina passim illuxisset. Nam illa quidem ad imperium Adriani viguisse; ac sublata deinceps fuisse constat ex historiâ, quo nimirum tempore salutaris hujus doctrinæ vis apud omnes jam latè populos gentésque regnaret. Cæterùm vocem דם pro cæde humanâ sumtam invenies Psal. L. 15. Hebræa lectio hodierna habet בל אסיך נסכיהם מדם: id est, interprete B. Hieronymo & Rabbinis, *non libabo libamina eorum de sanguine.* Hanc inter versionem & nostram ista à Bellarmino constituitur concordia. *Ex Hebræo*, inquit doctissimus Cardinalis, *vertunt communiter* NON LIBABO LIBAMINA EORUM DE SANGUINE: *& verè verbum* נסך NASAC *significat libare & fundere; sed significat etiam tegere & operire: & quia quæ teguntur congregantur ut tegi possint, credibile est idem verbum significare etiam congregare. Sententia verò est eadem: nam quia ad sacrificia celebranda cœtus congregari solent, ideò perinde est si dicatur, non libabo libamina eorum de sanguine: id est non placebunt mihi sacrificia eorum quæ sanguinis effusione constant; & non congregabo conventicula eorum de sanguinibus, id est non placebunt mihi congregationes eorum ad sacrificia cruenta celebranda: proinde non ego illas congregabo, non ero auctor ut ejusmodi cœtus fiant.* Eruditissimi & de Catholicâ fide bene meriti Cardinalis concordiam probare vix possum, mihíque versionem nostram & locum Eccles. II. 26. attendenti verisimilius videtur ut LXX. Senes legerint בל אסיף נכסיהם מדם id est *non congregabo conventicula eorum de sanguine* pro בל אסיך נסכיהם מדם *non libabo libamina eorum de sanguine*: quam lectionem nostræ postponet quisquis ad rem, de quâ heic agitur, attentos animos adhibuerit. Infirmorum festinationis caussam aperire vult Vates, ac docere undenam factum fuerit ut, qui infirmi anteà erant, homines accelerare cœperint. Id verò his verbis *non libabo libamina eorum* minimè explicat: siquidem pietas hæc in adorando Sospitatore sic inclusa ægrotos illos ad salutem non reducebat; sed in eos, ut ipsis mederetur, permanatura erat, illísque tanquam salutare remedium à Christo adhibenda. Quod nostrâ optimè exprimitur versione: quæ innuit Ethnicos, qui antea ad offerendum humanum sanguinem conveniebant, congregatos à Christo fuisse, & à nefariis his sacrificiis aversos, atque ita suis è morbis recreatos: dissipatâ nimirum Idololatriâ quæ morbos illos pepererat; quæque exsecrandis hominum sacrificiis, tanquam parte magis horrendâ, synecdochicè denotatur. Qui versum nostrum ad abrogata Judæorum sacrificia referunt, mihi non probantur tum quia præcipua Dominicæ incarnationis laus in hac abrogatione non est posita; tum quia prædicta sacrificia non impediebant quominùs Judæi viam mandatorum Dei celeriter conficerent: dicente Davide Psal. CXVIII. 32. *viam mandatorum tuorum cucurri.*

6 *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei; tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.*

Sic autem me gessi hominésque ab Idololatriâ revocavi quia Dominus pars mea erat hæreditaria, ac portio quæ mihi hæreditate venerat; *& à quâ proinde abire non debebam:* túque *etiamnum* es, *Domine*, qui hæreditatem *hanc* meam *(quam ignominiosâ morte amisisse videor)* restitues mihi *ab inferis me excitans; atque ita palàm ostendens me tui esse possessorem.*

Dominus pars, &c. Rectè Theodoritus: *ἀνθρωπίνως* &c. *secundùm hominum dicit* DOMINUS PARS HÆREDITATIS MEÆ. Illâ porrò *hæreditate* Gentes, & *calice* mortem intelligit B. Athanasius. Sancto Hieronymo *hæreditas* est Ecclesia: quam etiam *calice* designari putat S. Cyrillus Alexandrinus. Theodoritus *hæreditatem* de regno gentium, & *calicem* de morte exponit; sed, pace tantorum Doctorum, dixerim explanationes illas Psalteriano minùs

bene respondere textui, qui apertissimè declarat *hæreditatem* & *calicem* nihil esse aliud quàm Deum. Solita autem repetitio his vocibus *hæreditatis* & *calicis* inest, quod non ignoravit S Cyrillus: quippe qui dixerit *calicem* appellari traditam à Patre hæreditatem; neque id mirabitur qui meminerit *calicem* in eandem Psalmo X. 7. accipi sententiam, quæ respicit ad veterem Hebræorum morem, in quo positum erat ut præcipua conviviorum pars esset calix qui convivis in orbem dabatur, ut colligere est ex Psal. CXV. 4 Matth. XXVI. 27. Luc. XXII. 17. Quòd autem loquutionem istam *Dominus pars hæreditatis meæ* spectat, vide Num. XVIII. 20. & beatum audi Augustinum ita, ad hunc textum *Dominus pars hæreditatis meæ*, scribentem: *possideat te ut possideas illum: eris prædium ipsius, eris domus ipsius. Possidet ut prosit, possidetur ut prosit* Cætera bujus loci verba adducit Corderius: qui, paulo antè, cum Jansenio intelligit *Dominum dici partem hæreditatis, quòd ipse sit portio hæreditaria justis: partem item calicis, quòd ipse sit veluti attributa justis portio, quâ illis datum est frui & sese oblectare, quomodo suprà dixit ignem & sulphur esse partem calicis impiorum. Calicis enim nomine, secundùm Hebraicam phrasim, designatur quicquid alicui ferendum, sentiendum, hauriendum & possidendum obtigit.*

qui restitues. &c. Rabbini legunt תומיך גורלי *sustentans sortem meam*; sed ea lectio grammaticalibus regulis, iisque à verbo תמך alibi servatis, contraria est: nam participium *Kal*, in quo verbum תומיך à Rabbinis collocatur, in *tseré* non in *chirich gadol* desinit: ita ut dicatur non *tomic* sed *tomec*. Deinde ipsummet, de quo heic agitur, verbum effertur *tomec* apud Amos. I. 5. 8. Unde suspicari licet nostro תומיך insitam esse maculam, quam, prælucentibus LXX. Senibus & Daniele XII. 13. sic eluo: תעמיד גורלי *stare facies*, hoc est collapsam restitues *sortem* seu *hæreditatem meam* pro תומיך גורלי. Ita porrò loquitur Christus, quia Judæorum plerique, cœcâ acti rabie & ignominiosam, quam obierat, mortem attendentes, autumabant ipsum nefariam cum Dæmonibus societatem iniisse, nec ullam eum inter & Deum communionem esse: quod Christum impellit ut dicat *tu es qui restitues hæreditatem meam mihi*.

7 *Funes ceciderunt mihi in præclaris; etenim hæreditas mea præclara est mihi*:

Certè, quum Deus sit fundus meus hæreditarius, funes *(qui hunc mihi fundum descripsere)* pulchrum mihi locum assignarunt, & præclara mihi hæreditas obvenit:

8 *Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum, insuper & usque ad noctem increpuerunt me renes mei.*

Dominúm*que* laudabo qui mihi, *ut optimam hanc hæreditatem eligerem*, intellectum tribuit: *sic ut ad hanc* usque *mortis meæ* noctem erudiat me animus meus *suadens ut præclaræ hujus hæreditatis restitutionem expetam.*

funes. alludit ad priscum Israelitarum morem quo agrariæ hæreditates funibus dividebantur, & cujus luculenta supersunt vestigia apud Jos. XVII. 5. Amos. VII. 17. Zach. II. 1. 2. Quod Theodoritus non advertens, *funes* insidias minùs benè interpretatur. Doctiùs ille, cujus explicatio in Catenâ Corderianâ affertur, Anonymus: σύμβολον &c. *Funis symbolum est mensura ac sortis seu hæreditatis. Modò autem hoc dicendo, declarat sibi præclarissimam hæreditatis partem obtigisse, sortémque in bonum cecidisse.* Nec minùs eruditè Didymus in Catenâ à Daniele Barbaro versâ: *funis est mensura ac termini symbolum. terra scilicet sensibilis à Jesu Nave Hebræis distributa: scriptum est enim Jos. XV. cecidit sors tribui Juda vel Ruben vel alteri cuipiam ex duodecim ad orientalem vel aliam quamlibet plagam. Modò qui heic loquitur ostendit bona sibi per divisionem contigisse, quòd ejus sors optimam hæredita-*

tem adierit, quam spiritalibus his geometricis funibus designat. Funem hujusmodi habet in manibus. Zacharia propheta, Angelus visus est ut vera Jerusalem longitudinem metiretur. Ex nostra autem versione elucidanda sunt loca quædam in quibus גורל vertitur *sors*; & dispellendus antiquus ac communis error quo dicitur terram Israeliticam *sortito* divisam fuisse. Eam Hebræis, eductâ sorte, imperator eorum Josue non distribuit; sed suam cuique *sortem* hoc est hæreditariam partem dedit: atque ita intelligendus est v. g. locus iste Jos. XV. 1 *Igitur sors filiorum Juda per cognationes suas ista fuit*, &c. Confer Jer. XIII. 25.

qui tribuit mihi intellectum. Optimè Theodoritus: *μηδεὶς* &c. *nemo hoc absurdum putet Christum Dominum secundùm humanam naturam erudiri: quum audiat divinum Lucam dicentem, Jesus proficiebat sapientiâ & gratiâ apud homines; & rursus audiat eundem dicentem, Angelum ei apparuisse qui eum ante mortem trepidantem & guttis sanguinis sudantem confortavit. Si autem Angeli auxilio indigebat ut ostenderet naturam formæ servi; multò magis à divinitate, quæ in ipso habitabat, docebatur. Nam, quum esset homo & Deus, instruebatur quidem ut homo; sed verò sapientia erat ut Deus.*

ad noctem. Hieronymus: *Noctem. tempus significat passionis in quo interiori erudita est divinitate humana fragilitas.* Tempus à S. Hieronymo annotatum eò majorem veri similitudinem præfert quod in more Scripturæ positum sit ut ærumnosa, quale fuit tempus passionis, tempora per *noctem* designet; ipséque B. Johannes eximium à Christo sermonem in qua nocte tradebatur habitum commemorans verba afferat non longè ab illis abeuntia quæ initio Psalmi nostri leguntur. *Pater venit hora*, aiebat Christus à S. [a] Johanne laudatus, *clarifica filium tuum... Ego te clarificavi super terram; opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam: & nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate quam habui priusquam mundus esset apud te. Manifestavi nomen tuum hominibus. &c.* Nihilominus, quum in præclaro illo Sermone, Christus nihil petierit quod undecimo Psalmi nostri versiculo respondeat: istéque versiculus mortuum magis quàm moriturum hominem sapiat, præfatus versiculus totúsque Psalmus Christo sepulto & in limbis degenti visus est aptandus, quod etiam versus 8. & 9. suadere videntur.

a XVII. 1. & seq.

9 *Providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi ne commovear.*

Interim Dominum præ oculis semper habeo: quoniam dexteræ assistit *opem mihi laturus* ne peream.

10 *Propter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe:*

Et propter hoc, *quod mihi porrecturus est auxilium*, lætatur cor meum, & exultat lingua mea: insuper & caro mea securè requiescit:

11 *Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.*

Non enim corpus meum in sepulchro derelinques: nec *me* tui cultorem corruptioni obnoxium esse *adeòque in tumulo relinqui* sines.

12 *Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo: delectationes in dexterâ tuâ usque in finem.*

Sed potius notas mihi facies vias *quibus ad* vitam *pervenire & à mortuis excitari queam*, vultu tuo me exhilarabis: mihíque ad dexteram tuam collocato perennes delectationes afferes.

quoniam. Insulsam ne putes heic esse causalem particulam; siquidem qui non procul à magno

magno periculo abest, oculos in eum semper conjicere solet qui se ad opem ei ferendam comparat.

à dextris. æqualem Filii cum Patre dignitatem ex his verbis minùs benè colligit Hesychius. Illam tu æqualitatem ex aliis Scripturæ locis pete; & Theodorum audi Antiochenum de laudatis Psalmistæ verbis ita differentem: ὅ γὰρ &c. *illud enim* A DEXTRIS EST MIHI NE COMMOVEAR *idem est atque auxiliatur mihi: à dextrâ scilicet & potiori parte auxilium vocans.*

lingua mea. Heb. כבודי *gloria mea*: quo nomine *animam* cum Rabbinis intelligerem ut Psal. VII. 5. nisi in Apostolica Act. II. 26. expositio obstaret; compertúmque haberem uni eidemque voci plures non rarò subjectas esse significationes: eámque, quam nomini כבודי post B. Petrum tribuimus, explicationem cum Hebræâ voce congruere, siquidem lingua est gloriationis instrumentum, non minùs quàm anima ornamentum corporis est ac gloria.

spe. sumitur heic pro securitate uti Psal. IV. 10.

animam meam. Heb. נפשי: quod nomen *per catachresin* interdum sumitur pro corpore Gen. XXXVII. 21. eóque mortuo Levit. XIX. 28. XXI. 1. 11. Num. V. 2. VI. 6. IX. 6. XIX. 11. Agg. II. 14.

inferno. voce istâ limbum Patrum, quo anima Christi post mortem ejus descendit, intelligunt *a* Genebrardus, *b* Pererius, *c* Pineda, aliíque complures auctores: quibus quominus heic subscribam impediunt trita Synonimorum regula, & adverbium *quoniam*, præter adducta ad Ps. VI. 5. loca ubi nomen שאול idem sonat ac *sepulchrum.* Primùm igitur Synonimica regula petit ut non *derelinqui in inferno* idem sit ac *non videre corruptionem*: quúmque corruptio eos spectet qui in sepulchro degunt, nomen *inferno* ad sepulchrum trahi debet. 2°. particula causalis *quoniam* non cohæret cum limbo: etenim illud minimè consectarium est carnem alicujus securè quiescere quia ipsius anima in limbo non derelinquetur. Recta profectò non est hæc conclusio tum quia animam, non carnem (cujus mentio facta est) spectat; tum quia ex eo quod anima in limbo non sit derelinquenda præcisè non sequitur carnem gaudio affici debere: quum v. g. veteres, qui in limbo degebant quique cum Christo in cœlum ascendisse creduntur, Patriarchæ carnem in sepulchris reliquerint*. Scio carnem Christi è sepulchro emersisse quo tempore divini hujus Sospiratoris anima è limbo rediit; sed quando privilegium adorandæ Servatoris carni indultum ex animæ ejus ab inferno reversione præcisè non oriebatur, vox *inferno* à Vate prolata ad limbum seu inferos, ad quos Christus descendit, pertinere non videtur. Ad hæc B. Petrus Act. II. 29. & 31. his, quæ Davidem spectant verbis *sepulchrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem*, opponit ista, quæ Christum respiciant, verba *quia neque derelictus est in inferno*: unde patet Psalterianâ voce *inferno* significari sepulchrum: quod etiam ex memoratâ vers. 31. à B. Petro *resurrectione* liquet: nam ab eâ differt discessus à limbo, quum ex eo possit quis evadere non *resurgens ex mortuis.* Liceat ergo mihi eximia B. Hieronymi, sententiam arida Ezechielis XXXVII. ossa vitali spiritu donata resurrectioni accommodantem improbantis, verba heic usurpare, resurrectione in limbum mutatâ. *Qui aliter interpretantur ista* Psalmi non derelinquet, *&c. non debent nobis facere invidiam quod istum locum aliter exponentes* limbum *negare videamur. Scimus enim multò robustiora testimonia, & in quibus nulla sit dubitatio, in Scripturis sanctis reperiri... Ex quo perspicuum est non nos* limbum *negare, sed hac non scripta de* limbo *contendere.*

a in Psal. XV. 11.
b in Gen. XXXVII. 35. disput. 8.
c in Job. VII 9. num. 2.

* Non obstat Matth. XXVII. 52.

non dabis, &c. celerem petit resurrectionem: qui enim in sepulchro non corrumpuntur, citò resurgunt. Incorruptibilitas quidem, generatim atque universè loquendo, non est celeris resurrectionis signum: quidam enim in sepulchris permanent incorrupti, qui tamen citò non resurgunt ut multis contigit Sanctis; è contrario nonnulli corruptioni sunt obnoxii, & nihilominus à mortuis promtè excitantur ut Lazari exemplo patet. Verùm, si rem consuetis divinæ sapientiæ legibus metiamur, rectè statuemus eos celeriter resurgere qui corruptionis sunt expertes; & contrà serò à morte ad vitam revocari qui in tumulis putrescunt. Unde, quum Christus petit ut corruptionem non experiatur, postulat ut celeriter resurgat: atque ita membrum istud *non dabis*, &c. prioris *non derelinques*, &c. est repetitio: qui enim orat ut quamprimùm ab inferis excitetur, orat ut in sepulchro non derelinquatur. Ex quibus perspicuum est Judæos perperàm vertere *non dabis sanctum tuum videre foveam* seu *sepulchrum*; eósque immeritò nobis objicere Christum vidisse foveam adeóque secundam

versus partem ei non convenire. Judaica versio perperàm habet, quia Synonimicam regulam non servat : neque illa Judæorum versio laudari potest nisi ad nostram sententiam accommodetur, dicendo exiguum tempus pro nullo censeri ; atque adeò Christum dici non vidisse sepulchrum, qui triduum tantùm neque ipsum totum in sepulchro fuerit. Judaica objectio nugatoria est : quum enim secunda versus pars Sanctum Dei promtè resurrecturum significet, Christo optimè congruit utpote qui à morte ad vitam celeriter revocatus fuerit. Nostræ porrò explicationi Psalmus LXXXVII. 12. (ubi *in perditione* idem est ac in sepulchro in quo scilicet corpus perit & consumitur) non officit ; nec inde *corruptionem* in nostro psalmo pro sepulchro, in quo corpus corrumpitur, pariter sumendam esse concludi debet : neutrum enim Synonimica regula patitur nisi, ut dixi, exiguum tempus pro nullo censeatur. Quòd autem Christus celerem resurrectionem, non meram incorruptibilitatem petat efficitur ex ipsâ, de quâ agitur, re : etenim si adorandum Christi corpus incorruptibilitate donatum in sepulchro mansisset pari tantùm jure fuisset cum multis sanctis ; & *vana esset fides nostra : adhuc enim in peccatis nostris essemus* ut ait S. Paulus I. Cor. XV. 17.

ARGUMENTUM.

PSALMI DECIMI SEXTI.

SANCTUS Athanasius in Corderianâ Græcorum Patrum catenâ productus Psalmum ad Davidem à Saule vexatum accommodat, & sequaces habet SS. Basilium atque Theodoritum. Rasi & alii nonnulli Rabbini existimant hunc Psalmum à Davide post mortem Uriæ compositum fuisse quum Joab Rabbam obsideret, verereturque David ne propter suum peccatum malè cederet exercitui. Istam Rabbinorum sententiam Psalterianus textus evertit : sed idem textus opinionem laudatorum à me Patrum confirmat, unde illam assensu meo comprobo. Ait Psaltes vers. 4. *non est inventa in me iniquitas*, & versu 9. obsecrat sic : *à resistentibus dexteræ tuæ custodi me*. Hæc autem verba in Davidem à Saule exagitatum quadrant : tunc enim David nullâ, quæ gravis esset, iniquitate se contaminaverat ; & à viris divexabatur qui Deo resistebant, eum videlicet insectantes hominem qui divino jussu unctus in regem fuerat. Iste quoque textus ℣. 5. *propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras* Saulinum sapit tempus : in quo David, divinis mandatis morem gerens, rem multi laboris complexus

eſt quum Sauli afflictori ſuo vitam, quam eripere poterat, ſervavit. Atque hinc conjicere licet poſtrema Saulinæ vexationis tempora recoli in Pſalmo noſtro: ubi David propoſitâ innocentiâ ſuâ (ut Pſal. VII. 3. 4.) miſericordiam Dei implorat; eúmque, ut ſe ab inimicorum manibus eripiat, precatur: addendo mirâ ſe voluptate perfuſum iri quum, ſic liberatus, Templum adire, ibíque divino conſpectu frui poterit.

TITULUS.

Oratio David.

PSALMUS XVI.		PARAPHRASIS.
EXaudi Domine juſtitiam meam, intende deprecationem meam:	1	EXaudi Domine juſtam meam petitionem, intende deprecationi meæ:
Auribus percipe orationem meam, non in labiis doloſis.	2	Auribúſ*que* percipe orationem meam: *orationem, inquam*, à viro *prolatam* qui nullam *unquam* labiis ſuis fraudem *Sauli* fecit, *quique proinde meritò poſtulat ut ab ejus manibus liberetur.*
De vultu tuo judicium meum prodeat: oculi tui videant æquitates.	3	Jus mihi à te deſcribatur eripiendo me à vexatione: tuíque oculi æquitati cauſæ meæ proſpiciant.
Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte: igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas.	4	*Æquitatem dico. Nam* cor meum *afflictionibus* probaſti, & *illud* calamitatibus exploraviſti: méque *ærumnarum* igne examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas.

ANNOTATIONES.

oratio David. Codices Reg. 138. & Colb. 158. titulum ſic concipiunt. *Oratio David. Chriſtus de Judæis dicit ad Patrem.*

juſtitiam. S. Athanaſius: τῆς δικαιοσύνης &c. *illud autem juſtitiam hoc loco non ut jactabundus dicit, nec quaſi ſe juſtum oſtenterz ſed ut qui juſtè auxilium à te poſtulet, & roget liberari, ab his quæ injuſtè à Saule impetitus iniquè ſuſtinebat.* Theodoritus: πάλιν &c. *Rurſus heic juſtitiam non perfectam virtutem vocat, ſed juſtam poſtulationem.* Hæc ſi intellexiſſent Hebræi à B. Hieronymo in hujus Pſalmi titulum ſcribente memorati, non expoſuiſſent *quòd, quando Pſalmum David cantavit, quia dixit exaudi Domine juſtitiam meam, pro ipſa præſumtione quâ ſe exaudiri pro ſua juſtitia jactabat, ceridiſſet in crimen.*

meam. S. Hieronymus aut alter : *juxta LXX. Deus justitia vel Deus justus naturâ.* Ex his verbis colligitur pronomen *meam* à LXX. Senibus lectum non fuisse : contrarium tamen asserere videtur Theodoritus his verbis : οἱ δὲ ἄλλοι &c. *Alii verò interpretes pronomen non apposuerunt ; sed Symmachus & Theodotion Dominum justitia Deum nominarunt. Aquila verò sic dixit : exaudi Domine justum.* Theodorito potiùs quam Hieronymo heic ut assentiar impellunt me SS. Athanasius & Augustinus LXX. Senum alumni qui legunt *justitiam meam.* Nicephorus mavult *mea* ut sensus sit : *ô Domine justitia mea , sive ô qui justificas me* ; sed hæc lectio atque interpretatio minùs videntur rectæ.

deprecationem. S. Augustinus , *deprecationi.*

non in labiis dolosis. Theodoritus : Σύμμαχος οὕτως ἡρμήνευσεν &c. *Symmachus sic expressit non per labia dolosa. Puris enim , inquit , labiis meas preces offero non aliud cogitans & aliud loquens , sed habens linguam menti congruentem.* Nicephorus : *per hyperbaten legendum est. ut sit sensus : suscipe orationem meam tibi oblatam non labiis dolosis ; vel est per defectum : non in labiis dolosis factam vel allatam.* Euthymio hyperbaton , mihi defectus heic arridet ; sed alio modo quàm aliis. Non enim puto orationem *labiis non dolosis* prolatam idem sonare ac orationem non fucatam & simulatam, seu quæ cordi consentiat : sed *labia non dolosa* sumo pro viro labiis non dolosis utente ut Psal. CXIX. 2. sic ut membrum hoc *non in labiis dolosis* respondeat primo *justitiam meam* ; & duo membra intermedia sint synonima pro more Psalmographi qui synonimicas loquutiones diversis modis intexit, ut jam annotavimus. Vox autem *orationem* in quarto membro subauditur, ut verbum *clamaverunt* in Psal. XVII. 46.

de vultu tuo , &c. non simplex postulat judicium ; sed judicium sibi fructuosum ut liquet ex nomine *vultu* qui favoris est signum ut observavi ad Psal. IV. 7. & V. 9. ex quibus intelligimus verbo *videant* in secunda versus parte adhibito non simplicem, sed benignum designari aspectum. Quem commodè mihi videor expressisse verbo *prospiciant* dativum casum habente : hoc enim pacto verbum illud significat *favere* , adeoque benigno vultu aspicere ; atque hinc vera , ni fallor, aperitur caussa cur nomen *vultu* & verbum *videant* in isto versu usurpentur. Hæc verò si non arriserint audi , si lubet, Theodoritum : *precor te ut mea judices* ; aut Euthymium : *de vultu tuo circumloquendo dixit, hoc est à te ipso vel coram te. Judicium autem meum hoc est sententia quæ de me ferenda est , hoc , inquam , judicium opto ut feratur à te : injustum enim reputo ut in propriâ mihi causâ judex sim , & à meipso puniri illum debeam qui ad meam festinat interitum* ; aut Corderium : *ab ore tuo judicium meum prodeat & sententia pronuntietur* ; aut Buchananum : *mihi cognitorem te peto* ; aut alios, qui omnium manibus teruntur , interpretes audi.

tui. Asterius, S. Augustinus, Theodoritus, Nicephorus, atque Euthymius legunt *mei*, eamque lectionem retinent Codices Regii 928. 1775. 1532. 2225. 2603. 2606. 2653. 2723. & Colbert. 4439. 6051, præter exemplar Complutense : sed Sanctus Hieronymus in Epistolâ ad Suniam & Fretelam meritò putat rectius esse *oculi tui.* S. Hieronymo Synonimica regula favet ; sed Hieronymo Hieronymus repugnat in commentario, ubi legitur *oculi mei.* Crassior videtur esse hæc discrepantia quam quæ B. Hieronymo tribuatur : unde præfatus commentarius mihi suspectus est ; & suspectior fit ex multis, quæ in eo occurrunt , explanationibus quæ Hieronymum non sapiunt & indignæ sunt quæ tanto Doctori adscribantur : ut nihil dicam de Eucherii mentione aliisque id genus quæ à Bellarmino sunt observata. Codex Colb. 6158. habet οἱ ὀφθαλμοί σου *oculi tui.*

æquitates. S. Augustinus , *æquitatem.*

probasti. Ex isto versu cum Psalmis LXV. 9. & CXXXVIII. 23. collato intelligimus verbum בחן non semper accipi pro *apprimè cognoscere* ; sed aliquando sumi pro *explorare* aliquem , seu periculum ejus facere.

nocte. Theodoritus : τροπικῶς &c. *figuratè calamitates noctes appellat ob mœroris obscuritatem.* Theodorito favet Psalmus LXV. 9. 10. unde Cyrensis Episcopi explicationem cæteris facilè antepono interpretationibus , sive Didymi ita loquentis : *illud visitasti nocte sic perpendito quoniam occulta cordis nonnisi Deo manifesta sunt, cui dicitur tu solus nosti corda hominum. ipsa eadem occulta cordis noctis nomine ostensa sunt* ; sive Asterii sic disserentis : *visitasti in nocte : siquidem dum abs te illuminatus quod justum est quæro nunquam à somni profunditate victus sum* ; sive Hesychii : *visitasti in nocte quoniam ut plurimùm nobis in nocte cogitationes veniunt.*

ꝛ *igne me examinasti* Integram loquutionem habes in laudato Psalmo LXV. 9. quem imitatur Ovidius de Tristib. lib. 1. eleg. 4. *Scilicet ut fulvo spectatur in ignibus aurum: tempore sic duro est inspicienda fides.* Adde Ecclesf. cap. II. 4. & confer Job. XXIII. 10. Proverb. XVII. 3. XXVII. 21. Zach. XIII. 9. Malach. III. 2.

in me iniquitas. Heb. *iniquitas mea* eodem sensu. Nostri legerunt *zimmati* non *zammoti* ut Rabbini: qui vertunt *cogitavi*, & cum sequentibus connectunt.

5 *Ut non loquatur os meum opera hominum; propter labia verborum tuorum, ego custodivi vias duras.*

Sic ut, *mediis in miseriis quibus oppressus sum*, os meum ad eos non proruperit sermones qui opera hominibus usitata *(cædem dico & vindictam) saperent; sed* præceptorum tuorum memor custodivi vias duras *rem agendo difficillimam: dum scilicet à vindictà quæ penes me erat abstinui, & necem Sauli non intuli quum facultas mihi esset oblata.*

6 *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.*

Gressus meos in his *præceptorum* tuorum semitis *sic deinceps* firma Domine, ut *ab illis* pedes mei nunquam aberrent.

ut non loquatur. &c Rabbinorum sequaces ultimam præcedentis versus vocem זמתי cum isto jungunt, & ita interpretantur: *cogitavi, non transibit os meum*: id est, juxta Muisium, *verba mea sunt cogitationibus consentanea.* Sed lectio hæc vel hinc est explodenda quòd imperfectam sententiam in versu præcedenti conflet hoc pacto, *& non invenisti.* Nemo non videt explicandam fuisse à Vate rem quam Deus non invenit: quod quum in Rabbinicà desideretur lectione, à nobis illa est rejicienda; præsertim quum huic loquutioni *cogitavi non transibit os meum* is, quem Muisius affert, sensus non insit, ut colligere est ex Psal. LXXII. 9. & ex ipsis textus nostri vocabulis: quæ, prout à Rabbinis leguntur, prædictum sensum propriè non habent, sed omni prorsus sensu destituuntur, ut alia pleraque à Rabbinis versionem nostram respuentibus excogitata. S. Hieronymus in suâ ex Hebræo versione sensum à Muisio intentum verè exhibet quum ita vertit, *& non invenisti cogitationes meas transire os meum*; sed sanctus maximúsque Doctor hodiernam vocem בל in suo Codice non legebat. LXX. Senes istum, cui incumbimus, versum ita legisse videntur בל ידבר פי את פעלות אדם *non* (enim) *loquutum est os meum opera hominum* egregiè planè sensu & præcedentibus apprimè consentaneo: quod dici non potest de hodiernâ Hebræorum lectione בל יעבר פי לפעלות אדם *non transibit os meum quoad opera hominum* ut vertit Muisius; vel, ut alii interpretantur, *non transibit os meum ad opera hominum.* Ultima tamen interpretatio recipi & nostræ reconciliari posset, si Hebraicè diceretur יעבר לפעלות *transibit ad opera*; & tritus hominum sermo istam pateretur loquutionem *os non transibit ad opera*: sed quum Hebræi verbum עבר motum ad locum significans conjungere cum אל non cum ל soleant; & humanus sermo ori loquelam, non transitum ad opera, tribuat, nullum in præfatâ interpretatione momentum collocari potest. Theodoritus verba ista *non loquatur os meum opera hominum* de conviciis, à quibus David linguam servaverit liberam contra Saulem, exponit; sed interpretatio illa cum sequenti membro non tam benè quam nostra consentire videtur: nam à conviciis facilè abstinent homines ingenui; sed ab inferendo, ut primùm occasio data est, hostibus malo difficillimè avertuntur. Adde quod David Saulem appellat *iniquum* infrà vers. 14. & Psal. VII. 15. 17.

vias duras. Rabbini, sensu non recto, *vias grassatoris.* Rectiùs dicerent vias *praeruptas, praefractas* hoc est duras, difficiles : quomodo Galli nostri loquuntur, dum vias asperas vocant *des chemins rompus* : quod cum istis Psalmistæ vocibus ארחות פריץ omninò congruit. Vocem singularem פריץ cum plurali nomine conjunctam etiam habes apud Is. XXXV. 9. ubi dictio פריץ nomini חיות connectitur in eam ferè sententiam quam LXX. Senes heic proferunt : in illo enim Isaiæ loco bestia dicitur *mala* hoc est *sæva* : quæ autem sunt *dura* videntur nobis *sæva* ob eam, quam nobis faciunt, vim. Symmachus, teste Eusebio, verterat, *ego custodivi vias transgressiens.*

perfice. S. Augustinus, *ad perficiendum.*

7 *Ego clamavi, quoniam exaudisti me Deus : inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.*

Interim ego, utpote aliàs à te exauditus, tibi, ô Deus, supplico *sic* : aurem tuam mihi præbe, & verba mea audi.

8 *Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te.*

Miris erga me utere misericordiis, tu qui salvos facis eos qui in te sperant.

9 *A resistentibus dexteræ tuæ custodi me : ut pupillam oculi.*

Eripe me ab iis qui dexteræ tuæ resistunt, me, *quem regno destinasti, persequentes* : & eà custodi me curà quam pupilla oculi consequuta est.

10 *Sub umbrà alarum tuarum protege me à facie impiorum qui me afflixerunt.*

Et sub umbrâ alarum tuarum tuere me ab impiis qui me vexant.

mirifica. Egregiè Origenes in Catenâ Corderianâ : Πολλοὶ δ' ἔλεοι &c. *Fiunt plurimæ misericordiæ Dei : quæ, quia humanâ quadam sequelâ contingunt, non mirificantur ab eo qui eas facit. Pauca autem sunt quæ mirificantur, quando ea mirabili quodam ac prodigioso modo accidunt. Pro exemplo sunt hi qui misericorditer à febribus vel leprâ liberati sunt : siquidem hi viâ medicinæ curati fuerunt, à Deo quidem misericordiam consequuti sunt, non tamen ipsius misericordia in eis mirificata est : sin, tactu Jesu febrim increpantis.., vel tangentis ac dicentis volo mundare, liberati fuerint à lepra, tum Deus quodammodo misericordiam suam in istiusmodi mirificat. Talem David flagitat misericordiam : eâque prorsus indigebat ut à potentissimi, qui ipsum viribus destitutum persequebatur, regis manibus liberaretur.*

à resistentibus. &c. Resistentia heic sumitur aliter ac Esth. XIII. 9. Theodoritus: ἀνθεστηκότας &c. *Resistentes dexteræ Dei eos appellavit qui contra ipsum bellum gerunt. Et merito quidem : à Deo namque unctus est & ab eo regiam electionem consequutus. Ait igitur, illi qui contra me prælium conserunt, tuæ sententiæ se opponunt ; & obsecrat ut talem consequatur custodiam, qualem pupilla oculi consequuta est : quæ, veluti quædam munimenta, habet palpebras, pro vallis autem cilia. Habet etiam superciliorum oppositus, transmittentes sudoris pluviam ad tempora, & defendentes videndi vim à nocumento quod inde possit accidere. Ejusmodi ergo curam consequi optat.* Similia ferè habet S. [a] Ambrosius: quem si consulueris operæ precium feres. Confer Deut. XXXII. 10.

sub umbra, &c. sumitur metaphora à Gallinis, & rectè : nam Gallinæ, ut ait [b] Cicero, *pullos quum excluserint ita tuentur ut & pennis suis foveant ne frigore lædantur ; & si est calor à Sole, se opponunt.* [c] Plutarchus : τὰς δ' ἀλεκτρίδας &c. *Gallinas quotidie ante oculos habemus : quomodo pullos suos circumeant, foveantque, his alas suas pandant,* &c.

[a] Hexaem. lib. VI. cap. 9.

[b] lib. 2. de Nat. Deor.

[c] περὶ φιλοστοργίας.

Prædictam autem metaphoram doctè explicaot Didymus & Theodoritus, quorum prior ita loquitur. *Sub umbra alarum tuarum protege me : spiritualiter intelligendum est. nam virtus & efficacia divina protectionis ala ipsius vocantur : quibus tuetur & in jucunditatem lætitia adducit eum qui se ab impiis. qui mala adversùs se cogitant. eripi precatur* ; alter autem sic fatur. πτέρυγας &c. *alas nominat velocem & promtam providentia securitatem, facillimus est enim alarum motus.* Confer Deut. XXXII. 11. Psal. XXXV. 8. LVI. 2. LX. 4. LXII. 8. XC. 4. Ruth. II. 12. Matth. XXIII. 37.

11 *Inimi mei animam meam circumdederunt: adipem suum concluserunt, os eorum loquutum est superbiam:*

Inimici mei obsident me undique : *at illi pinguissimi sunt*, clauso intra viscera adipe, *unde* os eorum superbè loquitur :

12 *Projicientes me, nunc circumdederunt me : oculos suos statuerunt declinare in terram.*

Et, postquam me *è patriâ* expulerunt, circumdant me nunc ; suósque oculos *undequaque* conjiciunt, ut *me* in terram dejiciant *atque ita perdant.*

13 *Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam, & sicut catulus leonis habitans in abditis.*

Inhiánt*que* mihi sicut leo qui prædæ imminet, & sicut catulus leonis qui in locis abditis habitans *prætereuntibus animalib[illegible]sidiatur.*

14 *Exurge Domine; præveni eum, & supplanta eum : eripe animam meam ab impio; frameam tuam ab inimicis manus tuæ.*

Exurge Domine ; & *S[illegible]ulem, qui me insectatur* præveni, atque ejus conatus comprime : mé*que* ab impio *hoc principe* libera ; & ab *ejus commilitonibus* manui tuæ resistentibus gladium extorque quem *illis* dederas, *sed quo illi malè utuntur eum in me, qui abs te sum electus, distringentes.*

adipem suum concluserunt. Symmachus, teste Theodoro Antiocheno, dixit *adipe suo obstruxerunt.* Theodoritus : ὁ στέαρ &c. *adipem nonnulli felicitatem & bonam corporis habitudinem nominarunt ; mihi verò videtur benevolentiam & fraternam caritatem sic nuncupare, hoc enim verba sequentia demonstrant. Omnem, inquit, naturalem misericordiam excludentes, nullúmque locum benignis cogitationibus relinquentes loquuntur alta & tumida, mihique insidias & omnis generis dolos struunt.* Theodorito nôn assentior ob loca Deut. XXXII. 15. Job. XV. 27. & Psal. LXII. 6. LXXII. 7. ex quibus colligitur *adipem* in Scripturâ sumi pro felicitate, opum affluentia, deliciis, luxu : quomodo accipitur à a Cicerone dum L. Cassii *adipem* memorat. a Orat. 3. in Catil.

projicientes me, &c. Optimè Theodoritus : Αὐτοὶ &c. *ipsi me à patrio solo exegerunt, & rursus huc & illuc concursant me arripere desiderantes.* Rabbini legunt אשרנו & ferè [illegible]erpretaotur *gressum nostrum.* Eodem ferè modo legebat Symmachus ; sed aliter interpretabatur : auctor est enim Theodorus Antiochenus Symmachum dixisse *beatum me prædicantes confestim circumdederunt me.* LXX. legerunt חוריש־רנו & melior est ista lectio.

oculos suos, &c. Theodoritus : *huc & illuc concursant me arripere desiderantes* ἐπιδεῖ, &c.

idest *quoniam nolunt rectè aspicere, sed habent mentis oculum obliquum: sic enim & Symmachus interpretatus est statuerunt oculos suos alterâ parte torquere in terram.* Rectior videtur Eusebii explanatio : *& oculos suos injecerunt contra me ut me deprimerent ; & commoveri me ac dimovere à statu meo & à progressu... satagerunt.*

susceperunt. Rectè Theodorus Antiochenus. Περιέμειναν &c. *expectant me ut perdant, more leonis prædam expectantis. Pro expectant autem dixit susceperunt : quoniam qui suscipiunt aliquid futurum expectant. Id est talem de me opinionem habent ut me veluti quandam feram venentur & capiant. Simile est illud Psal. XLVII. 8.* SUSCEPIMUS DOMINE MISERICORDIAM TUAM, hoc *est expectavimus futuram in nobis humanitatem tuam.* Rabbini vertunt *similitudo ejus* sup. *sicut leonis*, hoc est leonibus sunt similes ; sed ex laudato Psalmi 47. textu refelluntur. LXX. Senes pro hodiernâ voce דמיני *similitudo ejus* legisse videntur דמיני *susceperunt me* hoc est *exspectant me, inhiant mihi.*

praveni eum, S. Aug. *praveni eos, subverte eos, erue animam meam ab impiis.* Sed S. Hieronymus omnia hæc meliùs legi putat in singulari.

frameam tuam. Theodoritus in ablativo legit, & sic interpretatur. *Me ab illorum insidiis libera, tuo gladio contra eos utens : sic enim Symmachus dixit in gladio tuo.* Theodorus Antiochenus : *legunt nonnulli romphaâ in casu dandi, sed non arridet : verùm in generandi casu legendum est : sic enim & Aquila dixit gladii tui. Quod autem dicere intendit, hujusmodi est : eripe animam meam hoc est meipsum ab his impiis & à gladio inimicorum manus tuæ. Vocat autem frameam machinationes ab illis in eum factas, quæ omni gladio ancipiti secantes magis ac penetrantes, noxam inferunt.* S. Hieronymus ex Hebræo sic vertit : *salva animam meam ab impio qui est gladius tuus*, idest quo uteris tanquam gladio in tuis exercendis ac castigandis. Retineri posset postrema versio ob If. X 5 & Hab. I. 12. sed nostram sequi præstat : siquidem potestatem (quæ *gladio* designatur) nullam habent impii quæ non sit eis data desuper ut Christus Pilato dicebat, & liquidò asserit B. [a] Paulus *non est enim potestas nisi à Deo :* quod suboluisse videtur Didymo : ita enim loquitur. *Nam si animam meam ab impio eripueris, frameam suam de illorum manibus auferes : siquidem etsi, ipsam accipiunt jure traditam, eâ tamen non rectè utuntur.*

[a] Rom. XIII. 1.

ab inimicis manus tuæ. Rabbinorum alumni ita ferè interpretantur : *à viris manus tuæ* hoc est *qui sunt manus tuæ*, seu quorum operâ uteris ad castigandos alios. Alii : *ab hominibus manu tuâ* sup. eripies me. LXX. Senes ista omnia mirum in modum illuminarunt & splendidam Hebræo, qui heic obscurus est, textui lucem attulerunt ista versione : ab *inimicis manus tuæ.* Hebræa habent *à viris manus tuæ* : sed LXX. Senes octavi, in quo viri sunt qui dexteræ Dei resistunt, versus memores intellexerunt versum nostrum ad octavum illum respicere ; & *viros manus Dei* alios ab iis, qui dexteræ ejus resistunt, non esse existimantes, optimè verterunt *ab inimicis manus tuæ.*

15 *Domine à paucis de terra, divide eos in vita eorum : de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.*

Eos, Domine, de numero hominum & de terrâ tolle dum vitam ducunt felicem : *quæ vel hinc apparet*, quòd venter eorum eximiis tuis bonis repletus est.

à paucis de terra. Noster in Græco legebat ἀπὸ ὀλίγων ἀπὸ γῆς *à paucis de terrâ*, eamque lectionem Codices Regii 928. 1775. 2603. 2723. Colb. 4439. 6051. 6510. & Psalterium Complutense repræsentant : sed Sixtina LXX. Senum editio habet ἀπολλύων ἀπὸ γῆς *perdens de terra :* quomodo in Latinis suæ ætatis Codicibus legebat S. [b] Augustinus ; qui eam lectionem in uno Græco Codice abs se repertam fuisse testatur : sic tamen ut sanctus Doctor fateatur se in alio Græco exemplari reperisse quod Paulinus posuerat *à paucis de terra.* Theodoritus & productus ab eo Symmachus legisse videntur ἀπολλύων *perdens* : sic enim Cyrensis Episcopus in Catenâ Danielis Barbari loquitur : *Me gladio tuo in eos districto ab eorum insidiis exime : ita enim Symmachus dixit in framea tua Domine dele* (notandum est verbum illud *dele*, nam deest in Commentario Theodoriti cum operibus ejus impresso

[b] Epist. 109. ad Paulinum.

impresso p. 453. A. to. 1. edit. Gr. Lat.) *eos de terra. Præscripto enim tuo, inquit, homines in mortem mittis: siquidem tu dixisti terra es & in terram reverteris. Ego verò, etsi perquam tibi facilè sit homines morti destinare, obsecro tamen ut vivos illos dispergas, & nefarias illorum conspirationes & consilia dissolvas; & supplicia, quæ peccatoribus afferre tuum est, sentiant.* Eandem lectionem ἀπολλύων *perdens* agnoscit Suidas; sed nostræ etiam ἀπὸ ὀλίγων *à paucis* meminit. Rabbini eorùmque sequaces vertunt: *à viris de mundo quorum pars est in vita*, idest juxta Vatablum: *à viris erue me qui tantùm mundana sapiunt & quorum felicitas tota sita est in temporariis hujus vitæ bonis.* S. Cyrillus, quanquam legat *à paucis* pro *à viris*, in eandem ferè sententiam abit: *Nam*, inquit, *separa à sanctis & longe statuas improbos à sacrosanctis viris.* Sed, pace sanctissimi Doctoris, dixerim istam explicationem rei, de quâ agitur, consentaneam non videri: siquidem quum David à Saule vexatus ab impiorum consortio sejunctus esset, caussa ei non suberat cur sejunctionem illam peteret; sed de hac sejunctione nonnihil infrà dicemus. Revertor ad laudata verba *à paucis de terra*; & dico solitam repetitionem heic reperiri ita quod idem sit *à paucis* atque *de terra* sup. *separa*: nempe *eos à paucis & de terra*, hoc est tolle eos de hominum numero & de terrâ. *Homines* cum Hebræo textu appello quos vocant *paucos* nostri Senes: qui nomen hoc hominibus dedisse videntur aut quia pauco tempore vivunt ut ait Job *breves dies hominis sunt*, aut quia voce מתים *paucos*, multis in locis ut Gen. XXXIV. 30. Deut. IV. 27. Psal. CIV. 12. significari animadvertebant. Observat Nobilius Aquilam vertisse *Domine à mortuis de profunditate*; & Symmachum: *Domine à mortuis* (addit Eusebius ἀπὸ) *à depressis.* Sed vereor ut Symmacho postrema lectio rectè tribuatur ob ea quæ superiùs ex Theodorito retulimus. S. Hieronymus ex Hebræo vertit *qui mortui sunt in profundo.*

de terrâ. docta versio ut apparet collato loco Psal. XLVIII. 1. Hæc autem loqnutio præcedentis (*à paucis*) est repetitio ut dixi.

divide eos. optima lectio & Hebræis consentiens verbis, quæ aliis pnnctis affecta à Rabbinis *pars eorum* perperàm vertuntur: præsertim si divisio illa de sejunctione intelligatur cum plerisque Interpretibus, quos Cosmas Indicopleusta sequitur præter Cyrillum & alios. Diu tamen est quod prava illa lectio obtinet: nam ex Eusebio discimus Aquilam interpretatum esse *pars illorum in vitâ*, Symmachum *pars illorum inter vivos* Hæc porrò, quam Vates memorat, divisio intelligenda est de divisione ab hominum numero, seu de interitu: idque optimè vidit Theodorus Antiochenus cujus hæc sunt verba. *Illud* DE TERRA DIVIDE *dictum est de Deo, tanquam ad Deum mortis sententiam ferre pertineat, quasi dicat: quoniam tu, mortis præscriptum imponendo, facis homines interire, divide hoc est dissipa: nam quod dissipatur semper huc vel illuc dividitur.*

vita. pro vitam non simpliciter; sed vitam felicem intelligo ex sequentibus & Psal. XXXVII. 20.

absconditis. Symmachus, teste Eusebio, dixit *reconditis* eodem sensu. Utroque autem nomine opes cæteràque *mundi* bona designantur: quæ *abscondita* dicuntur aut recondita, quoniam è divino penu tanquam è thesauro recondito depromuntur. Alii ad gemmas, aurum, atque argentum, quæ in terræ visceribus latent, restringunt, minùs benè: siquidem inter illa abscondita paulò post recensentur filii qui sic non reconduntur. Theodoritus & Theodorus Antiochenus *abscondita* minùs rectè exponunt de pœnis ac suppliciis quæ à Deo reservantur quasi in arculis; quæque, quum opus fuerit, sint promenda adversus impios.

16 *Saturati sunt filiis: & dimiserunt reliquias suas parvulis suis.*

Illique filiis abundant: &, *quæ gulæ ac luxui superfuerunt, morientes* liberis suis relinquunt.

filiis. S. Augustinus ex Græco depravato ὑῶν legit *porcinâ* in Commentario. Heic autem, ut & in Epistolâ 59. ad Paulinum, agnoscit nonnulla exemplaria habere *filiis*. Utramque lectionem S. Paulinus in epistolâ ult. ad S. Augustinum notat: & priorem Apollinarius, Arnobius, & Psalteria Romanum atque Arabicum sequuntur: gravi errore, ut patet ex Hebræo textu ac versione nostrâ & kusu; sed graviori errori se admiscet atque implicat Ori-

Ii

genes, quum versionem nostram explanans ait : *propriis prolibus saturati sunt quarum reliquias parvulis suis reliquerunt. Hoc enim etiam in maledictionibus a Leviticia ponitur comedatis carnes filiorum vestrorum.* Non in minori errore versatur Theodoritus quum, Symmachianæ lectioni *saturabuntur filii* inhærens, istam affert explicationem. *Novi, inquit, te justam tuam pœnam non solùm ipsis inflicturum, verùm & filiis & posteris qui suorum majorum malitiam imitati fuerint.* Theodorus Antiochenus ad eundem scopulum afflixit.

a XXVI. 29

Ego autem in justitiâ apparebo conspectui tuo; satiabor quum apparuerit gloria tua.

17 Ego autem, *ubi eos ex numero vivorum exturbaveris*, templum tuum piè adibo : & gaudio complebor quum arcæ tuæ videndæ copia mihi facta fuerit.

in justitiâ. Rectè Origenes : *in justitiâ atque omni virtute.*

apparebo conspectui tuo. Hæc ad claram gloriæ divinæ visionem, quâ David in regno cœlorum satiandus esset, referuntur ab Origene, Didymo, & plerisque interpretibus : quibus quominùs assentiar impediunt loca Deut. XVI. 16. & Psal. LXXXIII. 7. ex iis enim locis invicem collatis perspicuum est *apparere in conspectu Dei* nihil aliud esse quam Templum adire, in quo divini conspectus copia fiebat.

quum apparuerit. S. Augustinus, *dum manifestabitur.*

gloria tua. id est arca tua ut isto I. Reg. IV. 21. 22. loco apparet. *Et vocavit puerum Ichabod dicens : translata est gloria de Israel quia capta est arca Dei, & pro socero suo & pro viro suo ; & ait : translata est gloria ab Israel eo quod capta esset arca Dei.* Illo autem nomine insigniebatur Arca quia gloriosum atque admirabilem in eâ præbebat se Deus; & maximum Israelitico populo decus conciliabat. Cæterùm laudato Regum testimonio versio nostra egregiè confirmatur, & refellitur hodierna Hebræorum lectio תמונתך : quam qui sequuntur vertunt *implebor, quum evigilavero, similitudine tua* ; aut *satiabor quum experge facta fuerit imago tua.* LXX. Senes legerunt כבודך *gloria tua* pro תמונתך *imago tua* : cujus loco Theodotion in Scholio Sixtino productus legisse videtur ימינך *dextera tua*. nam interpretatus est *τὴν δεξιάν σου dexteram tuam* : quam lectionem in suo exemplari Theodoritum habuisse colligo ex ipsius commentario ubi lego *τῷ παιδί σου filio tuo* post hæc verba *τὴν δόξαν σου gloriam tuam* : quæ corrupta apparent ex prædicto Scholio & Theodoriti commentario, ubi interpretatio *τῷ παιδὶ filio. δεξιὰν dexteram* in priore voce supponit: dexterâ enim unigenitus Dei filius apud sanctos Patres sæpe intelligitur.

ARGUMENTUM.

PSALMI DECIMI SEPTIMI.

HUjus Psalmi titulus docet canticum istud à Davide fuisse decantatum in die quâ eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum ejus & de manu Saul. Spurius mihi videtur hic titulus : eámque opinionem ex S. Paulo, atque ex Psalmi textu, ac serie du-

co. S. Paulus penultimum Psalmi versum Christo Ethnicos ad suum imperium adjungenti accommodat : unde consequens est ut Psalmus à Davide, postquam solos Ethnicos non autem omnes suo hostes multò minùs Saulem debellasset, cantatus fuerit : alioquin veritas figuræ adæquatè non responderet ; & penultimus, cujus memini versus, Christo Gentes sub suam ditionem subjungenti minùs benè à S. Paulo aptatus esset : quod quum nec cogitari aut dici possit, ille qui huc nos adducit titulus non videtur recipiendus. Hæc quidem ratiocinatio elevari potest si connexionis ratio non habeatur ; sed, quando connexio illa admitti debet ut infrà dicemus, ratiocinatio nostra plurimùm momenti habere videtur. 2°. Quum titulus ille disertam unius Saulis mentionem faciat, ostendit Principem hunc in Psalmo præcipuè spectari : at res longè aliter se habet, ergo præfatus titulus spurius censendus videtur. Minorem propositionem ex Psalteriano textu sic probo. Totus Psalmus pugnam cum inimicis commissam & summâ contentione pugnatam spirat : sed talem cum Saule pugnam nunquam inivit David qui fugâ non armis saluti suæ consulebat, igitur diserta Saulis mentio à Psalmi textu abhorret. Ad hæc versus 49. & 50. prælium, quod in Psalmo describitur, cùm Ethnicis tantùm aut saltem potissimùm commissum fuisse demonstrant : sed diserta Saulis mentio contrarium supponit, unde efficitur mentionem illam cum Psalteriano textu non congruere, atque adeò spurium videri titulum nostrum. 3°. Veri admodum simile est (ut Psalmis hactenùs explicatis & posteà explicandis apparet & communi suadetur sensu) Psalmorum versus inter se cohærere, & summam in eis consensionem esse, illósque arctissimo vinculo devinciri : sed talis colligatio ac copulatio

a Rom. XV. 9.

à Psalmo ad omnes Davidis inimicos relato abest; igitur Psalmus ad omnes Davidis inimicos pertinere nequit, & consequenter titulus noster tanquam spurius explodendus videtur. Hæc ego quum cogitassem, ac Psalmi nostri versus 42. 49. 50. cum II. Reg. VIII. 1. 2. XXIII. 10. contulissem & Philistæos à LXX. Senibus *alienigenas* Psal. LXXXVI. 5. vocari meminissem, sic habui persuasum *alienos*, quorum Psalmus noster ў. 50. mentionem facit, *filios* non alios esse à Philistæis: & victoriam in Psalmo isto decantatam eandem esse atque eam quam David in laudatis II. Reg. VIII. 1. & XXIII. 10. locis à Philistæis reportasse dicitur: quum scilicet *eos ita percussit donec deficeret manus ejus & obrigesceret cum gladio;* populûsque ille (qui Davidem antea non noscebat seu qui morem ei non gerebat) *ei servire* cœpit, id est illius stipendiarius factus est ut in prolatis Regum & Psalmi locis habetur. Sententia ista eò mihi probata est magis quod Paulina, quæ Psalmum Christo Gentes in suam ditionem redigenti tribuit, explicatio mirificè cum eo congruit. Scilicet David Gentes ethnicas nempe Philistæos sub potestatem suam subjiciens, Christum Gentes in potestatem suam redacturum adumbrabat: unde Apostolus quæ ad Davidem primario sensu pertinebant, ad Christum sublimiore sensu rectè traxit: eóque rectiùs Psalmum B. Paulus Christo aptavit, quòd plerique Psalmi hujus versiculi promtiorem ac nobiliorem in Christo exitum habent: pro typorum ratione quæ petit ut quæ crasso modo in typis sunt delineata, perfectum in re figuratâ complementum nanciscantur. Sed adversùs ea, quæ contra Titulum adduxi & quæ de Philistæis à Davide subactis tradidi, objici possunt primus II. Reg. XXII. versiculus, & quadra-

gesimus sextus Psalmi nostri versus : unde nostrum in utraque difficultate expediendâ studium nunc est collocandum. Laudatus Regum locus Psalmum Davidi ab omnium suorum inimicorum nominatim Saulis manibus liberato tribuit his verbis : *Locutus est autem David Domino verba carminis hujus in die quâ liberavit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum & de manu Saul*: atque inde consequi videtur meam, quæ titulum his verbis germanum rejicit, opinionem Scripturæ sacræ refragari. Ex altera parte quadragesimus sextus Psalmi versus ita concipitur : *clamaverunt, nec erat qui salvos faceret, ad Dominum nec exaudivit eos*: atqui hæc verba à Philistæis, utpote Ethnicis ac proinde Deum non invocantibus, usurpari potuisse non videntur ; unde Psalmum Davidi Philistæos domanti minùs benè à me accommodari concludes. Priori objectioni occurro dicens, ex titulo nostro cum præfatis libri Regum verbis sui similibus collato perspicuum esse ista Regalis historiæ verba inter sacri textus partes non esse numeranda, sed in titulorum numerum adscribenda esse : quúmque tituli divinâ auctoritate instructi non sint posśíntque, quum ab historiæ veritate aut Psalmi textu abeunt, explodi ut in * Præfatione ostendimus, prædictis Regum Pag. 74. 75.
verbis divina non inest auctoritas : iísque utpote, cum historiâ non solùm ac textu & serie sed etiam cum S. Paulo pugnantibus, fidem adjungere non tenemur ; ac proinde, ea quum non probo, sacræ Scripturæ refragari nullatenus mihi videor. Quòd ad secundam objectionem attinet, dico nihil obstare quominùs ethnica Philistæorum gens in summum discrimen adducta Deum invocaverit : nam *si qua necessitas gravis presserit, tunc Deum recordantur. Si belli terror infremuerit,*

si morborum pestifera vis incubuerit, si alimenta frugibus longa siccitas denegaverit, si sæva tempestas, si grando incubuerit, ad Deum confugiunt, à Deo petitur auxilium, Deus ut subveniat oratur... adeò ipsa veritas, cogente naturâ, ab invitis pectoribus erumpit inquit de Ethnicis [a] Lactantius, Tertullianeis insistens vestigiis in [b] Apologetico sic impressis. *Hæc est summa delicti nolentium recognoscere quem ignorare non possunt. Vultis ex operibus ipsius tot ac talibus quibus sustinemur, quibus oblectamur, etiam quibus exterremur? Vultis ex animæ ipsius testimonio comprobemus? quæ licet carcere corporis pressa; licet institutionibus pravis circumscripta, licet libidinibus ac concupiscentiis evigorata: licet falsis Deis exancillata, quum tamen resipiscit ut ex crapulâ, ut ex somno, ut ex aliquâ valetudine; & sanitatem suam potitur, Deum nominat hoc solo nomine quia proprio Dei veri. Deus magnus, Deus bonus, & quod Deus dederit omnium vox est. Judicem quoque contestatur: illum Deus videt, & Deo commendo, & Deus mihi reddet. ô testimonium animæ naturaliter Christianæ!* Idem [c] Tertullianus in alio loco; & [d] Minucius Felix, atque [e] Arnobius similia ferè habent: quæ fide eo sunt digniora quòd usu quotidiano cõprobentur; ipséque [f] Plotinus vir Ethnicus homines omnes arcano naturæ instinctu ad Deum ferri agnoscat his verbis: τὸ ἓν, καὶ ταὐτὸν ἀριθμῷ πανταχοῦ ἅμα ὅλον εἶναι, κοινὴ ἔννοιά φησιν εἶναι, ὅταν πάντες κινούμενοι αὐτοφυῶς λέγωσι τὸν ἐν ἑκάστῳ ἡμῶν θεὸν ὡς ἕνα καὶ τὸν αὐτόν, &c. idest: *Unum quiddam idémque numero esse simul ubique totum communis indicat humanæ mentis notio: quando omnes naturali quodam instinctu clamant in unoquoque nostrum esse Deum, adeò ut unus in omnibus idémque sit Deus* &c. Dissolutis quæ adversus meam sententiam proponi possunt objectionibus, addo tantam esse Psalmo nostro cum Psalmo CXLIII. similitudinem ut unum esse utriusque argu-

[a] Instit. lib. II. c. 1.
[b] cap. 17.
[c] lib. de test. animæ.
[d] in Octav.
[e] lib. 2. adv. Gentes.
[f] Ennead. VI. lib. V. cap. 1.

mentum arbitrer : nisi quod Psalmus CXLIII. Davidem cum Philistæis decertaturum spectet ; Psalmus verò XVII. ad eundem pertineat Principem quum victoriam à præfatis Philistæis retulit.

TITULUS.

In finem puero Domini David qui loquutus est Domino verba cantici hujus in die qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum ejus, & de manu Saul; & dixit.

PSALMUS XVII.		PARAPHRASIS.
Diligam te Domine fortitudo mea:	1	Diligam te Domine fortitudo mea:
Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus:	2	Domine robur meum, refugium meum, liberator mi:
Deus meus, adjutor meus, & sperabo in eum:	3	Deus mi, *atque* adjutor mi, in quo & sperabo *semper.*
Protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus.	4	Protector mi, salutis meæ assertor, & defensor mi
Laudans invocabo Dominum: & ab inimicis meis salvus ero.	5	Gratias agam Domino laudem *ipsi* dicens : utpote qui, *ope ejus*, ab inimicis meis liberatus fuerim.

ANNOTATIONES.

in finem, &c. Quid de hoc titulo sentiam aperui in argumento, quod consule.

puero. id est servo. Vide Gen. XXIV. 65. Jud. XIX. 11. I. Reg. XX. 40. &c.

firmamentum meum. LXX. Senes metaphoram *petra mea*, quæ est in Hebræo & quam Aquila ac Symmachus, teste Eusebio, sequuti sunt, explanarunt non solùm heic, sed etiam in istis loquutionibus *refugium meum, protector meus* pro quibus Hebræus textus habet *arx mea, scutum meum.* Metaphoram verò retinuerunt in hac phrasi *cornu salutis meæ*, quâ significatur potens ac robustus defensor: sumtâ metaphorâ ab animalibus cornutis quæ robur in cornibus habent, iisque se tuentur. Quod rectè intellexerunt Theodoritus & Muisius. Prior : τὸ δὲ κέρας &c. *Cornu salutis posuit ex translatione ferarum qua cornibus hostes ulciscuntur.* Alter : *cornu salutis meæ hoc est cornu quo hostem repello ac ferio: translatione sumtâ ab iis animalibus quibus robur & vita præsidium est in cornibus.* Quo sensu *Deut.* XXXIII. 17. *cornua Rhinocerotis cornua illius*, &c. Omnia autem hæc epitetha in Deum nobilis victoriæ auctorem egregiè quadrant : suntque veluti totidem caussæ quæ

Davidis in Deum amorem inflammabant qd. diligam te Domine quia fuisti fortitudo mea, robur meum, refugium meum, liberator meus, adjutor meus, protector meus, præsidium meum, & defensor meus in bello quod cum Philistæis gessi.

laudans, &c. Flaminius: *scilicet ego semper summâ pietate colui Dominum, & ille invocantem... semper audivit, & omnium discriminum periculorúmque meorum fidissimus comes fuit.* Buchananus: *nam, simul atque tuas in laudes ora resolvo te venerans pacémque petens, inimica facessunt arma, salus placidísque comes pax advolat alis.* Nonnulli: *Dominum laudatum* seu *laude dignissimum invocabo, &c.* Alium ego sensum sequutus sum, sumens *invocabo* pro gratias agam, & copulam *&* pro *quia* ut Psal CXV. 4. 1. 3.

6 *Circumdederunt me dolores mortis: & torrentes iniquitatis conturbaverunt me:*

Mortis angustiis undique premebar: & iniquorum *hostium meorum impetus* instar torrentium *incitati* terrorem mihi incusserant:

7 *Dolores inferni circumdederunt me; præoccupaverunt me laquei mortis.*

Præsentissima corruendi in sepulchrum pericula circumdederant me; & laquei mortis ambierant me undique.

8 *In tribulatione mea invocavi Dominum, & ad Deum meum clamavi:*

In meâ *hac* ærumnâ invocavi Dominum, & ad Deum meum clamavi:

9 *Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam: & clamor meus in conspectu ejus introivit, in aures ejus.*

Ipseque, è sancto suo cœlo, vocem meam audivit: & clamor meus in conspectum illius pervenit, *atque usque* ad aures ipsius.

10 *Commota est, & contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt & commota sunt, quoniam iratus est eis.*

Tum commota est, & contremuit terra: & fundamenta montium conturbata sunt atque concussa *ob gravem*, quâ *Deus* in ipsa ardere *videbatur* iram.

11 *Ascendit fumus in ira ejus: & ignis à facie ejus exarsit, carbones succensi sunt ab eo.*

Spirabat *namque* fumum è naribus præ iræ vehementiâ: tantúsque è facie illius, emicabat ignis, ut ab eo carbones accenderentur.

dolores mortis. Heb. *funes mortis*, hoc est pericula ad mortem trahentia: quæ Noster *dolores* rectè vocat. Nam, quum in maximis illis periculis versamur, vehementi dolore afficimur; dum scilicet circumstant nos pericula quæ ad sepulchrum ducunt. Theodoritus: Ὠδῖνας θανάτου &c. *Dolores mortis & inferni nuncupat internecina pericula. Quemadmodum enim dolores sunt propè ipsum partum, sic maxima discrimina ad mortem appropinquant.*

torrentes iniquitatis. Hostiles Philistæorum copias instar torrentium inundantes metaphoricè intelligit. Confer Is. VIII. 7. & Theodoritum audi: χειμάῤῥους &c. *torrentes iniquitatis injustos atque frequentes inimicorum impetus appellavit. Etenim sicut torrens, aquarum concursus hinc inde venientes recipiens, repentè impetum facit; sic etiam Saul cæterique hostes impressionibus utebantur.*

inferni. id est sepulchri. Vide annotata ad Psal. VI. 5. XV. 11.

laquei mortis. Theodoritus, Theodorus Antiochenus, aliique complures *laqueos mortis* insidias interpretantur: sed illis auctoribus non assentior ob præcedentem versum in quo hostiles incursiones torrentibus comparatæ fuerunt, quod insidiis non convenit. Itaque laquei mortis non aliud esse videntur quam summa illa atque extrema discrimina quæ quum ingressi fuimus non procul à periculo vitæ absumus; & quasi mortis laqueis irretiti videmur: imminente undique morte; & nullo, ad eam effugiendam, exitu nobis patente. Hic porrò versus prioris est repetitio, & in utroque metaphoram adhibet Vates.

de templo sancto suo. Eusebius & Theodoritus *cælum* intelligunt quia templum Hierosolymitanum nondum extructum erat: sed hæc ratio mihi non probatur attendenti loca I. Reg. I. 7. 10, II. 29. ubi ædem, quæ in Silo erat, Templi nomine insignitam video antequam Salomon Templum Hierosolymitanum ædificaret. Etsi autem ratio à præfatis Doctoribus allata minùs arrideat, eorum de templo interpretationem laudo ex Psal. X. 4.

commota est, &c. figurata loquutio, qualem habes apud Is. XXIX. 6. ut necesse non sit materialem terræ commotionem & montium conturbationem heic quærere. Adstipulatur Theodoritus: πάντα &c. *Omnia autem hæc posuit non quod omninò sic acciderint, sed quòd ita credita sint.* Figuratè ergo, ut dixi, seu metaphoricè ac poeticè loquitur David in hoc & sequentibus novem versibus, ubi Deum pingit iratum: quod egregiè exequitur iis quas usurpat, metaphoris, nominatim motu terræ heic descripto: nam auctor est in Achaicis Pausanias iram ac vindictam divinam terræ motu annuntiari. Hanc autem commotæ terræ metaphoram & alias à Vate nostro adductas imitatione expressit Æschylus: ita ut non dubitem quin Psalmum præ oculis haberet quum, de Deo loquens, dixit. ... νῦν δὲ ὡς πῦρ &c. *Nunc velut flamma emicat, aditúmque prohibet: unda mox, caligo mox, mox & tremenda similis apparet fera, vento, atque nubi, fulguri, tonitruo, imbrique similis. Pontus huic. fontes, petra, atque, orbe toto quicquid undarum est, obsequitur. Illum montium horrescunt juga: tremitque tellus, & sinus vasti maris, dum Dominus acri cuncta visu despicit.* Locum adducit Eusebius lib. XIII. de Præp. Evang. cap. 13. pag. 689. Aquila, referente Eusebio, posuit *& mota est & concussa est terra* pro *& commota est & contremuit terra* Metaphoras in hoc & sequentibus versibus usurpatas optimè explicavit Flaminius his verbis. *Quod ait montes intremuisse &c. terrâ desidente, aquarum profundas id est intimas venas apparuisse & retecta esse fundamenta orbis terrarum. eam esse hyperbolem intelligo, quâ utitur ad vim & impetum iræ divinæ exprimendum atque amplificandum. Cùm verò Deum de cælo descendentem facit, ea res ad providentiam ejus referenda est bonos tuentem & improbos ulciscentem. Quòd illum volantem inducit & pennigeris cælitibus alisque ventorum insidentem, id quidem incredibilem divinæ mentis celeritatem significat: hoc est vim omnia penetrantem, vim ubique præsentem, & cuncta cælo terrâ marique perlustrantem. Cùm verò grandinem & sagittas & ignem commemorat, intelligi vult pœnas & supplicia quæ Deus infligit hominibus sceleratis & impiis.*

fundamenta montium, &c. Montes terræ motu concussos repræsentant *a* Virgilius, *b* Plinius, *c* Julius Obsequens, aliique: &, quâ ratione id fiat, docet *d* Aristoteles. Atque hæc annoto non ut suadeam montes à Davide memoratos verè concussos fuisse, sed ut ostendam usurpatam ab eo metaphoram bono niti fundamento, Symmachus, narrante Eusebio, interpretatus est *eversa* pro *commota.*

a I. Georg. ubi de Alpibus loquitur.
b lib. II. cap. 83. lib. VII. c. 16.
c cap. 116.
d lib. de mundo cap. 4.

iratus est eis. Rabbinis ultima vox est in singulari, ut sensus sit quòd Deus iratus erat. Sed versio nostra retineri debet: nam etsi Deus montibus non esset iratus, id tamen per prosopopœiam credidere montes, ubi eum viderunt irâ inflammatum: atque ex hac opinione fluxit eorum tremor seu horror ut habet Æschylus, cujus loquutio pronomini nostro plurali favet.

ascendit fumus in ira ejus, &c. eximia irati Dei descriptio quam imitantur. *e* Homerus μένεος δὲ &c. *circumfusa illi* (Agamemnoni) *præcordia plena furore, Ignibus & similes oculi sub fronte micabant.* *f* Virgilius: *His agitur furiis, totòque ardentis in ore scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis;* *g* alibi: *Ignescunt iræ;* *h* Cicero: *nam quum spumas ageret ore, arderent oculi. Idem inflammatus scelere ac furore in forum venit: ardebant oculi.* &c. Igne quoque ira significabatur in isto, cujus *i* Athenæus & *k* Plutarchus meminere, Pythagorico symbolo *ignem gladio ne scalpas.* Theodorus Antiochenus: *Ignem, Dei vin-*

e Iliad. I.
f Æneid. 12.
g Æneid. 9.
h 4. in Verr.
i lib. 10.
k lib. de lib. educ. p. 12. E.

Kk

dictam appellare consuevit, ut aliàs iram ipsius Dei adversus hostes per præcurrentem ignem declaravit.„ Hac eadem figurâ heic etiam utitur ut notum sit per ignem ante ipsum ostensum iram contra hostes significari. Quare sibi constans, per figuram, quâ Deo corpus attribuit, dixit ascendit fumus in ira ejus. S. Augustinus habet *exardescit* pro *exarsit*. Theodoritus legit in futuro *exardescet*.

Inclinavit cœlos & descendit, & caligo sub pedibus ejus.	12	*Atque, ut suam illam iracundiam celeriùs & opportuniùs in hostes exerceret*, inclinavit cœlos & descendit, erátque sub pedibus ejus caligo:
Et ascendit super Cherubim; & volavit: volavit super pennas ventorum:	13	Ascendítque super Cherubimum; &, *eo vectus*, volavit: volavit & pennis ventorum instructus:
Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu ejus tabernaculum ejus, tenebrosa aqua in nubibus aeris.	14	Latebátque in *densis & obscuris* tenebris; & habebat, circum se in modum tugurii, aquam tenebrosam nubibus aeris involutam.
Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt; grando & carbones ignis:	15	*Móxque*, præ fulgurum ad conspectum ejus micantium splendore, obscuræ illæ nubes discussæ sunt; & igniti carbones grandine permixti emicuerunt:
Et intonuit de cœlo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam: grando & carbones ignis.	16	Intonuítque ex aere Dominus, & Altissimus vocem suam *tonitru* circumsonare fecit *unà cum* grandine *illâ* carbonibus ignitis permixtâ.

inclinavit cœlos. Descensionem hanc figuratè accipe cum Philone & SS. Augustino ac Theodorito, quorum verba digna sunt quæ heic legantur. *a* Philo hæc Geneseos verba *descendit Dominus ut videret civitatem & turrim*, explanans ait: Τ[illegible] &c. *figuratè accipienda sunt hæc: nam, credere quòd Deus accedat aut recedat, descendat item vel ascendat, vel omninò ut cætera animantia moveatur loco, impietatis est deportanda in extremas, ut vulgò dicimus, insulas Oceani. Sed ista humano more Legislator de Deo dixit (quamvis haud quaquam humanâ formâ prædito) ad utilitatem discentium, ut jam ante non semel admonuimus. Quis enim ignorat eum, qui descendat, oportere locum alium relinquere alium occupare? Porrò Deus implet omnia, circumdans non circumdatus, cui accidit ut ubique sit ac nullibi.* S. *b* Augustinus: *vide ne ascensionem & descensionem localem sentias. Indignum est hoc de incorporeâ & ubique totâ sentire substantiâ: sed descendere dicitur Deus, quando curam humanæ fragilitatis habere dignatur.* *c* Theodoritus: Ἀλλ' ὅ[illegible] &c. *verumtamen neque descensum neque ascensum divina natura nos novimus: incircumscriptus enim est Deus, ubique præsens, omnia continens.* Innotuit porrò Ethnicis, & imitatione ab illis expressus est versus noster; sed ad pravum usum ab eis fuit detortus quum non Deo vero, sed Jovi tonanti & pluviam emittenti descensum tribuerunt. Nimirum Jovem coluerunt illi καταιβάτην *descensorem* ob tonitruum, fulminum, & pluviarum tempestates. *d* Virgilius: *Jupiter & læto descendit plurimus imbri.* *e* Eustathius: Καταιβάτης Ζεὺς &c. *Jupiter*

a lib. de Confus. ling.
b Serm. 7. de temp.
c in Psal. 17.
d Ecl. 7.
e in Homer.

CATÆBATES *& fulmen descensorium per epitethum à descendendo dicitur.* *a* Pausanias meminit aræ Jovis *Catabatis*, quem Interpres *Elicium* rectè dicit, ut patet ex *b* Turnebo.

caligo. adhibitam volunt aliqui ne Deus ab hostibus videretur, sicque eos securiùs feriret. Malim ego prædictâ dictione designari aerem caligine obductum, quemadmodum fieri videmus tempore pluvioso: cujus heic eximiam habes descriptionem, quâ ingentes calamitates à Deo immissæ intelligi debent, ut monet Kimchius. Memoratæ à Davide caliginis non oblitus est Æschylus in loco superiùs laudato.

Cherubim. Vox illa Angelorum ferè est propria, & significat spirituales substantias scientiæ plenas: de quibus S. *c* Athanasius, S. *d* Chrysostomus, *e* Theodoritus, *f* Dionysius, *g* Gennadius, *h* Patres Concilii Nicæni secundi, & Theologi passim. Sed hæc significatio non semper obtinet: etenim vox *Cherub* animalis genus ex homine, aquilâ, leone, & bove constans: imò unum ex illis animalibus interdum denotat ut apparet collatis locis Ezech. I. 10. X. 14. Et quidem in Psalmo nostro *Cherub* pro Aquila (quomodo in antiq. Hist. lib. VIII. pag. 261. C. accipit Josephus illud III. Reg. VII. 29.) sumi videtur: nec obstat quòd Aquila humano, qualis heic depingitur, sessori portando impar videatur: nam veloci cursu illa fertur, & de solâ heic agitur velocitate. Cherubimo nostro respondere videtur memorata ab Æschylo fera; à quâ non longè abit Theodorus à *i* Theodorito productus: cujus opinionem sub Theodoreti nomine recitant *k* Pererius & *l* Sixtus Senensis; sed diverso modo tractant. Josepho Antiq. III. 6. p. 83. A Cherubes sunt ζῶα πετηνά *animalia volucria.*

super pennas ventorum. similiter exteri Poetæ rebus celeribus alas assignant. *m* Euripides Soli orienti, *n* Virgilius fulmini alas tribuunt. Sed ad Psalmum nostrum propiùs accedunt alæ, quas veteres Poetæ Iridi & Mercurio Deorum nuntiis affingunt. B. *o* Dionysius existimat per *pennas ventorum* Angelos denotari qui, non secùs quam venti, sunt inconspicui & mirâ celeritate vigent. Huic sententiæ regula Synonimica favere videtur; sed repugnat Psalmus CIII. 4. in quo, per *pennas ventorum*, Angeli non significantur, sed venti: quam significationem eò libentiùs heic admitto quòd cum eâ prædicta Synonimorum regula optimè stat: nam, etsi idem subjectum in utroque hemistichio non repetatur, eadem tamen celeritas repetitur, quod sufficit.

posuit tenebras, &c. Hoc etiam imitatus est Æschylus in loco superiùs adducto.

nubes. Hebræus textus habet *nubes ejus*: sed nostra lectio melior est, quanquam utraque eodem recidat. Hic porrò versus aliter concipitur in II. Reg. XXII. 13. nec sola est hæc discrepantia. Nam idem Regum caput cum Psalmo nostro collatum alias suppeditat discrepantias: quas qui attento expenderit animo, non dubitabit quin Hebræo textui hodierno maculas inusserint invidiosa vetustas & indiligentes scriptores.

transierunt. sup. adversùs hostes juxta Kimchium & Joachimum Hopperum. Jansenius: *dissoluta sunt & in pluvias conversa abierunt.* Muisius hunc versum sic explicat. *Præ fulgore micantium fulminum disrupta sunt nubes: & in hanc & illam partem variè distracta, undéque grando & tela fulminea eruperunt.* Rectiùs *p* Flaminius: qui postquam dixisset *prætorio suo densissimos imbres nimbósque nigerrimos circumdederat*, addidit: *sed tenebras illas cæcas fulgor ignium micantium discutiebat: grandine, procellis, fulguribúsque omnia miscebantur.* In eandem sententiam laudatus auctor dixerat in explan. *præ fulgore fulgurum micantium obscuritas nebularum dissolvebatur.* Hunc autem sensum Buchananus non malè expressit his versibus. *Acribus ex oculis vibrata spicula flamma discutiunt tristes claro fulgore tenebras. Inde ruit crepitans lapidosa grandinis imber; discursántque vaga sinuosa volumina flamma.* Præluxerat Theodoritus dicens: τῇ παχύτητι &c. *nubium densitate tenebrosus factus aer fulgoris splendorem emittit.*

de cœlo. Heb. *in cœlo*. sed locus II. Reg. XXII nostrum confirmat.

vocem suam. idem repetitur: nam vox Domini est tonitru. Vide Psal. XXVIII. 3. & seq.

grando & carbones ignis. Hæc ad septimam Ægyptiorum plagam Exod. IX. 23. alludunt verba: quæ ab Augustino absunt, ut & à Theodorito aliisque Græcis tractatoribus: sed in Hebræo reperiuntur, & apud sanctum comparent *q* Hieronymum: qui *r* alibi notat de Hebraico & de Theodotione in LXX. interpretatione sub asterisco esse addita.

a in Iliac. pag. 314 lin. ult. edit. Gr. Lat. Hanov. 1613.
b Advers. lib. II cap. 9.
c in serm. super illis verbis Luc X 22. *omnia mihi tradita sunt à patre meo.*
d serm 3. de incompreh. Dei nat & comment. in Gen III. 24.
e lib. div. decret cap. 7.
f lib. de cœl Hier. c. 7.
g in Gen. III. 24.
h Act. 4. pag. 319. 10. 19.
i quæst. 40. in Gen. p. 35.
k lib. 6. Comment in Gen. q 5.
l lib. 5. Biblioth sanctæ annot. 58.
m in Jone.
n Æneid 5.
o lib. de cœlest Hier.
p in Paraphr.
q in Comment.
r Epist ad Sun & Fret.

17 *Et misit sagittas suas; & dissipavit eos: fulgura multiplicavit, & conturbavit eos.*

Suàque misit tela fulminea; & eos, *qui mecum pugnabant*, *hostes* dissipavit: fulgura multiplicavit, & conturbatos profligavit.

18 *Et apparuerunt fontes aquarum; & revelata sunt fundamenta orbis terrarum*

Apertæque sunt aquarum scatebræ *quæ in mari latent*: & *maria*, *quæ sunt* orbis terrarum fundamenta, *siccata* fuerunt *atque ita* retecta

19 *Ab increpatione tua Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ.*

Gravi illâ tuâ iracundiâ Domine, & ardenti illo spiritu quem naribus efflabas iratus.

20 *Misit de summo: & accepit me, & assumsit me de aquis multis;*

Hæc dum gererentur, *suam* è sublimi, *quem habitat*, *loco*, *manum* misit *Deus*: & me assumtum eruit ex faucibus hostium meorum qui me, quasi aquæ multæ, absorbere studebant;

21 *Eripuit me de inimicis meis fortissimis: & ab his qui oderunt me, quoniam confortati sunt super me.*

Eripuit me è manu hostium meorum fortissimorum: méque ab his qui me oderant *suâ liberavit virtute videns meam hostili esse imparem*, nam robustiores me erant *inimici mei*.

22 *Prævenerunt me in die afflictionis meæ; & factus est Dominus protector meus:*

Scilicet illi undique me premebant quo die *contra eos congrediebar* afflictus *ob virium inæqualitatem*; Dominus autem opem mihi tulit:

sagittas suas. id est tela fulminea ut secundo apparet hemistichio & Psal. LXXVI. 17.

& apparuerunt. alludit ad scissionem maris rubri Exod. XIV. 21. Confer Psal. CV. 10.

fontes aquarum. Noli cum quibusdam existimare fontes heic denotari qui in montium & rupium cacuminibus oriantur; sed aquarum scatebras, quæ in mari latent, intellige. Scilicet omnia flumina è mari exeunt ut docet Eccles. I. 7. & creditum est veteribus Philosophis: qui mare universæ aquæ corpus & originem esse putabant ut testatur Aristoteles lib. II. Meteor. cap. 2. C. p. 427. Hæc explicatio confirmatur secundo hemistichio ubi orbis terrarum memorantur fundamenta: hæc enim nihil sunt aliud quam maria, dicente Davide Psal. XXIII. 2. *quia ipse super maria fundavit eam.*

aquis multis. hostes tropicè intelligit ut ex versu sequenti patet, quod rectè notavit Theodoritus: cui favet versus 6. suprà, ubi hostes torrentibus assimilantur. Favent & Isaias illic à nobis productus, & S. Johannes in Apocal. XVII. 15. Unde Flaminii interpretatio *extraxit me ex profundis gurgitibus calamitatum*, & Muisii explicatio *aquis multis hoc est magnis periculis* minùs rectæ heic videntur: quanquam *aquæ* pericula & calamitates designent Psal. LXVIII. 1. 2. 3.

ab increpatione. Confer Psal. CV. 10.

quoniam. Quidam vertunt *etsi.* Alii *quum.* Sed nostra præstat versio : nam ratio redditur cur divinum auxilium fuerit necessarium.

prævenerunt. Aliqui : ***irruerunt in me incautum & nihil tale cogitantem , & repentino impetu oppresserunt me quum accisa essent res mea.*** Sed ista huic loco minùs bene congruere videtur explicatio. Nostra ut probetur observandum est cum Grotio verbo קדם non semper significari prævenire , sed *circumdare* ut IV. Reg. XIX. 32. unde quod in Psal. LVIII. 10. est יקדמני idem est in Psal. XXXI. 13. יסובבני. In eandem sententiam explanavimus verbum *praeccupaverunt* suprà vers. 7. qui cum isto versu & laudatis Regum , ac Psalterii locis collatus nostram explicationem confirmat.

in die afflictionis mea. diem, quo David prælium cum Philistæis inivit, intelligo ex ultimis versus præcedentis verbis : in quibus quum David inimicos fortiores se fuisse dicat, afflictionis ejus rationem facilè percipimus ; & cur illum prælii diem vocaverit ***diem afflictionis sua*** nullo capimus negotio. Scilicet David viribus impar non potuit non mœrere & tristitiâ aliquâ affici dum manus cum hoste confligere cœpit : sed divino postea roboratus auxilio, animum erexit ; & , qui initio prælii afflictionis fuerat dies , in festivum lætúmque diem paulò post conversus est. Symmachus, teste Theodorito, ***afflictionem*** vocaverat *ταλαιπωρίας* ***miseriam.***

Et eduxit me in latitudinem ; salvum me fecit, quoniam voluit me.	23	Et me *ex angustiis, in quas fueram compulsus* , eduxit in latum tutúmque locum : mihí*que* pro eo, quo me prosequebatur, amore salutem attulit.
Et retribuet mihi Dominus secundùm justitiam meam: & secundùm puritatem manuum mearum retribuet mihi.	24	Et præmio me affecit pro integritate meâ : mihíque mercedem tribuit pro eâ puritate quâ manus meas *ab omni scelere* puras servaveram.
Quia custodivi vias Domini : nec impiè gessi à Deo meo:	25	Custodieram enim mandata Domini : nec eâ *me* gesseram *impietate ut* à Deo meo *deficerem:*
Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo ; & justitias ejus non repuli à me.	26	Omniáque ejus statuta assiduè ante oculos meos versata fuerant ; & præcepta ejus à me non repuleram.

& eduxit me. &c. Eusebius : ***Et in loco spatioso, ut Symmachus vertit , & amplo me collocavit : nam positum in angustiis & de salute meâ desperantem liberavit, & in latitudinem eduxit me ut ibi recreari & colligere me , meaque valetudinis curam gerere possem.***

quoniam voluit me. Aquila, narrante Eusebio, verteret ***quoniam consultus est in me.***

retribuet mihi. verti posset ***benefecit mihi*** : quomodo vox גמל accipitur Psal. CXVIII. 17. Sed vulgaris significatio sequentibus magis accommodata videtur. Ex hoc autem versu & duobus proximè venientibus intelligimus Psalmo isto cani pugnam quæ ante stupratam Bethsabeam & occisum Uriam commissa fuerit : qualis fuit ea quam in Argumento annotavi ex II. Reg. VIII. 1. quæque eadem videtur esse atque illa cujus mentio fit in eodem libro cap. XXIII. 10. Suam porrò hoc tempore innocentiam non immeritò prædicabat David: nam vitam egerat nullo , quod grave esset , crimine contaminatam ; fueràtque ille magnorum purus scelerum. Atque ita intelligi debet ea quam sibi David heic adscribit inte-

gritas : quam ab eo memoratam fuisse puto quia divini nostri Sospitatoris, in quo perfecta integritas refulsit, personam gerebat. Aliam nec spernendam rationem affert Theodoritus quum ait. ἐπειδὴ &c. *Postquam ostendit Deum ipsius multam curam gessisse, hujus rei justitiam demonstrat : ad virtutem audientes adhortans, atque docens nos hanc assequi minimè posse nisi purè Deum diligamus. Nec enim suorum rectè factorum numerum omnibus ostendere Propheta voluit ; sed proponere quomodo possimus divinam curam impetrare.*

judicia. hoc nomine, ut & sequenti *justitias*, mandata & præcepta Domini denotantur ut apparet Psal. XVIII. & CXVIII.

in conspectu meo. Symmachus vertit *coram oculis ejus*, ut testatur Eusebius : qui legit *in conspectu oculorum ejus*. S. Augustinus nostram versionem sequitur : sed addit vocem *semper*, quæ mihi valdè probatur.

justitias ejus non repuli à me. Sixtina LXX. Senum editio habet τὰ δικαιώματα αὐτοῦ οὐκ ἀπέστησαν ἀπ' ἐμοῦ *justitia ejus non recesserunt à me :* eaque lectio reperitur in Cod. Reg. 928. 1532. 1775. 2603. 2606. 2653. & Colb. 4439. 6158. sed Psalt. Complut. & Cod Reg. 2723. ac Colb. 6051. & 6520. vulgatam exhibent lectionem τὰ δικαιώματα αὐτοῦ οὐκ ἀπέστησα ἀπ' ἐμοῦ *justitias ejus non repuli à me.* Theodoritus priorem lectionem sequitur. S. Augustinus secundam repræsentat. S. Athanasius in catenâ Danielis Barbari utramque lectionem profert. Textus Hebræus Vulgato consentit.

Et ero immaculatus cum eo : & observabo me ab iniquitate mea.	27	Fuerámque immaculatus coram eo : & *sollicitè* caveram *ne* iniquitate mea *offenderem illum*.
Et retribuet mihi Dominus secundùm justitiam meam ; & secundùm puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus.	28	*Quare* & Dominus juxta integritatem meam ; & juxta *illam* manuum mearum puritatem, *quam* coram eo *servaveram*, remuneravit me.
Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris :	29	Soles namque *Domine* misericordiâ uti erga pium, & viro innocenti benefacis :

cum eo. id est coram eo, ut patet versu sequenti & Psal. LXXI. 5. Non contemnenda tamen est Johannis Geometræ à Daniele Barbaro producti interpretatio hæc. *Solus qui cum Deo est, immaculatus esse potest : conjunctio enim & unio cum Deo immaculatos servat ; à qua si quis sejunctus est, reprehensibilis filius efficitur.* Similiter Anonymus in Catenâ Corderianâ : χωρὶς θεοῦ &c. *absque Deo non est esse immaculatum.*

iniquitate mea. ad præterita peccata, homicidium nempe & adulterium quibus in posterum abstinere velit David, refertur à Theodorito, Flaminio, aliisque : quibus non assentior cùm ob Synonimicam regulam, tum ob Psalterianam seriem.

cum sancto, &c. Quandoquidem sancti & innocentis viri partes sunt ut piis in ærumnâ jacentibus misericordiam impertiatur, & innocentibus mœrore confectis benefaciat, sanctus atque innocens vocatur à Vate Deus quando misericordiâ & bonitate erga cultores suos afflictos utitur. Atque hæc vera videtur esse caussa harum loquutionum : quas Theodoritus, Cornelius Jansenius, & Flaminius ita explicant. Theodoritus : Πρὸς τὰς γνώμας &c. *ad bonas vel malas hominum voluntates tu ô Domine, remunerationes accommodas. Nam sanctis sanctitate digna prabes, & innocentibus atque à peccato liberis res congruas, & electis perfectisque res perfectas : digressis autem à viâ rectâ & contrariam ambulantibus congruum vitæ finem praparas.* Jansenius : *qualem se quisque gesserit talem & tu Domine te geres adversus eum. Cum eo enim qui sanctitati & justitiæ studet tu te vicissim sanctum & bonum exhibebis,*

fidelissimè illi praestans quae pollicitus es ; & cum homine innocenter vivente tu quoque ages innocenter nihil illi, quod non promeruit, mali rependens. Flaminius : *qualem quisque se gerit talis Domine adversus quemque es : ut enim justitiam & pietatem colentibus amplissima praemia pro virtute & sanctitate persolvis : sic quem perversitas morum à rectâ vivendi ratione averterit, in eum severus & acerbus existis gratiam ei referens quam debet.* Laudatus à me Theodoritus, pro vulgata lectione ὅσιος ἔσῃ. *sanctus eris*, habet ὁσιωθήσῃ *sanctificaberis* quomodo vertit *a* Tertullianus : à quo non longè abit sanctus *b* Cyprianus qui legit *justificaberis*.

a de Exhort. Cast. cap. X. At lib. V. adv. Marc. c. 18 legit *justus eris* : & lib. de Pud. c. 18. *sanctus eris*.
b in exposit. Symb.

Et cum electo electus eris, & cum perverso perverteris.	30	Probis bonitatem exhibes, & perversis malum inuris.
Quoniam tu populum humilem salvum facies, & oculos superborum humiliabis:	31	Iccirco afflictum populum *Israeliticum tui metuentem* servasti, & superborum nostrorum hostium oculos depressisti:
Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine: Deus meus illumina tenebras meas.	32	Lucémque mihi *in moeroris caligine degenti* attulisti *recreans me* ; & *meae aerumnae* tenebras *favoris tui lumine irradiatas* discussisti Deus mi.

cum electo electus eris, &c. versus iste praecedentis est repetitio, atque à Cornelio Jansenio sic explicatur. *Illi, qui ob vitae puritatem singulariter est probatus, tu quoque singularem exhibebis benignitatem : contrà autem cum eo qui pessimus est moribus à rectâ vivendi ratione aversus est & perversus ; tu etiam non benignè sed pravè hoc est severè admodum ages, mala & pro meritis malis inferens. Tu cum ea promissionem tuam & morem tibi proprium, qui est misereri & benefacere, invertes quemadmodum ipse ab eo quod esse deberet inversus est.* Confer Levit. XXVI. 23. 24. III. Reg. VIII. 32. Prov. III. 34.

quoniam tu populum, &c. Hebraea vox כי heic adhibita aliquando valet *igitur, idcircò* ut I. Reg. II. 25. & Jer. IV. 18. & in eam sententiam hoc in loco & sequentibus duobus versibus accipienda videtur.

humilem. Aquila *pauperem*. Symmachus *mansuetum* interpretati sunt, ut auctor est Eusebius.

oculos. sup. elatos qui superbiae sunt nota, ut videre est Psal. CXXX. 1. Superbiam autem Deo esse invisam & ab eo castigari dixerunt, post vatem nostrum, Aeschylus : Ζεύς τοι κολαστὴς &c. & Philemon: Οὗτος ἴδε &c. Aesopus interrogatus quid Deus faceret, respondit sublimia eum sternere, humilia autem erigere.

illuminas lucernam meam, &c. luce prosperitatem, tenebris aerumnam significari monui ad Psal. XII. 4. Admoneo heic lucernam Vati memoratam accipi debere pro lucerna jam extincta qd. *lucernam meam jam extinctam illuminas* : paulò aliter ac sumit Muisius, qui caeteroquin aliqua heic profert lectu digna. *Me olim calamitosissimum ac miserrimum non cessas quotidie ornare atque amplificare. Illuminas lucernam meam, hoc est elucere facis salutem ac prosperitatem meam : facis ut omnia mihi affulgeant & prospera contingant. Salus enim & prosperitas est veluti lux & splendor : dúmque res ad voluntatem fluunt, cuncta apparent lucida, magis spiritibus tunc lucidioribus ; contrà angustia ac miseria tenebras veluti offundunt : & in calamitatibus, spiritibus turbatis & confusis oculi caligant : ideóque tunc omnia tenebris videntur involvi : quo sensu mox dicit, Dominus meus illuminat tenebras meas, hoc est meas calamitates depellit.* Lucernam rectiùs accipit Cornelius Jansenius quum ait : *Tu is es qui lucernam meam jam penè extinctam, rursum tuâ luce accendisti*

solitus es : tu meam gloriam adversitatum tenebris obscuratam ac pene deletam, tuo favore quasi luce quadam rursus illustrare soles.

illumina. in Sixtina editione, Psalterio Complutensi, aliisque Græcæ LXX. Senum versionis monumentis legimus φωτιεῖς *illuminabis*; sicque legit B. Augustinus. Hebræus textus habet ***illuminabis.*** Græcis adhæsi libris & Augustino, eorúmque futurum *illuminabis* verti per præteritum, ut licet.

33 *Quoniam in te eripiar à tentatione : & in Deo meo transgrediar murum.*

Tuóque præsidio ex angustiis, *quibus circumcludebar*, ereptus sum: &, Deo meo opitulante, *hostiles* urbes muris instructas expugnavi.

34 *Deus meus impolluta via ejus : eloquia Domini igne examinata; protector est omnium sperantium in se.*

Nimirum Deus meus fidem sanctè servat : & promissa Domini instar argenti igne examinati *ab omni falsitatis labe sunt pura* ; omnésque in se sperantes protegit *Deus, ut pollicitus est.*

35 *Quoniam quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum nostrum?*

Ecquis ergo est Deus præter Dominum? Et quis Deus est præter Deum nostrum? *Nullus profectò hoc nomine dignus est præter illum.*

36 *Deus, qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam vitam meam.*

Ipse est ille Deus qui fortitudinem mihi præbuit, & immaculatam, *quâ dignus essem qui fortitudinem illam contra hostes exercerem*, vitam mihi concessit.

tentatione. Hæc dictio nomini ***tribulatione*** versu 8. suprà posito respondet : nam tentatio in Scripturis sæpe sumitur pro ærumnâ & calamitate quâ Deus homines, præsertim justos, tentat ac probat, ut apparet collatis locis Tob. II. 12. Sap. XVIII. 20. Eccl. XXVII. 6. Luc. XXII. 28. Act. XX. 19. In eam sententiam accipienda videtur tentatio isto versu memorata : quam quum laudatis testimoniis ac binis locis IV. Reg. XXIII. 12. & Jer. XLIX. 19. comparo, in eam ducor conjecturam LXX. Senes legisse ארוץ ממסה ***eripiar à tentatione*** pro ארוץ גדוד ***percurram exercitum. perfringam turmam*** ; aut ***curram accinctus*** ut vertit B. Hieronymus quemadmodum in II. Reg. XXII. habet Vulgata nostra : ex cujus duplici interpretatione colligo Psalterianum textum à Regali olim discrepasse ; & vero esse simile ut Psalterianus ille textus eâ, quam descripsi, ratione lectus fuerit. Nec magnum ambarum vocum גדוד & ממסה discrimen obstat : nam major invenitur differentia in laudato Regum cantico ubi mutata non solùm reperiuntur aliquot nomina ; sed versus integer desideratur, ut ei fiet manifestum qui prædictum canticum cum Psalmo nostro contulerit : quâ ex collatione insuper discet Hebræis codicibus, jam inde ab Interpretis nostri ætate, nonnullas aspersas fuisse maculas, quæ postea creverint.

transilis murum. in historiâ Regum ac Paralipomenωn non legimus munitissimas Philistinorum urbes expugnatas à Davide fuisse; sed illud ex nostro edocemur Psalmo : in quo loquutio ista ***transilis murum*** non sic accipi debet quasi David scalis in murum ascenderit,

sed

sed quod per dirutum obsessarum urbium murum transierit & in eas ingressus fuerit, hoc est urbes illas munitissimas ceperit. Confer II. Esdr. IV. 3.

impolluta via ejus. Hæc de promissionum divinorum fide & constantiâ intelligi debent, ut ex secundo liquet hemistichio quod prius explicat, & cui simile occurrit in Psal. XI. 7. Cicero Psalterianam loquutionem imitatur in Hortensio: ubi *testimonium incorruptum* ponit pro sincero ac vero; & pro lege Manil. Num 1. ubi ait *in amicorum periculis castè integrèque versari.*

eloquia Domini. trahi hoc potest ad generalia illa quæ Levitici XXVI. mandata sunt promissa de auxilio piis ferendo: sed malim heic respici promissum quod II. Reg. III 18. recitatur, quódque Davidem speciatim spectat & Philistæorum nominatim meminit.

quoniam. non redundat ut quibusdam visum est; sed accipitur pro *igitur*, ut suprà.

posuit immaculatam viam meam. idest, juxta plerosque: viam mihi communivit, sustulit impedimenta de viâ sic ut inoffenso pede decurrerem, & ad optatos exitus proveherer. Sed sensus ille minùs benè congruit cum voce nedum Latinâ sed Hebræâ תמים quæ *immaculatum* significat, ut multis apparet versibus præsertim 34. suprà in quo locum habere nequit eâ, quam Rasi alíique heic intrudunt, sententiâ. Nostra profectò rectior est utpote quæ rei de quâ agitur consonet, & à Synonymicâ regulâ non discedat. Nam, postquam Vates victoriam pietati suæ paulò antea acceptam retulit & Deum cum sancto sanctum esse hoc est probis favere dixit, immaculatam vitam fortitudini sibi à Deo collatæ meritò subjungit, & idem repetit: qui enim integer vitæ est scelerísque purus, fortitudine præditus est quum Deum habeat adjutorem.

tanquam cervorum. S. Augustinus legit in singulari *cervi.* Sed B. [a] Hieronymus auctor est omnes interpretes transtulisse pluralem numerum, quem nostra exprimit versio: cui Cæsariensis Eusebius consentit in Catenâ Danielis Barbari; ubi etiam monet Aquilam, pro *immaculatam*, *perfectam* reddidisse, quomodo vocem illam hodierni Rabbini ferè interpretantur.

[a] Epist 135. col. 118. A.

Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum, & super excelsa statuens me. 37 Idem *ille* Deus pedibus meis cervinam, *quoties ex aliquo periculo evadendum erat*, velocitatem dedit, & me in tuto collocavit.

Qui docet manus meas ad prælium; & posuisti ut arcum æreum brachia mea. 38 Ipse docuit manus meas arma tractare; meáque brachia, *Domine*, reddidisti tam fortia quàm est arcus æreus.

Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ, & dextera tua suscepit me. 39 Salutarem tuam protectionem dedisti mihi, & dextera tua fulcivit me.

perfecit. S Augustinus, *perficit.*

excelsa. id est tuta: excelsa enim loca solent esse tuta: Quidam non tam benè vertunt: effecit ut prærupta & loca munita atque excelsa castella expugnarem.

statuit. S. Augustinus, *statuet.*

posuisti. mutatio personæ. Rabbini: *conteritur arcus æreus brachiis meis.* Idem ubique sensus, quanquam putem LXX. Senes legisse נחתה pro נחתה. Æerei autem arcus meminit Vates quia priscis temporibus arma ex ære erant ut apparet I. Reg. XVII. 38. nec non [a] Homero. ipsiúsque interprete [b] Eustathio, [c] Alcæo, [d] Virgilio, [e] Ovidio, [f] Pausania, [g] Dionysio Halicarnassensi, [h] Plinio, [i] Livio, [k] Lucretio, aliísque permultis: quod nemo mirabitur postquam ex Proclo & Tzetze Hesiodi interpretibus audierit æs temperaturâ quadam à veteribus densatum fuisse, sic ut non minori foret præsidio quam ferrum. Plura si velis, consule Cœlium Rhodiginum lib. 19. cap. 10.

[a] Iliad. ζ. vers. 199. & vers. 236.
[b] ad Iliad. α.
[c] apud Athen. lib. XIV. 5. pag. 627. A.
[d] Æneid. 2 *Ardentes clypeos* &c.
[e] Fast lib. 4. *Æs erat in precio.*
[f] in Laconic pag 163. lin. 40. & seq
[g] lib. 4. Ὅπλα φί-γευ &c.
[h] lib. 34. c. 7.
[i] in Servio Tullio *Arma hic imperata* &c.
[k] lib. 5. *Et prior æris erat* &c.

libri Regum, usus esset illud nobis Canticum tradidisset nitidius. Noster porrò versus trigesimo octavo succinit, innuitque Davidem, Deo usum magistro, bellum prosperè ac sapienter administrasse.

cadent subtus pedes meos. Jansenius: *sed victi prostratique jacuerint sub me.* Flaminius: *abjecti, prostrati, meisque viribus fracti jacuerunt omnes.* Contrariam ego viam ineo ex Psal XLVI. 3.

supplantasti &c. secundo præcedentis versus hemistichio istud respondet, & in eandem sententiam accipiendum videtur ex Psal. XLVI. 3.

omnes. Hanc vocem Sixtina editio & Theodoritus habent; sed additam esse monet S. Hier. Epist. 135. ad Sun. & Fret. col. 128. B.

48 *Eripies me de contradictionibus populi: constitues me in caput Gentium.*

Eripuisti me à populo *armis mecum* contendente: *&* me Gentium *exterarum* principem constituisti.

49 *Populus quem non cognovi servivit mihi: in auditu auris obedivit mihi.*

Populus, quem anteà *imperio meo subjectum* non agnoscebam, vectigal pendit mihi: *&* ad primum auris auditum mihi paret.

50 *Filii alieni mentiti sunt mihi: filii alieni inveterati sunt, & claudicaverunt à semitis suis.*

Ethnici *illi, quo sunt timore perterriti*, benevolentiam & voluntariam servitutem simulant: *iidémque Ethnici* debilitati sunt & viribus fracti.

eripies me. Sixtina editio minus benè legit *erue me.* Sanctus Augustinus habet *erues me.*

de contradictionibus. Observat Nobilius Theodoritum habere *de contradictione.* Ita fortasse habuit editio quâ Nobilius utebatur; sed Parisina Gr. Lat. 1642. quam verso, exhibet ἐξ ἀντιλογιῶν *de contradictionibus.*

filii alieni. sunt Ethnici ut innumeris, iisque passim obviis, Scripturæ locis patet.

inveterati sunt. Debilitatem verbum illud importat ut apparet Psal. XXXI. 3. S. Augustinus legit *inveteraverunt.*

claudicaverunt &c. Vulgata versio interpretationem heic exhibet diversam ab eâ quam in II. Reg. XXII. profert: unde utrumque textum diversè lectum & à diversis versum fuisse suspicor. Quæ fuerit autem lectio, quam Senes nostri in suis Codicibus Hebræis nacti in Psalmo fuerint, non facile dictu est. Conjecerim tamen eos ita legisse ויצלעו מנתיבותם *claudicaverunt à semitis suis* pro ויחרגו ממסגרותם *& horrescunt* seu *contremiscunt, cum tremore prodeunt* vel *prospiciunt è clausuris suis* ut interpretatur Buxtorfius: aut, ut alii vertunt, *expavescent quamvis mœnibus & munitionibus septi sint.* In libro Regum contrario planè sensu hodie legitur ויחגרו *& accingent se*, vel *accincti excurrent.* Sed S. Hieronymus priorem in hoc Regum loco habuisse videtur lectionem, quæ rei, de quâ agitur, non tam benè quam Psalteriana nostra lectio congruit. Nam, qui *serviunt* hoc est qui tributum pensitant, è suis mœnibus aut septis liberè egrediuntur; sed rectè dicitur eos *claudicare à semitis*, seu inter incedendum claudicare, hoc est viribus esse fractos: quod impediat quominus rectam, ut anteà, viam conficere, seu validas copias contrahere, & erectâ cervice contra hostem ambulare possint. *Claudicationem* in hunc sensum acceptam invenies apud Mich. IV. 6. 7. & Soph. III. 19. ex quibus locis versio nostra confirmatur; &, quæ à me proposita est, lectio non parùm suadetur. Theodoritus auctor est Symmachum dixisse *ignominiâ afficientur & confundentur* pro *inveteraverunt & claudicaverunt.*

51 *Vivit Dominus, & benedictus Deus meus: & exaltetur Deus salutis meæ.*

Vivat *ergo* Dominus, & benedictus sit Deus meus: Deúsque, qui salutis meæ auctor fuit, exaltetur.

52 *Deus, qui das vindictas mihi: & subdis populos sub me; liberator meus de inimicis meis iracundis:*

Lauderis, inquam, ô Deus qui effecisti ut ultionem de hostibus meis sumerem: qui populos mihi subdidisti *Philistæos*; quique me ab infensissimis *illis* inimicis meis liberasti:

53 *Et ab insurgentibus in me exaltabis me: à viro iniquo eripies me.*

Et superiorem fecisti me iis qui in me insurrexerant: méque à viris iniquis eripuisti.

54 *Propterea confitebor tibi in nationibus Domine; & nomini tuo psalmum dicam.*

His de causis celebrabo te, Domine, inter *exteras* nationes *quas imperio meo subjecisti*; & nomen tuum canam.

55 *Magnificans salutes Regis ejus: & faciens misericordiam Christo suo David; & semini ejus usque in sæculum.*

Celebrabo, inquam, Dominum qui magnificam victoriam Regi à se electo concessit: suámque misericordiam Davidi, à se in regiam dignitatem evecto, impertitus est; & posteris ipsius *perpetuò est impertiturus*.

qui das vindictas mihi. Symmachus, narrante Eusebio, verterat *qui supplicia mihi prabes.*

iracundis. ab Hebræo textu abest vox illa; sed sententiæ valdè consonat: siquidem Philistæi irâ in Davidem ardebant eique erant infensissimi. Sunia & Fretella in suo codice legebant *fortibus* seu *potentibus* ut ex eâ, quam S. Hieronymus illis scripsit, noscimus Epistolâ: in quâ sanctus Doctor vocem *iracundis* additam à LXX. vult; contra atque ego sentio, quippe qui putem vocem illam in antiquis codicibus Hebræis exstitisse.

salutes. plur. pro sing. ut Psal. XLI. 7. 16. XLII. 6. LII. 8. LXXIII. 13. CXV. 4. Is. XXXIII. 6. *Salus* autem pro victoriâ I. Reg. XIV. 45. XIX. 5. II. Reg. XXIII. 10. & 12. I. Paral. XI. 14. Psal. XIX 5.

ejus. pro *sui*, ut ex sequenti liquet hemistichio.

ARGUMENTUM.
PSALMI DECIMI OCTAVI.

Legem divinam cum Cœlis & micante in iis Sole comparat Psaltes: &, postquam ostendit rerum

cœlestium contemplatione duci nos ad Dei notitiam; nobísque alia commoda earumdem rerum beneficio importari, docet idem præstare legem divinam; quam demùm plurimi faciendam & auro cæterísque rebus preciosis anteponendam esse asserit; addítque se vehementi legis hujus adimplendæ desiderio flagrare, multámque mercedem manere eos qui eximiam hanc legem observant. Tum Deum rogat Psalmographus ut à se erroris & malitiæ peccata propulset, quò divinam illam legem accuratè custodire possit. Mihi porrò in dubium non venit quin præclarus iste Psalmus compositus fuerit à Davide quum in desertis passim erraret ut Saulis acerbitatem subterfugeret: tunc enim suam omnem consolationem ex divinæ legis meditatione reportabat, ut discimus ex Psalmo CXVIII. ad quem noster multam habet similitudinem quum in utroque videas legem divinam nominibus *præcepti*, *justitiæ*, *timoris*, *mandati*, & id genus aliis insigniri, & auro lapidibúsque preciosis anteferri. Atque hinc colligo duos hos Psalmos eodem tempore & eandem ob caussam conditos fuisse: quod etiam ex Davidis oratione, quâ in Psalmo XVIII. 13. petit ut peccata sibi condonentur, apparet: nam eadem hæc oratio in Psalmo CXVIII. 133. occurrit. Cæterùm, præter literalem, quem explanavi, sensum alius Psalmo nostro inest sensus: allegoricus nempe & mysticus quem B. [a] Paulus ad Romanos scribens refert, & sequuntur SS. Athanasius, Hieronymus, Augustinus, Hesychius, aliíque qui Psalmum de Christo & Apostolis exponunt. Utrumque sensum Theodoritus sic complectitur. Τῶν θείων νόμων &c. *Tres species divinarum legum à B. Paulo discimus. Nam unam quidem, sine literis, ait per creationem & naturam hominibus datam fuisse.*

[a] X. 18.

a ad Rom. I. 20. *Invisibilia enim, inquit* [a], *ipsius à creatione mundi per ea*
b ad Rom. II. 14. *quæ facta sunt intellecta conspiciuntur; & rursus* [b]: *Quum enim gentes, quæ legem non habent, à naturâ ea quæ legis sunt faciunt, hi legem non habentes sibi ipsis sunt lex. Aliam verò per magnum Mosem in literis præbuam fuisse. Nam propter*
c ad Gal. III. 19. *peccatum, inquit* [c], *data est lex, ordinata per Angelos in manu mediatoris. Novit autem & tertiam post has positam,*
d ad Rom. VIII. 2. *quæ est gratiæ: Lex namque spiritus vitæ, inquit* [d], *liberavit me à lege peccati & mortis. Congruentia his & beatus David in hoc Psalmo homines docet, & secundùm eundem ordinem. Primam quidem eam quæ in creatione conditorem prædicat. Deinde eam quæ per Mosem data fuit, quæ majorem conditoris scientiam volentibus illam attendere præbet. Post hanc, legem gratiæ, quæ animas perfectè purgat, & à præsenti interitu liberat. Propterea & in finem nos Psalmus transmittit, novum in fine testamentum prædicens.* Theodoritiano ordini non favet S. Paulus qui, quartum Psalmi versum Apostolis accommodans, innuit tres primos versus iisdem Apostolis etiam aptandos esse: quod SS. Augustinus & Asterius optimè intellexerunt, dum præfatos versus de Evangelistis aliisque sanctis viris interpretati sunt. Hæc autem B. Pauli & SS. Augustini atque Asterii interpretatio (quæ Cœlos de sanctis viris Apostolis atque Evangelistis mysticè exponit) ab iis suspicietur omnibus qui expenderint Psalmos XXI. 34. LXXXVIII. 6. XCVI. 6. ubi *cœlis* Apostoli viríque cœlestes seu sancti significantur. Id licentiores sæculi nostri homines considerent etiam atque etiam velim; & vel ex his, quæ indicavi, locis reverentiam Apostolicis explanationibus debitam discent.

TITULUS.

In finem Psalmus David.

PSALMUS XVIII.

1 *COEli enarrant gloriam Dei : & opera manuum ejus annunciat firmamentum.*

2 *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.*

PARAPHRASIS.

COEli, *certo suo motu*, gloriam Dei enarrant : & firmamentum, *rato suo ordine*, prædicat Deum ipsius esse opificem.

Dies diei *subsequenti* rem *hanc* annuntiat, *eandémque Dei* notitiam nox nocti *proximè venienti* indicat : *hæc enim dierum & noctium mutuò sibi succedentium vicissitudo, quæ ex constanti cœlorum motu oritur, attendi nequit quin ad Dei cognitionem perveniatur.*

ANNOTATIONES.

in finem &c. Codex Regius 138. *in finem Psalmus David de adventu Christi & de prædicatione Apostolorum.* Colb. 158. *in finem Psalmus David de prædicatione Apostolorum, de adventu Christi :* Aquila, narrante Eusebio, Psalmum inscripsit *vincenti canticum.* Symmachus: *canticum pro victoria David* reddidit.

enarrant. Hesychius : *enarrant non voce sed aspectu, non clamantes sed apparentes : quotquot enim eorum pulchritudinem & ordinem intuentur, ad gloriam opificis celebrandam excitantur.* In hanc sanè sententiam accipienda est cœlorum enarratio ; nec inde conficiendum est cœlos esse animatos : quæ opinio, *a* Platoni, *b* Aristoteli, *c* Theophrasto, *d* Balbo, *e* Philoni, *f* Origeni, *g* Clementi supposititio, *h* Juliánn imperatori, *i* Maimonidi, aliisque probata, exploditur ab *k* Eusebio, *l* Lactantio, S. *m* Basilio, S *n* Chrysostomo, *o* Theodoritn, S. *p* Cyrillo Alexandrino, *q* Liciniano, & *r* Procopio ; nec non à SS. *s* Hieronymo atque *t* Augustino, quos aliis in *u* locis benignè interpreteris velim : ut & S. Ambrosium non solùm in Epistolà 21. ad Horontianum, sed etiam in præfatione Commentariorum in Psalmos, ubi ait : *ipsum quoque axem cœli fert expressior sermo cum quadam perpetui concentus suavitate versari* &c. Cœlestis hæc, quam ex *x* Philone S. Ambrosius didicerat & quam *y* Licentius S. Augustini discipulus ac S. *z* Anselmus comprobant, harmonia figuratè est intelligenda : quam quum rationem Marcosii non inierint, à SS. & Irenæo & * Epiphanio meritò damnati sunt. Deum autem cœlis cognosci docnere, post *a* Psalmographum, *b* Plato, *c* Cicero, *d* Asclepius, *e* Seneca, *f* Philo, *g* Minucius Felix, *h* Eusebius, S. *i* Athanasius, S. *k* Chrysostomus, *l* Auctor Epistolæ ad Demetriadem, *m* Theodoritus, aliique non pauci : quorum testimonia si adducerem omnia, longum opus conarer ; sed duo tantùm aut tria referam. Cicero : *Quid enim potest esse tam apertum atque perspicuum quum cœlum suspeximus cœlestiáque contemplati sumus, quàm esse aliquod numen præstantissimæ mentis quo hæc regantur ? quod qui dubitat, haud sanè intelligo cur non idem an Sol sit an nullus dubitare possit.* Idem : *Quis enim hunc hominem dixerit : qui, quum tam certos cœli motus tam ratos Astrorum ordines eamque omnia inter se connexa & apta viderit, neget in illis ullam inesse ratio-*

a in Tim. & in Epinomide. Vide etiam Alcinoum de Dogm. Plat. c 14.
b ut sentiunt S. Thomas contr. Gent. II. 70 & Bessario lib. 2. contr. cal Plat cap. 7.
c lib de Cœlo.
d apud Ciceronem lib. 2. de Nat Deor.
e lib. de Opific. & lib. de somn.
f lib. I de Princip. c. 7. & lib. 4 contr. Cels.
g lib. V. Recognit.
h orat. de Sole.
i lib. *More Neb.* part. II. cap. 4 & 5.
k lib. VII. de Præp. c. 3.
l Instit. lib. II. cap. 5.
m Hom 3. in Hex.
n Homil. 1. de Anna.
o in Psal. 148
p lib. 2. contr. Jul. p 60.
q to. 2. Spicil. Acher. pag 371.
r Comment. in Genes.
s in cap. 1. Is. & in Epist ad Avit.
t lib. de Civ. X. 29. & lib. ad Oros. cap. 8. 9 & 1
u Hier. in Comment. ad cap. 1. Eccles. Aug. in Enchir. c 58. & lib. 2. de Gen. ad lit. c 18.
x lib. de Somniis.
y his versibus ad Augustinum : *Aptavit numeros cœlis & jussitque sonoros exercere modos, partesque agitare choreas.*
z lib. 1. de imag. mundi.
& advers. Hæres. lib. 1 10. in fin. & 11 init.
* lib. 1. Panarii. Hær. 34. p 141.
a hoc Psalmo.
b lib X de Legib. & in Epinom.
c lib 2. de Nat. Deor.
d Comment. in lib. I. Metaphys. Arist.
e lib. 1. Quæst Natur.
f lib. 1 de Monarch.
g in Octavio.
h Comment. in hunc Psal in Catenâ Barb.
i lib contr. Gentil.
k Homil. 9. ad pop. Antioch. t p. 109 sto. 11e.
l quæ est inter Ambrosianas 54.
m Comment. in hunc Psal.

* eo intellige sensu quem Lactantius lib. II. 5. aperit sic : *inest ergo syderibus ratio, ad peragendos meatus suos apta : sed Dei est illa ratio qui & fecit & regit omnia, non ipsorum syderum quæ moventur.*

nem * ; *cáque casu fieri dicat quæ, quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus.* Eusebius : *Cæli... gloriam Dei. non Græcâ non aliâ qualibet utentes linguâ ; sed, reipsa, ornatu suo, & numeroso illo concentu, harmoniâ sapientissimâ, opificis infinita magnitudinis potentiam docent : nam à magnitudine ac pulchritudine rerum opifex ipsarum pariter consideratur. Et invisibilia ipsius à creaturâ mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus & divinitas. Qui ergo suspicatur, cælos nullo auctoris & opificis consilio ac ratione & citra divinam virtutem seipsos cohibere ; ac tanta magnitudinis & figura motúsque temperamenti, & constantia causam corporibus adscribit, delirat & insanit. Quare decet ut, qui ingenio præstant, apertè confiteantur parùm abesse quin vocem audiant, quam cæli, opere ipso & diuturnâ versatione, emittunt gloriam creatori suo & opifici Deo referentes. Ita quoque firmamentum... omnibus prædicat, & tantùm non vociferatur, non temerè ac sine consilio tam admirandum opus in rerum naturam prodiisse, verùm Dei rerum omnium factoris opus esse.* Auctor Epistolæ ad Demetriadem : *in pulchritudine cæli & terra quædam sunt pagina ad omnium oculos semper patentes, & auctorem suum nunquam tacentes : quarum protestatio doctrinam imitatur magistrorum & eloquia scripturarum.* Quæ quum ita sint, laudem à nobis consequi debent cùm prisci Phœnices : qui, teste *a* Sanchoniatone, hominem vocabant *Zophasomim* id est cœli contemplatorem, tum *b* Ovidius qui dixit *os homini sublime dedit, cælúmque videre jussit, & erectos ad sydera tollere vultus* Sed in primis laude digna sunt hæc Ciceronis verba : *Quæ* (providentia divina) *primùm eos* (homines) *humo excitatas celsos & erectos constituit ut Deorum cognitionem, cœlum intuentes, capere possint. Sunt enim è terrâ homines non ut incolæ atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum atque cœlestium, quarum spectaculum ad nullum genus aliud animantium pertinet.* Atque hinc veram accipimus caussam cur Phœnices hominem vocarent *Zophasemim.* Literali sensui mysticum adjungo ex S. Augustino : qui, ista primi versus verba *cæli enarrant gloriam Dei* explanans, ait. *Justi Evangelista. in quibus Deus tanquam in cælis habitat, exponunt gloriam Domini nostri Jesu Christi, sive gloriam quâ glorificavit patrem filius super terram.*

a apud Euseb. de Præp. lib. I. c. 10. p. 34.
b lib. I. Metamorph;

opera. plurale pro singulari, ut ex Hebræo textu patet.

dies diei eructat &c. Eusebius : *Docet dies docet & nox, si quis est qui erudiri velit, quanta sit sapientia & ineffabilis & incomprehensibilis virtus Dei temporum intervalla metientis. Nam, si nemo has horae tempora & momenta distinxisset, inconsultò & absque ratione ac moderatione motus per adventitium quoddam accidens substitissent. Ac sanè oportebat dierum intervalla per omne avum inæqualia esse, vel omninò confusa esse tempora, & noctes similiter fortuitò ferri. Nam, quod inordinatum est, nihil habet cum ratione commune, & casum confusio sequitur: quemadmodum vicissim ordini præest ratio harmonia, & consonantia dux est sapientia. Hujusmodi ergo vicissitudines & mutuæ successiones interdum quidem dierum decrescentium noctibus ipsis cedentibus ; interdum verò noctium, dum per horarum incrementa usuram temporis resarciunt, ferè loquuntur & clamant voce ingenti; &, sapientissimi Dei universorum ordinationi testimonium afferentes, Dei cognitionem hominibus prædicant.* Theodoritus : Καὶ γὰρ ἡ τεταγμένη &c. *Etenim ordinata successio noctis & diei terminos à Conditore positos demonstrat, quos hæc inanimata mundi machina transcendere non potest. Quum enim nox atque dies ad hominum utilitatem crescunt atque decrescunt & à se invicem tempus mutuantur & rursus debitum sibi ultrò citróque reddunt, providentiam, quæ ipsis inest ostendunt. Hoc autem eructat verbum, & indicat scientiam, & enarrant gloriam Dei non animata esse quæ videntur docent ; verùm est quædam prosopopœia omnes docens ab his, quæ videntur, ad opificem, qui minimè cernitur, pervenire & illi hymnorum cantilenam offerre.* Anonymus in Catenâ Corderianâ ad hæc verba *dies diei eructat verbum* ista notat. Σύμμαχος δὲ σαφέστερον &c. *Symmachus autem hæc magis dilucidè transtulit dies diei eructat verbum & nox nocti indicat scientiam : non verbis aut sermonibus quorum audiantur voces ; sed in omnem terram exivit sonus eorum. Nam, neque sermonem neque vocem emittentes sed proprium ordinem ostendentes, omnem terram & mare ad laudis canticum invitant.* Mysticum sensum aperiunt Origenes, Didymus, S. Hieronymus, S. Augustinus, Asterius, Euthymius, complurésque alii : quos, brevitati consulens, omitto.

verbum, pro re ut Gen. XIX 22. I Reg. XIV. 12. II. Reg. III. 13. XIV. 18. XVII. 19. IV. Reg. IV. 41. V. 13. XX. 15. Psal. XC. 3. & innumeris aliis Scripturæ locis.

Non

3 *Non sunt loquelæ, neque sermones quorum non audiantur voces eorum;*

Hæ porrò voces, quibus cœli Deum enuntiant, non sunt sermones obscuri & verba submissa quæ non intelligantur;

4 *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Sed sonus, *quem edunt*, in omnem terram pertingit, & verba eorum ad extremos orbis fines perveniunt: *nulla quippe est natio quæ Deum non agnoscat ex miro illo cœlorum motu.*

5 *In Sole posuit tabernaculum suum: & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo;*

Præcipuè verò cognoscendum præbet se *Deus ex admirabili* Solis *conversione*: ipse enim *Sol exoriens*, instar sponsi è thalamo suo egredientis, *omnium oculos atque animos lætitiâ complet*;

non sunt loquelæ, &c. Theodoritus: τῶν σαφέστερον &c. *Hoc explanatiùs Symmachus interpretatus est & nox nocti indicat scientiam: non verbis neque sermonibus quorum non audiantur voces; sed in omnem terram exivit sonus eorum, vel secundùm Aquilam, regula ipsorum. Nam, nec sermonem, inquit, nec verba proferentes; sed regulam & proprium ordinem demonstrantes; omnem terram atque mare ad divinas laudes decantandas invitant.* Nicephorus: *non sunt loquelæ. Per interrogationem legendum est, quasi dicat: nunquid non sunt loquelæ neque sermones earum rerum quæ animâ carent & quarum voces non audiuntur?* Nicephorum exscribit Euthymius: sed neque illi neque Theodoritus Psalmistæ mentem heic assequuti sunt. Eam Eusebius habuit perspectam quum, post laudata superiùs verba, addidit. *Sic enim clamant ipsorum dierum ac noctium voces, operibus ipsis: clamant, inquam, audire volentibus ita ut nullum eorum doctrina lateat auditum. Universus igitur orbis terrarum numerosâ ac jucundâ & mutuâ illorum choreâ refertus est: ideò dictum est non sunt loquelæ neque sermones quorum non audiantur verba eorum, in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum: eorum scilicet dierum ac noctium cœlorúmque Dei gloriam enarrantium, & firmamenti opera manuum ejus annuntiantis.* Succinit S. Chrysostomus*.

eorum. redundat more Hebraico ut notatum Genebrardo, Muisio, multísque aliis Interpretibus.

in omnem terram. verè hoc dictum: nam omnes homines (si paucos exceperis impios) cœlorum præsertim contemplatione adducti Deum confessi sunt. Nec solus Poeta noster dixit omnes homines unâ mente consentire Deum esse; sed ita senserunt *a* Socrates, *b* Plato, *c* Aristoteles, *d* Cicero, *e* Ælianos, *f* Maximus Tyrius, & *g* Dion Prusæensis: ex quibus Cicero maximum, ad astruendam divinitatem, momentum meritò ponit in generali illo hominum consensu: quem paucorum impiorum contra euntium numerus non disturbat ut eis planum erit qui traditas ab *h* Aristotele, ejúsque interpretetibus *i* Michaele Ephesio atque *k* Andronico Rhodio; nec non à *l* Plutarcho & *m* Porphyrio regulas (ubi statuunt quid sit illud quod naturale censeri debeat) expenderint, attenderíntque ab iis tantùm negatum fuisse Deum quorum intererat nullum esse Deum qui pœnas de eorum impietate expeteret.

sonus eorum. Rabbini cum Aquila: *regula* aut *linea eorum.* LXX. legerunt קולם *vox eorum* pro קום *linea eorum*: quam lectionem vel una Synonimica regula explodit.

in sole posuit tabernaculum suum. Poetica loquutio quâ significatur Deum præcipuè ex Sole cognosci: sumtâ metaphorâ ab Imperatoribus qui magnificis, in quibus degunt, ten-

* Homil IX. to. 1. p. 109. quem si, hoc in versu ut & in duobus præcedentibus audietis summa perfungetis amœnitate.
a apud Xenophontem.
b lib. X de Legib.
c lib. 3. de Cœlo.
d lib. 1. de Legib. & lib. 1. de Nat. Deor.
e lib. 2 c. 31.
f Differt. 1. adde Senecam ep. 117.
g Orat. 12. adde Jamblichum de Myst. Ægypt. sub init.
h lib. 1. de Rep. cap. 5. pag. 225. D.
i ad Nicomach. ubi ait: ὃ παρὰ τοῖς πλείστοις &c.
k in Paraphr. Eth. ubi ait: παρ' ἀνθρώποις τοῖς τε ὀρθῶς &c.
l in vitâ Pompeii. pag. 643 D.
m de Abstin. III ubi ait: κατὰ τῶν ἐθνῶν ἐξηγεῖται &c.

toriis conspicui sunt. Idem est ergo *in sole posuit tabernaculum suum ac sole se manifestavit.* Hujus loquutionis sensum non metaphoram intellexere Eusebius, Didymus, Diodotus, & Theodoritus, quorum verba huc adducam. Eusebius : *Præter ea quæ dicta sunt, Sol quoque Dei gloriæ doctor constitutus est, ut qui Domini & magni regis legem perpetuo tenere servet. Non enim præter eam, quæ illi statuta est, viam aliam ingredi, nec alio se vertere audet, neque præfixos sibi in cœlo fines egreditur; sed, imperantis decreto, splendore ac flore lucis illustratus, ordinatam viam incedit: & procedens tanquam ex adytis & penetralibus sponsi, caput ab Orientis termine proferens, fortiter proprium, citra laborem, sursum aggreditur. Circumdans autem circuit omnia tanquam gigas qui viribus præstet & sit inexpugnabilis, veluti è carceribus incipiens ab extremo centro orizontis in oriente, diei ac noctis spatio orbem universum perlustrat, ita ut ejus caloris nemo sit expers. Hæc autem præstat ut factoris sui & ejus, qui in firmamento se constituit, imperio pareat. Idcirco dictum est in sole posuit tabernaculum suum. Quod sanè obscurè dictum reliqui apertè magis interpretati sunt. Aquila enim dixit: Soli posuit tabernaculum in ipsis. Symmachus verò: Soli ordinavit tabernaculum in ipsis: similiter quoque Theodotio & Quinta editio reddidit. In prædictu enim cœlo ac firmamento tabernaculum ac domicilium Solis Deus constituit juxta id quod à Mose dictum est Genes. I. 16. fecitque Deus duo luminaria magna: luminare majus ut præesset diei, & luminare minus ut præesset nocti; & stellas, & posuit eas Deus in firmamento cœli ut luceant super terram. Hinc Sol ostendit se sui Dominum non esse neque sui juris, sed & sui & rerum omnium Dominum agnoscere.* Didymus : *Soli, inquit, posuit tabernaculum seu domum, ubi posuit? An in prædicto cœlo & firmamento? Hoc verò & cœlum & thalamum nominavit: nam quemadmodum nox & dies, mirabili & ordinato consensu, auctorem & opificem commendant; ita Sol, ordinatè cursum suum conficiens, præcipientis & ordinantis potentiam ostendit.* Diodorus * : Αὐτὸς, φησὶ, ἐδημιούργησε. &c. *Ipse innuit, fabricatus est cœlos & dies ac noctes: quæ prudenter intuentibus, certam cognitionem suæ conditionis præbent. Quod autem in sole spectatur, inquit, omne miraculum superat: qui, quum sit tantâ magnitudine, fecit Deus ut nullo vehiculo ferretur; sed ipse à se gestaretur, seque ipsum ferret. Hoc namque est, tabernaculum posuit in ipso, idest solem, ut sese ferret, constituit. quod summam probat vim conditoris.* Theodoritus: Καὶ ταῦτα συντέτακε &c. *Hæc etiam magis dilucidè tres interpretes ediderunt: Soli posuit tabernaculum in ipsis, videlicet in cœlis. Sic enim & magnus Moses docuit Gen. I. 16 ..... omnia, inquit, hæc facta sunt ad creatorem demonstrandum.* Prædictæ autem loquutionis nec sensum nec metaphoram assequuti sunt cùm ii de quibus Didymus in Catenâ à Daniele Barbaro versâ & à me, Græcum hujus Catenæ textum non habente, Latinè citari solitâ loquitur (quíque videntur fuisse Manichæi si vera sunt quæ de illis *a* Sixtus Senensis in Bibliothecâ sanctâ refert) qui Christum Dominum post resurrectionem suam corpus suum in Solis orbe, usque ad secundum adventum, servandum collocasse; tum Sibyllinorum auctor & Hermogenes : quorum prior, apud *b* Lactantium, ait Regem Messiam ex Sole in terram demittendum esse; alter autem, apud *c* Clementem Alexandrinum, tradit Christum & Ecclesiam fidelium in Sole stare: gravi profectò errore, à quo Esseni, qui alvum levaturi scrobem effodiebant & eundem postea replebant, non longè abfuisse videntur. Vero enim est simile ut huic consuetudini locum comprehensa de Deo commorante in Sole opinio dederit; præsertim quum Esseni, teste *d* Josepho, scrobem illum effoderent & postea replerent *ne lucem & radios Dei è Sole progredientes inquinarent*: quò non putem spectare Hesiodicum præceptum *ne contra Solem meiat quisquam* Cæterùm ex observatâ, in Psalterianâ loquutione, metaphorâ facilè intelligitur versionem nostram cum præcedentibus versibus optimè cohærere; adeóque laudatis ab Eusebio & Theodorito ac Rabbinica sectâ interpretationibus præstare : ex enim in se spectatæ dictis jam versibus minùs aptè connectuntur. LXX. pro hodiernis verbis לשמש שם אהל בהם *Soli posuit tabernaculum in ipsis*, legisse videntur בשמש שם אהלו *in Sole posuit tabernaculum suum.*

tanquam sponsus, &c. Theodoritus : κατὰ δὲ κάλλος &c. *Pulchritudine sponsum imitatur ex thalamo multo cum decore exeuntem.* Nicephorus : *pulcher est, inquit, Sol & decorus fulgentium radiorum splendore, instar sponsi thalamo exeuntis* : quæ verba, innominato auctore, exscribit Euthymius. Davidis Kimchii pater comparationem in eo ponit quòd sponsus ad sponsam redire optet quemadmodum Sol ad ortus sui locum remeare cupit.

* apud Corderium to. 1. p. 360.

a lib. V. Annot. 160.

b Instit. lib. 3. c. 5.

c in Excerptis ex Theod.

d de Bello Jud. lib. 2. pag. 787. C.

Elias Levita in Tisbi vocem Hebræam חפה non thalamum; ſed velum, ſuper caput ſponſi & ſponſæ, tempore deſponſationis expanſum interpretatur, è quo quum prodiret ſponſus ingenti circumſtantium gaudio exeiperetnr. Buchananus: *ſlic* (Sol) *eois fluctibus exerit vultus decores, ſponſus uti novus auro refulgens, gemmeâque tempora conſpicuus coronâ.* Euſebianam, quæ ſuprà commemorata eſt, explanarionem mitto: & dieo eas, quæ comparationem ad ſponſum auro refulgentem, ſplendidiſſimis veſtibus indutum, corona ornatum ac multo decore ſtipatum trahunt, explieationes mihi non probari attendenti ſponſum è thalamo exeuntem his omnibus ornamentis earere; nec iis ornari niſi fortè quum è cubieulo egreditur. Joſephi Kimehii explanatio Rabbiuieo ingenio digna eſt, ſed à Davidis pietate abhorret; ut & ea quam aliqui ſie proponunt: *ipſe* (Sol) *ſponſo è thalamo ſuo hilarem in modum egredienti ſimilis egregiâ alacritate oritur.* Denique audiendus non eſt Elias Levita quippe qui ſententiæ ſuæ auctorem idoneum non habeat. Noſtram confirmatre videtur verſus 9. infrà.

6 *Exultavit ut gigas ad currendam viam: à ſummo cælo egreſſio ejus,*

Geſtitque curſum ſuum Giganteâ velocitate abſolvere: &, ducto initio ab ultimo Orientis puncto,

7 *Et occurſus ejus uſque ad ſummum ejus; nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus.*

Ad ultimum Occidentis punctum pervenit; nihilque eſt quod caloris ejus ſit expers, *& ab eo non foveatur, augeatur, ac nutriatur.*

gigas. Ex aliis Scripturæ locis diſeimus Gigantes proceritate, robore, ſævitiâ, & ſcientiâ militari inſignes fuiſſe. His dotibus Pſaltes addit velocitatem: ad quam fortaſſe reſpiciebant ii quos * Pauſanias refellit, quíque Dracônes pro pedibus Gigantes habuiſſe aſſerebant. Ex his quas memoravi dotibus prima Gigantibus ademta fuiſſe videtur à *a* Philone, *b* Joſepho, *c* Origene, *d* Euſebio, S. *e* Ambroſio, S. *f* Chryſoſtomo, S. *g* Cyrillo Alexandrino, & S. *h* Joh. Damaſceno qui vocabulum *Gigantum* non ad inuſitatam corporis molem, ſed ad improbitatem morum referunt. Conſule *i* Plinium, *k* Pauſaniam, & SS. *l* Auguſtinum ac *m* Theodoritum, & proceritatem Gigantibus non defuiſſe fateberis. Quòd autem eorum ortum ſpectat, *n* Joſephus, *o* Euſebius, S *p* Ambroſius, *q* Sulpitius Severus, aliíque nonnulli ſentiunt Gigantes, qui diluvium præceſſere, ex angelorum & mulierum concubitu procreatos fuiſſe; atque huc ferè trahunt verba Gen. VI 2. quæ *r* Juſtinus, *ſ* Clemens Alexaudrinus, *t* Tertullianus, *u* Methodius Olympi Epiſcopus, & *x* Lactantius ad ſimilem retulere concubitum: unde non longè abeunt *y* Heſiodus & Orphicorum carminum ſcriptor qui Gigantes ex terræ & cœli ſanguine natos fuiſſe narrant; ab *z* Apollodoro diſſentientes ac *&* Virgilio, * Ovidio, † Perſio, aliiſque qui Gigantes ſolius terræ filios faciunt. Hæ omnes origines rejiciendæ ſunt, & cum B. *a* Auguſtino ac *b* Pauſania eredendendum eſt Gigantes ex viro & muliere ſicut & nos editos fuiſſe.

viam. Sixtina LXX. Senum editio, Pſalterium Æthiopicum, & Arabicum addunt *ſuam.* Sed vox hæc à S. Auguſtino, nec non à noſtris Codicibus MSS. abeſt. S Hieronymus in Epiſt. ad Sun. & Fret. teſtatur ſe vocem illam ſub obelo additam reperiſſe.

à ſummo cælo, &c. Chryſoſtomus in Catenâ Danielis Barbari. *Poſtquam idem dixit* (Solem) *tanquam gigantem curſum ſuum inſtituere, ad intervallum & ſpatium declarandum accedit: quòd, uno ſcilicet integro circuitu, ab extreme oriente, unius diei circulo, ad extremum occidentem feratur, quod incitatiſſimam converſionem oſtendit, quantam nemo cogitare poſſet.* Suceinunt Theodoritus: *ipſe* (Sol) *ab oriente exoritur; & unius diei ſpatio percurrens, ad occidentem pervenit.* Flaminius: *egreditur enim Sol ab extremo Oriente; &, incitatiſſimâ Cæli ſtelliferi converſione, fertur ad extremum Occidentem.* Atque hoc & cætera heic deſcripta ſatis ſunt ad creatorem demonſtrandum, ut addit Theodoritus.

* in Arcad. pag. 503.
a lib. de G g.
b Antiq. lib. I.
c apud Gennad. Conſt. Epiſc. in Catena Græca. Octat.
d Præp. Evang. lib. V. cap. 4.
e lib. de Noe & Arca c. 4.
f in Catenâ Geneſ.
g lib. 9. contra Jul. ſub inic.
h in Catena Geneſ.
i lib. 7. cap. 16.
k loc. cit.
l de Civ. XV. 23.
m quæſt. 44. in Gen.
n loc. cit.
o loc. cit.
p loc. cit.
q Hiſt. Eccl. lib. I. ſub inic.
r Apolog. ad Senat. Rom. & Apolog. ad Anton. pium.
ſ Strom. 3. & 5.
t de habic. mul.
u ſerm. de Reſurrect.
x lib. 2. Inſt. c. 15.
y in Theog.
z lib. I.
& Georg. I.
* Faſt. lib. 5.
† Sat. 6.
a loc. cit.
b loc. cit.

8 *Lex Domini immaculata; convertens animas: testimonium Domini fidele; sapientiam præstans parvulis.*

Sicut autem cœli &, qui in iis fulget, Sol ad Dei cognitionem nos ducunt, & multa nobis commoda conferunt: ita lex & præcepta, quæ Deus Israelitico populo dedit, Dei notitiam tradunt, & plurimas utilitates afferunt. Etenim lex Domini ab omni falsitatis labe pura est *præstans quod pollicetur*; animásque à mali tramite ad viam rectam revocat: *eadémque Domini lex* fidem suam liberat *promissis satisfaciens*; & *peccatoribus, divinarum rerum* instar parvulorum rudibus, sapientiam largitur. *quæ eos à pravâ consuetudine ad honestas vitæ rationes convertat.*

9 *Justitiæ Domini rectæ; lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.*

Mandata Domini rectæ rationi consentanea sunt; & corda exhilarant: præceptum Domini lucidum est; & *mentis oculos* illuminat *sic ut Deum cognoscant.*

lex. Hanc vocem cum sequentibus dictionibus ***testimonium, justitia, præceptum, timor, judicia*** si jungas; eásque omnes dictiones si locis Exod. XX. 20. Deut. IV. 5. 8. 10. 13. V. 1. VI. 1. 2. 8. 17. 20. 24. compares, mecum, nisi fallor, existimabis prædictâ voce ***lex*** eam duntaxat designari legem quæ Decologo continetur, & in præfatis Exodi & Deuteronomii capitibus describitur.

immaculata. Confer Psal. XI. 7. XVII. 34. Intertexta heic habes Synonima: ita quod hæc verba ***lex Domini immaculata*** respondeant istis ***testimonium Domini fidele***: & ***convertens animas*** idem sit ac ***sapientiam præstans parvulis.*** S. Gregorius Nazianzenus, in Catenâ, aliam init viam, quando ait: ***quum Dei lex omnis prorsus macula immunis sit, animas hominum convertit, & immaculatos efficit.***

testimonium. Gregorius Theologus: ***legem, testimonia, justitias, præceptum, & judicia,*** Mosis legem appellat. Similiter Theodoritus: Νόμον &c. ***Legem, & testimonium, & justitias, & præceptum, & judicia, Mosis nuncupat legem.*** Optimè: nam omnia ista nomina unam eandémque denotant legem divinam diverso modo consideratam; eámque in Decalogum conclusam ut apparet collatis locis Deut. IV. 1 5. 8. 10. 13. V. 1. VI. 1, 2. 8. 17. 20. 24. Et quidem lex divina dicitur ***testimonium*** quia Dei voluntatem testatur; aut quia ***peccantes testificatur & transgressionis vindictam ostendit***, ut docent SS. Gregorius Nazianzenus & Theodoritus: à quibus abeunt Aben-Ezra & Kimchius, quorum ille per ***testimonium*** intelligit traditiones à majoribus ad posteros sine literis transmissas; hic autem eo nomine significari putat quodcunque fidem facit fœderis inter Deum & Israelititas initi.

fidele. vocabulum hoc verbis paulò post adducendis ***judicia Domini vera*** junctum Janseniano non favet ordini sic disposito: ***Lex Domini, quum sit immaculata, convertit animas. Testimonium Domini, quum sit fidele, sapientiam præstat parvulis: & quandoquidem justi-***

tia Domini recta sunt, lætificant corda. Præceptum Domini, quum sit lucidum, illuminat oculos.

parvulis. Heb. פתי. reperitur hæc vox in Proverb. I. 22. VIII. 5. IX. 4. 16. XIV. 18. XXVI. 12. ex quibus cum serie collatis apparet *parvulos* ab insipientibus non differre: quùmque per *insipientes* designentur improbi ut colligere est ex Psal. XIII. 1. XXI. 2. rectam videor adhibere versui nostro interpretationem: quod eò magis suadebitur quòd vox פתה apud Job. V, 2. Salomonem in Prov. XX, 19. & Hos. VII. 11. in malem partem accipitur; & omnis peccator est imperitus quomodo nomen פתי sumitur in Psal. CXVIII. 130. Proverb. I. 4. IX. 6. XIV. 15. XXI. 11. XXII. 3.

justitia. Gregorius Theologus legem sic vocari ait quia quod *justum est docet, & injusta prohibet, & rectè agentes justos esse declarat.* Succinit Theodoritus qui in his versibus S. Gregorium exscripsisse videtur. Kimchius, per *justitias*, intelligit præcepta rectæ rationi consentanea, quæ intellectus dictat & quæ Deus in corde hominis deposuit.

recta. quandoquidem grata atque jucunda esse solent & voluptatem creant ea quæ rectæ rationi congruunt, ista versus pars cum sequenti consentit & legem synonimicam servat. Didymus in Catenâ Danielis Barbari. *Justitia autem Domini ab omni obliquitate sejuncta, recta sunt; & eos, qui illas suscipiunt, rectos reddunt: ita ut omni pravitate depositâ, animus divinâ lætitiâ cumuletur.* Porrò, etsi nomine *justitia* ut & dictionibus *lex, testimonium, timor, præceptum,* & *judicia* unum Decalogum denotari sentiam: nihilominus quum cæteræ Mosis sanctiones in Pentateuchum comprehensæ Deum habuerint auctorem, *recta* etiam appellari debent. Unde non immeritò concludemus sanctionum hujusmodi nonnullas, eas scilicet quæ ciborum delectum à Mose adhibitum spectant, à *a* Plutarcho perperam vituperatas fuisse, ut & à *b* Tertulliano, *c* Origene, & *d* Novatiano: quanquam his tribus venia dari possit utpote qui Mosaicas hujusmodi sanctiones in vituperationem adduxerint ex justo erga Judæos & Judaizantes Christianos odio. Hæ sanè sanctiones quò penitiùs inspiciuntur, eò magis profundam produnt sapientiam Legislatoris: qui, certa animalia ad escam vel concedens vel prohibens, rationes partim physicas ex naturâ animalium petitas, quæ à *e* Plutarcho & *f* Æliano tanguntur & fusè à *g* S. Thoma explicantur; partim morales ex animantium instinctu sumtas, atque ab *h* Aristea, *i* Philone, S. *k* Barnaba, & *l* Theodorito declaratas sequutus est; & ad Ethnicorum, præsertim Ægyptiorum, respexit consuetudines: quibus pugnantia constituit plurima ut ait *m* Manetho, & confirmat *n* Tacitus asserendo prophana Judæis esse omnia quæ apud Ethnicos sacra, cædique ab illis arietem velut in contumeliam Ammonis, bovem quoque immolari quem Ægyptii Apim colunt. Atque huc pertinent quædam alia animantium genera quæ Moses, à Deo edoctus, impura pronuntiavit aut sacrificiis deputavit tum quia Ægyptii ea adorabant; tum quia illis ad præsagia utebantur. In priore numero Suem pono: legens, in historiâ Barlaami apud *o* Damascenum, illud animal ab Ægyptiorum nonnullis adoratum fuisse; & Ægyptiacam erga idem animal indulgentiam comperiens apud Eudoxum ab *p* Æliano productum & Anaxandridem ab *q* Athenæo laudatum. In secundum numerum adscribo fera ac rapacia & callidiora animalia: de quibus audiendus Origenes, postquam nos Theodorito de priore parte differenti attentos præbuerimus. Θύεσθαι αὐτῷ &c. *Ea sibi sacrificari jussit,* inquit *r* Theodoritus, *quæ pro Diis coluntur ab Ægyptiis: de numero quidem quadrupedum, vitulum & hircum & ovem; è volatilibus autem turturem & pullum columbarum. Nec ignoramus alia multa pro Diis habuisse Ægyptios: sed ex his, quæ pro Diis colebant, mansuetiora sacrificiis deputavit; reliqua verò appellavit immunda, ut hæc quidem execrati tanquam impura, in Deorum numero non ponerent; illa verò, ut quæ ipsi sacrificarent, pro Diis non haberent, sed eum solùm adorarent cui convenit hæc offerri.* *s* Origenes: Δαίμονες &c. *Mali quidam Dæmones; &, (ut sic loquar) Titanici aut Gigantes qui impiè in verum Numen & cælestes Angelos se gessere ideòque è cælo ejecti sunt, circa corporum crassiora & impuriora in terris se agitant: quùmque habeant aliquam circa futura perspicaciam, ut qui à terrenis corporibus sint liberi & in talibus negotiis multùm versati, hoc unicè studentes humanum genus ut abducant à vero Deo, insinuant se in animantium fera ac rapacia maximè, deinde & in callidiora; & ea, quoties volunt, quò volunt moveant, aut etiam talium animantium vim imaginosam invitant ad hos aut illos volatus motionésve, ut homines, capti divinationibus, quæ per muta fiunt animalia, Deum cuncta continentem non quærant, neque veram exerceant pietatem; sed cogitationibus suis decidant in terram, in aves, in dra-*

a In Sympos. lib. IV. Probl. 5.
b lib. V. contr. Marc. cap. 5
c homil. 7. in Levit. & lib. IV. de Princip. cap. 2.
d Epist. de cibis Judaicis.
e loc. cit.
f lib. X. de animal. c. 16.
g prima secundæ quæst. 102. art. 6
h lib. de LXX Interpretibus quem locum profert Eusebius de Præp. lib. VIII. c. 9.
i lib. de Agric. & lib. pejorem insidiari meliori.
k in Epist. c. 10.
l quæst. XI. in Levit. &c.
m apud Joseph. lib. 1. contr. Ap.
n Hist. lib. 5.
o cap. 27.
p loc. cit.
q in Deipnos. lib. 7. p. 299. 300.
r q. 1. in Levit. p. 115. B &c.
s lib. 4. contr. Cels. p. 232.

cones, quin etiam in vulpes & lupos. Observatum enim est harum rerum peritis, prædictiones maximè notabiles per id genus animantia fieri: non valentibus, ut videtur, dæmonibus tantùm efficere in mansuetis animantium, quantùm prava ista animantia possunt in aliis quæ diximus animantibus, ob id quod ista habent vitio simile, non vitium propriè sed quasi vitium. Quamobrem si quid aliud in Mose & miratus sum ipse, & dignum miratu existimo, hoc est quòd quum percepisset naturas animantium diversas, sive à Deo edoctus ea quæ ad animantia & ad Dæmones animantium cuique affines pertinebant, sive propriâ ipse scientiâ perductus ad nescendos animantium gradus, omnia ea impura pronuntiavit quæ ab Ægyptiis aliisque gentibus vim divinam habere censebantur; contrà verò omnia ea pura quæ extra illum essent censum. Locis à me citatis adde Resp. ad Quæst. 35. Orthod. *a* & septimum Theodoriti sermonem contra Græcos. *b*

a in Operibus Justini Martyris
b to. 4. p. 584. 585. ubi præclara leguntur. Hoc unum mihi non probatur quod dicitur pag. 585 Deum ideò abstinere Judæos Suillis carnibus jussisse quia his solis Ægyptii vescebantur.

lætificantes. usurpatæ versu 5. sponsi mentioni respondere videntur hæc verba.

præceptum. ita vocatur lex Dominica quia quod agendum est præcipit; &, Domini more imperat ut ait S. Gregorius Nazianzenus, quem Theodoritus sequitur & exscribit. Præceptum restringit Kimchius ad id quod præcepit Deus ad sui cultum & amorem pertinens.

lucidum, &c. quanquam Vates, de Sole loquens, calorem ejus, non lucem, suprà memoraverit, dubium mihi non est quin verba nostra ad Solem respiciant, ut & ad cœlestes globos humanas mentes clarissimâ Divinitatis luce collustrantes. Rabbini *purum* pro *lucidum* minùs benè vertunt, ut patet ex regulâ Synonimicâ.

10 *Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi: judicia Domini vera, justificata in semetipsa.*	Lex Domini sancta *est*, & perpetuò duratura: mandata Domini æqua *sunt*, & seipsis justificata.

timor. Hoc nomine veniunt decem verba seu præcepta quæ Deus, in monte Sinai medios inter ignes, Mosi dedit; quæque timoris nomine insigniuntur quia Deus in igne & sonitu buccinæ venerat ut probaret Israelitas & ut terror illius esset in eis, quemadmodum docet Moses Exod. XX. 20. Quamvis autem *timoris* vocabulo decem præcepta contineantur ut dixi, & colligitur ex Tob. II. 13. Ecclef. XII. 13. in hoc tamen vocabulum præcipuè concluduntur & comprehenduntur Dei adoratio, secessio à malo, boni tractatio, & proximi amor ut apparet collatis locis Deut. VI. 13. & Matth. IV. 10. nec non Deut. VI. 1.2. Job. I. 1. II. 3. VI. 14 Psal. XXXIII. 11. 13. 14 Act. X. 2. Quòd autem decem tantùm verba; non verò sacrificia & aliæ id genus Judaicæ observationes sub prædictum vocabulum non cadant argumento est quod Job v. g. & Cornelius centurio, qui hujusmodi observationibus addicti non erant, Dei metuentes dicuntur Job. I 1. 8. II. 3. & Act. X. 2. Unde Judæi, qui Mosaicæ Legis universim sumtæ perennitatem ex nostro versu colligunt, turpissimè labuntur: hic enim versus, ut dixi, decem duntaxat præcepta in Sinai data, præsertim ea quæ Dei adorationem, secessionem à malo, boni tractationem, ac proximi amorem spectant, complectitur; & circumcisionem, sacrificia, aliaque id genus observationes excludit.

sanctus. Theodoritus: ἁγνὸς *castus*: quomodo legunt Origenes, Eusebius, S. Cyprianus, S. Athanasius, Didymus, S. Gregorius Nazianzenus, & S. Augustinus. Hebraica vox hodierna huic favet lectioni; sed nostram non explodit quum sanctitas in puritate vitæ potissimùm posita sit. Ex hac autem sanctitate maximus in homines fructus manat: unde intelligimus Vatem ab institutâ comparatione non recedere.

permanens in sæculum sæculi. Quanquam eâ loquutione non æternum, sed longum duntaxat tempus sæpè importetur ut superiùs diximus & suo probabimus loco, his tamen Psalmi verbis æternam durationem subjiciendam esse arbitror, idque sic conficio. Decem præceptis in Sinai monte datis interna summáque inest sanctitas: ac proinde mirum non est si sempiternis sæculorum ætatibus sint permansura, iisque nos Christus addixerit. Circumcisio autem, sacrificia, & id genus alia Mosaicæ legis præcepta tali non gaudebant sanctitate, sed

minorem, & quæ certis temporibus ac locis esset adstricta, sancte tum habebatur, atque adeo mutabilitati erant obnoxia; unde non mirum si hæc Mosaicæ legis pars à Christo sublata fuerit. Aliquis fortasse objiciet priorem Mosaicæ legis partem à Christo quoque sublatam fuisse quum Christiani non Sabbathum, sed diem Dominicam observent. Respondere possem priscos Christianos Sabbatum coluisse ut colligitur ex testimoniis Pseudo Ignatii ad Philippenses scribentis, Tertulliani de Jejuniis differentis & adversus Marcionem lib. 4. disputantis, S. Gregorii Nysseni dies Sabbaticum & Dominicum fratres vocantis, & Asterii *καλὴν τὴν ξυνωρίδα τοῦ σαββάτου καὶ τῆς κυριακῆς pulchram bigam sabbati & dominicæ diei* appellantis, nec non Canonis Apostolici 66. ac Constit. Apost. lib. VIII. c. 33. *a* Balsamonis, & Zonaræ canonem Apostolicum 53. explanantis *b* Sed, hac missa responsione, dicere malo præceptum de septimo die sanctificando in certâ quadam ac peculiari die septimâ situm non esse, sed in hoc consistere ut sex diebus operemur, septimum autem diem sanctificemus: cui legi quum Christiani, diem Dominicam septimo quoque die recurrentem observantes, pareant, præceptum de septimâ die celebrandâ sublatum à Christo dici non potest. Quòd autem præceptum illud certæ cuidam diei septimæ non sit affixum, ipsis legis Mosaicæ legis verbis apparet. Verba * legis sic habent. *Memento ut diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est: sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram & mare & omnia quæ in eis sunt; & requievit die septimo: idcircò benedixit Dominus diei Sabbati, & sanctificavit eum.* Ex his verbis liquet institutum esse Sabbatum in memoriam creationis; quùmque memoria hæc non minùs Dominico Christianorum die quam Sabbatico Judæorum festo repetatur, septima dies à Deo injuncta perinde à nobis atque Judæis sanctificatur: quod etiam ipsâ de qua agitur re, planum est. Nam, quando septima, in quâ Deus requievit, dies explorata nemini est, nullúsque mortalium novit utrum septima illa dies in Judaicum Sabbatum an Dominicum nostrum diem cadat, certæ cuidam diei septimæ addicta esse non potest. Hæc quum ita sint & *timore* Dei æternùm mansuro sola Decalogi præcepta denotentur, concludendum est perennitatem iis duntaxat congruere mandatis; cætera autem mutabilitati esse obnoxia: atque adeò Psalteriano versu, Judaicam in typicis præceptis perseverantiam tacitè improbari, & Christianam laudari religionem quæ hæc præcepta abjecerit; & illa, quæ divinum timorem spectant, utpote perpetuò mansura servaverit. Synonimicam legem in utraque versus parte nimirum *sanctus*, & *permanens in sæculum sæculi* intuebitur quisquis ad ea, quæ diximus, oculos adverterit.

a in interrog. quorund. Monach. & resp. à Const. Syn factas ad quæst & resp. 2. pag. 228 edit. Gr. Lat. Paris. 1620.
b pag. 27. edit. Gr. Lat. Paris. 1618.

* Exod. XX. 8.

judicia. hoc nomine ut & testimonio *justitiis*, *timore*, *præcepto* una Mosis lex; eáque in decalogum comprehensa designatur, ut dixi & apparet laudatis locis Deut. IV. 1. 5. 8. 10. 13. V. 1. VI. 1. 2. 8. 17. 20. 24. Gregorius Theologus: *judicia vera & justificata in semetipsa dixit ut qua præmia & supplicia hominibus justè rependant.* Quod exscribens Theodoritus ait τὰ δὲ κρίματα &c. *judicia autem vera atque justificata nominavit, veluti bonorum & supplicia justa hominibus afferentia.*

vera. id est justa, æqua, ut ei fiet manifestum qui loca Is. I. 27. 28. & Zach. VIII. 3, contulerit, & Synonimicæ meminerit legis.

in semetipsa. S. Aug. *in idipsum.* Rabbini vertunt *simul*, hoc est omnia ad unum citra exceptionem justa sunt. Nostram probabit versionem quisquis Psalmum IV. 9. studiosè consideraverit: ex eo enim discet voce יחדו denotari rem quæ exquisitissima sit: quùmque in hoc genus adscribantur quæ internam & suæ naturæ insitam æquitatem habent, doctè LXX. Senes verterunt *justificata in semetipsa*.

Desiderabilia super aurum & lapidem preciosum multum, & dulciora super mel & favum.	11	*Sunt etiam* magis optabilia quàm aurum ac gemmæ quantumvis preciosæ, & melle favóque dulciora.

lapidem. Rabbini aurum purissimum; sed res eodem redit; de cætero LXX. Senibus potiùs quàm Rabbinis fides est adjungenda,

multum. non copiâ sed precio.

12 *Etenim servus tuus custodit ea; in custodiendis illis retributio multa.*

Certè servus tuus custodit ea; *&* multam, in servandis illis, mercedem nacturus est.

13 *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo.*

Sed, quando illa *rectè non servabit mandata ni delictorum sit immunis; ignotáque plerumque sint nobis delicta quæ errore committimus: ea enim* quis novit *unquam omnia?* delicta munda me quæso ab illis quæ latent me erroris delictis; & *præterea malitiæ peccata à ratione* aliena propulsa à servo tuo.

14 *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo.*

Si *hæc malitiæ peccata* imperium in me non tenuerint, tunc immaculatus ero, & à gravi delicto purus; *atque adeò legi tuæ adimplendæ aptior.*

15 *Et erunt ut complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper:*

Sint, *obsecro*, grata tibi verba hæc oris mei, atque hæc cordis mei meditatio semper placeat tibi:

16 *Domine adjutor meus, & redemtor meus.*

Tibi, inquam, Domine qui opem mihi *jugiter* porrigis, méque *ab imminentibus malis* liberas.

etenim. quandoquidem illud adverbium asseverationem firmare solèt, pro ipsâ asseveratione interdum à LXX. accipitur ut heic & Psal. XCII. 2. alibique.

servus tuus. de se loquitur David in tertia persona. Quòd autem de se loquatur apparet adverbio *me* quod in sequenti versu adhibetur.

delicta quis intelligit. Additamentum in paraphrasi positum probâbit qui Psalmum CXVIII. expendet. per nomen autem *delicta* intelliguntur peccata erroris seu ignorantiæ ut ex voce Hebraica liquet, & B. Hieronymo qui vertit *errores.* Theodoritum id non latuit: ita enim hoc loco scribit Κἂν γὰρ &c. *etsi enim Dei mandata magnâ cum alacritate animi servare volo, tamen à naturali infirmitate in multa præter opinionem trahor & nonnulla quidem inscienter pecco, &c.* Confer Num. XV. 28. 29.

alienis. Aquila, teste Eusebio, vertit *à superbis.* S. Hieronymus similem interpretationem profert: & certè ea sententia voci זדים plerumque subjicitur; sed quominus heic admitti possit vetat sequentis versiculi series, quæ cum prædictâ sententiâ minùs bene cohæret. Unde Kimchius aliíque complures linguæ Hebraicæ periti rectè interpretantur *superbiis.* Eam autem vocem, non de peccatis concupiscentiæ quæ superbè homini dominentur, cum Kimchio expono, sed de peccatis, quæ superbè hoc est volentes & scientes committimus, intelligo. LXX Senes, pro מזדים *à superbiis*, legerunt מזרים *ab alienis*, sensu eodem: siquidem, nomine *alienis* intelliguntur peccata quæ superbè patramus quæque meritò vocantur aliena quum homini benè à naturâ informato & ratione prædito consentanea non sint. Gallicè: *des choses étranges.* Didymus: *aliena hoc loco vocat vel res vel malignas potestates.*

potestates. Prior Didymi interpretatio à nostra non longè abit: altera autem Origeni probatur atque Eusebio, & Theodorito qui *alienos* exponunt de Dæmonibus extrinsecùs insidiantibus. Ex Psalmo LIII. 3. ad versum nostrum exacto, suspicabar nomine *alienis* heic indicari malignos illos atque alienos vexatores à quibus liberari optet David. Verùm Psalteriana series hanc à me suspicionem removit.

parce. non sumitur pro condona; sed in eam accipitur sententiam quam nos Galli sæpe adhibemus, quum dicimus *épargnez-moy cet affront*, hoc est huic parce contumeliæ, seu hanc contumeliam à me propulsa.

mei. est in genitivo.

dominati. S. Augustinus in editis libris habet *dominata*; eáque lectio optima est: quamquam in veteri atque elegantissimo, quod in regiâ Bibliothecâ asservatur, Codice MS. invenerim *dominati.* Doctissimi Benedictini, qui multos codices MSS. versarunt, retinent *dominata*: repertâ, dubio procul, hac voce in suis codicibus MSS. Eusebius in commentario legit etiam *dominata*, refértque ad occulta sic: *cùm etiam occulta mea non fuerint dominata.* Lectionem *dominati* fluxisse puto ex Hieronymianâ versione, quæ habet *superbis* pro *occultis.*

delicto maximo. sing. pro plur. nam refertur ad peccata malitiæ de quibus paulò ante loquutus est Vates: qui, quum singularem numerum collectivè usurpet, in culpâ non est.

meditatio cordis mei. præposterus ordo: nam animus orationem primùm meditatur; deinde eam lingua profert, uti usu habemus compertum, & Psalmo XLIV. 1. 2. observatum videmus.

semper. illud adverbium hunc postulare videtur sensum. Sic fiet ut eloquia oris mei tibi semper placeant, &c. sed ille, qui in paraphrasi legitur, sensus isto melior visus est: unde eum retinui, præsertim quum adverbium *semper* cum illo constare possit sensu. Ab Hebræo autem textu abest illud abverbium. Theodoritus in hanc abit sententiam. *Istud si concesseris sempiternam tibi hymnorum cantilenam offeram, tua oracula semper meditans.* Sed huic explicationi obstant Synonimica regula & verbum *placeant.*

ARGUMENTUM.

PSALMI DECIMI NONI.

SANCTUS Athanasius in Catenis Danielis Barbari & Corderii productus ait dictum fuisse hunc Psalmum tanquam ex personâ sociorum ipsius David ipsi sacra facienti benè precantium. Nonnulli, teste Asterio, dicebant hanc precationem habuisse prophetam quum David singulari certamine adversùs Goliath pugnaturus esset. Theodoritus atque Euthymius eam, quæ isto Psalmo continetur, orationem Ezechiæ ipsiúsque populo tribuunt precantibus ut à Sennacheribi manibus eripe-rentur. Alii autem eandem orationem in bello, quod

David cum Ammonitis gessit, adhibitam fuisse opinantur ut videre est apud Flaminium & Muisium. Prima sententia veritate fundatur; sed, quando illud, cujus caussâ David sacra faceret, bellum non indicat, exiguam nobis lucem affert. Secundam sententiam mentio Sionis & curruum atque equitum labefactat: ut omittam vero non esse simile ut Davidem eâ tempestate Christum à populo vocatum fuisse, etsi jam à Samuele unctus esset. Tertiæ sententiæ favere videntur loca IV. Reg. XIX. 3. 23. & Is. XXXVII. 3. 24. ubi tempus Sennacheribi *dies tribulationis* appellatur; & *equitum* ac *quadrigarum* mentio fit quemadmodum in Psalmi nostri versibus 1. & 8. Verùm sententia hæc minùs benè cum Psalterianâ serie cohærere videtur: illa enim series ostendit cantatum fuisse hunc Psalmum à populo regem, ad bellum proficiscentem, votis & bonis ominibus prosequente; at Ezechias, quo tempore Sennacheribus Judæam invadebat, ad bellum non est profectus: tum quia manus cum Sennacheribo non conflixit, tum quia Hierosolymis non est egressus. Quarta superest sententia quam assensu meo comprobo ob istum præsertim locum I. Paralip. XIX. 6. *Videntes autem filii Ammon quòd injuriam fecissent David, tam Hanon quam reliquus populus miserunt mille talenta argenti ut conducerent sibi de Mosopotamiâ & de Syriâ Maacha & de Soba* CURRUS ET EQUITES: quæ ultima verba cum isto Psalmi textu *hi in curribus & hi in equis* mirificè congruunt. Kimchius Psalmum hunc Davidi abjudicat; putátque eum ab aliquo cantore in gratiam Davidis ad bellum proficiscentis conditum fuisse: sed nihil obstare video quominùs David Psalmum composuerit, illúmque cantori alicui posteà tradiderit decantandum. Itaque cum Davidi ut auctori adscribo Psal-

mum ; existimóque illum à cantore personam populi sustinente, ideóque mox singularem mox plutalem numerum usurpante, cantatum fuisse quum David ad bellum contra Ammonitas profecturus esset, & sacrificia atque holocausta pro fausto hujus belli exitu offerret.

TITULUS.

In finem Psalmus David.

PSALMUS XIX.		PARAPHRASIS.
EXaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Jacob.	1	EXaudiat te Dominus ærumnoso isto tempore, protegat te nomen Dei Jacobæorum.
Mittat tibi auxilium de sancto, & de Sion tueatur te.	2	Mittat tibi auxilium è *loco* sancto, téque è Sione tueatur.
Memor sit omnis sacrificii tui, & holocaustum tuum pingue fiat.	3	Memor sit omnium sacrificiorum quæ *pro fausto belli exitu* offers, gratáque habeat holocausta quæ *eádem de causâ* immolas.

ANNOTATIONES.

in finem, &c. Codex Regius 138. *Psalmus David. propheta operantem hortatur.* Colb. 358. *in finem Psalmus David. prophetta ortatur operantem.*

Jacob. id est Jacobæorum seu Israelitarum qui ita vocantur quia originem à Jacobo patriarcha ducebant, ut annotavi ad Psal. XIII. 11. Aliqui ad ipsum restringunt Jacobum: quem hei[c] [n]ominatum volunt eò quòd multas pertulisset acerbitates, & divinum in iis auxilium expertus fuisset. Sed hæc mihi explicatio non arridet attendenti *Jacobi* nomine Israelitas significari in laudato Psalmo, ut & in Is. XLIV. 1. 2. aliisque in locis: ubi multæ illæ, quibus Jacob vexatus & tandem liberatus fuit, calamitates locum vix habere possunt.

sancto. Sionem intelligit ut sequenti patet hemistichio.

sacrificii tui. de speciali, quod farinâ, pane, oleo, vino, & thure constaret, sacrificio exponitur hic textus à Jansenio, Lorino, Corderio, Muisio, aliisque non paucis. Sed quum ex I. Reg. XIII. 12. adverto moris fuisse ut Judæorum reges bellum suscepturi holocaustum offerrent, prædicto textu plura, quæ David immolaverat, holocausta designari arbitror: præsertim quum secunda versus pars, quæ prioris repetitio aut explicatio esse solet, holocausti mentionem faciat.

holocaustum tuum. Egregium de Judaicis holocaustis testimonium apud *a* Porphyrium & *b* Eusebium suppeditat Theophrastus: manavítque à Judæis ad alios populos holocausti offerendi consuetudo ut ex *c* Herodoto, *d* Virgilio, *e* Seneca, *f* Porphyrio, & *g* Servio colligitur. Sed ab illis populis ad pravum usum detorta sunt holocausta : utpote quæ Diis inferis cuncta

a lib. I. de Abstin. animal.
b Præp. lib. IX. cap. 2.
c lib. 2. ubi de Ægyptiis.
d Æneid. VI. *& solida imponit*, &c
e in Oedipode: *solidásque pecudes urit*, &c.
f loc. cit. ubi de Cypriis verba facit.
g in dictum Æneidos locum.

absumentibus immolarentur, quum ea Hebræi ad unum referrent Deum vitæ necisque Dominum.

pingue fiat. hoc est accepterur & gratum sit, ut grata esse solent holocausta quæ ex animalibus pinguibus fiunt. Confer Daniel. III. 40. Symmachus, teste Theodorito, interpretatus est *ampliorem oblationem tuam faciat*: hoc est, interprete Theodorito, securitate pacis concessâ præbeat tibi ansam ut pluribus ipsum sacrificiis places. Sed illam interpretationem vel una Synonimorum lex evertit. Rabbini *incineret holocaustum tuum*, eodem nobiscum sensu: quum enim Deus igne cœlitùs demisso sacrificia in cinerem redigebat, ea sibi placere testabatur, ut apparet collatis locis Levit. IX. 24. III. Reg. XVIII. 24. 38. I. Paralip. XXI. 26.

Tribuat tibi secundùm cor tuum, & omne consilium tuum confirmet.	4	Det tibi quod desiderat cor tuum, omniáque tua consilia perficiat.
Lætabimur in salutari tuo: & in nomine Dei nostri magnificabimur.	5	*Ad nos quod attinet*, lætabimur de victoriâ quâ potitus fueris: & in nomine Dei nostri, *cujus ope victoriam illam retuleris*, magnificè gloriabimur.
Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum;	6	Implebit Dominus omnes petitiones tuas: jam *enim* scio quòd Dominus victoriam Regi à se electo dabit;
Exaudiet illum de cœlo sancto suo: in potentatibus salus dexteræ ejus.	7	Exaudiet*que* illum è sancto suo cœlo, & cum potenti suâ dexterâ reddet victorem.
Hi in curribus & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus:	8	Nimirùm hostes nostri curribus fidunt & equis: nos autem unum Dei nomen invocamus, *eóque nitimur solo:*
Ipsi obligati sunt & ceciderunt; nos autem surreximus & erecti sumus.	9	*Unde* illi succumbent & cadent; nos autem victores evademus.
Domine salvum fac Regem: & exaudi nos in die quâ invocaverimus te.	10	Domine salvum præsta Regem: nósque exaudi isto, quo te invocamus, die.

tribuat tibi. S. Augustinus addit *Dominus.*

salutari. Heb. salute quæ vox victoriam sæpe significat. Vide annotata ad Psal. XVII. 55. unde sequuturæ loquutioni *salvum fecit* lux affulget: quam augent Jud. VI. 36. I. Reg. XIV. 6. 22. XVII. 47. I. Paralip. XI. 14.

in nomine. nominis meminit quia superiùs dixit *protegat te nomen Dei Jacob.*

Dei nostri. S. Augustinus: *Domini Dei nostri.*

a de exhort. martyr.

magnificabimur. S. a Cyprianus *magnificabimus.* S. Aug *exultabimus.* Rabbini legunt נדגל; & vertunt, *vexillum erigemus* more scilicet triumphantium LXX. Senes legerunt נגדל *magnificabimur*, & melior est hæc lectio.

de cælo sancto suo. præmissa Sionis mentio cum hac loquutione constat : quia auxilium, è Sione emissum, à Deo in cœlis manente ortum primariò ducebat.

obligati sunt. Rabbini : *incurvati sunt* seu *succubuerunt*, aut *corruerunt* ; sed idem ubique sensus : nam qui funibus ligantur, facilè incurvantur, succumbunt, & corruunt. Quod optimè capiens Theodoritus, interpretatur *invisibiliter præpediti conciderunt.*

surreximus & erecti sumus. Quia cadere dicuntur qui victoriam amittunt ; ita, qui eam reportant, surgere & erecti stare censentur.

salvum fac regem. Rabbini ineptè : *salva* (nos) *Rex exaudiet* sive *exaudies nos*, &c. Accentus Athnac, qui commati respondet quique in voce הוֹשִׁיעָה *serva* reperitur, eos in ineptam hanc interpretationem traduxit : quasi verò major accentuum à Massorethis ordinatorum quàm boni sensus à Deo inditi ratio habenda esset. Adde quod accentus Athnac in pluribus locis non distinguit ; ut observat Muisius hoc loco, pag. 100.

in die. nonnulli : *in quacunque die.* Sed versioni nostræ & Hebræus textus & sensus favent. Vide S. Hieronymum in Epist. 135. & cum eum auctore Commentarii ei adscripti compone; vixque commentarium ab eo editum fuisse credes. Nam B. Hieronymus in Ep. 135. illud *in die qua* cum Hebræo concordare fatetur : Auctor autem commentarii ait *in Hebræo ita scriptum esse Domine salvum fac Regem, qui exaudiat nos in quacunque die invocaverimus eum.* Eò accedit quòd verus Hieronymus ex Hebræo vertit, *Domine salva : rex exaudiet nos in die qua invocaverimus te.*

ARGUMENTUM.

PSALMI VIGESIMI.

THEODORITUS, Nicephorus, atque Euthymius istum ad Ezechiana tempora Psalmum trahunt : affirmántque eum conscriptum fuisse ad agendas Deo gratias pro depulso ab Ezechiâ morbo, & concessâ ei quindecim annorum vitâ. Sed huic sententiæ ista Ecclesiastici XLVII. 7. verba, *laudavit* (David) *eum* (Deum) *in benedictionibus Domini in offerendo illi coronam gloriæ*, adversari videntur : vero enim est simile ut verba illa ad tertium Psalmi nostri versum * respiciant ; quúmque Davidi ab Ecclesiastico prædicta verba tribuantur, efficitur Psalmum quoque nostrum Davidi accommodandum esse. Id insuper colligo ex isto II. Reg. XII. 30. loco : *& tulit diadema regis eorum* (Ammonitarum). *de capite ejus, pondo auri talentum, habens gemmas pretiosissimas ; & impositum est super caput David.* Tantam hic locus similitudinem habet ad laudatum Psalmi versum, ut pro-

* *quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis : posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.*

babile admodum ſit hunc verſum ad hiſtoriam in præfato Regum loco deſcriptam pertinere; adeóque Pſalmum de Davide exponendum eſſe. Illud ego ex his non ſolùm Regum atque Eccleſiaſtici, ſed & ex I. Paral. XX. 2. 4. textibus cum Pſalmo noſtro collatis perſuaſum habeo, ac puto Davidem in hoc Pſalmo gratias pro victoriâ ex Ammonitis reportatâ agere; ſimúlque à Deo petere ut reliquos ſuos hoſtes perdat. Comparetur dicto Paralipomen capiti Pſalmus noſter: & utraque aſſertionis meæ pars non modò probabitur; verùm etiam univerſus Pſalmi ordo, qui obſcurus eſt & difficiles (ob decantatam in primis verſibus victoriam & imploratum, in ſequentibus verſibus, adversùs hoſtes auxilium quod decantatæ victoriæ repugnare videtur præſertim ſi primus verſus cum ultimo componatur) explicatus habet, in clariſſimam lucem proferetur & ſub intelligentiam faciliimè cadet. Perſpicuum enim ex illâ comparatione fiet Pſalmiſtam, à primo verſu uſque ad octavum, victoriam in Ammonitas partam canere; & ab octavo verſu ad Pſalmi finem, divinam poſcere opem adversùs omnes, qui ſupererant, hoſtes præſertim Philiſtæos: qui in laudato Paralipomenôn capite, poſt ſubactos Ammonitas, commemorantur; & mediam capitis hujus, ut & Pſalmi, partem occupant, adeò eximiè caput illud noſtro reſpondet Pſalmo. Cum quo etiam prædictus Eccleſiaſtici locus congruit: quippe qui, poſt contritos undique inimicos (quibus non Goliathem & Philiſtæos, etſi eorum mentio paulò ante præcedat, ſed Ammonitas undique acciſos intelligo) Philiſtæos recenſeat exſtirpatos. Explanatæ à me literæ accedere debet ſpiritus, & craſſo atque imperfecto ſenſui literali myſticus ac ſublimis adjungendus eſt ſenſus: quem heic admittendum

esse mecum confitebuntur qui Kimchium consuluerint; & Psalmi versus 3. 4. 5. 6. suo ponderaverint momento. Illinc enim discent nonnullos fuisse qui Psalmum istum de rege Messiâ cantatum esse dixerint; hinc autem præfatos versus in Christo promtiorem eventus expositionem habere cognoscent. Itaque rex Messias Christus Dominus de salute humano generi præstitâ lætatur; eámque Deo robur sibi tribuenti atque eximiis se beneficiis ornanti acceptam refert: tùm eum rogat ut cæteros omnes, qui supersunt & redemtis à se hominibus bellum indicturi sunt, inimicos disperdat.

TITULUS.

In finem Psalmus David.

Psalmus XX. / Paraphrasis.

1 *Domine in virtute tuâ lætabitur Rex: & super salutare tuum exultabit vehementer.*

Domine lætatur Rex ob eam, quam ipsi *cum hostibus pugnanti* tribuisti, fortitudinem: & vehementer exultat propter victoriam, quam ei *adversùs hostes illos* concessisti.

2 *Desiderium cordis ejus tribuisti ei: & voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.*

Eum votorum fecisti compotem: & quod labiis suis à te petierat, non ei negasti.

3 *Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide precioso.*

Illum namque bonis cumulasti eximiis: ejúsque capiti coronam preciosis gemmis ornatam imposuisti.

ANNOTATIONES.

in finem, &c. Codex Regius 238. *Psalmus David. Propheta de Christo dicit ad Patrem.* Colb. 138. *Psalmus David. Propheta de Christo dicit ad patrem. benedictio super principem.* Eusebius in Catenâ Corderianâ: Eis τέλος &c. *Ea qua heic dicuntur ad felicem finem remittunt, & inimicorum Dei interitum designant. Quapropter, secundùm Symmachum, est canticum pro victoria; secundùm Aquilam verò victori canticum.* Didymus in Catenâ Bar-

bariană: *Quum verò præsens hic Psalmus verum ac germanum finem respiciat, quæ in eo dicta sunt in finem inscribuntur. Quin & canticum pro victoriâ juxta Symmachum; & victori canticum, juxta Aquilam, nominatur, quoniam inimicorum & oppugnatorum Dei perniciem recenset.*

Rex. David de se in tertiâ personâ loquitur.

voluntate. Sixtina LXX. Senum editio habet δέησιν id est *petitione*: Græci autem Codices, quos in Præf. cap. 2. laudavi & Colbertini 6051. 6158. & 6510. qui mecum posteà communicati fuere, legunt θέλησιν *voluntate* cum Vulgatâ, Psalterio Complutensi, & B. Augustino. Utraque interpretatio eodem recidit: nam quod labiis proferimus idem nos velle labiis testamur; vel, ut ait Nicephorus: *voluntatem petitionem appellavit quoniam primùm volumus, postea petimus.*

prævenisti. pro circumdedisti, quemadmodum in Psal. XVII. 22. ut necesse non videatur versum ad Davidicam in thronum Israeliticum erectionem trahere; & cum Theodoreto, aliisque, interpretari: *nec rogatus regnum illi dedisti Israeliticum.*

Vitam petiit à te; & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, & in sæculum sæculi.	4	*Prælium cum hostibus initurus* vitam te poposcit; & longam ei vitam concessisti.
Magna est gloria ejus in salutari tuo; gloriam & magnum decorem impones super eum:	5	Magnam, *victoriâ, quâ eum donasti*, adeptus est gloriam; & splendore ac magno ornatu eum ornasti:
Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi, lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo	6	Siquidem illum *tam eximiis beneficiis complexus es* ut faustæ precationis exemplum apud posteros semper sit futurus, eúmque insuper summâ perfudisti lætitiâ tuum ei favorem impertiens
Quoniam rex sperat in Domino: & in misericordiâ Altissimi non commovebitur.	7	Ob collocatam in Domino spem suam: hinc enim, divinâ favente misericordiâ, factum est ut prosperos consequutus fuerit exitus.

vitam petiit à te. Quidam referunt ad Saulina tempora, in quibus petierit David ut incolumis evaderet. Traho ego ad bellum Ammoniticum, ut sensus sit Davidem cum Ammonitis dimicaturum à Deo efflagitasse ut opem sibi ferret & salutem.

in sæculum sæculi. Ex his verbis colligit doctissimus Bellarminus Carmen nec Davidi congruere nec Ezechiæ; sed soli convenire Christo, qui resurgens ex mortuis jam non moritur. Verùm laudata verba, ut quidem ego sentio, non impediunt quominus Psalmus Davidi accommodari possit: quum, prædictis verbis, non æternum sed longum, in suo genere, tempus aliquando denotetur ut observavit a Grotius, atque apparet Num. XXV. 13. III. Reg. VIII. 13. Psal. XXXVI. 28. LX. 4. CV. 31. CXXXI. 15. Is. LIX. 21. LX. 15. 19. 20. 21. LXV. 18. Jer. L. 39. Euthymius: *non solùm vitam dedisti ei; sed eam etiam longam præstitisti. Quòd verò ait in sæculum sæculi, Propheta propriè his verbis uti solet quando futurum atque indefinens sæculum designat; tametsi aliquando aut longum aliquod temporis spatium aut firmam atque immutabilem deliberationem, eodem sermone, demonstret ut hoc in loco: tu dedisti inquit, ei vitam: vitam, inquam, longam & longitudinem dierum firmam ac stabilem.* Quamvis autem David, quo tempore

a Comment. in lib. Reg.

contra

contra Ammonitas congressus est, jam grandis natu esset; posletque, ut primùm è prælio illo victor rediit, dicere ætate se esse provectum & diuturnam sibi vitam à Deo concessam fuisse, nihilominùs diuturnæ hujus vitæ mentio, aliquot post annis, opportuniùs facta videretur: unde existimo Psalmum hunc à Davide, quum anni aliquot post bellum Ammoniticum intercessissent, scriptum fuisse: sic ut longævæ, quam tunc agebat, ætatis rationem habens his verbis *& tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, & in sæculum sæculi* usus fuerit; præsertim quum id historiæ, cujus memoriam in isto Psalmo recolebat, non officeret quemadmodum non officiebat instrumentorum musicorum commemoratio, de quâ dixi in Præfatione, pag. 102. Cæterùm Psalteriana verba in Christum nobiliori modo quadrare nemo non videt: unde non solùm, cum Euthymio, addo *abs re non esse si verba hæc propter æternam vitam* (quæ Christo à mortuis excitato concessa fuit) *vitam dicta fuisse credantur*, sed dico præfata verba ad æternam hanc vitam necessariò trahenda esse si perfectæ sententiæ consulatur.

dabis eum in benedictionem. Confer Gen. XLVIII. 20. nec loca Jerem. XXIV. 9. XXIX. 22. omitte. S. Augustinus legit, *dabis ei benedictionem.*

cum vultu tuo. Symmachus, teste Theodorito, exposuit *apud vultum tuum.*

quoniam rex sperat. Nonnulli: *quia autem rex in Domino sperat ideò non commovebitur.* Sed huic sententiæ repugnat sequens copula *&*, eique non favet series.

&. pro *enim* ut Psal. I. 3.

8 *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inveniat omnes qui te oderunt.*

Verùm, quia alii supersunt inimici, apprehendat *quæso, Domine*, manus tua omnes tuos *illos* inimicos: *&* dextera tua omnes qui te oderunt assequatur *sic ut eos confringat.*

9 *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in irâ suâ conturbabit eos, & devorabit eos ignis.*

Illos iratus pone ut clibanum igne inflammatum: eósque, iracundiâ commotus, disperde Domine; absumátque illos ignis *abs te immissus.*

10 *Fructum eorum de terrâ perdes, & semen eorum à filiis hominum:*

Sed & liberos eorum è terra evelle, & posteros illorum ex hominum numero tolle:

11 *Quoniam declinaverunt in te mala, cogitaverunt consilia; quæ non potuerunt stabilire.*

Nam mala tibi moliuntur, & scelerata ineunt consilia; quæ tamen perficere non poterunt.

inveniatur. Respicere videntur hæc ad I. Paralip. XX. 4. & seq. Symmachus, narrante & probante Theodorito, dixit: *comprehendet manus tua omnes inimicos tuos, dextera tua inveniet eos qui te oderunt.*

pones. pro *ponas* seu *pone* ut ex præcedenti versu colligitur. Vide annot. ad Psal. XXIV. 13.

ut clibanum. Mûsius heic observat respici ad supplicium quod David in Ammonitas constituisse dicitur II. Reg. XII. 31 probabilitate id non caret aliquâ; sed, quia cum Psalterianâ serie non constat, mihi non arridet.

vultus. favorem sæpe significat ut aliquoties annotavimus; sed interdum accipitur pro *irâ*: quia videlicet ira in vultu cernitur. Postremo modo vox illa heic sumitur.

declinaverunt. *Symmachus,* inquit Eusebius, *communierunt contra te malum, vel obstru-*

xerunt contra te in malum, vertit. Theodoritus versum explicat de blasphemis sermonibus in Deum emissis.

cogitaverunt, &c. Symmachus, auctore Theodotito, dixit *cogitaverunt cogitationes qua non possunt fieri.*

consilia. S. Augustinus, *consilium.*

12 *Quoniam pones eos dorsum: in reliquiis tuis præparabis vultum eorum.*

Eos namque à tergo cædes: *&* quicquid *pœnarum* restabit tibi in vultum eorum collimabis.

13 *Exaltare Domine in virtute tua: cantabimus & psallemus virtutes tuas.*

Hoc ut fiat, virtutem tuam exere Domine, *& quantùm viribus polleas ostende, istos Regis hostes profligando: túmque* fortitudinem tuam canemus & celebrabimus.

quoniam pones eos dorsum, &c. Theodotitus: Ὁ δὲ Σύμμαχος &c. *Symmachus autem sic interpretatus est; quoniam facies ipsos aversos: eos enim, qui Angeli plagam fugerunt, in fugam vertes & terga dare coges, ut abeuntes res gestas narrent. In reliquiis tuis, &c. hoc quidam cum hyperbate dixerunt esse, & intellexerunt sic: in reliquiis ipsorum præparabis vultum tuum, pro eo quod est & his qui remanserunt & his qui fugerunt infliges pœnam. Fieri tamen potest ut eâdem structurâ utendo, eandem sententiam accommodemus. in reliquiis tuis præparabis vultum eorum. Integrum enim tibi erit & facile, supplicia, quæ tibi reliqua sunt, eis infligere: & eos, qui nunc fugiunt quique terga dederunt, eósque etiam qui sibi persuaserunt se mortem declinasse, poteris convertere & sistere & mulctare.* Nieephorus atque Euthymius Hyperbaton probant. Vatablus *humerum* vertit pro *dorsum*; & *funibus* pro *reliquiis*: totúmque versum fie explicat. *Humerus pro aggere sive tumulo in quo figitur scopus* qd. *statues eos instar tumuli in quem sagittas tuas emittas: & in nervis tuis diriges sagittas ut ejaculeris in faciem illorum.* Alii prius membrum interpretantur *vertes eos in fugam*; sed non cogitant sequens membrum huic sententiæ refragari: nam qui in fugam vertuntur, sagittis in facie peti non possunt. Huic difficultati Flaminius & Muisius occurrunt. Flaminius: *At tu præcipites eos in fugam dabis, & terga dare coges. vertent illi quidem terga, tuis sagittis vulnerati. Sed tu fugientibus tete objicies, & in ora illorum mortifera tela torquebis.* Muisius: *vertes illos in fugam, & tamen non sic evadent quia fugientibus occurres, & in funibus arcuum tuorum præparabis sagittas tuas, quas dirigas in ora illorum.* Bellarminus autem fie explicat: *facies ut nihil sint nisi dorsum: pars videlicet flagellis exposita, & vultum eorum diriges ad considerandos electos tuos quos tibi reliquisti*: quò (ut addit Jansenius) *non tantùm suo malo, sed etiam alienâ torqueantur felicitate.* Theodoriro assentiret absque pronomine *tuis*: quod explanationi ejus favere non videtur nisi in eam, quæ vix etiam ob aliud pronomen nempe *eorum* mihi probaretur, sententiam flectatur *& punies etiam eos qui furorem tuum initio subterfugerint.* Vatabli explicatio contemnenda non esset si cum LXX. Senibus congrueret; & multis niteretur Scripturæ testimoniis in quibus vox שכם significaret tumulum seu aggerem: quod quum non ita se habeat, illam explicationem non sequor. Flaminius & Muisius nimio, eóque alieno, utuntur additamento. Bellarmino autem & Jansenio Synonimica regula & textus ipse officiunt. Putem ego Psalterianum, qui in manibus est, versiculum nostræ huic loquutioni respondere, *vous les batrez à dos & à ventre*: hoc tantùm adhibito discrimine quòd Hebraica phrasis *vultus*; nostra *ventris* meminit, útraque loquutione eundem sensum conficiente. Igitur Psalmographus nihil aliud dicere videtur quàm *cades eos à tergo & pone*: indéque versionis nostræ præstantia appar e vel in ipso textu qui ab Hebræorum alumnis valdè vexatur. Illa sanè versio eò retinenda videtur magis quòd in more positum sit ut, postquam aliquem à tergo verberaverimus, reliquum plagarum, quas ei infligere optamus, in ventrem illius seu, ut dicebant Hebræi, in

vultum ejus convertamus. Psalmi XVII. 45. memoriam teneo, & recordor loquutione istâ *inimicos meos dedisti mihi dorsum* significari inimicos meos in fugam vertisti : sed, præterquam quod loquutio hæc nostræ non omninò consentit ut Hebræum & Latinum textum expendentibus patebit, nihil obstat quominùs uni eidémque loquutioni diversa aliquando sententia sit subjecta.

ARGUMENTUM.

PSALMI VIGESIMI PRIMI.

THEODORUS Mopsuestenus, in quartâ Concilii Constantinopolitani secundi seu Quinti generalis collatione productus, ista habet verba ex principio commenti quod in duodecim Prophetas scripserat & in quo abnegabat Prophetias de Christo esse prædictas. *Eundem * intellectum habet & illud* DIVISERUNT SIBI VESTIMENTA MEA, ET SUPER VESTIMENTUM MEUM MISERUNT SORTEM. *Quòd enim Psalmus nullatenus convenit Domino certum est : neque enim erat Domini Christi, qui peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore ejus, dicere* LONGE A SALUTE MEA VERBA DELICTORUM MEORUM ; *sed & ipse Dominus dum, secundùm communem hominum legem, in passione opprimeretur* DEUS MEUS, DEUS MEUS, QUARE ME DERELIQUISTI *emisit vocem. Et Apostoli,* DIVISERUNT SIBI VESTIMENTA MEA ET SUPER VESTIMENTUM MEUM MISERUNT SORTEM, *ad eum traxerunt manifestè : quoniam quod suprà modum dictum fuerat priùs à David propter illata ei mala, hoc ex operibus evenit in Domino Christo, cujus & vestimenta diviserunt & sorti tunicam subjecerunt.* Idem Theodorus ad hæc verba FODERUNT MANUS MEAS ET PEDES MEOS ET OMNIA PERSCRUTABANTUR EA QUÆ AGEBAM ET QUÆ CONABAR, ita disserebat. *Nam* FODERUNT *ex translatione dixit eorum qui,*

* hoc est Psalmus XXI. Christo, pro re natâ, accommodatus ab Apostolis fuit : verbis in res fortuitò, non consultò congruentibus : id quippe colligitur ex ejus in Psal. 15. enarratione, quæ paulò antè legitur in hunc modum. *Tale est & quod non derelicta est anima ejus in inferno, nec caro ejus vidit corruptionem. Nam Propheta quidem suprà modum ipsam ponit circa populum providentiam, volens dicere quoniam inextentabiles eos ab omnibus conservavit malis. Quoniam autem hoc verum & ex ipsis rebus eventum accepit in Domino Christo, frequentissimè de eo loquens B. Petrus, utitur voce, * ostendens quoniam quod de populo suprà modum dictum est, ex quadam ratione utente voce Prophetâ, hoc verum eventum in ipsis rebus accepit nunc in Domino Christo.*

per effossionem; scrutari quæ in profundo sunt tentant. DINUMERAVERUNT OMNIA OSSA MEA. *Totius meæ fortitudinis & totius meæ substantiæ detentores facti sunt, ut etiam numero mea subjicerent. Istud autem ex consuetudine quam habent hostes dixit: qui, quando obtinuerint numero & talis, subtilem notitiam inventorum faciunt. Propterea & sequenter dicens* IPSI VERO CONSIDERAVERUNT ET CONSPEXERUNT ME, *intulit* DIVISERUNT SIBI VESTIMENTA MEA ET SUPRA VESTIMENTUM MEUM MISERUNT SORTEM. *Considerantes autem me, ait, & conspicientes quòd omnia eis evenerunt in me desiderata (conspicere enim ita, ut apud nos, dicitur pro eo quod est vidit in eum quæ volebat pati eum) jam tanquam me omninò malis dedito sicut hostes mea, post vastationem & captivitatem, diviserunt sorte divisionem eorum facientes. Et Evangelista ista quidem in Domino verba ex rebus assumens eis usus est, sicut & in aliis diximus. Nam quòd non pertineat ad Dominum Psalmus, in superioribus evidenter ostendimus. At verò beatus David suprà modum ista magis ex his quæ ab Absalom facta sunt dixit: quoniam dum recessisset David, jure belli metropolim ingressus omnes quidem obtinuit res regales; non piguit etiam patris cubile inquinare.* Theodori Mopsuesteni aliorúmque Interpretum ejus sequacium nomini parcens Theodoritus, eos his perstringere videtur verbis: ταύτῃ γὰρ κἀκεῖνοι &c. *Quum hanc enim & ipsi vocem (delictorum meorum) attendissent, non dixerunt hunc Psalmum Domino congruere*, &c. quæ verba vir quidam doctissimus ad LXX. Interpretes perperàm retulit quum, prolato hoc versu *longè à salute mea verba delictorum meorum* &c. dixit: *quæ caussæ fuisse testatur Theodoretus quamobrem septuaginta Interpretes ad Christum congruere Psalmum hunc non dicerent.* Græcus quidem & Latinus textus viro summo favere videntur eò quod LXX. Interpretum men-

tionem proximè faciant: sed nemo non videt LXX. Interpres, qui meram versionem non commentarium elucubrati sunt, dicere non potuisse ea quæ ei vir maximus affingit. Grotius Theodori Mopsuesteni vestigiis, heic alibíque, aliquatenùs insistens, ait. *Ode hæc Davidis profugi calamitates describit; neque tamen id impedit quominùs sensu sublimiore ad Messiam spectet: quod & Hebræorum scholia, quæ Midras vocant, ad hunc locum indicant. Et sæpe evenit ut verba, in sensu mystico, significationem habeant aptiorem minúsque figuratam.* Kimchius has tituli Hebraici dictiones אילת השחר interpretatur *cervam auroræ;* censétque, dictionibus illis, designari congregationem Israelitarum in præsenti exilio degentium quos Psaltes Cervam appellet quemadmodum in [a] Cantico Canticorum: aurorae verò comparet ob splendorem qui illis quondam inerat vel ipso teste Salomone qui eos auroræ in eodem Cantico etiam assimilat. Hebræorum alii Psalmum hunc de Esthere & de Israelitis, qui tempore ejus in exilio versabantur, intelligendum esse asserunt ut idem Kimchius, post Hieronymiastrum, testatur. Theodori Mopsuesteni opinio, quæ Psalmum ad Davidem ab Absalomo exagitatum trahit, cum versibus 18. 19. non cohæret: siquidem manus & pedes Davidis perforatos, omnia ejus ossa dinumerata, vestimenta ipsius divisa, & sortem super vestem ejus missam fuisse nullibi legimus. Multa equidem Poetis licent, eósque hyperbolicis loquutionibus non raro uti scimus; sed loquutiones illæ aliquâ veri similitudine niti, & extra hos egredi non debent cancellos quos ipsi homines circumdederunt: at primùm verò nullatenus est simile Davidis, qui fugerat & in Absalomi ejúsque fautorum potestate non erat, manus & pedes perforatos & ossa ipsius dinumerata

[a] II. 7. 9. 17.

fuiſſe, hæc enim mala iis tantùm inuri poſſunt qui in conſpectu noſtro adſtant & in arbitrium ac poteſtatem noſtram venerunt. Davidicarum quoque veſtium diviſio & earum in ſortem conjectio nullam veriſimilitudinem conſequuntur: nam, quando veſtes hujuſmodi regales atque [a] pulcherrimæ erant, illas ſubditi induere non potuiſſent, atque ita eas fruſtrà partiti fuiſſent, & in ſortem inutiliter conjeciſſent: præſertim ſi [b] Rabbinos audiamus docentes regiam ſupellectilem, ob majeſtatem utentis, cuilibet privato interdictam fuiſſe. 2°. hæc veſtium diviſio & ſortitio in earum rerum, quæ hyperbolicis loquutionibus ſubjiciuntur, numero non ſunt, ſed hiſtoriæ ſoliditate fundari debent: at nulli hiſtoriæ proditum eſt Davidis veſtem diviſam aut ſorti mandatam fuiſſe: ergo illa cùm diviſio tum ſortitio in Davidem traduci non debet; præſertim quum utraque res (ut dixi) à veri ſimilitudine abhorreat: quod argumento negativo, cæteroquin minùs firmo, robur addit maximum. Ad hæc Theodori Mopſueſteni opinionem verſiculi 29. 30. 31. 34. labefactant: hi namque verſiculi univerſos terræ fines ad Dominum convertendos, univerſas gentium familias eum adoraturas, Deum gentibus dominaturum, & naſciturum canunt populum quem Dominus fecerit. Atqui illa Davidicis, quæ Theodorus ſtatuit, temporibus non congruunt: etenim victoriam in Abſalomum partam univerſorum terræ finium & gentium omnium Ethnicarum converſio, ac populi à Domino facti nativitas, & cætera à Vate memorata non ſolùm non conſequuta ſunt; ſed ne unus quidem Ethnicus ad Deum converſus legitur poſtquam David ſuperior factus eſſet. Unde meritò ait Theodoritus: ἐγὼ δ' τὴν &c. *Ego autem Judæorum ſtuporem deploro*

[a] Maimonides halacà *Melakim* med. cap. 2. ...המלך מתקן עצמו ומתנאה במלבושים נאים ומפוארים &c. ideſt: *Rex induitur veſtibus pulchris & egregiis, ſicut legimus* (Iſ. XXXIII. 17.) *regem in decore ſuo videbunt oculi tui.*

[b] Rabbi Bechai paraſch. *Scheph.* אין רוכבים על סוסו ואין יושבים &c. ideſt: *Non inequitant ejus* (Regis) *equo, non inſident ſolio, non utuntur ſceptro ejus, nec coronâ ejus, nec ullo eorum quibus ille uſus fuerit: ideò quum moritur comburunt iſta omnia coram ipſo. Abſtinent ſervis ejus & ancillis & miniſtris, omnes præter alium regium ſucceſſorem.* Maimonides hal. *Melakim* c. 2. §. 1. אין משתמשין באחד מכל כלי תשמישי &c. ideſt: *Non utuntur ullâ ſuppellectile regali; ſed quum ille moritur comburunt univerſam coram ipſo.*

quoniam, in divinis oraculis semper versantes, veritatem in his splendentem minimè conspiciunt ; sed in Davidem dictatum esse hunc Psalmum asserunt, audientes Davidem exclamantem annuntiabitur Domino &c. Nam nihil eorum Davidi accidisse videmus, nec alicui eorum qui ex Davide prognati sunt. Respondebunt fortasse aliqui, per Gentes illas ad Dominum convertendas, intelligi Judæos qui Deum majori, quàm antea, observantiâ culturi ; & pravos, ad quos, imperante Absalomo, deducti fuerant, mores emendaturi erant. Verùm hac explicatio laudatis versiculis repugnat non solùm quia versus illi vocem גוים, quæ Ethnicis quàm Judæis sæpiùs convenit, bis adhibent ; sed quia, dum universos terræ fines, universas Gentium familias, divinum in eas imperium, & nasciturum populum commemorant, Ethnicos manifestè innuunt non Judæos : sive quia hi omnes à Deo non desciverant quum permulti Davidis caussam complexi fuissent, ut diximus in argumento Psalmi XIII. sive quia in nasciturum populum comprehenditur non gens melioribus consuetudinibus imbuenda ; sed gens novam, & quæ antea omninò ignota ipsi fuisset, religionem suscepturа. Adde quod Judaicus populus, utcumque bello civili seu Absalomitico implicatus, Deum adorabat, & Deus huic populo, etsi defectionem ejus non probaret, præerat : sed hæc Psalmi verba, *& adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium... & ipse dominabitur gentium* in Mopsuestenam sententiam accepta, contrarium supponunt ; ergo sententia illa est rejicienda. Denique illam sententiam hæc Psalmi pars *semen meum serviet ei* confodit : siquidem Judæorum Regum Davide satorum plerique Deum debitâ observantiâ non coluerunt, ut de illis verè dici non possit & *semen meum serviet ipsi.* Quod ve-

rò Theodorus Mopſueſtenus aliíque objiciunt, à Theodorito diluitur: qui, quum eorum objectionem Πῶς γὰρ &c. *Quomodo, inquiunt, qui peccatum non fecit dicere poterat longè à ſalute mea verba delictorum meorum* propoſuiſſet, ait: ἀκουσάτωσαν τοίνυν &c. *audiant igitur magnum* [a] *Johannem clamantem* ECCE AGNUS DEI QUI TOLLIT PECCATUM *mundi*; *&* *divinum* [b] *Paulum dicentem* EUM QUI NON NOVERAT PECCATUM PRO NOBIS PECCATUM FECIT UT NOS FIEREMUS JUSTITIA IN IPSO. *Et rurſus* [c], CHRISTUS REDEMIT NOS EX MALEDICTIONE LEGIS FACTUS PRO NOBIS MALEDICTIO. *Itaque, quemadmodum quum ſit fons juſtitiæ noſtrum peccatum accepit, quúmque ſit benedictionis pelagus maledictionem nobis imminentem ſuſcepit, & crucem ſuſtinuit opprobrium deſpiciens; ſic & pro nobis verba fecit. Si enim pro nobis conſtitutam diſciplinam ſponte ſubiit*, DISCIPLINA ENIM PACIS NOSTRÆ SUPER EUM *ut ait* [d] *Propheta, multò magis pro nobis verbis, ex perſona noſtra, uſus eſt &* *exclamat* LONGE A SALUTE MEA VERBA DELICTORUM MEORUM. Eandem ſolutionem, ante Theodoritum, adhibuerant Origenes, S. Gregorius Nazianzenus, & B. Auguſtinus, quorum verbis hunc locum exornari par eſt. Chriſtus, τὸ πλημμελὲς ἡμῶν οἰκειούμενος *delictum noſtrum ſibi vendicans, has voces* LONGE A SALUTE MEA VERBA DELICTORUM MEORUM *protulit* aiunt Origenes & Gregorius Nazianzenus in Catenâ Corderianâ producti: quibus ſuccinens B. Auguſtinus in ſecundâ hujus Pſalmi expoſitione ita, ad hunc textum *longè à ſalute meâ verba delictorum meorum*, ſcribit. *Quorum delictorum, de quo dictum eſt: qui peccatum non fecit nec inventus eſt dolus in ore ejus? Quomodo ergo dicit delictorum meorum niſi quia pro delictis noſtris ipſe precatur, & delicta noſtra ſua delicta fecit, ut juſtitiam ſuam noſtram juſtitiam faceret.* Grotiana, quæ

quæ

[a] Joh. I. 29.
[b] II. Cor. V. 21.
[c] ad Gal. III. 13.
[d] Iſ. LIII. 5.

Psalmum Davidi primario sensu accommodat, sententia iis ruit argumentis quæ ad labefactandam Theodori Mopsuesteni opinionem adduximus; quæque eorum etiam sententiæ, qui Psalmum Davidi Saulem fugienti aptant, disturbandæ sunt idonea. Kimchiana opinio, sicut & ea quæ Psalmum in Estheris tempus confert, minorem veri similitudinem consequuntur quàm illa cui infirmandæ operam dedi: unde mihi ab earum confutatione tempero; atque ad S. Athanasium, Eusebium, Didymum, Theodoritum, & Nicephorum venio: qui, de Psalteriano titulo differentes, nonnulla docent quæ à nobis sunt expendenda. S. Athanasius in Catenâ Corderianâ: Ἄιτῃ ὁ προσκείμενος &c. *canitur hic Psalmus pro susceptione matutinâ, hoc est quando illucescens unigenitum Dei verbum, uti scriptum est, oriens ex alto nos à nocte & caligine diabolicâ liberavit; vel etiam matutinam susceptionem appellat tempus Dominicæ resurrectionis: resurrexit enim valdè mane, viam humanæ naturæ ad immortalitatem patefaciens.* Eusebius in eâdem Catenâ: Τὼ ἐκ τῆ χειρὸς &c. *tradit ex resurrectionis tempore salutem adfuturam, dicente* [a] *Luca: unâ autem sabbatorum valdè diluculò ad monumentum venerunt mulieres portantes quæ paraverunt aromata quando etiam audiverunt, ex viris duobus, quid quæritis viventem cum mortuis? non est heic, sed surrexit. Universam igitur dispensationem passionis Salvatoris divinus spiritus adscribit ejus resurrectioni. Ceterùm hic Psalmus quoque continet Ecclesiæ constitutionem, & Gentium vocationem, nec non præcognitionem generationis ac populi nasciturі.* Didymus: ἀντίληψις ἑωθινὴ &c. *matutina susceptio perficitur & oriente justitiæ Sole, & ignorantiæ nocte finem accipiente; &, sumto exordio, occurrit ad perfectam illustrationem divini luminis & à Trinitate manantis,* &c. Theodoritus: Οὗτος ὁ ψαλμὸς &c. *hic Psalmus Do-*

a XXIV. 1.

Pp

mini Christi passionem, & resurrectionem, & gentium vocationem, & totius orbis salutem prædicit. Inscriptio autem ipsa hoc demonstrat. Susceptio enim matutina Salvatoris nostri est adventus qui, instar auroræ, in tenebris sedentibus illuxit, lux enim vera est Dominus: nascens autem lux, diluculum efficit, quo exorto discutiuntur tenebræ. In ipsum igitur dictatus est hic Psalmus. Nicephorus in Catenâ Danielis Barbari: *Psalmus hic crucem Salvatoris prædicit, & resurrectionem, nec non & gentium vocationem, & salutem nostram. Susceptio autem matutina vel Domini adventus, est qui diluculi instar his, qui in tenebris erant, illuxit.* Huic doctrinæ non favent interpretationes sive Kimchii qui, ut jam monuimus, ista tituli verba אילת השחר exponit *cervam auroræ*; sive nonnullorum, ut idem Kimchius narrat, Rabbinorum qui prædictis vocibus instrumentum musicum significari autumant; sive quorundam Interpretum qui, illis vocibus, designari putant initium vulgaris carminis ad cujus modos hic Psalmus decantandus esset. Illa tamen Patrum doctrina cohærere potest cum explicatione non solùm aliquorum, quos Kimchius memorat, Rabbinorum quorum alii per nomen אילת intelligunt *fortitudinem*, alii has voces אילת השחר interpretantur *stellam matutinam*; sed etiam Rabbini Menachem à Rabbi Salomone producti, cui nomen אילת est כֹּחַ *robur*, & Rabbini Aben-Ezra qui totum titulum sic explicat כח עלות השחר *robur ascensus auroræ*: unde non longè abit Grotius cui אילת השחר videtur *esse initium auroræ*. Hæ, inquam, explicationes cum Græcorum Patrum doctrinâ constare possunt: siquidem Christus cùm nascens tum resurgens fuit *stella matutina*, *aurora*, *fortitudo*, & *robur ascensus auroræ*: quippe qui mortalibus & lucem attulerit ac fortitudinem. Verùm quum S. Augustinum & Auctorem commentarii B. Hiero-

nymo adſcripti audiiſſem, quorum ille de Pſalteriano titulo verba faciens, ait *in finem pro reſurrectione ſuâ ipſe Dominus Jeſus Chriſtus loquitur. Matutina enim fuit prima Sabbati reſurrectio ejus quâ ſuſceptus eſt in æternam vitam, cui mors ultrà non dominabitur. Dicuntur autem iſta ex perſonâ crucifixi. nam de capite Pſalmi hujus ſunt verba quæ ipſe clamavit quum in cruce penderet*; hic autem primum Pſalmi verſum explanans, ita loquitur. *Hoc, inquit, verſiculo Dominus in cruce pendens uſus eſt. Ex quo intelligimus totum Pſalmum à Domino in cruce poſito decantari.* Quum, inquam, Auctorem hunc & S. Auguſtinum audiiſſem, ac tituli vocem ἀντιλήψις, *defenſionem* in vigeſimo Pſalmi verſiculo verti conſideraſſem, & nonnullos Pſalmi verſiculos Dominicæ paſſioni à Matth. XXVII. 35. 43. 46. Marc. XV. 34. & Joh. XIX. 24. aptatos fuiſſe meminiſſem, in eam ivi ſententiam iſtum Pſalmum Chriſto in cruce pendenti, acerbitates ſuas deſcribenti; & Patrem, ut auxilium ſibi, à mortuis ſe matutino tempore excitans, porrigeret obſecranti, ac multam ei laudem promittenti; atque univerſos orbis fines eum, poſt reſurrectionem ſuam, adoraturos recipienti accommodandum eſſe. Hæc autem ſententia aſſenſu meo eò comprobata fuit promtiùs quòd illa cum univerſo Pſalmi contextu egregiè congruit, ut noſtrâ apparebit paraphraſi & annotationibus noſtris: ad quas qui animum intenderint, non modò Theodorum Mopſueſtenum ſunt damnaturi; verùm etiam eos probaturi non ſunt auctores qui, Rabbinicam Tituli interpretationem *pro cervâ matutinâ* ſeu *auroræ*, aut *cervo matutino* ut legitur apud Hieronymiaſtrum, ſequuti, inſcriptum ſic fuiſſe arbitrantur Pſalmum propterea quòd ut Cerva canum vi exagitatur, ſic Jeſus matutino tempore à rabioſis ho-

minibus dilaniatus & in crucem actus fuit : quod caussæ sit cur semel atque iterum in Psalmo se à canibus circumsideri queratur. Hanc sententiam ut & eam, quæ Psalmum Christo divinum auxilium adversùs Judæos, se à summo mane exagitantes imploranti tribuit, opinionem vel primus Paraphrasis versus circa tertiam, post meridiem, horam prolatus explodit.

TITULUS.

In finem pro susceptione matutinâ Psalmus David.

PSALMUS XXI.

Matth. XXVII. 46. Marc. XV. 34.

1 *DEus Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? longè à salute mea, verba delictorum meorum?*

2 *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies; & nocte: & non ad insipientiam mihi;*

PARAPHRASIS.

1 DEus Deus mi benignus me aspice, quare *tuo* me destituisti *auxilio*? *& cur* delicta *generis humani, quæ expianda suscepi,* impediunt quominùs opem consequar, *aliquod ex te solatium, in his meis cruciatibus, reportando*?

2 Deus mi per diem *nunc* clamo *orans ut aliquam mihi consolationem adhibeas*, sed me non exaudis; nocte etiam *præteritâ ad te clamavi obsecrans ut passionis calicem à me transferres, sed me pariter non exaudisti* : & *tamen* nulla *est* in me iniquitas;

ANNOTATIONES.

in finem pro susceptione matutina. idest : Psalmus perpetuò canendus & æternâ dignus memoriâ quippe qui orationem contineat quam Christus in cruce pendens adhibuit pro consequendâ, matutino resurrectionis suæ tempore, ope divina. Codex Reg. 138. Titulum sic exhibet : *in finem Psalmus David pro adsumtione matutina : verba Christi cùm pateretur.* Codex Reg. 222. *in finem pro assumptione matutina. Psalmus David.* Codex Colb. 158. *in finem Psalmus David pro adsumtione matutinâ. verba Christi cùm pateretur.* Colb. 1339. *in finem pro susceptione matutinâ. Psalmus David.* Codex Memmianus 2. *in finem pro adsumptione matutinâ. Psalmus David.*

respice in me. Eusebius in Catenâ à Barbaro versâ, *Cum illud* (respice in me) *in Hebræo non adsit, sed solùm apud Septuaginta in primo versu ponatur, meritò quoque Salvator noster illud omisit.* Idem observat Auctor commentarii Hieronymo adscripti: sed, pace illorum, dixerim colligendum non esse, ex Christi prolatione, verba illa *respice in me* esse supervacanea: nisi velis dicere supervacanea quoque esse ista Psalmi XV. ult. *delectationes in dextera tua usque in finem*: quæ Christus à B. Petro laudatus Act. II. 28. omisit, quæque cùm in Hebræo tum in Vulgatâ versione reperiuntur.

quare me dereliquisti, Origenes, S. Gregorius Nazianzenus, & S. Augustinus Christo corpus Ecclesiæ, quæ priùs derelicta erat & despecta, repræsentanti tribuunt hæc verba; nec longè inde abit Hieronymiaster quum ait: *hic humanitas loquitur quemodo derelicta fuit in Adam quando præceptum transgressus est*; sed altera ejusdem Auctoris explanatio quæ statuit *loqui heic Christum in passione derelictum pro parte carnis*; altera, inquam, hæc explicatio rectior est: nam tempore passionis nulla fuit redundantia consolationis superiorum virium ad inferiores ut Genebrardo & Corderio notatum est. Optimè Euthymius: *humanæ est formidinis sermo quo maximè Dei humanatio confirmatur, quòdque verus ac perfectus homo fuerit Christus & naturali obnoxius timori*; contra atque senserunt SS. *a* Hieronymus & *b* Augustinus qui Christum non verè timuisse docuerunt cum B. *c* Hilario, Aphatordocitis* à *d* S. Joh. Damasceno memoratis, & *e* Justiniano Augusto qui Christum extra necessitatem timoris non modò posuerunt, sed & dolorem & id genus alias passiones ei ademerunt. Sanctum Augustinum excusatione, quæ beatum etiam Hieronymum purgare valeat, tegit *f* Magister sententiarum; sed ipsum audire malim Augustinum in enarratione Psalmi 93. ad vers. 15. ubi Christum verè timuisse profitetur. Sanctum quoque Hilarium benignè interpretatur laudatus sententiarum *g* Magister; sed in culpa ponit *h* Claudianus Viennensis: quem imitatus Anastasius Antiochiæ Episcopus Justinianum oppugnavit, ut refert *i* Evagrius. Præclara de vero Christi timore suppeditabit tibi S. *k* Chrysostomus, dum ego textum nostrum persequens addo Christum Dominum heic loqui ut hominem; & derelictionem, cujus meminit, non esse separationem divinitatis (hæc enim servi formæ patienti aderat ut ait Theodoritus) sed esse separationem opis seu consolationis quam divinitas servili formæ tunc denegabat. Theodoritus & Nicephorus derelictionem trahunt ad factam passionis ac mortis permissionem qd. quare me insontem pati & mori permittis; sed hæc explicatio non videtur recta.

longè. Nicephorus & Euthymius, longè à mente Psalmographi abeuntes, aiunt: *reatus peccatorum meorum procul sunt à salute meâ, hoc est nullo impedimento sunt saluti meæ quia nulla sunt omninè delicta mea quæ commiserim.* Longè etiam à Psalmographi mente discedit Jansenius dicens: *an delicta mea accusantia longè me faciunt à salute mea? Num mea peccata præpediunt salutem meam? Tu certè Domine nosti nulla omninò esse delicta quæ commiserim.* Hæc Genebrardi explicatio, *salus remota est à verbis quæ fundo propter delicta mea id est quæ mihi causâ totius generis humani imputantur,* ad scopum propiùs accedit; sed eum non assequitur quia Christus, pro hominum peccatis orans, exauditus est. Mihi *verba delictorum meorum idem* sunt ac res delictorum meorum hoc est res meæ peccaminosæ: quo sensu dicitur Psal. XC. 3. מדבר הוות *à verbo asperitatum* seu *asperitatum* hoc est à re asperâ atque ærumnosâ: *verbo* nimirum sumto pro *re* uti IV. Reg. XVII. 11. & in permultis aliis Scripturæ locis accipitur. Vide Annotationes ad Psal. XVIII. 2.

salute mea. salutem pro auxilio sumit ut Psal. XVII. 4. XXVI. 1. LXVIII. 34. Is. XLVI. 13. LVI. 1. unde salutem cum auxilio conjungunt Is. XLIX. 8. & B. Paulus II. Cor. VI. 2. quod imitatur Cicero 2 de fin. 118. ubi reperias, *ferre opem & salutem alicui.*

delictorum meorum. Christus humani generis personam gerens heic loquitur, ut in argumento dictum est. Theodoritus: *Aquila, rugitus mei. Symmachus lamentationum mearum. Theodotio clamoris mei.* Idem testantur Eusebius & Hieronymiaster nisi quòd ille Quintæ editioni; hic autem Quintæ & Sextæ editioni postremam adscribit versionem. Nostra Eusebio displicet, sed immeritò ut ex iis, quæ in argumento attulimus, perspicuum est. LXX. Senes legisse videntur שגאתי *delictorum meorum* pro שאגתי *rugitus mei* ut vertunt Rabbini, id est juxta illos: non exaudior quantumvis rugiam ac clamem, seu salutem non consequor, nihil proficio clamoribus & ejulatibus meis.

a lib. 4. Comment. in Matth. exponens initium cap. 26.
b in Enarrat. 2. huius Psalmi sub initium, & in Epist. ad Probam c. 6 & 7.
c in Ennarrat. Psal. LXVIII. p. 816 C. lib. 10. de Trin. p. 199. E. & can. 31. in Matth. p. 598. D. E. 599. D.
* depravatum puto hoc nomen, & Aphtartodocitis reponendum suspicor ex cap. 18. & 28. l. IV. Hist. Eccl. Evagrii, qui opinionem ei, quæ à S. Ioh. Damasceno notatur, germanam describens, illam ponit in eo quod Christi corpus dicas ἀφθαρτον incorruptibile: hoc est timoris, doloris, & aliarum, quæ corpus consumpunt, passionum expers. Dicti ergo fuerint Aphtartodocitæ quasi incorruptibilis corporis approbatores.
d lib. de Hæres. c. 84. p. 696. edit. Paris. 1619.
e vide Evagr. Hist. Eccl. lib. IV. c. 38.
f lib. III. dist. 15.
g Ibid.
h lib. 2. de statu animæ.
i loc. cit. cap. 39.
k homil. 12. de Consubstantiali to. 1. p. 370. B C 371 B D

a Joh. XI. 41.
b Hebr. V. 7.

c 3 part. q. 21. art. 4 ad 4.

& non exaudies. Hæc congruere non videntur Christo qui *a* ait: *Pater ego sciebam quia semper me exaudis*, & de quo B. *b* Paulus dixit: *cum clamore valide & lacrymis offerens exauditus est pro suâ reverentiâ.* Respondeo Christum semper exauditum fuisse quantum ad affectum rationis, non item quantùm ad affectum sensualitatis. Solutionem peto ex S. *c* Thoma qui objectionem ex textu nostro petitam sic diluit. *Cùm dicit clamabo & non exaudies, intelligendum est quantùm ad affectum sensualitatis qua mortem refugiebat: exauditur tamen quantùm ad affectum rationis.*

& non ad insipientiam mihi. Ne quis ex præcedentibus verbis *delictorum meorum* colligeret Christum, ut privatum hominem, peccatis obnoxium fuisse, addit Vates & *non ad insipientiam mihi* qd. humani quidem generis peccatis teneor; sed ego, quà homo privatus, nullum commisi peccatum & sceleris purus omninò sum. Egregius planè & verissimus sensus cui Psalmi XIII. 1. XXXVII. 5. LII. 1. LXVIII. 7. favent: ibi enim *insipiens* pro peccatore, & *insipientia* pro peccato sumuntur. Unde in his versionis nostræ verbis nullum sensum subesse falsò affirmat Steuchus Eugubinus. Rabbini, pro his Vulgatæ verbis, *& non ad insipientiam mihi*, vertunt *& non est silentium mihi*, hoc est non cesso clamare, sine intermissione vociferor. Theodoritus testatur versionem illam *& non est silentium* cæteris, præter Septuaginta, interpretibus probatam fuisse; sed Hieronymiaster auctor est Aquilam transtulisse *& non tacebis*, idest: *audies me, respondebis mihi, facies quod oravi* ut addit laudatus auctor. LXX. Senes pro hodiernis vocibus ולא דומיה לי *& non silentium mihi* (est,) legisse videntur ולא רמיה לי *& non* (est) *dolus* seu *peccatum* aut *insipientia mihi*; nec obstat quod in prolatis Psalmis XXXVII. & LXVIII. *insipientia mea* dicatur Hebraicè אולתי

Tu autem in sancto habitas, laus Israel. 3 Túque in sancto *tuo* habitas *cœlo unde multoties* ærumnosis *opitulatus es Israelitis*, illísque materia laudis fuisti.

In te speraverunt patres nostri: speraverunt, & liberasti eos. 4 *Scilicet* Patres nostri *cùm apud Ægyptios tum apud Babylonios calamitatibus olim vexati* in te speraverunt: suam in te spem collocarunt, illósque à miseriâ vindicasti.

Ad te clamaverunt, & salvi facti sunt: in te speraverunt, & non sunt confusi. 5 Ad te *illi* clamaverunt, & servati sunt: spem in te posuerunt, & pudore non sunt suffusi *postulata impetrantes*.

Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis. 6 Ego autem, *quantumvis te invocem & spem in te ponam, ita abs te derelinquor* ut vermis non homo esse *videar*; *simque* opprobrium hominum, & rejectio plebis.

in sancto. Confer Psal. XIII. 3. XIX. 7. CI. 20. CXII. 5. & nostram probabis paraphrasim, eósque rejicies auctores qui Psalterianæ loquutioni hunc tribuunt sensum: *securus in cœlo quiescis, nec te moves ad opitulandum, nec progrediens ad exaudiendum, nihil veluti curans, & sollicitus de meis malis; neque inde pedem efferens ut me liberes.*

laus Israel. Origenes & Theodoritus laudem Israelis Deum nominari putant ut qui laudatur & decantatur ab Israelitis cultoribus suis; sed in aliam sententiam loca, in præcedenti annotatione laudata, me traducunt; & traducent, ni fallor, eos qui prædicta loca accuratè expenderint, & Synonimicæ meminerint regulæ.

vermis. Theodoritus: τοῖς &c. *Aliqui* (Origenem intelligit & Eusebium, quibus postea accessere S. [a] Maximus atque Euthymius) *per vermem ostendi dixerunt nativitatem ex virgine: nam vermis non oritur ex concubitu. Ego verò conjiciens, per vermem hoc in loco tantùm vilitatem ostendi puto.* Theodorito præluxerat Eusebius in priore suâ expositione. — a in cap. 2. Dionys. de cœlest. Hier.

Omnes videntes me, deriserunt me: loquuti sunt labiis, & moverunt caput.	7	Omnes, qui me vident, illudunt mihi: convitia labiis emittunt, & caput *cum ludibrio* movent.	Matth. XXVII. 39. 40. 41. Mar. XV. 29. Luc. XXIII. 35.
Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum quoniam vult eum.	8	*Ille, inquiunt,* suam in Deo spem collocavit: liberet *ergo nunc* eum, & salvum faciat illum siquidem amat eum, *ut ipse jactat.*	Matth. XXVII. 43.
Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre; spes mea ab uberibus matris meæ:	9	*Verùm, Domine,* quandoquidem me ex utero materno eductum *in lucem emisisti*; meâque fuisti spes ab uberibus matris meæ:	
In te projectus sum ex utero; de ventre matris meæ Deus meus es tu; ne discesseris à me:	10	*Et* curæ tuæ commissus sum ex quo in lucem prodii; Deúsque fuisti meus statim atque è ventre matris meæ egressus sum, ne discedas à me:	
Quoniam tribulatio proxima est; quoniam non est qui adjuvet.	11	Instat namque tribulatio *gravissima*; nec quisquam est qui opem mihi ferat.	
Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me;	12	*Judæi* quamplurimi, *in me effusi sicut* vituli *super herbam*, circumdant me: *iidémque Judæi non secùs ac* tauri feroces *undique* me cingunt;	

moverunt caput. Hoc ideò dictum quia capitis motio irrisionis erat nota, ut apparet IV. Reg. XIX. 21. Eccl XIII. 8. Is. XXXVII. 22. Thren. II. 15. Non longè hinc abit [b] Horatius cui caput movere gestus est minantis; sed longè discedit ipse Jobus qui motionem capitis pro consolationis signo accipit cap. XVI. 4. XLII. 11. — b lib. 1. Sat. 5.

qui extraxisti, &c. [c] Tertullianus: *tu es qui avulsisti me ex utero matris meæ.* — c lib. de carne Christi cap. 20.

in te projectus sum. Sanctus Augustinus primò habet *in te confirmatus sum*; deinde: *jactatus sum.*

vituli. Confer Jer. L. 11. & solitam repetitionem heic deprehendes; nec cum Theodorito, per *tauros* intelliges Sacerdotes ac Scribas, & per *vitulos* eorum subditos.

pingues. idest feroces: tauri enim quò pinguiores eò robustiores, atque adeò ferociores. Eusebius in Corderianâ, quâ Barbarianam emaculari velim, Catenâ ita loquitur: τῷ δὲ [illegible]

&c. *illud vituli multi dixit Aquila vacca ; &. loco tauri pingues, (dixit) optimates Basan.* Hieronymiastet : *pro pinguibus Symmachus altiles interpretatus est.*

	Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens.	13	Méque apertis faucibus appetunt, instar leonis prædæ inhiantis & præ fame rugientis.
	Sicut aqua effusus sum: & dispersa sunt omnia ossa mea.	14	Diffluo ut aqua *viribus meis sensim dilabentibus*, & mea omnia ossa sunt à se invicem disjuncta *præ tormentorum acerbitate.*
	Factum est cor meum, tanquam cera liquescens, in medio ventris mei.	15	Cor meum, instar ceræ ad ignem liquescentis, *metu dissolutum est* in medio viscerum meorum.
	Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis: & in pulverem mortis deduxisti me.	16	Vitalis meus succus aridus est tanquam testa, & lingua mea palato meo adhæret *præ nimiâ siccitate, quam mihi vitalis hujus succi defectus attulit*: & *tandem* ad mortis angustias adduxisti me.
	Quoniam circumdederunt me canes multi; concilium malignantium obsedit me:	17	*Tuo* enim *permissu* multi *Romani ut* canes *rabidi* circumdederunt me; cœtúsque improborum *hujusmodi hominum* me obvallavit:
	Foderunt manus meas & pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea.	18	Meásque manus & pedes meos *clavis* perforarunt *cruci me affigentes*; *& me tam inhumanè tractarunt ut* omnia ossa mea numerare facilè possint.
Math. XXVII. 35. Joh. XIX. 23. 24.	*Ipsi verò consideraverunt & inspexerunt me: diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.*	19	*Neque his contenti, ludibrium tormentis addiderunt: siquidem* oculos in me cum *despectu* conjecerunt, & me *cum contemtu* aspexerunt: meáque vestimenta *è corpore meo ignominiosè detracta* partiti inter se fuerunt, & vestem meam sortiti sunt.

sicut leo rapiens & rugiens Eusebius in Catenâ Barbatianâ: *Aquila, sicut leo capiens* (ait) *ac fremens. Juxta Symmachum verò, sicut leo venator frendens.*

sicut aqua, &c. Hoc dictum putat Flaminius ob effusionem sanguinis qui, confossis multis vulneribus corpore, totus jam effluxerat: unde, in paraphrasi, vertit, *Jam confosso multis vulneribus corpore totus sanguis effluxit.* Rectiùs Jansenius: *Ego, præ nimio favore, præ* *pressionum*

passionum enermitate, dilapsus sum viribúsque omnibus destitutus, in modum aquæ effusæ quæ consistentiam non habens diffluit & dilabitur. Confer Jos. VII. 5. & videbis effusionem illam ad pavorem pertinere, quo vires ipsúmque cor (virium origo) diffluunt ac dilabuntur velut aqua.

tanquam cera liquescens. hæc quoque comparatio ad timorem pertinet ut allato Josuæ loco apparet ac Theodorito qui ait: *cor ob timorem ut cera ad ignem evanuit.* Aliqua huc spectantia affert *a* Aristoteles quum rationem reddit cur alvi metuentium fundantur.

virtus mea. vitalem intelligit succum quo membra roborantur & sine quo languescunt. Aben-Ezra humido radicali virtutem illam minùs benè circumscribit ut perspicuum est ex linguâ faucibus adhærente: hæc enim adhæsio ex humidi radicalis defectu oriri non solet, quum ea sæpe contingat humido illo radicali non deficiente.

in pulverem mortis. Optimè Theodoritus: παρεδόθη &c. *traditus est sepulturæ post passionem, id quod pulverem mortis appellavit quia pulvere obducuntur qui sepeliuntur.* Vide quæ annotabamus ad Psal. VII. 5.

quoniam circumdederunt me, &c. Hæc ad Romanos seu Gentes, quibus Judæi Christum tradidere, rectè trahit Theodoritus ut ex sequentibus paret versiculis præsertim 19. quem SS. Matthæus, Marcus, & Johannes militibus Romanis accommodant. Atque hinc Raynerium Snoygoudanum, Bochium, aliósque emenda Auctores qui canibus Judæos designari putant. Hæc comparatio in Romanos cadit ut dixi cum Theodorito: altera autem, quæ Vitulorum & Taurorum meminit, ad Judæos refertur ut idem observat Theodoritus: qui in eo, quod de canibus dicit, Eusebium exscripsisse videtur. Utrique assentiuntur Nicephorus & Euthymius dum canibus Romanos milites intelligunt; sed hoc inter eos est discrimen ut Eusebius & Theodoritus metaphoram canis ad solam rabiem seu sævitiam referant; Nicephorus autem & Euthymius Romanos dici velint canes tum quia immundi erant secundùm legem, tum quia secundùm mores erant impudentes.

canes. impudentiæ sunt symbolum. Unde vox hæc metaphoricè transfertur ad homines qui nullo pudore nullâque verecundiâ ab inferendo aliis malo deterrentur. In eam sententiam vox *canes* accipitur à Vate nostro: quem imitatus apud *b* Homerum Menelaus canes appellat Trojanos; sícque ab hostibus vocari hostes annotat Donatus in Enuuch. Terent. Act. 4. Scen. 7. *Ain' verò canis.* Succinit Hesychius qui κυνοβλῶπας vocat homines profligati pudoris. Hieronymiaster auctor est Aquilam & Theodotionem interpretatos esse *venatores* pro *canes.*

foderunt. Rabbini legunt כארי *sicut leo*; sed malè: nam, præterquam quod leonis mentio suprà vers. 13. occurrit, recta non est ista lectio quum, eâ positâ, nihil sit cum quo manus & pedes conjungere possis. Kimchius quidem subaudit *circumdederunt* sup. manus meas & pedes meos; sed Rabbinus ille *incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim*: quum enim Psalterianum textum divino nostro Sospitatori abjudicare vellet, Psalmum violavit & sensum. Psalmum, quia non tantùm *circumdedit* sed *circumdedit me*, paulò ante legitur. Unde si aliquid subaudiendum esset, subaudiri utique deberet non modò *circumdederunt* sed *circumdederunt me*: quo admisso ridicula exurgit sententia hoc modo, *circumdederunt me sicut leo manus meas & pedes meos.* Sensum denique violavit Kimchius: quum enim de leone dicere non soleamus quòd manus & pedes circumdet, absurda est ista loquutio *sicut leo manus meas & pedes meos circumdederunt.* His adde quòd Rabbi *c* Jacob filius Chaiim fatetur se in quibusdam libris correctis invenisse scriptum in textu כארו. At, inquies, scriptura hæc nobis non favet quum Hebraicè dicendum esset כרו non כארו ut verbum *foderunt* conflari posset. Respondeo primùm verbo כארו significari posse *foderunt* literâ *aleph* epenthethicè sumtâ quomodo illa litera nonnullis in locis accipitur. 2°. veri non esse absimile LXX. Senes legisse כרו; aut apud antiquos Hebræos verbum fuisse כאר quod significaret *fodere.* *d* Tertullianus legit *exterminaverunt* pro *foderunt.*

dinumeraverunt. Heb. *dinumerabo*, sed vitiosa est hæc lectio, & nostra retinenda est: quam Synonimica regula ac sensus probant, & sequuntur Eusebius, Augustinus, Theodoritus, Nicephorus, atque Euthymius. LXX. legerunt ספרו *numeraverunt* pro אספר *numerabo.*

consideraverunt & inspexerunt. convitiantes scilicet ac irridentes ut, post Eusebium, docet Theodoritus. Nimirum verbum ראה cum ב (id est *in*) constructum aliquando significat *illu-*

a Problem. sect. 27. 6. D. pag. 531.

b Iliad. V.

c in Massora magna, dispositione literæ א.

d adv. Jud. c. 8. pag. 194. C. c. 10. p. 195. B c. 13. pag. 198. Sed in eodem libro cap. 10. 196. D. legit: *foderunt manus meas & pedes*; eadémque lectio reperitur in lib. 3. contr. Marc. cap. 19. p. 408. C. lib. autem 4. contr. eusd. Marc. cap. 42 p. 459. C. legit: *foderunt manus meas & pedes meos*; in lib. de Resurrect. carn. c. 20. p. 337. A *perfossus manus & pedes.* Tertullianum nobis consentientem heic cernis & repugnantem. Ejus repugnantiam in eodem Psalmo etiam animadvertes lib. 4. adv. Marc. c. 11. p. 425. A. ubi legit: *Deus meus clamabo per diem, & exaudies; & nocte & non in vanitatem mihi.* lib. 3. cap. 17. p. 407. A. lib. 4. cap. 2. p. 436. A. ubi legit: *vermis & non homo, ignominia hominis & nullificamen populi*; cujus lectionis vestigium etiam reperies in lib. 3. cap. 7. p. 400. D. Ad hæc lib. 4. cap. 42 p. 459. B C legit: *dispertiti sibi sunt vestimenta mea & in vestitum meum sortem miserunt: circumdederunt me canes, synagoga malignorum circumvallavit me. Omnes qui spectabant me, naso irridebant me. locuti sunt labiis & capita moverunt. speravit in Deum liberet eum.* Aliquam sed non tantam, apud S. Cyprianum, invenies diversitatem lib. 2. Test. adv. Jud. p. 253. *Ego autem sum vermis & non homo, maledictum hominis & abjectio plebis. Omnes qui me videbant despiciebant me & locuti sunt in labiis & moverunt caput. Speravit in Domino eripiat eum, salvum faciat eum quo-*

nlam vils eum. Aruis velut testa virtus mea, & lingua mea adglutinata est faucibus meis. Ibid. p. 256. *effoderunt manus meas & pedes meos dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi autem contemplati sunt & viderunt me & diviserunt vestimenta mea sibi & super vestem meam sortem miserunt. Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum a me, in auxilium meum attende. Libera à gladio animam meam, & de manu canis unicam meam. Salva me ex ore leonis & à cornibus unicornium humilitatem meam. Enarrabo nomen tuum fratribus meis, in medio E cl sie laudabo te.* edit. Rigalt. Paris. 1666.

dere, despicere ut apparet collatis Psalmorum LIII. 7. XCI. 11. CXI. 7. locis: in quibus Vulgatus Interpres verbum *despicere* doctè adhibet; quanquam scio prædicta loca in aliam sententiam ab Hebræorum alumnis detorqueri. Quòd autem memoratæ à Psalmographo inspectioni *despectus* & *ludibrium* (ferè ut in communi illâ Gallorum nostrorum loqutione, quâ dicunt *regarder quelqu'un avec des yeux de mépris*) insit, colligi potest ex isto S. Lucæ XXIII. 36. testimonio *illudebant autem ei & milites accedentes.* Nec obstat quòd apud S. Evangelistam illusio hæc divisionem vestimentorum subsequatur; præcedat autem apud Psalmographum: hæc, inquam, ordinis mutatio non obstat, nam eam sacris Scriptoribus insolentem non esse discimus ex Psal. LXXVII. 48.&c. CIV.27.&c. Hæc qui cogitaverit nobis, opinor, potius assentietur quam iis qui interpretantur; *me tantis doloribus affectum cum gaudio & voluptate aspexerunt.* Sed & Synonimica regula interpretationi nostræ favet, siquidem vestimentorum divisio (quæ nuditatem supponit) ad ludibrium pertinet, quum eis maximè illudamus quos vestibus spoliatos adstantium conspectui objicimus. Atque hinc intelligimus divinum Sospitatorem de ludibrio hostium queri, postquam querimoniam de eorum crudelitate habuit.

20 *Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum à me; ad defensionem meam conspice.*

Ita illi: Verùm, Domine, opem tuam à me non removeas; *sed* ad defensionem meam attende: *in lucem, quâ privor, me, post tres dies, reducendo.*

21 *Erue à frameâ Deus animam meam; & de manu canis unicam meam.*

Erue me, Deus, à gladio *Romanorum: vitam, quæ mihi ab illis eripitur, post triduum, reddendo*; & me omni auxilio destitutum libera de manu canum *illorum: superiorem illis me, per resurrectionem, faciendo.*

tu autem Domine, &c. Nectunt quidam sic. *Quum itaque tantis malorum fluctibus opprimar, ne quasi differ auxilium tuum*, &c. Didymus alio utitur nexu, sic: *Dum quæ censui agunt illi, tu Domine ne elongaveris auxilium tuum à me: nam, te suffragante ac ad defensionem meam prospiciente, cùm tertia die à mortuis resurrexero, eorum in me conatus ac dolos inanes ostendam.* Neutrum probo nexum; sed maximum in Didymianâ explicatione momentum pono, quæ petitum à Christo auxilium ad resurrectionem refert. Rectè omninò: nam versus ille ad resurrectionem respicit, pro quâ divinum imploratur auxilium: quod titulus, cum hoc versu collatus, manifestè ostendit, præter rationem & historiam. Quarum illa suadet Christum cruci affixum non petiisse ut à morte liberaretur; sed ut eam, resurgendo, vinceret: quo sensu B. [a] Paulus de Christo dixit, *qui in diebus carnis suæ preces supplicationésque ad eum, qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro suâ reverentiâ.* Historia verò Evangelica nullibi prodit Christum, ubi semel in crucem actus fuisset, rogasse ut mortem subterfugeret. Eam tantùm in horto olivarum deprecatus est; sed huc versus noster non spectat.

[a] Heb. V. 7.

à framea, &c. Euthymius: *per frameam, Romanos milites intelligit qui frameas hoc est gladios & arma ferebant; quos etiam canes eâ ratione appellat quam superiùs diximus.* Rectius id quàm quod Didymus, Theodoritus, & Nicephorus de Diabolo heic tradunt: quem frameâ, ut & nominibus *canis, leonis, & unicornium* designari existimant. Frameam porrò memorat Vates, non ut mortis, sed ut interfectorum genus indicet.

canis. sing. pro plurali ut patet versu 17. suprà. Didymus: *Canis singulariter propter genus dicitur heic quod paulò ante multitudinis numero expressit.* Euthymius: *singulari nu-*

mere frameam, leonem, & canem dixit considerate universe eorum genere, per quod unusquisque dignoscitur.

unicam meam. id est *animam meam*: quæ heic, & infrà in vocibus *humilitatem meam*, sumitur pro personâ. Vocatur autem *unica* quia solitaria erat ut vertit B. Hieronymus: hoc est auxilio destituta, ut apparet collato loco Psal. XXIV. 17. non autem quòd una atque eadem à cæteris animabus sit divisa hoc est peccati expers, ut Didymus, Hieronymiaster, Nicephorus, & Euthymius docent; aut quòd unica in corpore sit, ut ait Kimchius.

22 *Salva me ex ore leonis; & à cornibus unicornium humilitatem meam.*

Me *quoque* ex ore *Judæorum, instar* leonum *mihi inhiantium*, eripe: *revocando me ad vitam, quam illi, apertis faucibus, appetunt*; & me in mœrore jacentem ab *illorum hominum, asperrimis* monocerotibus *similium*, conatibus prohibe: *eos, per resurrectionem meam, irritos efficiendo.*

23 *Narrabo nomen tuum fratribus meis; in medio Ecclesiæ laudabo te:*

Hæc ubi præstiteris, tuum, *inter fratres meos Apostolos ac discipulos*, nomen celebrabo; tê*que* in medio *eorum* cœtu laudabo, *dicens*:

24 *Qui timetis Dominum laudate eum; universum semen Jacob glorificate eum;*

Qui Dominum reverenter colitis, præconium ei tribuite; vôs*que* universi à Jacobo oriundi illum dilaudate Dominum;

25 *Timeat eum omne semen Israel: quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis.*

Eúm*que* vos omnes ab Israele prognati reveremini: siquidem afflicti *Christi* orationem non sprevit, neque despexit.

ex ore leonis, &c. Optimè Euthymius: *per leonem, Judaeos* (intelligit) *ob summam nimirùm eorum sævitiam, & quia mortem ejus sitiebant, & quia insidiis utebantur: quo nomine paulò superiùs illos etiam appellaverat. Eosdem etiam unicornes vocat.*

à cornibus unicornium. a Plinium atque b Ælianum lege, & usurpatam à Vate comparationem summopere probabis: videns monocerotem esse animal asperrimum, cujusmodi erant Judæi Christum Dominum insectantes. Psalteriana verba aliò trahunt c Justinus martyr & d Tertullianus, qui ea ad Christum referunt explicantem quâ pœna & passione, crucis scilicet, moriturus esset. Sed hæc, quantumvis piè cogitata, recipere non ausim, ne insinuare videar Christum obsecrasse ut à cruce, cui suffixus erat, liberaretur; eâque liberatione niti res vers. 23. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. descriptas: sic ut eæ non sint perficiendæ nisi liberato à cruce Christo, quod concedi nequit.

a lib. VIII. c. 21.
b de Animal. l. b XVI. cap. 20.
c Dial. cum Tryph.
d adv. Iud. cap. 10. p. 196. D. & lib. 4. adv. Marc. cap. 19. p. 408. C.

humilitatem meam. membrum hoc superiori *animam meam* respondet: hac enim voce *humilitatem* anima ad humilitatem hoc est miseriam depulsa seu auxilio destituta denotatur: ut nullum sit dubium quin Rabbini hallucinentur dum, pro *humilitatem meam*, vertunt *exaudi me.* Hanc interpretationem vel una hominum loquela evertit: nemo enim humano more loquens dixerit *exaudi me à cornibus unicornium.*

fratribus meis. Euthymius: *per fratres, Apostolos intelligit quemadmodum & alibi post resurrectionem eos appellavit mulieribus illis, dicens: ite & nuntiate fratribus meis.*

a Rom. VIII. 29.

Huic loco istum connecte *primogenitus in multis fratribus* quem profert a Theodoritus: qui observat Christo quatenus homini non quatenus Deo fratres esse.

qui timetis Dominum. Theodoritus & Euthymius hæc verba cum istis Act. XIII. 26. *viri Israelitæ & qui timetis Deum* rectè comparant.

semen Jacob. Hoc ideò dictum quia Apostoli & primi Christiani Judæi erant, atque adeò à Jacobo Patriarcha oriundi. Theodoritus: τοὺς &c. *hos* (sup Judæos) *ab eorum progenitore nominans, scilicet Jacob & Israel.* Euthymius: hæc textus verba *qui timetis Dominum* explicans ait: *Omnes qui ex Judæis fideles sunt: omnium enim tribuum progenitor fuit Jacob.*

glorificate. S. Augustinus *magnificate*: & hanc versionem probat S. Hieronymus in Epist. 135. ad Sun. & Fret.

semen Israel. est repetitio præcedentis loquutionis *semen Jacob*: nam *Jacob* Patriarcha vocatus etiam fuit *Israel*, ut nemo nescit.

26 *Nec avertit faciem suam à me; & cùm clamarem ad eum exaudivit me.*

Nec suam à me faciem avertit *orationem meam repellendo*; sed me ei supplicantem exaudivit.

27 *Apud te laus mea in Ecclesiâ magnâ: vota mea reddam in conspectu timentium eum.*

Laudis, *inquam*, meæ materia eris in Ecclesiâ *fidelium* per orbem universum propagandâ: & quæ nuncupavi vota persolvam coram tuis cultoribus.

28 *Edent pauperes, & saturabuntur: & laudabunt Dominum qui requirunt eum; vivent corda eorum in sæculum sæculi.*

Hi autem cultores tui, ex morte meâ mœrentes, Eucharisticam, *in lætitiæ signum*, hostiam, *auditâ meâ resurrectione*, edent, & *sacro hoc pabulo* satiabuntur: *iidemque homines*, divino cultui studentes, Dominum laudibus ornabunt; & corda eorum *cœlesti Eucharistiæ cibo refecta* perpetuò vivent.

29 *Reminiscentur & convertentur ad Dominum universi fines terræ;*

Ad hæc cuncti terræ incolæ, *triumphalem resurrectionis meæ diem* in memoriam revocantes, convertentur ad Dominum;

à me. personam mutat: qui enim in tertiâ personâ paulò ante loquebatur Christus, primam heic personam usurpat.

apud te. redit ad ea quæ suprà vers. 23. dixerat *narrabo nomen tuum*, &c. atque hujus versiculi noster est repetitio. Unde intelligimus Vulgatam versionem interpretationi *à te*, quam Theodoritus, Sixtina LXX. Senum editio, Psalterium Complutense, & ii, quibus utor Codices Græci (unum excipio Colbertinum 6158. qui habet παρὰ σοὶ *apud te*) repræsentant, esse anteponendam: quod & Hebræa vox מאתך cum Is. LIV. 15. collata suadet, præter B. Augustinum lectioni nostræ adhærentem.

magna. Sequitur apud S. Augustinum *confitebor tibi*; sed hæc verba ab Hebræo textu, Tertulliano, atque Apollinario absunt.

vota mea, &c. Jansenius: *alluditur ad id quod in arduis negotiis (ubi imminebat aliquod periculum) vovere solebant sacrificium, pacificum quod voto suo potiti solvebant, invi-*

tantes ad illud amicos qui ex illo coram Deo simul in lætitia epularentur. Hanc observationem iisdem ferè verbis exscribit Corderius qui locum Psalmi CXV. 4. addit : sed, quamvis in hoc Psalmo *calicem salutaris* memoret Vates & in nostro comestionis mentio fiat, adduci vix possum ut credam pacificum, in versiculo nostro, respici sacrificium à Christo qui nullum, post resurrectionem suam, sacrificium obtulisse legitur. Unde quæ à Jansenio memoratur Eucharistia, à Christo instituta instante morte, ad nostrum non pertinet textum : qui tempus, post mortem elapsum, hoc est resurrectionis spectat tempus quo Christus admirandum corporis sui sacrificium non fecit. Itaque ad hanc Deuteronomii XXIII. 21. legem *cùm votum voveris*. &c. simpliciter alludi puto : ut sensus sit, Christum vota laudis quæ sup. vers. 23. voverat soluturum. Adstipulatur Didymus qui ait : *Votum est confessio pro gratiarum actione eorum qui divinitùs beneficia consequuntur.*

edent. ad solemnes, quas Israelitæ, eximio præsertim beneficio donati, in conspectu Domini in templo comedebant & quarum vestigia supersunt in Deut. XII. 7. 12. XIV. 23. 26. XVI. 10. XXVI. 11. Esdr. II. cap. 8. vers. 12. Psal. XLI. 5. LXVII. 3. epulas alludit, & in eis epularum lautissimam nempe sacram Christi carnem ab Apostolis & cæteris fidelibus, summo per Christi resurrectionem dono devinctis, sumendam adumbrat : quod facilè in animum inducent qui laudata loca expenderint ; memineríntque Apostolos, post Dominicam resurrectionem, sacrosanctum Corporis & Sanguinis Christi convivium celebrasse, non priscum illud cujus vestigia indicavi. Locum B. Joh. VI. 52. 55. cum postremo versus nostri membro confer : & nostram probabis sententiam ; eámque Theodoritianæ præpones opinioni, quæ Psalterianum cibum de spirituali doctrinâ interpretatur.

pauperes. Didymo, Theodorito, Flaminio, aliísque non paucis *pauperes* isti sunt Ethnici divitias pietatis non habentes & bonis animi carentes ; sed huic interpretationi secunda versus pars *qui requirunt eum* (quæ prioris est explicatio) repugnat, & nostram confirmat explanationem : quæ, per *pauperes* illos, intelligit Apostolos *afflictos*, quemadmodum vox *pauperes* plerunque accipitur ut in Psalmis IX. 9. XI. 5. LXVIII. 34. LXXIII. 20. 22. & permultis aliis in locis : quæ qui aspexerit, Psalmi nostri *pauperes* illis, quos S. Matth. V. 3. memorat *pauperibus spiritu*, cum Eusebio non comparabit.

vivent corda eorum. quandoquidem qui perpetuò victuri sunt Sancti divinas laudes perpetuò sunt decantaturi, postremum istud hemistichii membrum alii *& laudabunt Dominum* consentit, & à Synonimicâ, ut mihi quidem videtur, regulâ non aberrat Hebræus textus hodiernus minus rectè legit לבבכם *cor vestrum.* Antiqui codices habebant לבבם *cor eorum.*

reminiscentur. S. Cyprianus lib. 2. Test. adv. Jud. p. 259. legit. *Commemorabuntur & convertentur ad Dominum omnes termini terræ : & adorabunt in conspectu suo omnes patriæ gentium quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur omnium gentium.* S. Aug. legit etiam *commemorabuntur* & *patriæ gentium.*

30 *Et adorabunt in conspectu ejus, universæ familiæ Gentium :*

Et coram eo universæ Ethnicorum familiæ procident :

31 *Quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur Gentium.*

Siquidem imperium Dominus obtinebit, & ipse Paganis dominabitur.

32 *Manducaverunt & adoraverunt omnes pingues terræ : in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.*

Sed & omnes illæ Gentes, quæ terrenis circumfluunt opibus, *divinam Eucharistiæ escam* comedent : & omnes, qui in mundum veniunt, *Pagani*, genua coram Deo flectent.

pingues terræ. Reges & principes qui Deum agnituri sunt & Christianam religionem suscepturi intelligunt auctorum plerique : sed ista versus pars *omnes qui descendunt in terram*, quæ his verbis *pingues terræ* respondet, prædictæ adversatur sententiæ. Gentes ego Ethnicas

universè sumtas intelligo quæ pingues dicantur quia bonis maximè abundabant. Vide quæ de pinguedine annotavi ad Psal. XVI. 11. & Symmachum audi interpretantem apud Eusebium: *abundantes terra* pro *pingues terra*. S. Augustinus legit *divites terra*.

qui descendunt in terram. periphrasis hominum qui in terram seu mundum descendunt nascendo. Eâ autem periphrasi Ethnici præcipuè denotantur quia hi ferè uni mundum occupabant quum Christus mortuus est. Hebræus, quem Aquila apud Eusebium sequitur, textus habet *pulverem*: quod Chaldæo interpreti ansam fortasse dedit ad vertendum *omnes descendentes in sepulchrum*; verùm pulvis ille non de sepulchrali pulvere, sed de eo intelligitur pulvere qui per terram diffusus est & quo terra ipsa denotatur apud Jer. L. 11. cum quo confer Job. XXXVIII. 38. Itaque *omnes qui descendunt in terram*, & *omnes pingues terra* idem sunt, & utrâque phrasi Gentes ethnicæ designantur ut dixi.

33 *Et anima mea illi vivet, & semen meum serviet ipsi.*

Ad me quod attinet, anima mea illi vivet *ejus gloriæ ac laudi unicè studens*, & posteritas mea ipsum colet:

34 *Annuntiabitur Domino generatio ventura; & annuntiabunt cœli justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus.*

Dominóque accensebitur ventura *hæc posteritatis meæ* gens; & Apostoli *mei* bonitatem ejusdem Domini annuntiabunt populo huic qui ex me nascetur, & quem fecit Dominus.

anima mea illi vivet, &c. in hoc & sequenti versu Hebræus textus gravi laborat morbo, quem nostra depellet versio. Hebraica verba sic concipiuntur ונפשי לא חיה זרע יעברנו יספר לאדני לדור יבבאו ויגידו id est, interprete B. Hieronymo, *& anima ejus non vivet. Semen serviet ei, narrabitur Domino in generatione; venient, & annuntiabunt.* Depravatum heic esse Hebræum textum ex istâ quæ, licet accurata sit, ineptam conficit sententiam, intelligitur versione: à quâ qui recedunt alii Hebraicæ Scripturæ patroni eam à depravatione non vindicant. Muisius ita interpretatur: *& (qui) animam suam non vivificat* (ut sit altera hominis periphrasis qui à morte sibi cavere non potest, nec animam suam vivificare hoc est perpetuò conservare.) *Semen serviet ipsi: annumerabitur Domino in generationem, venient & annuntiabunt*, &c. Nonnulli sic vertunt quia animam suam non vivificavit hoc est eam morti tradidit (sup. adorabunt eum.) Semen serviet ipsi, annuntiabitur seu numerabitur Domino in generationem; venient & annuntiabunt, &c. Priorem versionem improbant pluralia loquutionem hanc *& qui animam suam non vivificat* præcedentia, & alteram loquutionem *semen serviet ipsi* subsequentia; præter vocabulum *semen* pronomine destitutum. Pluralia hæc *omnes pingues terra. omnes qui descendunt in terram* poscerent *& qui animam suam non vivificant*, siquidem illa textus pars ad præcedentes referenda esset. Similiter pluralia ista *venient & annuntiabunt* postularent *servient ipsi, annumerabuntur*, &c. si verba hæc uni eidemque vocabulo *semen* connectenda essent ut supponit Muisiana interpretatio: quam Hebraicæ linguæ consuetudo, enallagem numeri alibi probans, heic non tuetur; & vix patitur duplex trium Synonimicarum loquutionum usus, quem nusquam in Psalmis deprehendisse videor. Quod verò vocabulum *semen* pronomine destitutum spectat, illud, nisi fallor, rejicient qui linguam Hebraicam pronominibus non parcere meminerint. Altera interpretatio cum Psalmo non cohæret: nam 1° versibus 24. 25. *Semen Jacob* seu *semen Israel* ad laudem Dei excitatur, non quia animam non vivificavit, sed quia *pauperis non sprevit neque despexit orationem* quâ petierat ut ex ore leonis eriperetur, &c. 2°. ex hac interpretatione Deum patrem pro hominibus passum esse sequeretur; quum enim Christus, toto Psalmo, Patrem alloquatur; & vox *Dominum*, quæ in versibus 28. 29. 31. occurrit, ad Patrem referatur, omnia, quæ proximè veniunt, pronomina ei quoque sunt adscribenda: atque adeò is, quem annotavi, orietur sensus Patrem videlicet pro hominibus mortuum

esse seu animam suam non vivificasse. His adde quæ de vocabulo *semen* ptonomen non habente & de verbis singularibus *serviet* & *annnntiabitur* observavi, & præfatam interpretationem magis ac magis explodes; ut & Vatablianam quæ particulam *&* interpretatur *etsi*. hoc modo: *etsi animam snam non vivificaverit* id est, *licet Christus morte turpissimâ moriturus sit eum tamen adorabunt.* Ista Hebræi textus patefaciunt morbum: quem curabis si banc, quæ in Hebræis, quos LXX. Senes versabant, codicibus exstitisse videtur, adhibeas lectionem ונפשי לו חיה וזרעי יעבדנו יספר לאדני דור תבא ויגידו שמים id est *& anima mea illi vivet & semen meum serviet ipsi. Annuntiabitur* seu *annumerabitur Domino generatio ventura & annuntiabunt cœli*, &c. Hæc de lectione; nuoc de sensu. *anima mea illi vivet*, trahitur id à quibusdam ad ea quæ dicit B. Paulus Rom VI. 9. 10. sed secundum hemistichium buic non favet explicationi. Rectiùs apud Eusebium exponitur de omni animâ illi addicta: hoc est, ut alii dicunt, de animâ ad ejus obsequium ac laudem vivente. Sed, inquies, nunquid Cbristus ante resurrectionem Deo erat addictus & ad ejus obsequium ac laudem vivebat? Hoc ita se habuisse concedo; sed Cbristo à mortuis excitato singulariter convenire affirmo. Symmacbus, narrante & probante Eusebio, dixerat. *Ante ipsum ad terram genua flectent omnes qui descendnut in pulverem. Cujus anima vixerit, semen serviet illi: nam omnes hi (inquit) genna flectentes adorabnnt, quorum spes est animam victuram esse & qnorum semen servist illi.*

annuntiabitnr, &c. hoc est *annumerabitur Domino* seu propria Domini prædicabitur & populus Domini vocabitur. Symmachus, teste Eusebio, id ita vertit: *in libro scribetur Domino admirabiliter*. S Aug. legit *annnntiabunt*

cœli. Haoc, quæ ab Hebræis & Græcis codicibus ut è à Theodorito atque Eutbymio abest & apud Augustinum ac Hieronymiastrum legitur, vocem ad Evangelistas & Apostolos cum Augustino & Hierooymiastro referes, maximè si ea recolas quæ de Cœlis diximus in fine argumenti Psal. 18.

ARGUMENTUM.

PSALMI VIGESIMI SECUNDI.

CHALDÆUS Paraphrastes existimat Psalmum hunc esse Odam nomine Israelitarum, qui in Deserto fuerunt, editam. S. Athanasius in Catenâ Corderianâ laudatus ita loquitur. *Psalmus est redeuntium à Babyloniâ servitute: quoniam postquam Cyrus rex eos dimisit, cum magnâ lætitiâ ac copiâ rerum ad sua reversi sunt; sed & hoc beatus David ante dicit. Ex personâ igitur ipsorum in patriam revertentium ait.* Jansenio Psalmus *hic totus est gratulatio viri justi de curâ & prospectione Dei: quem primùm tanquam pastorem, deinde ut hospitem secum agere gloriatur: perpetuam sibi ex perceptâ ejus benignitate misericordiam pollicens, donec eò perveniat ut æternam, in domo Dei, obtineat habitationem.* Mui-

ſius arbitratur hunc Pſalmum à Davide conſcriptum, quum *devictis hoſtibus; & , conſtituto regno, otio & pace latâ frueretur.* His opinionibus longè probabilior videtur mihi ſententia quæ in *Midraſch* exſtat, & cujus Kimchius meminit: quæ videlicet Pſalmum ad Davidem in ſolitudine *Ziph* latitantem refert. Hæc ſententia mihi eò probatur magis quòd in primi Regum libri capite XXIII. 14. & ſeq. ubi Davidis in prædictâ ſolitudine latitantis hiſtoria deſcribitur, duo animadvertam quæ Pſalmo non parùm congruunt. Erat ſylva in ſolitudine *Ziph* atque in eâ manebat David: quúmque ſylvæ paſcuis plerumque abundent nec raró in iis aquæ potandis reficiendiſque ſitientibus idoneæ reperiantur, conſentire videntur hæc cum primo & ſecundo Pſalmi verſibus. Quæ verò *conſolatio*, & *ſuper ſemitas juſtitiæ deductio* in verſibus 2. 3. 4. 5. 6. 7. enarratur, his, quæ in præfato Regum capite verſ. 15. & 16. leguntur, conſonare videtur verbis. *Porrò David erat in deſerto Ziph in ſylvâ. Et ſurrexit Jonathas filius Saul, & abiit ad David in ſylvam, & confortavit manus ejus in Deo; dixitque: ne timeas, neque enim inveniet te manus Saulis patris mei, & tu regnabis ſuper Iſrael* Eò accedit quod Pſalmus de loco admodùm umbroſo mentionem facit; & decimus quartus citati capitis verſus habet: *manſitque* (David) *in monte ſolitudinis Ziph in monte opaco.* Hæc omnia adducunt me ut cum *Midraſch* auctoribus exiſtimem deſcribi in hoc Pſalmo Davidem in Ziphcâ ſolitudine commorantem & dulciſſimâ conſolatione abs Deo, adipiſcendi regni ſpem ſibi per Jonathanem faciente, delibutum. Sed ab iiſdem auctoribus primum verſum Davidi in ſaltu *Hareth* degenti tribuentibus diſſentio: hunc enim verſum, ut & reliquos Davidi in deſertâ Ziphæorum ſolitudine manenti, convenire puto:

puto: sic tamen ut in Davide illam Ziphæorum solitudinem incolente; & Deum, qui se juxta pascua ubertrima atque aquas optimas ducat ac lautam sibi mensam adornet suúmque caput bono unguento perfundat atque adeò multam sibi consolationem adhibeat, habente adumbretur genus electum, regale sacerdotium, gens Christianorum sancta, populúsque acquisitionis quem à patriâ exulantem & in horridâ mundi solitudine morantem Christus in lætissimis doctrinæ suæ pascuis atque amœnissimis sacrarum literarum fluentis constituit, & cui exquisitissimam Corporis & Sanguinis sui mensam exstruit, ac magnum affert solatium donec illum in Dominicâ cœlestíque domo æternum duraturâ collocet. Quam in rem afferre libet eximia pii, mihíque multis nominibus diligendi, Auctoris verba:[a] *In carcere corporis hujus detentus duobus me egere fateor, cibo scilicet & lumine. Dedisti itaque mihi infirmo sacrum Corpus tuum ad refectionem mentis & corporis; & posuisti lucernam pedibus meis verbum tuum. Hæc possunt etiam dici mensæ duæ, hinc & inde in gazophilacio sanctæ Ecclesiæ positæ. Una mensa est sacri altaris, habens panem sanctum id est corpus Christi pretiosum: altera est divinæ legis, continens doctrinam sanctam, erudiens fidem rectam, & firmiter usque ad interiora velaminis, ubi sunt sancta sanctorum, perducens.* Mysticam hanc explanationem non rejicient qui Judæis omnia in figurâ contigisse meminerint, & sanctum audierint Athanasium atque Euthymium: quorum ille, in Catenis Barbari & Corderii, docet *cani Psalmum nostrum ex personâ Gentium exultantium propterea quod eas Deus Dominus ad pascua deducat;* hic autem ait: *hunc Psalmum sanctus Spiritus beato David ex personâ fidelium qui ex Gentibus fuere conscribendum mandavit.* Origenes quoque, Eusebius, Didymus, Chrysostomus,

[a] de Imitat. Christi lib. IV. c. 11.

Rr

Theodoritus, alii̇́que Ecclesiæ magistri mysticum sensum, hoc in Psalmo, persequuntur: ut mirum nemini videri debeat si, tantorum hominum vestigiis insistens, hunc etiam sensum recipiam.

TITULUS.

Psalmus David.

PSALMUS XXII.

1 *DOminus regit me; & nihil mihi deerit in loco pascuæ, ubi me collocavit.*

2 *Super aquam refectionis educavit me; animam meam convertit.*

PARAPHRASIS.

1 DOminus ductor est meus; nihilque mihi deest in loco pascuis abundante, ubi me collocavit.

2 Curam mei gerit juxta aquas quæ me *lassum ac sitibundum* reficiunt; meámque animam *à mærore* convertit ad gaudium.

ANNOTATIONES.

Psalmus David. Codex Reg. 158. *Psalmus David. vox Ecclesia post baptismum.* Colb. 158. *Psalmus David. vox Ecclesia post baptismum & ante baptismum.*

regit me. S. Augustinus & Hieronymiaster legunt *pascit me*; eáque lectio dictioni Græcæ ποιμαίνει, & *pascuis* mox nominandis videtur accommodata. Sed cum Græcâ dictione & *pascuis* etiam cohæret Vulgata lectio, unde est retinenda. De Græcâ dictione diximus ad Psal. II. 9. & vide Psal. XXVII. 12. Quòd autem *pascua* spectat optimè dicimus duci aliquem & in locis herbidis collocari. Communis porrò est opinio *pascuis* ut & *aquâ refectionis, virgâ & baculo* pastorem; *mensâ* autem & *oleo* hospitem designari: ita ut duæ sint in Psalmo allegoriæ, quarum prior Deum repræsentet ut pastorem qui Davidem curet ut ovem; altera autem cum exhibeat ut hospitem qui eundem Davidem lauto excipiat convivio. Sed in contrariam eo sententiam ob ea quæ dicemus ad vers. 5. ex quibus præterea liquebit Interpretem nostrum doctè vertisse *regit* pro *pascet.*

in loco pascua, &c. S. Hieronymus: *in pascuis herbarum accubavit me.* Rabbini: *in tuguriis herba* seu herbidis *accubare me facit.* Idem ubique sensus; nisi quod in his interpretationibus desideretur adverbium *ibi*, quod huic loco valdè congruere noscent qui illum accuratè contemplati fuerint.

super aquam refectionis, &c. Rabbini: *ad aquas quietum* seu *quietas*, hoc est leniter fluentes, *deducit me.* B. Hieronymus versionem nostram confirmat, quum interpretatur *super aquas refectionis enutrivit me.* Hæc autem enutritio seu educatio accipitur pro curâ ut apparet collatis locis Psal. XXX. 4. LIV. 25. & annotatis ibidem. Porrò memoratam à Vate aquam de lavacro regenerationis exponunt S. Chrysostomus, Hieronymiaster, & Theodoritus; sed Nicephorus & Hugo Carensis aquam illam de divinâ doctrinâ explicant. Utramque explanationem Eusebius & Euthymius probant. Ego secundæ adhæreo in sensu

mystico: &, in primario, *aquas* ut & *pascua* ad gaudium refero (ut vers. 6. 7.) etsi alludi putem ad locum ubi erat David.

animam meam convertit. conversionem ab errore in viam rectam, ab Idolis ad Deum, à peccato ad justitiam, à mendacio ad veritatem intelligunt Didymus, S. Chrysostomus, Theodoritus, Nicephorus, Euthymius, aliique non pauci. Aliam ego viam ingredior præeuntibus Eusebio, B. Hieronymo, & R. P. Petro Deschampsneufs. Primus ait: *Deinde ut qui dudum animo defecerat, mox pabulo & aquâ salutari sibi exhibitis seipsum reficiens, & quasi à morte in vitam revocatus ait animam meam convertit;* alter ex Hebræo vertit *refecit me*, quomodo interpretatus fuerat Symmachus si fides Sixtino adjungenda sit scholio: quod sæpius laudarem si quas Aquilæ, Symmacho, aliisque veteribus Interpretibus tribuit versiones in antiquorum Patrum scriptis reperirem. Denique R. P. Deschampsneufs interpretatur *animam meam refecillavit.*

3 *Deduxit me super semitas justitiæ, propter nomen suum.*

Me *enim, non propter meum meritum sed* propter bonitatem suam, certiorem de regno *tandem* adipiscendo fecit.

4 *Nam, etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala quoniam tu mecum es:*

Itaque, etsi in loco admodum umbroso & mortem undique minitante ambulem, nullum timebo malum quoniam tu mihi ades *Domine:*

deduxit me, &c. auctores *Derasch* per semitas justitiæ regnum intelligunt, nec malè: nam præcipuæ Regis partes sunt ut justitiam administret ut patet III. Reg. X. 9. & confirmant ipsi Scriptores Ethnici. *a* Hesiodus: τοὔνεκα γὰρ βασιλῆες &c. *Propterea enim reges prudentes existunt, quoniam aliis in concione aut judicio iniquè læsis jus suum restituunt.* Menander Regem describens, cum dicit qui τὰ τῶν βίων δίκαια διατηρεῖ κρίσει *jura hominum judicio suo conservat.* *b* Diotogenes Pythagoricus ait *citra justitiam nullum regem esse posse;* &, paulò post, rex ab eo appellatur aut νόμος ἔμψυχος *lex viva* aut princeps νόμιμος *æquitatis amans.* *c* Socrates apud Xenophontem asserit *justitiam esse regum virtutem regalemque nuncupari.* *d* Musonius: προσήκει &c. *decet; aut potius, necesse est regem ita subditis jura administrare ut ne quispiam, plura, quam par sit, paucirave consequatur.* Hospes Eleates, apud *e* Platonem, virum regalem & politicum vocat νόμον ἔμψυχον *legem animatam.* Denique anus quædam inops, narrante *f* Plutarcho, sæpenumerò à Philippo rege petiverat ut caussam suam disceptaret ac interturbabat frequenter, respondente Philippo non vacare sibi, subjecit: *noli ergo regnare.* Quum igitur primarium Regis officium sit justitiam administrare, deducere aliquem per *semitas justitiæ* nihil aliud videtur esse quàm eum deducere per regni semitas, hoc est eum ad regiam dignitatem erigere. Unde quando David ait: *deduxit me super semitas justitiæ* idem dicere videtur ac regnum mihi tradidit. Id porrò per factam regni spem expressi, quia res executioni, post aliquod tempus, mandanda erat: sed David prophetico spiritu loquens & futura quasi præsentia imò præterita cernens, eandem rem in præterito enuntiavit: quasi jam per regni semitas deductus, hoc est regno potitus fuisset.

a in Theogon.

b in lib de regno apud Stob. serm 46.

c lib 4. de factis & dict. Socr.

d apud eund. Stob. loc cit.

e in Polit. quem locum etiam refert Clemens Alexandrinus Stromat. 2 p 366 D.

f in Apophtegm. p. 179. C.

per semitas. S. Augustinus, *in semitis.*

propter nomen suum Confer Psal. LIII. 6.

nam. Heb. כי, quod nostræ loquutioni respondet aussi *quey que je sois en peril*, &c. In eam sententiam Vulgatus noster interpres voces *nam* aut *etenim* interdum accipit ut heic & Psal. XVIII. 12. XCII. 2

in medio umbra mortis. Rabbini: *in valle umbra mortis*, idest, juxta Kimchium, in loco periculis undique cincto, quique sit similis valli umbræ mortis, quæ aliud non est quàm

sepulchrum. Kimchii interpretatio non est contemnenda ut apparet collatis locis Job. X. 22. Psal. XLIII. 21. LXXXVII. 6. CVI. 10. 14. Jerem XIII. 16. sed iisdem locis aliisque, ubi *umbra mortis* memoratur, planum est præfati Kimchii lectionem *in valle* bonam non esse: siquidem *vallis* cum *umbra mortis* in laudatis locis nunquam conjungitur. LXX. legisse videntur בגו *in medio* pro בגיא in *valle*.

Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt;	5	Tuàque cura & sollicitudo tua consolationem mihi afferunt.
Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me;	6	*Factâ namque regni spe*, lautam *quasi* mensam, ut eas, quibus hostes *mei afficiunt* me, molestias permulceas, mihi adornasti;
Impinguasti in oleo caput meum; & calix meus inebrians quàm præclarus est?	7	*Et* fragranti *velut* unguento caput meum perfudisti; *sed* &, *Deus bone*, quàm suave est largum *illud quod mihi*, *eodem nuntio*, propinasti poculum *lætitiæ*!
Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ:	8	Profectò misericordia *illa* tua comitabitur me omnibus diebus vitæ meæ:
Et ut inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum.	9	Et *tandem dabitur*, ut in domo Domini, *à quâ nunc exulo*, diutissimè habitem.

virga tua & baculus tuus. per hæc verba castigationes Origenes intelligit; sed malè, ut ipso patet Psalmo nostro & Psal. XVII. 22. If. III. 1. XIV. 5. Jer. I. 12. Ezech. IV. 16. V. 16. Tob V. 23. X. 4. ubi cùm ***virga*** tum ***baculus*** opem, robur, curam, solatium, ac præsidium significant. ***Virga*** quidem & ***baculus*** If. X. 5. pœnam important: sed notandum est baculum heic dici מטה, non משען quod præsidii & roboris semper est signum; quodque, per regulam Synonimicam, ostendit virgam quæ in malam partem non rarò sumitur, in bonam heic accipi quemadmodum in laudato Jeremiæ sumitur loco. Ex quo ut & aliis à me heic productis (in quibus nec ***virga*** nec ***baculus*** pastorem denotant) suspicor metaphoram pastoris à Vate nostro non usurpari; quod etiam ex sequenti, qui pastoribus non congruit, versu colligo: nam veri non est simile Vatem in uno eodémque Psalmo, eóque brevissimo, duabus metaphoris usum fuisse.

in oleo. oleum sumit pro unguento quemadmodum apud Homerum accipi testatur *a* Athenæus, & notat *b* Eustathius. Alluditur autem ad antiquum morem adhibendorum, in lautioribus conviviis, unguentorum: cujus moris (quem ab Ionibus inductum esse docet *c* Valerius Maximus) vestigia exstant apud Matth. XXVI. 7. Marc. XIV. 8. *d* Platonem, *e* Plautum, *f* Ciceronem, *g* Tibullum, *h* Lucanum, *i* Catullum, *k* Martialem, *l* Plutarchum, & *m* Athenæum.

calix meus inebrians. præter unguentariam voluptatem, aliam convivis affert vinum largè sumtum; atque huc respiciunt Psalteriana, quæ retuli, verba: quorum ultimum non designat poculum quod hominem efficiat temulentum, sed quod sitim ejus largè expleat: cui significationi verbum ***inebriare*** subjectum habes in Psal. LXIV. 10. 11. LV. 10. Utramque porro unguenti & vini voluptatem conjunctam etiam reperies in Psal. CIII. 15. 17. Sap. II. 7. & lib. II. Od. 11. Horatii. Ceterùm S. Cyprianus, S. Augustinus, Theodo-

a lib. 15.
b ad Iliad. ψ.
c lib. II. c. 6.
d lib. 3. de Republ. ἀπὸ μύρου &c.
e in Bacchide I. *hic mecum intrò: ubi sit* &c. p. 4'8 edit Lamb. 1591.
f Orat. 2. in Catilin.
g lib. 1 eleg. 8.
h lib. 10. *Accipiunt ser. tas* &c.
i Epigr. *Cœnabis bene* &c.
k lib III. epigr 12
l in convivio septem Sap ubi de Thalete
m lib 2. Od. 11. l. 3. 4. Od. 12.

ritus, Nicephorus, Euthymius, Psalterium Arabicum, Psalterium Romanum, Sixtiua editio, & omnes, quibus utor, Codices Græci legunt *calix tuus.* Utramque lectionem agnoscit & explicat Didymus. Nostram S. *a* Hieronymus confirmat quum ait illud *σὺ tuus* esse in κοινῇ hoc est *communi* seu Lucianæa versione, *Septuaginta verò & Hebræos & omnes Interpretes transtulisse calix meus*: quam lectionem repræsentat Psalterium Æthiopicum.

a Ep. 13[illegible].
b Ep. 63. edit. Rig. pag 103.

quàm præclarus est. S. *b* Cyprianus, legit *quàm peroptimus.* succinit Euthymius. Rabbini prædicta verba cum sequentibus jungunt hoc pacto. *Profectè bonitas & misericordia subsequentur me*, &c Huic constructioni favent adverbium אך & verbum plurale ירדפוני *subsequentur me.* Sed electior[illegible]sententiam exhibet versio nostra: ex quâ facilè intelligimus in antiquis Hebræorum [illegible]ibus hæc à LXX. Senibus reperta fuisse verba איך *quomodo* seu *quàm*, & ירדפני *subsequetur me* pro אך *profectè*, & ירדפוני *subsequentur me.*

& ut inhabitem. ita legunt, in Catenâ Barbari, Didymus, S. Chrysostomus, & Nicephorus: Eusebius ibidem omittit copulam & quæ ab Augustino pariter abest. Hebræus textus ושבתי *& habitabo*; nec inde abit lectio Græca καὶ τὸ κατοικεῖν με quæ propriè sonat *& habitare me* hoc est *habitatio mea* sup. erit in domo Domini. Hanc autem lectionem cum nostra conciliat Euthymius hoc, quem sum sequutus, modo: *dabitur mihi. in longitudinem dierum, hoc est per totam vitam, ut inhabitem in domo Domini.* Cæterùm Davidis pietatem mirare: qui, regni quasi oblitus, unum deperit templum; ostenditque se de regno lætari quia, eo adepto, occasionem sibi ad templum visitandum oblatam esse cernebat.

ARGUMENTUM.

PSALMI VIGESIMI TERTII.

SANCTUS Athanasius in Catenâ Danielis Barbari ait. *Ascensum Domini præsens Psalmus nobis prænunciat, nec non Gentium doctrinam, & quemadmodum cœlesti domicilio dignatæ sunt. Psalmus autem hic, consequutione quadam, vigesimo secundo præponi debebat; est enim ad eorum consolationem factus qui in servitutem Babyloniam abducebantur; ille autem ad eos dictus est qui ab eâ reducebantur. Verùm (quemadmodum initio diximus) non ordinatim positi Psalmi sunt, sed ut inventi sunt. Quum videret ergo beatus David graviter afflictos eos, qui captivi ducebantur, propterea quod patrium solum & proprium templum relinquebant, longiùs repetens ipsos consolatur, dicens: ne ægrè feratis Babylona: nam, si honestè ac cum virtute vixeritis & studiosè bonos mores vitæ quæsiveritis, ibi etiam Deum invenietis quandoquidem omnia sua sunt, & in manu ejus sunt omnes fines terræ* Theodorus Heracleotes in [b] Catenâ Corderianâ

b pag. 425. ubi equidem Theodori nomen non exstat, sed illud in Præf. ad Lect. p. 13. reperies.

laudatus ita loquitur. λέγουσί τινες &c. *Nonnulli.** *tradunt Psalmum hunc consolatorium scriptum fuisse populo in Babylone detento ac si dicat. Nolite Babylonem ægrè ferre: nam, si virtutis curam habueritis, etiam ibi Deum reperietis, quandoquidem in manu ejus sunt fines terræ.* S. [a] Justinus Martyr, S. [b] Gregorius Nyssenus, S. [c] Hieronymus, [d] Rufinus, S. [e] Johannes Chrysostomus aut alius, S. [f] Augustinus aut alius, S. [g] Hilarius Arelatensis, S. [h] Dionysius, [i] Leo imperator, S. [k] Maximus, [l] Pachymera, aliíque Psalmum de Christo in cœlum ascendente exponunt. Aben Ezra & Kimchius hoc Carmen à Davide, postquam ei revelatus esset locus in quo ædificandum erat templum, editum fuisse existimant, ut nimirùm decantaretur quando Arca in Sancta Sanctorum inferenda esset; atque ita veteres Hebræorum magistros sensisse testatur ad vers. 7. Aben Ezra. Huic Rabbinorum sententiæ ista Psalmi verba *(t) elevamini portæ æternales favere videntur*: siquidem Salomon, Arcam è monte Sion, ubi eam David posuerat, in montem Moria, ubi Templum conditum fuerat, transferens æternam hoc est longam ei sedem assignasse dicitur in lib. 2. Paral. VI. 2. 41. & Psal. CXXXI. 8. 15. quum anteà Arca illa è loco in locum migraret, nec certos ullibi lares haberet: quippe quæ & in Deserto, in Galgala, in Silo, in terrâ Philistæorum, in Bethsames, in Cariathiarim, in domo Obededom, & in monte Sion consedisset ut ex sacrâ historiâ liquet. Ista quoque Psalmi verba *rex gloriæ, Dominus potens in prælio* Arcam innuere videntur: in eâ enim gloriosum præbebat se Deus ac potentem maximè in præliis, in quæ Israelitæ descendebant Arcâ tanquam firmissimo præsidio instructi. Itaque in eâ sum sententiâ Psalmum nostrum ab Israelitis, quum Salomon arcam in monte Moria collo-

* S. Athanasium innuit, ut utrumque testimonium comparanti liquebit.

a Dial. cum Tryph.
b Orat. de Ascens. Domini.
c Epist. 142. ad Damas.
d in Exposit. Symbol. inter opera S. Cypriani.
e in Assumtionem Christi to. 5. edit. Savil. & apud Combef. in Biblioth. Patr Concion. to. 4 pag. 406.
f Serm. 178. de Temp.
g homil. de Ascens. apud Combefis. loc. cit. p. 425.
h in Catenâ Corderii.
i Orat. de Ascens. Christi apud Combefis. loc. cit. pag. 432.
k in Catenâ Corderii.
l Ibid.

caret, cantatum fuisse; cúmque duabus constare partibus: quarum prior, ostensâ Dei magnitudine, enumerat dotes quibus instructi esse debent qui in Templum tanto Deo dicatum dignè ascendere valeant; altera autem ascendentium dialogum cum principibus Janitorum hujus Templi continet. Verùm quando omnia Judaici populi facta dictáque umbratica erant atque ad novam legem potissimùm referebantur, non dubito quin Vates ad admirandam Christi ascensionem præcipuè respexerit; &, sub introductæ in templum Hierosolymitanum arc[h]etypo, Christum in cœlestes, quæ priùs clausæ fuerant, Hierosolymas, ingredientem cecinerit: præmisso, in nostrum solatium, documento quod viam ad cœlos ducentem commonstraret; simúlque spem ostenderet nos in cœlestem patriam cum Christo ascensuros si commonstratam viam teneremus.

TITULUS.

Prima sabbati Psalmus David.

PSALMUS XXIII.

1 *DOmini est terra, & plenitudo ejus: orbis terrarum, & qui habitant in eo.*

PARAPHRASIS.

TErra, & quicquid eâ continetur ad Dominum pertinet: *totúsque* terrarum orbis, & qui in eo degunt ad eundem pertinent Dominum.

ANNOTATIONES.

prima sabbati. Hoc additum videtur ex usu Synagogæ quæ Psalmum hunc primâ, post Sabbatum, die hoc est Dominicâ caneret. Theodoritus: ἐν ἐνίοις &c. *in aliquibus exemplaribus invenitur una Sabbatorum. In Hexaplo autem hoc non apponitur.* Codices Reg. 138. Colb. 158. laudata verba *prima Sabbati* non repræsentant: sed Codex Reg. 138. habet, *Psalmus David. vox Ecclesiæ post baptismum.* Colb. 1. *Diapsalma David.* Colb. 158. *Psalmus David post baptismum. vox Ecclesiæ.* Codices autem Colb. 1339. & Memm. 2. prædicta verba exhibent; sed paulò aliter atque in Bibliis nostris leguntur. Cod. Colb. 1339. *Psalmus ipsi David prima Sabbati.* Memm. 2. *David Psalmus prima Sabbati.*

Domini est terra, & plenitudo ejus. Kimchius hæc verba de universâ terrâ tam habitatâ quam inhabitatâ intelligit, sequentia autem *orbis terrarum*, &c. ad solam, quæ incolitur, terram refert; sed regula Synonimica hanc distinctionem non patitur.

qui habitant in eo. S. Augustinus, *qui habitant in ea.*

Quia ipse super maria fundavit eum, & super flumina præparavit eum.	2	Siquidem ipse hunc *terrarum orbem* super maria fundavit, cúmque super flumina stabilivit: *quod quum humanam superet potentiam, Deum arguit terræ opificem, adeòque ejus dominum.*

quia. illa vox à S. Augustino & Græco textu abest; sed in Hebræo textu & Theodorito reperitur, & necessaria omninò est.

super maria fundavit eum, &c S. * Basilius & Theodoritus hunc textum de terrâ aquis circumfusâ intelligunt. Genebrardus, cum Rabbinorum pleritque, [illegible]errâ aquis supereminente, hoc est ab aquis, ut esset habitabilis, discretâ exponit. Rabb[illegible]lham* de terrâ juxta aquas hoc est non procul à mari & fluminibus conditâ explicat. Hæ explanationes, quæ eodem fermè cadunt, mihi non probantur tum quia in Psal. XVII. 18. maria dicuntur *orbis terrarum fundamenta*; & fundamentum nemo dixerit id cui aliud adjacet aut supereminet, quum eo nomine illud tantùm venire soleat illud cui aliud superjacet; tum quia prædictæ explanationes non tantùm divinæ potentiæ, quantum Psalmus CXXXV. 4. 6 tribuit, præconium dant. Ut enim aquas, si materiæ qualitas spectetur, medias terram inter & aerem esse debuisse, easque, uti nunc se habent, interfusas intelligentem, quæ, illas sic ordinando, terræ fœcunditati hominumque vitæ prospexerit, naturam prodere confiteor, ita vereor ut Deo aqu[illegible] sic ordinanti illa laudati Psalmi laus *qui facit mirabilia magna solus* apprimè conveniat: quum nostrum quilibet aquam telluri excavatæ non solùm interfundere, sed infrà eam demittere facilè possit; aquâ sublimiorem, etiamsi fas sit, locum non quærente, uti eum ab igne, si occasio detur, quæri videmus. Malim ergo cum B. Chrysostomo nostrum de terrâ aquis impositâ textum interpretari: nec me ab aurei Doctoris sententiâ avertunt sive Psalmus CIII. 5. qui terram *super stabilitatem suam fundatam* canit; sive *a* Aristoteles & *b* Seneca qui Thalem B. Chrysostomo consentientem rejiciunt; sive *c* Aristoteles & *d* Plinius qui mare rubrum Ægyptiacâ terrâ altius compertum fuisse testantur; sive *e* Cicero aliique nonulli qui mare terrâ altius universim pronuntiant. Hæc, inquam, me à B. Chrysostomi sententiâ non avertunt: nam 1° quum terram super aquas consistere perinde fit ac super nihilo suspendi ut docet aureus Doctor, terra super stabilitatem suam fundata censeri debet quum aquis innixa consistit. 2°. Aristotelica contra Thaletem ratiocinatio naturalem, quem ipsi favere fateor, ordinem considerat; excluso miraculo quod nos, *f* sacris literis edocti, admittimus: unde præfata ratiocinatio nobis non officit; nec officit, qui eam sequitur Pererius*. 3°. quanquam maris rubri altitudinem, ex *g* Strabone post *h* Pererium, impugnare possem; nihilominus, eâ concessâ altitudine, dico nihil inde contra nos effici: siquidem Ægyptiaca terra mari rubro inferior, aliam sibi subjectam habebat aquam ut paulò post enodatiùs explicabitur 4°. omissis, quas contra Ciceronianam opinionem *i* Pererius & laudati ab eo Auctores afferunt, rationibus respondeo marium altitudinem nobis non adversari quum præter illa, quæ terris supereminere dicuntur, maria aliæ sint aquæ (quæ *maria & flumina* Vates cum Gen. I. 10. & Psal. LXXVII. 19. appellat) terris hujusmodi subjacentes: quod mihi vel cæ[illegible] aquæ quas, terra quum foditur, quotidie reperimus; quæque telluris aquis impositæ non leve, ut mihi quidem videtur, indicium ostendunt; etsi sub illis aquis subsidentem terram plerunque videamus. Dicendum igitur cum S. Chrysostomo: πάντες ἂν ἐπινεύσαιεν &c. *Omnes utique annuerent, quod naturæ consequentia est, aquam super terram, sed non terram ab aquis ferri. Terra quippe, quum sit densa & dura & non cedens & solida, facilè potest aquarum naturam sustinere; aqua vero, quum liquida sit & mollis teneráque & diffluens & omnibus cedens occurrentibus, nullum corpus unquam sustinere valeret etiamsi levissimum*

* in *Hexæm.* homil. 1. pag 11. D to. 1. edit. Gr. Lat. Paris. 1618.

* apud Kimchium in Comment. ad hunc locum.

a lib. II. de Cœlo cap. 13. pag. 364. D.

b Nat. Quæst. lib. III. cap. 13. p. 717. edit. Ant 1632.

c libro I. Meteor. c. 14 p. 425. D.

d lib. VI. cap 29.

e lib. 2. de Nat. Deor. num. 116

f Psal CXXXV. 4. 6.

* Qui si laudatos Psalmi CXXXV versus expendisset, & Justini atque Chrysostomi, quos nominat, meminisset, his non usus fuisset verbis: *dicere autem terram super aquis miraculosè sustineri, hominis est ad commentitiæ opinionis suæ assensionem quidvis studiosè effingentis & omnipotentiâ Dei cùm nec opus est & minimè decet, temerè abutentis* lib. 1. Commentation. in Gen. num 54 p. 8.

g lib. 17.

h lib 1 Comment. in Genes. p. 37 num. 101.

i Ibid. num. 104.

levissimum sit : nam sæpe lapillo parvo incidenti cedit & refugit, ipsúmque ad profundum transmittit. Quum videris igitur non lapillum parvum, sed terram omnem super aquas ferri, neque submergi, admirare potentiam suprà naturam hæc mirabiliter operantem. Et unde hoc manifestum? Propheta hoc dicit, super maria fundavit eam, & super flumina præparavit eam. Et rursum, qui fundavit aquam super aquas. Quid dicis? lapillum exiguum aqua in superficie ferre non potest, & terram tantam gerit; & montes, & colles, & urbes, & plantas, & viros, & bruta, & non submergitur. Et quid dico non submergitur? quomodo inferiùs circumstante sibi aquâ, tanto tempore non est dissoluta & lutum omnia facta sunt? Si enim lignorum natura parum temporis aquis immersa corrumpitur & dissolvitur: quid dico, lignorum natura? quid ferro validius esse potest? sed & hoc sæpe mollescit quum semper in aquis maneat... Igitur ferrum quidem mollescit & ligna putrescunt, & lapides corrumpuntur aquarum naturâ; terra verò magnitudo, tanto tempore, aquis imposita non est submersa, nec dissoluta, nec perdita. Et quis hæc non obstupescat, & admiretur, & cum fiduciâ dicat non esse naturæ opera sed providentiæ naturam excedentis? Propterea quidam dicit qui suspendit terram super nihilo: alius verò quidam in manu ipsius fines terræ; item super maria fundavit eam. Et hæc quidem contraria esse videntur: multam tamen habent consonantiam. Qui enim dixit super maria fundavit eam, idem dicit cum eo qui ait quòd super nihilo terram suspendit: etenim super aquas consistere æquale est, & super nihilo suspendi, &c. Huic B. Johannis doctrinæ S. Basilius terræ fundamentum in divino imperio ponens non repugnat, ut Euthymio & Genebrardo visum est: sanctus enim Basilius illud Dei imperium agnoscit sive per seipsam consistere concesserimus terram; sive super aquis stabilitam esse dixerimus. Vide Homil. I. in *Hexaëm.* pag. 12. fin. & 13. init.

3 *Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus?*

Quum igitur tantus sit Deus utpote qui terræ universæ Dominus sit, ecquis dignus erit qui in montem *Moria* ipsi dicatum ascendat? aut quis merebitur ut in hoc, qui ei sacratus est, loco consistat?

4 *Innocens manibus & mundo corde : qui non accepit in vano animam suam; nec juravit in dolo proximo suo.*

Ille merebitur qui factis & animo purus fuerit: quí*que* per animam suam falsò non juraverit; nec fraudulentum proximo suo jusjurandum dederit.

quis ascendet. nexum à meo diversum complures eligunt hoc ferè modo. Quamvis terra universa ad Dominum pertineat, attamen mons Moria singulari modo ad ipsum pertinet, estque locus ipsi potissimùm sacer. Jam verò quis ascendet in montem istum Domini, &c. Hunc nexum quominùs probarem impedivit me nimium, quo eget, additamentum.

in montem Domini. Hinc intelligimus Deum, quamvis ubique præsentem, quædam in terris elegisse loca ut ibi peculiariter coleretur: quod Judæis non solùm probatum est, sed & veteribus Christianis qui Templa habebant & Oratoria ut apparet testimoniis B. *a* Pauli, *b* Luciani, *c* Lampridii, *d* Origenis, *e* Tertulliani, *f* Eusebii, *g* Lactantii, Patrum *h* Laodicenorum & *i* Gangrensium, *k* Prudentii, *l* Theodoriti, *m* Socratis, *n* Sozomeni, *o* Nicephori, *p* Anastasii, *q* Platinæ, *r* Luitprandi, *ſ* Flavii Dextri, *t* Baronii, *u* Bellarmini, *x* Duranti, *y* Johannis Quintini, *z* Paganini Gaudentii, *&* Pauli Aringhii, & * Josephi Isæi; ut & iis quæ de Massalianis atque Eustathianis apud S. *a* Epiphanium, *b* Damascenum, *c* Zonaram, & *d* Alphonsum Castrensem occurrunt: neque ex *e* Origene,

a I. Cor. XI. 22.
b ant alterius in Philopatr. ubi Critias accessum suum ad Christianorum cœtum enarrat.
c in Alex. Severo ubi ait *Quum Christiani quendam locum*, &c.
d in Matth tract 28.
e lib de Idolol. cap. 13. lib. de Pud. cap 4.
f Hist. Eccl. VIII. 1. & IX. 9. X. 2. & de vitâ Const. II. 2. 44. 45. III. 14. 29. 30. 40. 41. 50. IV. 59.
g Inst. V. 2.
h Can 6. & 28.
i Can. 5. 6. & 20.
k de Coron. hymn. 2. & 6.
l Hist. Eccl. lib. I. c. 29.
m Hist. Eccl. lib. I. c. 16. 17. 18
n Hist Eccl lib. II. c. 2.
o Hist. Eccl. III. 18. VIII. 14. 47.
p in Pio I. *ex rogatu B. Praxedis*, &c
q de eodem Pio: *rogatu primò Praxedis*, &c.
r de eodem Pio: *Hic similiter decrevit ut . . . qui prædia*, &c. de quibus prædiis vide Caus. 12. q 2. c. 5. Ivonem in Decret. part. 13 cap 59 & Hincmarum in Dialog. de statu Eccl p. 917. ed. Par. 1615. 4°.
ſ in Chron. an. Christi 36.
t Annal. to. 1 an. 57. paragr. 99. 100. &c. to 2. an. 2.. paragr. 4. & 5
u de cultu Sanctorum lib. 3. c. 4. &c
x de ritibus Ecclesiæ lib. 1. c. 2.
y in Synod. Gangr. can 5.
z de vitâ Christianorum ante Constant. cap. 25.
& in Roma subterr. lib. 1. cap. 1.
* in Notis ad Lact. lib. 2. c. 2
a Hær. 80. num. 1. & 2
b de Hæres. hæres. 80.
c ad Gangr. Syn. can 5.
d de Hæres. lib. 14 tit. *templum.*
e lib. 7. contra Cels. p. 384 & 385. edit. Hœschel. & lib. 8. p. 400.

SS

a Clemente Alexandrino, *b* Minucio Felice, *c* Arnobio, & *d* Lactantein contrarium evinci potest: nam quum illi templa explodunt, ea utique intelligunt quæ Gentilitio dicabantur ritu vel ornatu construebantur aut à quibus pia colentium mens aberat: illa exteroqui templa, in quibus ritus ille vel ornatus desiderarentur & pia mens adesset, probantes; & solâ illâ mente contenti quum materialium templorum exstruendorum potestas sibi ab afflictoribus adimeretur. Cæterùm non Judæis tantùm & Christianis ædificandorum templorum consuetudo placuit: sed eam Ethnici omnes (paucos si excipias impios aut barbaros *e* Herodoto, *f* Straboni, *g* Ciceroni, *h* Plutarcho, *i* Laertio, & *k* Celso prolatos Persas, Scythas, Afrorum Nomades, Seres, & Zenonem Stoicorum principem) tenuerunt aut laudarunt ut ex iis colligere licet quæ habentur cùm apud sacros *l* Scriptores; tum apud † Herodotum, *m* Aristophanem ejúsque Scholiastem, *n* Lycophronem, *o* Artapanum, *p* Philonem Byblium, *q* Strabonem, *r* Iamblichum, *f* Porphyrium, *t* Laertium, & *u* Hospinianum.

præparavit. Aquila, teste Theodoro Heracleota, vertit *firmavit.* Nicephorus: *illud præparavit firmitatem ostendit.* Docta explicatio, ut apparet collato loco Psal. CXXXV. 6. nec ab eâ verbum *præparavit* abest: nam firma esse solent quæ, adhibitâ diligentiâ, parantur.

innocens manibus & mundo corde. Eximius locus, in quo docet Psalmographus internam quæ *corde mundo* denotatur, sanctitatem externæ, quæ *puris manibus* designatur, pietati esse adjungendam si verè pii esse velimus. Vati *x* Christus, *y* Justinus martyr, *z* Athenagoras, *&* Clemens Alexandrinus, * Tertullianus, *a* & Lactantius non solùm succinunt, sed etiam *b* Orpheus, *c* Solon, *d* Aristophanes, *e* Philemon, *f* Menander, *g* Plato, Dionysius Syracusanus *h* Plutarcho memoratus, *i* Democritus, Metellus Celer & Cn. Sergius Silo à *k* Valerio Maximo producti, *l* Charondas, *m* Cicero, *n* Seneca, *o* Ovidius, *p* Persius, *q* Theophrastus, *r* Ælianus, *f* Dio Prusæensis, & *t* Porphyrius: qui plus hac in parte viderunt quàm Judæorum magistri Christo coævi, & Josephus ipse qui, de Antiochi cogitato sacrilegio, agens, Polybium reprehendit quòd hujus Principis mortem huic cogitato adscribat, dicitque non esse pœnæ obnoxium consilium sine effectu. Vide Antiq. lib. XII. cap. 13. pag. 419. *u* Tertullianus legit *innocens & purus corde qui non accepit in vanum nomen Dei & non juravit ad proximum suum in dolo.*

qui non accepit, &c. S. *x* Cyprianus eandem habet lectionem; sed postea legit *& non juravit subdolè proximo sibi.*

in vanum. id est falsò, ut sequenti apparet membro & annotatis ad Psal. II. 1. XI. 2. quibus si addideris loca Exod. XX. 7. & Jer. LI. 14. Amos. VI. 8. nostræ explicationis firmitatem cognosces & originem: nam locus Exodi *non assumes nomen Domini Dei tui in vanum* quum significet non jurabis falsò per nomen Domini Dei tui, ostendit phrasim hanc *non accepit in vano animam suam*, significare non juravit falsò per animam suam. Scilicet diversæ erant jurandi formulæ ut annotavi ad Psal. XIV. 6. &, inter alias res, per animam jurabatur. Loci autem Jeremiæ & Amosi indicant jurasse Deum *per animam suam*: unde intelligimus Judæos Deum imitatos jurasse quoque per suam animam. Hodierni Hebræorum Codices habent נפשי *animam meam*; sed hanc lectionem vel unus Psalmi contextus refellit, & nostram confirmat: ex quâ perspicuum est LXX. Senes legisse נפשו *animam suam* pro נפשי *animam meam.*

Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo.	5	Hic à Domino benedicetur, & misericordiam à Deo sospitatore suo consequetur.

hic accipiet, &c. *y* Tertullianus: *iste accipiet benedictionem à Domino & misericordiam à Deo salutificatore suo.*

misericordiam. Heb. justitiam: quæ vox, quum pro misericordiâ interdum sumatur ut ad Psal. IV. 1. annotavimus & patet Matth. VI. 1. Senum nostrorum eruditionem prodit.

a Strom. 7. p. 583 fin. 584. init. *b* in Octavio: *cur occultare & abscondere,* &c. *c* lib. 6. adv. Gentes: *consuetis crimen nobis affingere,* &c. *d* Inst. lib. I. c. 10. & lib. II. c. 2. VI. c. 25. *e* lib. I. *f* lib. XV. *g* Orat. 2. in Verrem. *h* lib. de Stoic. repugn. *i* in Zenone lib. 7. *k* apud Orig. lib. 7. contr. eum p. 384. *l* Jos. XIII. 20. XV. 41. 1. Reg. V. 2. Act. XVIII. 13. † in Euterpe ubi de Ægyptiis. *m* in *Pluto.* Act. 5. Scen. 2 p. 743. in corp. Poet. Gr. ed. Gen. 1615. & in *Irene*, p. 941. *n* in Cassandræ Vaticinio. *o* laudatum ab Euseb Præp. IX. 23. 27. *p* ibid. lib. I. c. 9. p. 30 ult. *q* lib. 16. *r* de vita Pythag. c. 3. *f* de vitâ Pythagoræ *t* lib. 7. ubi de Epimenide. Huic adde Cretem & Erysichthonem de quibus Eusebius Chron. lib. post. num. 38. & 417. Cedrenus pag. 67. edit. Xilandri, & Syncellus in Chron p. 153. *u* de Orig. Templ *x* Matth. V. 28. *y* ep. ad Zenam & Serenum. *z* in Apolog *&* Stromat. VII pag. 718. A. 731. A. 748 D. * Apol. c. 45. lib. de Orat. c. 11. & lib. de Veland. virgin. cap. 10. & 13. *a* Instit. lib. VI 25. *b* apud Stob. Serm. 9. p. 100. lin 47. edit. Gr. Lat. 1559. *c* ibid. p. 102 lin. 17. *d* δύναμαι τὸ ἴσον &c. *e* in Palamede: ἀνὴρ δίκαιος &c. *f* θεῷ &c. *g* Alcib. 2. *h* in lib quomodo adulatorem ab amico dignoscas *i* apud Stob loc. cit. p. 104. lin. 8. *k* lib VI c. 1. *l* in Leg anteloq. *m* lib 2 de Nat Deor. & lib 2. de Legib. *n* apud Lact. lib VI. 25. *o* Quæ quia non licent, &c *p* Satyr. 2. Quin damus, &c. *q* apud Eusebi Præp. IV. 14. p. 152. D *r* V. μέτιν ἐ αδικιας &c. *f* Orat. 3. & 67. *t* de Abstin. 2. *u* adv. Marc. lib. 2. 1. 2. 392. *x* Testim. lib. 2. p. 256. initio.

6 *Hæc est generatio quærentium eum: quærentium faciem Dei Jacob.*

Atque hoc est *hominum* genus qui merebuntur ut Deum *in templo* quærant, *adeòque in eo versentur*: ut quærant, *inquam*, *in monte Moria*, faciem Dei Israelitarum.

7 *Attollite portas principes vestras: & elevamini portæ æternales; & introibit Rex gloriæ.*

Vos *porrò, ô Janitorum* principes, *illas templi Moriensis, quibus præestis*, portas reserate: vósque ô portæ, longos per annos mansuræ, aperimini; & introibit rex gloriâ inclytus.

8 *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.*

Quis est iste rex gloriâ inclytus? *Ecce iste est* Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.

9 *Attollite portas principes vestras: & elevamini portæ æternales; & introibit Rex gloriæ.*

Reserate, *ô Janitorum* principes, *illas Moriensis templi*, *quibus præestis*, portas: vósque ô portæ, longos per annos mansuræ, aperimini; & introibit rex gloriâ inclytus.

10 *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.*

Quis est iste rex gloriâ inclytus? Dominus exercituum ipse est rex *iste* gloriâ inclytus.

hæc est generatio, &c. generatio heic sumitur pro gente ut Psal. XI. 8. S *a* Cyprianus: *illa nativitas eorum qui eum quærunt*, &c. — *a* Testim. lib. 2. pag. 2,6

quærentium. verbo illo plerunque designantur illi qui divino cultui student: sed, hoc in loco, prædictum verbum eos denotat qui Deum in templo Hierosolymitano quærebant, hoc est qui hûc se conferebant ut divino ibidem conspectu fruerentur. Apparet id ex voce *faciem* quæ in secundo membro, ad prioris explicationem, usurpatur; quæque nos ad eam, quæ à me posita est, interpretationem ducit. Scilicet Deus in templo Hierosolymitano videndum se quodammodo præbebat, beneficio arcæ quæ præsentiæ illius erat signum. Confer Exod. XXV. 22. Psal. XXVI. 4. 8. XLI. 2. LXXXIII. 7.

eum. Origenes, B Augustinus, Hieronymiaster seu Auctor commentarii S. Hieronymo adscripti, Theodoritus, & Euthymius legunt *Dominum*; sed S. *b* Cyprianus legit *eum*: habet autem qui *quærunt* pro *quærentium*. — *b* Ibid.

attollite portas principes vestras. S. Hieronymus, cum Rabbinis hodiernis, vertit ex Hebræo *levate portæ capita vestra*: &, in epistolâ ad Damasum, ait Aquilam esse interpretatum *attollite portæ capita vestra*. Hebraicæ linguæ regula, quæ pronomen à nomine cui est affixum disjungere non solet, huic favet versioni, eámque lex Synonimica confirmare videtur. Sed quum in I. Paralip. XXVI. 10. 12. Janitorum, ædem Hierosolymitanam custodientium, principes video: & Synonimicam, si bene expendatur, legem in versione nostrâ non violari adverto; ac receptiores grammaticæ Hebrææ regulas ab exceptionibus liberas non esse considero, nostram probo versionem: præsertim quum eam Theodotio, Quinta editio, & Symmachus sequantur in Scholio Sixtino. *c* Tertullianus: *auferte portas principes vestri & s[illegible]ventur portæ æternæ, & intrabit rex gloriæ.* *d* S. Cyprianus: *auferte portas principes vestras & extollimini portæ æternales & introibit rex claritatis. Quis est iste rex* — *c* Scorp. pag. 49[illegible] 496. *d* Testim. lib. 2. pag. 219

a Exposit Symb.pag. 374.

claritatis Dominus fortis & potens, Dominus fortis in prælio, &c. a Rufinus ementito Cypriani nomine gaudens vulgatam versionem sequitur. S. Augustinus legit *principes vestri*. In Sixtinâ editione, ante hæc verba *tollite portas*, reperitur *diapsalma*: quæ vox Eusebio mutatio cantus heic esse videtur.

b adv. Marc. lib. 4. pag 433.

Dominus fortis & potens, &c. Dominum in Arcâ residentem; indéque præclara majestatis & fortitudinis suæ specimina, præsertim in præliis, dantem intelligit. Confer I. Reg. IV. 6. 7. b Tertullianus legit: *Dominus validus Dominus potens in bello.*

ARGUMENTUM.

PSALMI VIGESIMI QUARTI.

c ad vers. 20.
d ad vers. 5.

ORIGENES[c] & S. [d] Athanasius in Catenâ Danielis Barbari hunc Psalmum ad Babylonica tempora trahunt; eósque innuere videtur Theodoritus quum, suam explanaturus sententiam, ait: τινὲς &c. *Aliqui Scriptores captivitatem* (hunc Psalmum) *prædicere dixerunt; & tanquam ab illis qui captivi erant dictum explanarunt, finem attendentes: libera enim, inquit, Deus Israel ex omnibus tribulationibus suis. Ego autem hunc Psalmum à beato Davide dictum fuisse existimo quum multos hostium impetus pateretur.* Theodorito subscribit Nicephorus, dicens: *edidit hunc Psalmum David quum ab inimicis oppugnaretur.* Neuter liquidò explicat quodnam fuerit illud bellum quod Davidem impulerit ut hunc Psalmum lucubraretur. Illud ego bellum puto fuisse Absalomiticum: ídque ex decimo tertio versu colligo: ibi enim gravissimi peccati mentio fit; qúmque duplex adulterii & homicidii peccatum, quod belli ab Absalomo illati caussa exstitit, gravissimum fuerit, Psalmus ad illud bellum referendus videtur. Objicies: quo tempore Absalom Davidi bellum intulit, peccatum ipsius erat ei condonatum, dicente Nathane II. Reg. XII. 13. *Dominus transtulit peccatum tuum*: sed David contrarium, hoc in Psalmo, supponit quum in laudato ℣. 13. orat pro peccati remissione *propter nomen tuum Domine pro-*

pitiaberis peccato meo; ergo Pſalmus ab bellum Abſalomiticum pertinere non videtur. Reſpondeo peccatum dupliciter conſiderari poſſe nimirùm quoad culpam, & quoad pœnam. Peccatum priore modo ſpectatum Davidi condonatum erat; ſed illud peccatum, poſterioris modi ratione habitâ, non erat remiſſum ut prædicto apparet capite 12. in quo David liberationem culpæ impetrat, non prætermiſſâ ſceleris pœnâ. Peccatum ſecundo modo reſpicit in Pſalmo David; unde non mirum ſi Deum ſic oret *propitiaberis peccato meo.* Præter verſum decimum tertium à me laudatum, vigeſimus tertius bellum Abſalomiticum hujus carminis ſcribendi locum dediſſe mihi ſuadet: in eo enim verſu Pſalmographus innocentes & rectos ſibi adhæſiſſe narrat; & decimo quinto ſecundi Regum libri capiti proditum eſt nonnullos hujuſcemodi viros Davidi ſe adjunxiſſe quum ab eo filius Abſalom deſcivit. Demùm Pſalmus noſter ad Abſalomitica tempora trahendus videtur ſi ejus verſiculi 1. 6. 18. 24. cum Pſal. III. 8. LXXXV. 1. 3. 10. comparentur. Hic porrò Pſalmus alphabetico ordine & in achroſtichidis modum in Hebræo textu, conſcriptus eſt ſiquidem eo, quem Grotius laudat, modo ordinetur; ſed caſtigandus eſt idem Grotius quum ait alphabeticos Pſalmos in uſum puerorum, qui ſcribere diſcebant, fuiſſe conſcriptos. In eam vir erudititiſſimus non abiiſſet ſententiam ſi Kimchium conſuluiſſet; aut ejus, qui Pſalmum compoſuit, viri meminiſſet. Docuiſſet Kimchius alphabetico ordine præſtantiam argumenti denotari; aliud autem momentum ſuggeſſiſſet nec regi magno decorum, nec eximio prophetâ (qualis erat David hujus Pſalmi auctor) dignum fuiſſe carmina in uſum puerorum componere.

TITULUS.

In finem Psalmus David.

Psalmus XXIV.

AD te Domine levavi animam meam: 1

Deus meus in te confido; non erubescam: 2

Neque irrideant me inimici mei: etenim qui te sustinent non confundentur: 3

Confundantur omnes iniqua agentes supervacuè: 4

Vias tuas Domine demonstra mihi; & semitas tuas edoce me. 5

Dirige me in veritate tua; & doce me: quia tu es Deus meus, & te sustinui totâ die. 6

Reminiscere miserationum tuarum Domine: & misericordiarum tuarum quæ à sæculo sunt. 7

Paraphrasis.

AD te Domine mentem meam elevo, *dicens:*

Deus mi in te confido; ne *quæso* pudore suffundar *spe frustratus meâ:*

Nec hostes mei *superiores me facti* illudant mihi: *omnes* enim qui in te sperant *ex suâ non deturbantur spe adeòque* non pudefiunt:

Pudefiant *potiùs illi* omnes qui *me* vexant immeritò:

Mihi *autem* vias tuas *misericordiam scilicet, & fidem in promissis servandis* demonstra Domine; & tuas *illas* semitas patefac mihi, *ostendendo te per eas incedere.*

Deduc me per veritatis tuæ tramites, *tuam in promissis præstandis constantiam experimento meo comprobans*; & *per ejusdem veritatis semitas* duc me: quum sis ô Deus sospitator meus, & in te jugiter recumbam.

Reminiscere miserationum tuarum Domine; & tuas *illas*, quas *peccatoribus* dudum exhibuisti, misericordias in memoriam revoca.

ANNOTATIONES.

in finem, &c. Eusebius in Catenâ Barbari testatur nihil *fuisse inscriptum* (à LXX. Senibus) *sed tantùm a cæteris interpretibus prænotatum fuisse ipsi David.* Codex Regius 138. *in finem Psalmus David quum canticum misit electis.* Colb. 158. *Diapsalma XXIV. in finem Psalmus David canticum misit electis.*

animam meam levavi. idem est ac si diceret *te ora*: nam oratio nihil aliud est quàm mentis ad Deum elevatio.

non erubescam. Observat eruditissimus Bellarminus Euthymium addere εἰς τὸν αἰῶνα *in aeternum*; atque lectionem illam à SS. Hieronymo atque Augustino abesse ut & à Theodorito. Verùm memoriâ vir summus lapsus est, aut oculos ad Græcum Theodoriti non intendit textum in quo legitur εἰς τὸν αἰῶνα idest *in aeternum*, quod in explicatione interpretatur διηνεκῶς ut sensus sit: obsecro ne semper in ignominiâ vivam.

etenim. Hebr. *etiam*. Sensus eodem recidit.

qui te sustinent. S. Augustinus, *qui te exspectant*. Utrumque verbum significat divinum auxilium exspectare seu in Domino sperare. Confer Psal. XXXII. 20. 21. CXXIX. 4. 5.

iniqua agentes. cæteri interpretes, testibus Eusebio & Theodoro Heracleotâ, transtulerunt ἀποστατοῦντες *desertores*. S. Augustinus legit *iniquè facientes*. Heb. *praevaricantes*. Vates eos, qui ipsum in'ectabantur, intelligit: hi enim iniqua agebant & prævaricabantur.

supervacuè. idest stultè, sine causâ, nullâ ratione, ut explicant Nicephorus & Euthymius Theodorito iter monstrante. S. Augustinus pro *supervacuè* legit *vana*.

vias tuas. Eusebius: *viæ Domini sunt ejus providentiæ administrationes quibus omnia regit & gubernat*, subscribit & exscribit Theodorus Heracleota. S. Athanasius: *per vias intelligit dogmata Evangelica*. Didymus: *vias Domini mandata ejus dicit*. Buchananus: *Mihi per anfractus vagos vitæ, salebras inter & tenebras iter ostende rectum. & erratum sequacibus erroris undis, pravis lucis tuæ splendore, deduc veritatis in viam*. Muisius: *In adversis difficile est discernere quid sequi oporteat; & longè difficilius rectam viam tenere: res enim adversæ mentem confundunt, & sæpe extra viam rectam vaticinantis longè abripiunt. Ideircò à Deo petit monstrari sibi viam quam sequi debeat; nec hoc tantùm: sed in illa regi, hocque significatur versu sequente dirige me... viæ Dei hoc loco accipiū pro præceptis Dei quæ rectè justèque vivendi regulam continent*. Corderius: *loquitur de viâ & semitâ mandatorum Dei de quâ, in alio Psalmo dicit. deduc me in semitam mandatorum tuorum; & Isaias, docebit nos vias suas & ambulabimus in semitis ejus*. Hæc duodecimi Odæ nostræ versiculi verba *requirentibus testamentum ejus & testimonia ejus* laudatis Psal. CXVIII. 35. & Is. II. 3. locis adjuncta in sententiam Didymi, Muisii, & Corderii me ferè traducebant; & suadebant mandatorum Dei notitiam à Davide peti ut eâ instructus notitiâ rectam viam iniret; atque ita misericordiam consequi, & ad optatos exitus provehi posset: isque sensus eò mihi arridebat magis quòd eum in multis Psalmi CXVIII. versibus deprehendebam. Sed quum in Psalmum nostrum mentem intentam infixámque intelligentiam habuissem, observavi Davidem, postquam dixit *vias tuas Domine demonstra mihi*, veritatis & misericordiarum mentionem facere; &, pauló post, liquidò asserere *universas vias Domini esse misericordiam & veritatem*. Præterea ex versibus 6. & 14 *viam* hoc in Psalmo non esse viam mandatorum Dei cognovi: nam *via* hæc propriè non dicitur *veritas* (ut innumeris patet locis, in quibus *veritas* sumitur pro constantiâ & fide promissorum) nec illa mandatorum divinorum via eos, qui timent Dominum, docetur: quippe qui eam, statim atque Dei metuentes dicuntur, nosse censeantur ut apparet collatis locis Tob. II. 13. Psal. CXI. 1. CXXVII. 1. Eccl. XII. 13. Ad hæc ex Psalmi LXVI. 2. cum Psalmo LXXXIV. 7. collatione didici viam Dei antonomasticè esse ejus misericordiam. Denique ex toto Psalmi LXXXV. contextu præsertim ex versibus 10. 12. & 14. intellexi *deduci in viâ Dei & ingredi in veritate ejus* idem esse ac Dei misericordiam ejúsque in promissis servandis fidem experiri. Quum ergo hæc omnia attendissem, non dubitavi quin versus nostri *via* de misericordiâ & fide promissorum exponendæ essent: maximè quum Vates, seipse explicans, veritatis & misericordiæ mentionem in sequentibus versibus faciat ut jam annotavi. Itaque David, ut quidem ego sentio, Deum rogat ut misericordiæ suæ; & promissi, de dandâ tandem, pœnitentibus peccatorum impunitate, facti memor sibi misericordiam ejus imploranti & de peccato suo mœrenti parcat, se in pristinam felicitatem restituendo.

demonstra. Symmachus teste Eusebio, vertit *doce*.

veritate. promissorum constantiam intelligit quomodo sumitur hæc vox in Psal. XXXIX. 13. 14. 15. LXXXVIII. 15. XC. 5. XCIX. 5. CX. 6. 7. CXVI. 2. & multis aliis in locis. Quæ autem in Psalmo nostro memoratur *veritas* respicere videtur ad promissa quæ Deus de impunitate pœnitentibus tandem tribuendâ fecerat Deut. IV. 29. 30. XXX. 1. 2. 3. 5. 9. 10.

doce me. Idem pro more suo repetit: unde *doce me* significat *deduc me* sup. *in veritate*

tua. Neque ab eà sententià verbum *doce* abest : nam qui ducit, suo modo docet ; præsertim apud Hebræos qui ex radice אלף, quæ sonat *docere*, formant nomen אלוף *ductor*. Confer Deut. XXXII. 10. 12. Illud autem *deduc me* passivè sumitur, ut experiar ; non activè, ut imiter vias tuas misericordiam & veritatem.

reminiscere. Euthymius : *illud autem adverte quòd verba hæc reminiscere &c. ad Deum non ut ignarum aut obliviosum dicta sunt ; sed quia ignorare videtur Deus atque oblivisci quando ad defensionem aut auxilium nostrum tardè venit.*

quæ. S. Augustinus legit ; *& quia misericordia tua à seculo sunt.* Eadem in Græco Theodoriti textu conspicitur lectio : sed utraque eodem recidit, sumto adverbio *quia* pro quòd uti accipitur ab Euthymio qui ait. *Memento quòd à seculo hoc est semper, & naturâ tuâ misericors es.*

à seculo. Euthymius exponit *semper.* Ego *à longo tempore* interpretor ex Psal. CXLII 4.

te sustinui. Symmachus, teste Eusebio, interpretatus est *te expecto.*

Delicta juventutis meæ ; & ignorantias meas ne memineris :	8	Delicta juventutis meæ ; & quæ, *eo tempore*, imprudens commisi peccata ne memineris :
Secundùm misericordiam tuam memento mei tu ; propter bonitatem tuam Domine.	9	*Sed*, pro tuâ clementiâ, misereat te mei ; *&*, pro eâ, *quâ præditus es*, bonitate misericordiam mihi impertire Domine.
Dulcis & rectus Dominus : propter hoc legem dabit delinquentibus in viâ ;	10	Benignus *namque* & rectus es Domine : ideóque peccatores, *se ad bonam frugem recipere cupientes*, misericordiæ tuæ participes efficere soles ;
Diriget mansuetos in judicio : docebit mites vias suas.	11	*Et* pœnitentes ducis per veritatis tramites : *eosdémque* pœnitentes per *ambas has* vias tuas deducis, *misericordem te & veracem*, *erga eos*, *exhibendo.*
Universæ viæ Domini, misericordia & veritas : requirentibus testamentum ejus & testimonia ejus.	12	*Nimirum* universæ viæ Domini *nihil sunt aliud quàm* misericordia & veritas, *quibus jugiter utitur ; & utramque hanc dotem*, iis qui legis suæ & præceptorum suorum sunt studiosi, exhibet : *misericordiam illis suam, & promissorum fidem ostendens.*

delicta juventutis meæ. Non erat juvenis David quum Bethsabeam stupravit & Uriam occidi jussit : unde non agi heic arbitror de illis peccatis ; sed de iis quæ David, ætate florens, patraverat delictis. Regalis quidem historia peccata illa non commemorat ; sed ea Psalmus CXVIII. innuit ; & noster explicat, ostendendo delicta illa non fuisse gravia sed errore & imprudenter commissa : quæ à Davide aliena fuisse cum Eusebio non credet

quisquis

quisquis laudatos Psalmos consideraverit, memineritque septies cadere justum. Hæc autem juventutis peccata, occasione describendi paulò post peccati adulterii & homicidii, memorat ut plenam consequatur indulgentiam; nihilque in suâ conscientiâ superesse possit quod tantillam misericordiæ divinæ moram afferre valeat. Rabbini pro *ignorantias* vertunt *prævaricationes*, eámque vocem ad atrocia scelera ferè trahunt; sed eos dictio *juventutis* refellit & nostris favet interpretibus. S. Augustinus legit *ignorantia mea*.

memento mei. favorem & misericordiam hæc loquutio importat ut liquet ex Gen. XL. 14. Psal. VIII. 5. Luc. XXIII. 42.

dulcis & rectus Dominus. verba hæc præcedentibus & sequentibus mirè respondent: siquidem de misericordiâ & veritate loquutus est & loquetur; atque utrumque nostris tangitur epitethis: nam Deus quâ *dulcis* miseretur; quâ *rectus* promissa præstat. Personam autem heic mutat Vates; sed quia hæc mutatio obscuritatem sermoni nostro afferret, eam non sum sequutus.

legem dabit. id est docebit ut ex Hebræo textu patet; nec ab eâ sententiâ Vulgatus Interpres recedit: siquidem qui legem alicui dat, eum docet quid sit faciendum. S. Augustinus eodem sensu legit *legem statuet*.

via. id est misericordia quæ antonomasticè *via* dicitur, ut apparet collatis locis Psal. LXVI. 2. & LXXXIV. 7. & docet hoc in Psalmo Kimchius Auctor est Eusebius Aquilam & Symmachum dixisse *viam suam*. Theodoritus tamen testatur Symmachum vertisse *propterea peccantibus viam monstrabit*.

mansuetos. intelligo pœnitentes, quos Noster *mansuetos* & *mites* rectè appellat: nam pœnitentes *mansueti* & *mites* esse solent. Vox Hebræa ענוים cum pœnitentibus etiam congruit: hæc enim vox ferè significat *afflictos*, & tales sunt pœnitentes.

judicio. id est veritate hoc est fide promissorum. Confer Psal. LXXXVIII. 14. C. 1. CX. 6.

testamentum. id est legem, uti accipitur in Psal. XLIII. 19. LXXVII. 13. CII 17. Eccl. XLII. 2. XLIV. 20. XLV. 6. I. Marc. I. 60.

13 *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum est enim.*

Sed & meo adulterii & homicidii peccato parce, Domine, propter bonitatem tuam: nam grande est *peccatum illud; adeóque tuâ, in primis, bonitate indiget.*

14 *Quis est homo qui timet Dominum, legem statuit ei in via quam elegit?*

Parce, inquam: quis enim est homo, Domini metuens (*qualis nunc sum*) quem *benignus ille Dominus* per viam, quam singulariter diligit *hoc est misericordiam*, non ducat *hanc ei misericordiam tribuendo?*

propter nomen tuum, &c. nomen pro bonitate sumitur ut jam ex Psal. LIII. 6. didicimus. Miram Davidis demissionem attende. Quandoquidem juventutis peccata levia erant, Dei misericordiam & veritatem implorare non est cunctatus; sed, quia adulterii & homicidii peccatum, quod ætate provectus patravit, atrocissimum erat, unam Dei misericordiam implorat, promissorum fidem appellare non audens, ratus indignum se evasisse qui fidem hanc experiretur. Nec obstat quòd in quibusdam Psalmis, ubi eadem peccata deplorat, fide illâ nitatur: nam unus idémque homo, pro variis quibus agitur motibus, variâ interdum utitur oratione. Duo autem adulterii & homicidii peccata in singulari membro exprimit: tum quia singulare pro plurali aliquando sumitur ut apparet collatis locis Psal. XXI. 17. 21.

L. 2. 3. 4. 10 tum quia unum alterius erat origo.

propitiaberis. Theodoritus, Nicephorus, & Euthymius cum Sixtinâ editione conjunctionem *&* præponunt; ſed eam eſſe ſuperfluam rectè monent Nicephorus & Euthymius. Illa porrò conjunctio ab Hebræo textu ut è à verſione noſtrâ abeſt.

propitiaberis. fut. pro imp. ut Pſal. L. 9. aliiſque in locis benè multis. Unde B. Hieronymus vertit *propitiare*, & Theodoritus legit *propitiare*; quam etiam lectionem in Catenâ Barbari repræſentat Nicephorus.

multum, &c. Theodorus Heracleotes πολλὰ &c. *Multum eſt enim non quantitate; ſed comparatione puritatis quæ mihi ineſſe debet.* Euthymius: *multum eſt enim ſi ad eam munditiam comparetur quam præſtare debuiſſem.* Rabbinus Aben-Ezra adverbium כי, quod noſter vertit *enim*, interpretatur *etſi*. Neutros ſum ſequutus.

via quam elegit. eſt miſericordia, ſic dicta quia eam Deus inprimis amat, atque ex ſuis attributis eligit unam quam hominibus potiſſimùm manifeſtet. Unde B. Jacobus II. 13. *miſericordia ſuperexaltat judicium.* Atque huc reſpicit David quum in Pſal. XXXII. 5. CXVIII. 64. *miſericordiâ Dei plenam eſſe terram* canit. Hæc ſi attendas; & verſum 9. 10. ſuprà ſuo ponderes momento, meæ, ni fallor, adhærebis explanationi; neque cum Interpretum nonnullis *viam* dices ab homine electam.

15 *Anima ejus in bonis demorabitur, & ſemen ejus hæreditabit terram:*

Quid quod talis homo bonis cumulatur *temporalibus*, & poſteritas ejus terrenarum rerum affluentibus copiis ditatur:

16 *Firmamentum eſt Dominus timentibus eum; & teſtamentum ipſius ut manifeſtetur illis.*

Dominúſ*que* cultores ſuos protegit; &, *quod de beandis illis eorúmque poſteris fecit*, promiſſum *ſic eſt comparatum* ut exolvatur illis.

17 *Oculi mei ſemper ad Dominum: quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos.*

Hæc quum ita ſint, oculos meos ad Dominum indeſinenter tollo: ipſe enim me, *ſui cultorem & de peccatis meis dolentem*, bello, cui implicor, expediet.

18 *Reſpice in me, & miſerere mei: quia unicus, & pauper ſum ego.*

Reſpice me, *obſecro*, & miſerere mei: quoniam ab eâ, *quâ utebar* fortunâ ſum derelictus, & in ſummam adductus miſeriam.

19 *Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt: de neceſſitatibus meis erue me.*

Cordis mei angores multiplices ſunt: educ me, *quæſo*, ab iis in quibus verſor anguſtiis.

anima. pro perſona. reſpicere videtur, in hoc & ſequenti verſu, ad Deut. IV. 31. XXX. 5. 6. 9.

bonis. ſup. temporalibus, ut patet ex ſecundo membro & Pſal. CXI, 1. 2.

firmamentum, &c. Euſebius in Catenâ Barbari: *Aquila, arcanum Domini vertit Symmachus, colloquium Domini. Theodotio & Quinta editio ſecretum Domini.* Paulò aliter Theodorus Heracleotes in Catenâ Corderianâ & Theodoritus qui aiunt. *Symmachus & Theodotio interpretati ſunt myſterium ſeu arcanum Domini timentibus eum & pactum ſuum oſtendet eis.* LXX. Senes pro voce hodiernâ סוד *ſecretum* ſeu *arcanum*, legerunt צור *petra* hoc eſt *firmamentum, protector, adjutor*: quam lectionem hodiernæ anteponet quiſquis ad

rem de qua heic agitur animum adverterit; & oculos in Psal. XVII. 4. XVIII. 16. LXI. 2. 6. conjecerit.

testamentum, fœdus, promissum: quomodo vox hæc aliquando sumitur ut in Psal. LXXIII. 21 LXXXII. 5. LXXXVIII. 4. 38. CIV. 8. 10. Judith. IX. 18. Eccl. XVII. 17. XLIV. 19. XLV. 30. 31. XLVII. 13. Bar. II. 35. Act. III. 35. I. Macch. I. 12. IV. 10. Illud autem, de quo Vates noster sermonem facit, fœdus exstat in laudatis Deuter. locis: quibus adde cap. XVIII. 1. 3. 4. 7. 8. 11. 12.

ut manifestetur illis. sup. *erit, eveniet*: quomodo in Psal. XXII. 9. unde facilè colliges LXX. Senes non aliam ab hodiernâ habuisse lectionem להודיעם, pro quâ S. Hieronymus, in suis Codicibus videtur invenisse יודיעם: nam vertit ex Hebræo *pactum suum ostendet illis.*

unicus. Vide annotata ad Psal XXI. 21. Theodoritus: ὁ μονογενὴς &c. *Hoc* UNICUS *reliqui (* Interpretes *)* SOLUS *interpretati sunt. Dicit autem omni ope destitutus sum: ideò, ut tui auxilii compos fiam, supplex oro.* Euthymius: *hac dictione* UNICUS *sæpe utitur Propheta pro solitario seu solo & unico quasi solus esset & ab aliis destitutus.* His interpretationibus non obstat quod paulò antè dicitur *innocentes & rectos* Davidi adhæsisse; neque etiam obstat quod in historiâ Regum legimus Davidicam caussam quosdam fuisse complexos: hæc, inquam, non obstant: nam Davidicæ copiæ hostilibus comparatæ nihil ferè erant, illéque princeps quasi solitarius & auxilio destitutus videbatur pro numeroso inimicorum exercitu. Laudatos Auctores sum sequutus: qui enim *à fortunâ derelictus erat* David, solus quasi erat & ope destitutus.

20 *Vide humilitatem meam & laborem meum: & dimitte universa delicta mea.*

Vide ærumnam meam & calamitatem meam: &, *quando mea hæc afflictio ortum à peccatis meis ducit*, ea omnia *mihi* remitte; *atque ita miseriæ meæ finem impone.*

21 *Respice inimicos meos quoniam multiplicati sunt; & odio iniquo oderunt me.*

Considera hostes meos quàm sint multi; & quàm iniquo odio prosequantur me.

22 *Custodi animam meam, & erue me: non erubescam quoniam speravi in te.*

Custodi me; & me *à periculis, quibus undique cingor*, erue: ne, *quæso*, pudore afficiar quum meam in te spem posuerim.

23 *Innocentes & recti adhæserunt mihi quia sustinui te,*

Quia *autem* hæc mea in te spes *in caussa fuit cur nonnulli Israelitæ* innocentes & recti mihi adhæserint,

24 *Libera Deus Israel, ex omnibus tribulationibus suis.*

Libera *etiam* ô Deus, Israelitas *illos* ab omnibus quibus, *ob luctuosum istud bellum*, premuntur ærumnis.

innocentes & recti, &c. Rabbini *Innocentia & rectitudo custodient* aut *custodiant me*, sensu minùs recto. Quòd nexum spectat, hunc exhibet Euthymius: *multos attraxi & persuasi... te solum verum adjutorem esse unde mihi adhæserunt... propter hoc itaque exaudi me ut per me alii pariter tibi gratias agant.* Jansenius: *innocentes & recti sese mihi adjun-*

xirunt .. ob id quoniam viderunt me omnem meam spem in te Domine collocasse. Itaque vel propter hos ne me frustrari sinas ut, tuam advertentes fidelitatem in tui amorem magis accendantur, ac per me pariter tibi gratias agant. Hos ego nexus, utpote qui nimio egeant additamento, non elegi: nec meo oppones salvos satis supérque fuisse Davidicos socios si ipse David salvus esset; adeóque peculiare pro iis auxilium neque heic neque in Psal. III. ult. implorari debuisse: illud, inquam, mihi non objicies si Theodoritum audieris sic loquentem ὁ μακάριος Δαβὶδ &c. *beatus David non tantùm pro se preces obtulit, verùm etiam pro populo sibi commisso: tametsi in ejus, qui benè præclaréque regnat, salute communis utilitas populi consistit.*

libera. S. Augustinus, *redime.*

Israel. Euthymius: *pro populo etiam supplicat qui secum pariter affligebatur.* Hæc ego audiens, & Psalmi nostri seriem attendens; ac Psalmos XXXIV. 4. 5. 6. 7. 9. 29. 30. XXXVI. 16. XXXIX. 19. 20. 21. LIV. 16. LXXXV. 17. CVIII. 5. 6. 13. 14. 18. CXLII. 13. 14. in quibus David Absalomitis perniciem apprecatur, considerans, per *Israelem* illos tantùm Israelitas qui à Davidicis partibus stabant intelligo; & eam probo explicationem quam in Psal. III. 8. adhibui: etsi illam consueto, qui ista verba *super populum suum* immediatè post vocem *salus* flagitaret, ordini minus consentaneam esse fatear. Scio verba ista *super populum suum* in Hebræo textu post nomen *salus* proximè venire; sed ille non placuit exitus; quia eum voces istæ *benedictio tua* præcludere videntur.

ARGUMENTUM.

PSALMI VIGESIMI QUINTI.

ORIGENES & Hesychius in Catenâ Barbarianâ producti nec non Theodorus Heracleotes in Catenâ Corderiana citatus hunc Psalmum Judæis servitutem Babylonicam servientibus accommodarunt ut ex eorum in versiculos 1. & 4. enarrationibus colligere est. Theodoritus autem eundem Psalmum Davidi Saulem fugienti & apud alienigenas degenti aptavit. Euthymius mediam viam tenuit. Nam, inquit, *hunc Psalmum beatus David eo tempore conscripsit quando, Saulem fugiens, apud Philistæos commoratus est. In aliquibus tamen congruere etiam videtur iis qui captivi postea in Babylone detenti sunt.* Theodoritum ego sequor; atque ut sententiam ejus patefaciam & illustrem, dico verisimile esse ut ea hoc in Psalmo recolantur tempora quæ in I. Reg.

XXII. ℣. 8. deſcribuntur : quum ſcilicet David in ſaltu Haret verſaretur ; ipſique Saul crimen perduellionis inferret. Hanc ut calumniam à ſe depelleret David, iſtud Carmen edidiſſe videtur : in quo Deum appellat judicem ; & ſuam prædicat innocentiam, unde anſam ſumit ad petendam à Deo liberationem ſuam, pro quâ deinde gratiarum actionem ſpondet. Objicies : verſus 6. 7. 8. *altaris* & *domus Dei* mentionem faciunt : ſed, quo tempore David in ſaltu Haret degebat domus Dei in Urbe Hieroſolymâ nondum exſtructa erat nec ullum ibi erat altare Deo dicatum ; igitur Pſalmus ad prænotatum à me tempus pertinere non poteſt. Reſpondeo altare & ædem apud Judæos exſtitiſſe antequam David tabernaculum in monte Sion arcæ tenderet, & Salomon Templum Hieroſolymitanum ædificaret. Nimirum hanc Moſes tulerat legem : *tribus vicibus per annum apparebit omne maſculinum tuum in conſpectu Domini Dei tui in loco quem elegerit*, &c. Locus ille ante Salomonis regnum fixus non fuit : alicubi tamen locus hujuſmodi ab ipſâ Moſis ætate ſemper exſtitit ; &, quo tempore natus eſt Samuel, erat in urbe Silo ut apparet I. Reg. I. 3. 11. 13. 28. 29. 32. deinde in Cariathiarim fuit, alibíque. Quum ergo ter in anno maſculi omnes in locum Deo ſacrum, ut rei divinæ operam darent, ire tenerentur dubium non eſt quin David, priuſquam in ſaltum Haret contenderet, iſtud religionis officium tribus non ſolùm ſed pluribus vicibus expleverit ; atque hoc eſt quod in præfatis Pſalmi noſtri verſibus 6. 7. & 8. attingitur. Altera ex verſu 9. cum Pſal. XXVII. 3. collato peti poteſt objectio : quum enim locus Pſalmi XXVII. noſtro ſit germanus ; illéque Pſalmus ad Abſalomiticum tempus ſpectet, idem de Pſalmo XXV.

a Deut. XVI. 16.

dicendum videtur. Respondeo ex unius loquutionis similitudine similitudinem argumenti colligi non debere, quum alia sunt momenta quæ id impediunt : sed talia in nostro Psalmo, momenta reperiuntur ; unde consequitur præfatam similitudinem opinioni nostræ non officere.

TITULUS.

In finem Psalmus David.

PSALMUS XXV.

1 *JUdica me Domine : quoniam in innocentiâ meâ ingressus sum, & in Domino sperans, non infirmabor.*

2 *Proba me Domine, & tenta me ; ure renes meos, & cor meum.*

3 *Quoniam misericordia tua ante oculos meos est ; & complacui in veritate tuâ.*

PARAPHRASIS.

JUdica me Domine : nam innocentiam colui, & meam in Domino spem *semper* collocavi ; *unde* caussâ non cadam, *atque adeò securus judicium postulo.*

Periculum mei fac Domine, méque examina ; & mentis meæ sensa ac consilia explora.

Nullus profectò metus ab hac inquisitione mihi impendet. Nam tua *illa, quâ me ad regnum elegisti,* misericordia ante oculos meos *jugiter* versata est ; & tua in promissis servandis constantia mihi *semper* probata fuit : *unde quum scirem me abs te misericorditer esse electum téque promissis stare, nulla mihi caussa subesse potuit regiam dignitatem sceleribus adipiscendi.*

ANNOTATIONES.

in finem. Cod. Reg. 138. *Psalmus David. Propheta de se testatur.* Colb. 158. *Psalmus David. Propheta pro se testatur.*

judica me, &c. Didymus : *nemo qui peccat judicari de iis quæ gessit desiderat præsertim ab eo qui occulta videt. Qui verò in innocentia & simplicitate ingressus est, hoc est profectò, Deum judicem sortiri optat : novit enim se mercedem vel hæreditatem postea percepturum.*

Psalmus CXLII. 2. nostro non adversatur: in illo enim personæ; in hoc caussæ justitia tangitur. Priore modo nullus in conspectu Dei justificabitur vivens; secundo non item.

ingressus sum. S. Augustinus, *ambulavi.*

& in Domino sperans. Hæc versus pars isti *in innocentia mea ingressus sum* respondet ut ex Hebræo qui habet *& in Domino speravi.* planum est textu: cui noster non repugnat, subaudiendo *fui* post *sperans.* Alia autem pars *non infirmabor* primæ *judica me Domine* responder: atque hinc intelligimus Synonimicas phrases ita esse dispositas ut duæ medium occupent versum, aliæ autem duæ in principio & fine collocentur. Idem cernere licet in Psal. XXVI. 10. XXXII. 20. 21.

non infirmabor. id est non corruam; non cadam sup. caussâ, hoc est vincam. Confer Psalmos XVII. 41. XXXVI. 33. S. Augustinus in primâ enarratione legit *non infirmabor,* in secundâ verò *non movebor.* Utriusque lectionis meminit Didymus.

ure. metaphora; quæ sumitur à repurgatoribus auri & argenti qui illa metalla urunt & excoquunt ut probent. S. Athanasius: *succende & examina intimas animi mei cogitationes.* Theodoritus: δοκιμασθείην &c. *ut prober; &. more auri, igne examiner precor.* Idem Doctor paulò antè dixerat: *renes & cor cogitationes nominat.* Vide quæ de renibus notavi ad Psal. VII. 10.

quoniam misericordia tua, &c. ita nectit Theodoritus: *ut prober & examiner obsecro, quoniam tua misericordia confido; & hinc opem expecto: hac enim suffultus sum.* Euthymius: *ita dispositus sum, quia coram oculis meis misericordiam illam tuam proposui, quam omnibus iis præstas qui patienti animo adversa omnia sustinent.* Muisius hunc nexum & sensum profert. *Ideò non vereor te judicem appellare quia, de te misericordiam impertiente & promissa solvente exemplum capiens, misericordiâ usus sum & promissis steti.* Meliùs Jansenius & Hopperus nexuisse videntur: ille quum dixit: *sic autem me tuæ explorationi tuóque judicio subjicere non vereor: quoniam, ut ipse reperies de me, ob oculos meos semper versatur misericordia tua.* Hopperus autem sic: *proba, ure Domine* &c. *quoniam ubique invenies quòd,* &c. Nexum uterque vidit; sed neuter (ut quidem ego sentio) Psalterianam intellexit sententiam; quam nec assequutus videtur quisquam eorum, quos legi, interpretum. An ego felicior fuerim judicabit lector.

veritate. Hugoni Victorino in hunc locum scribenti *veritas* Dei est quâ corrigit; sed labitur vir magnus: labuntur quoque illi qui, cum Origene & Theodoro Heracleota, per *veritatem* intelligunt pietatem non fictam qd. haud simulatè neque fictè studui placere tibi: ii denique labuntur qui *veritatem* de mandatis divinis heic exponunt. Ea hoc in loco, ut & plerisque aliis, nihil est aliud quàm constans Dei fides in præstandis promissis ut notat heic Muissus, & superiùs observavi ad Psal. XXIV. 5.

Non sedi cum concilio vanitatis; & cum iniqua gerentibus non introibo:	4	*Et revera* societatem non inii cum hominibus improbis; nec ullam habui cum iniquis consuetudinem:
Odivi Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo.	5	Odio habui cœtum malignorum, & cum impiis non sum versatus.
Lavabo inter innocentes manus meas; & circumdabo altare tuum Domine.	6	Manus meas cum viris innocentibus lavi; *sicque ablutus* altare tuum circumdedi Domine.

cum concilio vanitatis. id est cum cœtu improborum. Sumit *abstractum* pro *concreto* ut Psal. I. 1. & *vanitatem* pro *iniquitate* ut Psal. XI. 2. utramque rem secunda versus pars confirmat.

intrabo fut. pro præt. ut ex priore liquet hemistichio : idem dic de sequenti futuro *se-dibo*.

Ecclesiam malignantium. S. Augustinus, *congregationem malignorum*.

lavabo, fut. pro præt. ut præcedentibus liquet præteritis & versu 8. infrà ubi est præteritum *dilexi*. Judæi, cùm sacerdotali dignitate ornati tum eâ carentes, ad altare accessuri manus & pedes lavare tenebantur, ut apparet collatis locis Exod XXX. 20. XL. 29. Ad hunc Vates respicit morem : cujus aliquod habemus vestigium in his *a* Aristeæ verbis: ὡς ἔθος &c. *Et, pro communi omnium Judæorum more, lotis ex mari manibus precibúsque ad Deum peractis, pergebant legere & singula interpretari. Interrogati de hoc quare, post lotas manus, vota faciant? Respondebant hoc fieri in argumentum & testimonium nullius sceleris perpetrati, quia per manus solent conatus omnes expediri.* Istum Judæorum morem imitati sunt Ethnici ut apparet testimoniis *b* Hesiodi, *c* Plauti, *d* Virgilii, *e* Horatii, *f* Ovidii, *g* Dionysii Halicarnassensis, *h* Plutarchi, *i* Julii Pollucis, *k* Arnobii, aliorúmque : ex quorum nonnullis discimus fuisse inter Ethnicos qui internas animi maculas externâ lotione tolli crederent, quod *l* Cicero, *m* Ovidius, *n* Tertullianus, *o* & Lactantius meritò refellunt.

a lib. de LXX. Interpret.
b in Erg. lib. 2.
c Aulul. scen. 16. & 18.
d Æneid 8.
e lib 2. Satyr. 3.
f Fast. lib. 4.
g lib. 7.
h apud quem Marius; Νιφάμενος &c.
i lib. 1. cap. 1.
k a v. Gen. lib. 7.
l lib. 2 de Legib.
m Fast. lib. 2.
n lib. de Orat. c. 11.
o Instit. lib. V. c. 20.

inter innocentes. Rabbini : *in innocentia*. Idem ubique sensus.

circumdabo. Hoc dictum pro more de quo egimus ad Psal. VI. 7.

Ut audiam vocem laudis; & enarrem universa mirabilia tua.	7	Ut hymnos audirem; & tua omnia miracula enarrarem.
Domine dilexi decorem domus tuæ; & locum habitationis gloriæ tuæ.	8	*Demum* Domine decorem ædis tuæ; & locum, ubi tua (*in quâ gloriosus & admirandus appares*) arca habitat, dilexi.
Ne perdas cum impiis Deus animam meam; & cum viris sanguinum vitam meam:	9	*Hæc quum ita sint*, ne me, ô Deus, exitio dedas cum impiis, *meis inimicis*; nec me perdas unà sanguinariis *illis* viris:

ut audiam. Rabbini : *ut audire faciam*; minùs benè : nam, Davidis tempore, cantores hymnos decantabant; cæteri clausulas tantùm aliquas *amen* & id genus alias usurpabant ut patet I. Paral. XVI. 4. 36. Unde B. Hieronymus ex Hebræo vertit *ut audiam*.

vocem laudis. S. Augustinus, *vocem laudis tuæ*.

enarrem. alteram tangit consuetudinem Vates in quâ positum erat ut Judæi legem in Templo & Synagogis legerent; atque adeò divina, quæ inibi continentur, miracula enarrarent. Hujus consuetudinis vestigia supersunt in lib II Esdr. cap. IX. 3. Act. XV. 21. & in septimo Mischnici, qui *Sota* inscribitur, tituli capite : ubi memorandum illud describitur factum Agrippæ Regis, qui quum librum Legis sumsisset legendum, & in illam (quæ in Deut. X. 11. 15. exstat) legem incidisset, flere cœpit. Nicephorus in Catenâ Barbari: ut AUDIAM VOCEM LAUDIS : *adeò ut vocem canentium audiam & latantium de præstitâ à te nobis pace; legendo nimirum legem tuam & cæteros Mosis libros qui, jubente sic lege, frequenti populo legebantur, enarrem miranda illa quæ fecisti olim & nuper in me ostendisti.*

decorem. Theodoritus : ἀντὶ τῆς εὐπρεπείας &c. *pro decore. Symmachus palatium posuit.* Admirandum Mosaici tabernaculi ordinem non respicit Vates ut Nicephoro creditum est; sed de sacrâ temporis sui loquitur æde : cujus altare (*p* Hieronymianis in aliam rem prolatis utor verbis) quum niteret, parietes absque fuligine, pavimenta tersa, sacrarium mundum, & vasa luculenta essent, illáque ædes in omnes cerimonias pia sollicitudine disposita esset, decora admodum erat.

p Epist. 3.

gloria

gloria tua. In eâ, cujus Psaltes mentionem facit, æde erat arca; indéque fluxit hæc loquutio. Confer I. Reg. IV. 21. 22.

cum impiis. suos innuere videtur afflictores: quos quum judicio, quod in principio Psalmi postulavit, perdendos præviderer, rogat ut in eorum numerum non aggregetur quemadmodum habet Hebræus textus; hoc est ut cum iis non perdatur, ut clariùs Senes nostri explicant. Confer Psal. XXVII. 3. & annot. ibidem.

Deus. ab Hebræo & Græco ut & à SS. Hieronymo & Augustino abest, ut notat Bellarminus: qui, Latinâ deceptus versione, dixit prædictam vocem à Theodorito legi. Illa quidem vox in textu Latino legitur; sed à in Græco non comparet ita habente *μὴ συναπολέσῃς μετὰ ἀσεβῶν τὴν ψυχήν μου. ne perdas cum impiis animam meam.*

cum viris sanguinum. afflictores suos rectè sic vocat: nam vitam ei eripere cupiebant. Unde Symmachus, à Theodorito citatus, *pro viris sanguinum*, non malè *viros homicidas* posuit.

In quorum manibus iniquitates sunt; dextera eorum repleta est muneribus.

10 Quorum manus sceleribus addictæ sunt; & dextera eorum plena est muneribus *quæ, ad opprimendos insontes, accipiunt.*

Ego autem in innocentiâ meâ ingressus sum: redime me; & miserere mei

11 Ego equidem *eos non sum imitatus*; *sed* innocentem duxi vitam: *proindéque* libera me *ab ærumnis quibus premor*; & miserere mei

Pes meus stetit in directo. In Ecclesiis benedicam te Domine.

12 *Nam, ut dixi*, pes meus rectum cursum tenuit *à justitiæ tramite non deflectens. De cætero* laudem tibi, in concione, dicam, Domine, *quum me ab eâ, cui implicor, calamitate eduxeris.*

manibus. per *manus* facta intelligit: nam, ut Aristeas in loco superiùs laudato docuit, per *manus* solent conatus omnes expediri.

muneribus. Hinc conjicio Saulem munera aliqua & dona Davidi afflictoribus largitum esse, ut eos in ejus odium ac perniciem vehementiùs inflammaret. Unde quod nonnulli universè heic dicunt intelligi à Vate judices *δωροφάγους* parùm mihi probatur: nisi illi intelligantur judices qui muneribus, ut capitalem in Davidem sententiam ferrent, à Saule corrupti fuissent; quique etiam, aliis in occasionibus, munera in innocentium damnum accepissent, & multa alia patrassent scelera. Quod tamen, utpote nimis vagum, non recipio: existimans satiùs esse ut David uni, quod se spectaret, negotio intentus, suos perstringat vexatores qui, muneribus corrupti, sibi suísque sociis à perduellionis crimine puris exitium iniquè molirentur.

in directo S. Augustinus, *in rectitudine*: eodem sensu.

in Ecclesiis. id est in concione, palàm, in frequenti hominum consessu. Hæc porrò versus nostri pars eundem, ac prior, sensum, juxta legem Synonimicam, petere & per præteritum reddenda videbatur: præsertim ob versum 6. suprà ubi innocentes, quibuscum manus laverat & Deum in templo coluerat ac laudarat, memorentur; sed quum Psalmos II. 13. XXIX. 15. aliósque nonnullos Psalmos peculiari & ab aliis distinctâ sententiâ interdum claudi observassem, adhibita in Paraphrasi explicatio mihi non displicuit.

ARGUMENTUM.

PSALMI VIGESIMI SEXTI.

SANCTUS Athanasius (aut alius) in Catenâ Danielis Barbari citatus existimat celebrari, hoc carmine, victoriam ab Assyriis reportatam. Theodoritus Psalmum de Davide Saulem fugiente exponit: *quando scilicet ad Abimelech sacerdotem accessit; & , cùm orasset in tabernaculo & sanctorum panum benedictionem accepisset, hostiles manus declinavit.* Nicephorus, his insistens vestigiis, ait: *hunc Psalmum conscripsit ante secundam unctionem quum Saul adhuc eum persequeretur, quum & panes sanctos abstulit* Aben Ezra, versum septimum enarrans, ait videri sibi hunc Psalmum à Davide compositum fuisse quum senex esset,
a II. Reg. XXI. 17. & jurassent illi viri ejus, dicentes: a *non egredieris ultrà nobiscum in bellum* In eâ ego sum sententiâ Psalmum istum ad tempus, de quo I. Reg. XXVI. 3. &c. pertinere: atque ut res plana fiat, observandum est in laudato Regum capite Davidem describi in castra Saulis *noctu* descendentem; quúmque tunc temporis terra tenebris esset circumfusa, id caussæ fuisse credo cur David *lumen* sibi, in his tenebris, à Deo prælatum iri dixerit, *Dominus illuminatio mea.* Pergit pius ille Princeps, & ait nullum sibi timorem injectum iri si castra hostilia è regione ipsius consistant, *si consistant adversum me castra non timebit cor meum* Ex his verbis intelligimus Davidem, quum sic loqueretur, non procul à castris hostilibus fuisse: atqui castra hujusmodi in laudato Regum capite memorantur, *& castra metatus est Saul in Gabaa Hachila quæ*

trat ex adverso solitudinis in via. David autem habitabat in deserto; igitur Psalteriana verba cum istis componenda videntur. Denique Psalmographus ℣. 7. 8. declarat se cupiditate ardere incredibili templum ut visitet, & in domo Domini, omnibus vitæ suæ diebus, degat. Id autem notato à me tempori congruit: siquidem in prædicto Regum capite David apud Saulem expostulat de suâ ab hæreditate Domini expulsione; quod argumento est magnam fuisse, in sancto hoc viro, cultus divini cupiditatem quando ipsum Saul in deserto Ziph obvallabat, atque adeò Psalmum nostrum ad ista tempora respicere. Dices: Titulus & versus 16. huic opinioni repugnant: nam titulus Psalmum ante Davidis unctionem scriptum esse innuit; David, autem quo tempore in deserto Ziph à Saule obvallabatur, unctus à Samuele fuerat, ergo. Præterea versus 16. Davidem repræsentat à patre & matre derelictum: at ex I. Reg. XXII. 1. colligitur Davidi in deserto Ziph latitanti patrem & matrem adfuisse; ergo Psalmus ad ea, quæ dixi, tempora referendus non videtur. Respondeo 1°. cum auctore Commentarii B. Hieronymo adscripti, ter unctum fuisse Davidem *semel sub patre suo Jesse in Bethlehem, secundò in Hebron, tertiò quando regnavit super omnem Israel in Hierusalem; & de istis tribus unctionibus mediam ad istum pertinere Psalmum.* Respondeo 2°. ex objecto Regum capite confici quidem Davidi, in speluncam Odollam fugienti, patrem & matrem adfuisse: sed tantùm abest ut inde colligi debeat parentes illos Davidem postmodùm sequutos esse eíque in Ziphianâ solitudine degenti adjunctos fuisse comites, ut contrarium omninò suadeatur cùm ex omissâ parentum illorum, in reliquis Davidis migrationibus, mentione; tum ex his objecti Re-

gum capitis verbis *: & profectus est David inde in Masphu quæ est Moab ; & dixit ad regem Moab : maneat oro pater meus & mater mea vobiscum donec sciam quid faciat mihi Deus ; & reliquit eos ante faciem regis Moab , manseruntque apud eum cunctis diebus quibus David fuit in præsidio* במצודה quæ ultima vox, cum locis I. Reg. XXIII. 14. 19. XXIV. 1. 23. collata, indicat Davidem, quamdiu in firmissimis ac tutissimis solitudinum locis nominatim in ipso deserto Ziph versatus est, à patre & matre sejunctum adeóque ab eis derelictum fuisse : unde præfatus versus 16. nostræ sententiæ favet, tantùm abest ut ei officiat. His ita enodatis, totus Psalmus sic componendus videtur. David, in castra Saulis descensurus, ait se Deo nixum nihil timere : quippe qui opem sibi, adversùs hostes, à Deo porrectam fuisse jam esset expertus. Deinde unum à se expeti declarat : nimirùm ut in templo Domini reliquum vitæ tempus agat : quod quum à se impetratum iri, ex præteritis beneficiis collegit, votum de celebri gratiarum actione nuncupat ; atque ut videndi templi copia promtiùs sibi fiat, Deum enixè precatur ut sibi adversùs hostes auxilium ferat, séque ab eorum manibus liberet ; & iis, in quibus versatur periculis, explicet. Mysticum quòd spectat sensum, eum cum Hesychio ad Catechumenos non refero ; sed Christo accommodo cum auctore commentarii S. Hieronymo adscripti, in quo hæc leguntur. *David figuram Christi tenet quia & ipse unctus est in baptismo, quando in specie columbæ Spiritus sanctus super eum venit. David, à primâ unctione, non accepit regnum : sic nec Christus, secundùm carnem, tempore passionis accepit regnum, nisi postquam ascendit.*

TITULUS.

Psalmus David priusquam liniretur.

PSALMUS XXVI.		PARAPHRASIS.
Dominus illuminatio mea, & salus mea: quem timebo?	1	Dominus lux mea est, & sospitator meus: quem metuam?
Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo?	2	Dominus vitæ meæ defensor est: à quo extimescam?
Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas:	3	*Nullus profectò est timendi locus:* dum *enim* improbi ad me *anteà* accederent, ut meam devorarent carnem:
Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt.	4	*Hi*, qui me vexabant, inimici impegerunt, & corruerunt *non consecuti quod optabant.*
Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum:	5	*Itaque* si *Saulis* exercitus, *adventu meo exsuscitatus*, contra me *nunc* instruatur, non trepidabit animus meus:
Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.	6	Si pugna mecum committatur, Deum *vel* in hac *ipsa pugnâ* mihi affuturum confidam.

ANNOTATIONES.

Psalmus David, &c. Didymus & Theodoritus in Catenâ Danielis Barbari testantur se hanc inscriptionem in quibusdam exemplaribus, sed non in Hexaplo invenisse. Abest illa ab Hebræo textu, & in Codicibus Regiis Colbertinis ac Memmianis paulò aliter, atque in nostrâ versione, concipitur. Codices Reg. 138. & Colb. 158 ***Psalmus David priusquam liniretur ad eos qui primùm ingrediuntur***: quibus verbis clarissimam lucem afferunt ista Hesychii in Catenâ Barbari ***ita ut Psalmus ad eos dicatur qui ante baptismum abjecti hoc est Catechumeni erant.*** Codex Memmianus 2. dictionem ***Psalmus*** non præfert: sic enim habet, ***David priusquam liniretur.***

salus mea. S. [a] Augustinus bis legit: ***salus mea.*** semel: ***salutaris meus.***

[a] bis, in textu prioris & secundæ enarrationis semel, in corpore secundæ enarrationis paulò post initium.

quem timebo. Hoc ideò dictum puto quia plerique Davidis socii eum ab abeundis Saulis castris avertere conabantur: imminens periculum commemorantes; ac dicentes illud periculum minimè sebeundum esse.

dum appropiant. respicere videtur ad Goliathem ac Philistinos in se irruentes ut ipsum perderent. Symmachus, referente Eusebio, dixit: ***dum appropiant super me malefici ut comedant carnes meas.***

castra. Euthymius: *per castra, Hebræi exercitum intelligunt.*

in hoc. Theodoritus ad *spem* refert, ut sensus sit: hac divini auxilii spe armatus non timebo. Euthymius: *in hoc scilicet corde meo, quod amplius non timet ob fiduciam quam in divino posui auxilio.* Jansenius: *in hoc quod dixi initio, Deum scilicet esse illuminatorem meum & salvatorem meum, ego sperabo.* Psalterianum pronomen cum prælio conjungo: nec me Euthymiana, quæ in fœminino (quo prædictum pronomen in Græcâ lectione gaudet) genere innititur, objectio movet scientem in Hebræo textu nomen prælium מלחמה esse fœminini genere: atque existimantem LXX. Senes Hebraismo heic se accommodasse, ut Psal. IV. 1. S. Augustinus legit *in hoc ego sperabo*; non in *hac*, ut quidam aiunt.

Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: 7

Unum *porrò* à Domino peto, illúdque *tantùm* efflagito ut, *sopitâ hac persequutione*, liceat mihi in æde Dominicâ, toto vitæ meæ tempore, habitare:

Ut videam voluptatem Domini, & visitem templum ejus. 8

Ut, *inquam*, mihi, quanta sit apud Dominum suavitas, experiri, & templum ejus visitare liceat.

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo; in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui, 9

Quoniam *verò* me *anteà suo præsidio tanquam* tabernaculo texit; *méque*, hoc tectum præsidio, in periculosis temporibus defendit,

In petra exaltavit me: & nunc exaltavit caput meum super inimicos meos. 10

Ac me in tuto collocavit loco: nunc quoque me hostibus meis superiorem faciet.

unam. Hebræi pro neutro, quod ignorant, genere fœmininum usurpant ut notavit B. Hieronymus ad Eccl. VII. in fine. Huic se consuetudini Vulgatus interpres heic accommodat.

ut inhabitem, &c. mira Davidis pietas: ut vel hinc noscamus Davidem meritò dici virum juxta cor Dei.

voluptatem. Auctor Commentarii B. Hieronymo adscripti legit *voluntatem*: sed lectio hæc cùm ex Græcâ voce τερπνότητα *delectationem* (quam Didymus, S. Augustinus, Theodoritus, & Euthymius cum Sixtinâ editione, Psalterio Complutensi, & omnibus, quos tero, Codicibus Græcis agnoscunt) tum ex Psalm XXXV. 9. refellitur.

& visitem templum ejus. S. Augustinus, *& protegar à templo ejus.*

in tabernaculo suo. Genebrardus: *alludit ad Mosem qui ad tabernaculum confugiens tutus fuit à seditiosorum impetu.* Docta observatio, cui Euthymius viam aliquatenùs munierat, dicens: *maximis, inquit, beneficiis ab eo affectus sum: in die enim periculorum meorum abscondit me protectione suâ, quam ideò tabernaculum appellavit quia fugientem ad Deum in periculis beatum David divina protectio, tabernaculi cujusdam instar, hospitio quodammodo suscepit ac susceptum servavit.*

in die malorum. S. Augustinus: *in die malorum meorum.*

in petra exaltavit me. Eximiè Euthymius: *sine timore me, inquit, ac securum constituit. Tractum est autem hoc ex eorum metaphorâ qui, periculorum sibi ab inimicis imminentium timore, in petram aliquam abscissam undique & præruptam confugiunt.*

& nunc exaltavit. Theodoritus: Επλαῦθη ὁ χεῖρος &c. *Hic tempus mutatum est, quod & Aquila docuit: nam, pro exaltavit caput meum, exaltabitur caput meum posuit. Signifi-*

tavit igitur se regnaturum esse atque inimicis superiorem fore, &c. S. Augustinus legit *& nunc ecce exaltavit*; sed rectè notat S. a Hieronymus illud *ecce* esse superfluum: unde non mirum si à Vulgatâ nostrâ absit.

a Epist. 135.

Circuivi; & immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis: cantabo, & Psalmum dicam Domino.

11 *Quod ubi præstiterit*, circumdabo altare *Domini*; atque in ejus templo hostias, adhibito tubarum clangore, immolabo: cantabo, & hymnum Domino dicam.

Exaudi Domine vocem meam, quâ clamavi ad te: miserere mei, & exaudi me.

12 *Interim*, Domine, quam ad te, *de incolenda æde tua*, fudi orationem exaudi: miserere mei, & audi me.

Tibi dixit cor meum: requisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.

13 Cor meum tibi *sic* est loquutuum: facies mea tibi anhelat; tuúm*que* vultum, Domine, *in templo* videre opto.

Ne avertas faciem tuam à me; ne declines, in irâ, à servo tuo.

14 Ne, *quæso*, tuam *illam* faciem à me avertas; neque, iratus, à servo tuo declines.

Adjutor meus esto; ne derelinquas me; neque despicias me Deus salutaris meus.

15 *Ut autem tuo conspectu in æde tandem fruar* opem mihi *nunc* feri; nec me *his in ærumnis* derelinquas, neque me, ô Deus sospitator mi, despicias *tuum mihi auxilium denegando.*

Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumsit me:

16 *Et*, quando pater meus & mater mea dereliquerunt me *omnique parentum præsidio ac solatio careo*; tueatur me, quæso, Dominus:

circuivi. Confer Psal. XXV. 6. & vide annot. ad Psal. VII. 7. Rabbini dictionem סביבותי præcedentibus annectunt addendo *sunt* & *in*; vertúntque hoc modo: *super inimicos meos qui in circuitu meo sunt*; sed versionem hanc laudati Psalmi refellunt, & Vulgatam firmant interpretationem: cujus auctor in Hebræo textu legebat סבותי *circuivi* pro סביבותי *circuitus mei*. Quæ posterior lectio in depravationis suspicionem vel ex ipso, quod poscit, additamento venire potest, ut & ex præfixâ sequenti verbo copulâ ו.

hostiam vociferationis. S. Augustinus: *hostiam jubilationis*, Theodoritus: *hostiam laudis & vociferationis*, quod à Nicephoro explicatur sic: *per hostiam, sacrificium intelligit in gratiarum actionem oblatum, & carmen propter victoriam. Est autem vociferatio, bellica vox in fusos & fugatos hostes.* Paulò melius Flaminius ad hæc verba HOSTIAM VOCIFERATIONIS. *Sic appellat genus illud sacrificii quod fiebat pro adeptâ victoriâ: in eo enim tubarum clangor adhibebatur ut scriptum est in Numeris.* Respicit ad Num. X. 10 & quamvis ibi de sacrificio, pro adeptâ victoriâ, sermo speciatim non fiat, ad illud tamen sacrificium

huuc locum proferri posse arbitror. Similem porrò clangorem imitati sunt Ethnici ut patet ex *a* Virgilio, *b* Ovidio, *c* Valerio Maximo, *d* Livio, & *e* Plutarcho.

tibi dixit cor meum, &c. Eusebius: *pro eo, dixit cor meum exquisivit te facies mea. Symmachus apertè magis protulit: tibi loquutum est cor meum, quæsivit te facies mea.* Idem testatur Theodorus Heracleotes in Catenâ Corderii. Theodorito, Hesychio, atque Euthymio illud *dixit cor meum* idem est ac *non labiis tenùs, sed in veritate, & ex intimo corde cor meum dixit tibi: Dominum quæram*, &c. Ego laudata verba ad ea, quæ paulò ante leguntur *unam petii à Domino*, refero: sic ut eandem, quam tetigerat, rem, verbis paululùm diversis, resumat Vates.

requisivit te facies mea, &c. Magna heic est lectionum confusio, quam distinguere conabimur. Hebræus textus habet בקשו פני פניך יהוה אבקש id est, *quæsivit vultus meus, faciem tuam Domine requiram.* S. Hieronymus in Ep. ad Sun. & Fret. legendum putat, *exquisivit vultus meus*; & in suâ ex Hebræo versione eam, quæ à me posita est, interpretationem exhibet. S. Augustinus, cum Cassiodoro, Sixtinâ editione, & Psalteriis Arabico atque Æthiopico, legit *quæsivi vultum tuum, vultum tuum Domine requiram.* Theodoritus & Euthymius, cum omnibus, qui mecum communicati sunt, Codicibus Græcis, legunt κύριον &c. *Dominum quæram, exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.* Codex Reg. 138. *exquisivit f*[illegible] *mea*. Reg. 222. *exquisivi te facies mea*. Memm. 2. *exquisivit facies mea*, Vulgata lectio retinenda est: nam 1°. Hebreæ congruit scripturæ dummodò, pro בקשו *quæsierunt* seu *quæsivit*, legatur בקשיך *quæsivit te*: quomodo veteres Codices habuisse suadetur cùm ex versione nostrâ, & Symmachianâ (quam Eusebius in Catenâ Barbari & Theodorus Heracleotes in Catenâ Corderii sic repræsentant *quæsivit te facies mea*) ei consentiente interpretatione, ac Colbertino Codice 1339. eidem versioni congruente; tum ex Psalmo XXIII. 6. ubi verbum דרש, simili in re similique in significatione, pronom n habet adjunctum. 2°. versioni nostræ consonat Theodoritus modò observetur, quod verisimillimum puto, nimirùm verba hæc *Dominum quæram*, ad istorum *requisivit te facies mea*, &c. elucidationem à Theodorito Psalmum XXIII. 6. expendente ad oram codicis sui posita, in ejus textum; hincque in alios codices irrepsisse. Conjecturam meam firmat ipsemet Theodoriti commentarius: in quo nihil reperitur quod prædictis verbis *Dominum quæram* respondeat. Cæterùm verba hæc *requisivit te facies mea*, &c. à quibusdam explanantur sic: *tibi favorem tuum & auxilium tuum postulavi, expectavi.* Sed ego, Psalmo XXIII. 6. & præcedentibus fretus, ad faciem Dei in templo videndam primum traho; & ad favorem concomitanter.

ne avertas faciem tuam. loquutio hæc ad præcedentem *requisivit te* &c. referenda videtur: favore (quem huic loquutioni inesse ad Psal. XII. 3. aliisque in locis) notavimus non excluso, quum divino beari conspectu favor sit & favorum maximus. Adstipulatur apud Corderium Anonymus qui, hæc explanans verba *ne avertas* &c. ait: *superiùs dixeras exquisivit te facies mea... qd. propter audacem meam postulationem ne irascaris propter quam & f Moisi dixisti nemo videbit faciem meam & vives; sed adjuva ut hoc consequar.*

in ira, &c. rectè hoc dictum: nam, qui irascuntur, terga dant accedentibus ad se, & in aliam viam declinare conantur: atque ex hac translatione Vates hoc in versu loquitur, ut optimè notavit Theodoritus.

ne derelinquas me. Græcè heic legebat Interpres quomodo in Sixtinâ habetur editione μὴ ἐγκαταλίπῃς *ne derelinquas*; sed Theodoritus, & omnes, quibus utor, Græci codices legunt μὴ ἀποσκορακίσῃς *ne ad corvos amanda* hoc est *ne ejicias me*: deducto à LXX. Senibus hoc verbo à gentili eruditione. Nam hoc ἀποσκορακίσῃς *ad corvos amanda*, apud Ethnicos contumelia quædam erat ex quadam fabulâ orta, ut observant Theodorus Heracleotes apud Corderium & Theodoritus in Commentario. Huic etymologiæ aliam adjungit Nicephorus, dicens: *Hoc ex duplici vocabuli ratione sumi potest vel ex proverbio ad corvos; vel ex translatione scoria.* Quod verò dicit Theodoritus: ὁ μὴ &c. *pro hoc, ne ad corvos me amandes, ne projicias* ἀποῤῥίψῃς *dixerunt alii interpres*: quod, inquam, heic dicit Theodoritus, vereor ut sit undecunque verum, audiens ex Theodoro Heracleota in Catenâ Corderianâ producto αὐτοῦ [illegible] &c. *pro quo* (ἀποσκορακίσῃς *ad corvos*) *Symmachus projicias* ἀποῤῥίψῃς *ponit; Aquila verò ne demittas* μὴ ἐάσῃς.

assumsit.

a Georg. 2. Inflavit quum pinguis ebur &c.
b Fast. 6. Cantabat fanis, &c.
c lib. II. cap. 5.
d lib. 9. pag. 513. edit. 1622 ubi ait neminem in Urbe fuisse qui sacrificiis præcineret, quum secessissent Tibicines & Tibur petiissent.
e in Romanis Quæstionibus, pag. 277. F.
f Exod. XXXIII. 20.

assumsit. præt. pro futuro ut patet ex Hebræo textu qui verbo futuri temporis utitur. Illud autem futurum imperativi locum tenet ut ex serie liquet. Rabbini & plerique interpretes in hanc ferè sententiam eunt : quandoquidem hactenus me collegisti seu tutatus es, legem nunc pone &c. Sed Cyrensi adhæsi Episcopo qui, versum sequentem enarrans, ait : ἐπειδὴ πόῤῥω &c. *Quoniam procul, inquit, à contribulibus* (seu ut paulò ante dixerat *longè à genitoribus degere cogor*) *tu ipse mihi esto & legislator & dux, &c.*

17 *Legem pone mihi Domine in viâ tuâ ; & dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.*

Tuámque mihi, Domine, benignitatem exhibe ; & quæ mihi fecisti promissa exsolve propter inimicos meos : *qui me tam vehementer insectantur, ut nisi à te fuero adjutus, pereundum sit mihi.*

18 *Ne tradideris me in animas tribulantium me : quoniam insurrexerunt in me testes iniqui ; & mentita est iniquitas sibi.*

Ne me hostium meorum libidini permittas, *nam immeritò vexor :* insurrexerunt quippe adversùm me testes iniqui ; & falsa, *iniqui illi testes*, in me accersiverunt crimina, *quorum causâ in has compulsus sum miserias.*

19 *Credo videre bona Domini in terrâ viventium.*

Sed, iis quantumvis premar, me *tandem* in Judæorum terrâ voluptates, *quibus eos Dominus in sancto suo templo afficit*, percepturum credo.

20 *Expecta Dominum : viriliter age, & confortetur cor tuum ; & sustine Dominum.*

Itaque divinam opem, *ô David* patienter exspecta : gere te viriliter, & roboretur cor tuum ; atque in Domino spera.

legem pone. personam mutat pro usitato Hebræis more. Theodoritus : αὐτὶ τῦ &c. *pro legem pone, Aquila quidem & Theodotio illumina dixerunt ; Symmachus autem ostende mihi viam tuam.* Doctæ profectò interpretationes, quibus divina misericordia, seu benignitas significatur : hæc enim misericordia *via & lux* in Psal. IV. 7. XXIV. 10. 14. XLII. 3. LXVI. 1. 2. LXXXIII. 12. appellatur. Unde discimus hallucinari eos qui textum nostrum sic interpretantur : *doce me tua mandata seu viam quâ itur ad te.* Confer Psal. XXIV. 10. 14. & nostras vide annotationes.

semita recta. rectam semitam ingredi censetur Deus & per eas homines dirigere ac ducere quum promissa præstat : tunc enim suam æquitatem ac rectitudinem egregiè patefacit ; atque hinc fit ut constantia ac fides promissorum *æquitas & justitia* in Psalmis XXX. 1. CX. 7. CXLII. 11. plurimisque aliis appelletur, & Deus promissis stans vocetur *rectus* Psal. XXIV. 10. ejúsque verbum effectibus consentiens dicatur *rectum* Psal. XXXII. 4. Unde colliges errare eos qui textum nostrum ita explanant : *duc me per rectam semitam quâ hostium insidias declinem.*

animas. Theodoritus & Euthymius *animam* pro personâ accipiunt : Muisius pro voluntate, libidine desiderio sumit. Hunc sequor, quanquam laudata ab eo loca Gen. XXIII. 8. Deut. XXI. 14. non minùs Theodorito quàm ipsi faveant.

testes iniqui. Eos intelligo qui, Sauli ut placerent, falsum testimonium dicebant, asserentes Davidem regi insidiari: quo ex testimonio in vulgus effuso ansam sumserit Saul ad Davidem vehementiùs insectandum, eúmque in summas angustias adducendum.

mentita est iniquitas sibi. explicat Theodoritus de calúmniis contra Davidem emissis & in hostes ipsius recidentibus. Sed hæc loco huic congruere non videtur explanatio, ut & utraque quam proponit Euthymius: qui tamen non longè à scopo abiit in priore interpretatione, ***ipsa inimicorum attestatio inventa est vera non esse.*** Iniquitatem ego accipio ut sit abstractum pro concreto quemadmodum in Psal. I. 1. XLVIII. 5. atque in laudatâ Euthymii interpretatione; & pronomen ***sibi*** redundare arbitror ut Gen. XII. 1. לך לך ***vade tibi.*** hoc est vade. ***Aquila***, inquit Theodoritus, ***dixit*** αἰτέςυεαι' &c. ***steterunt contra me testes falsi, & apparuit injustitia.*** Idem testatur Theodorus Heracleota quoad ultimam partem.

credo vivere. Rabbini: ***nisi credidissem videre*** sup. animo despondissem. LXX. Senes hodiernam vocem לולא ***nisi*** legisse non videntur; idémque de Aquilâ, Symmacho, & B. Hieronymo affirmare non cunctor: nam auctor est Eusebius ***ex Aquila sententiâ dictum esse credo videre in bono Domini. & secundum Symmachum credidi videre bonitatem Domini.*** Sanctus autem Hieronymus ex Hebræo vertit: ***ego autem credo quòd videam.*** Prædicta igitur vox לולא pellenda videtur: ídque imperfectus & mancus (nisi additamentum accedat) orationis contextus non parùm suadet.

bona. ad voluptatem versus octavi refero, prælucente Psalmo XXXV. 9.

terra viventium. sicut ***terra*** pro terrâ sanctâ seu Israeliticâ & pro aliis terris accipitur ut suo loco probabimus, ita ***terra viventium*** pro terrâ Israeliticâ & pro cæteris, ubi Judæi & reliqui homines vivunt, orbis terris sumitur ut apparet Psalm. LI. 5. CXIV. 9. CXLI. 7. Is. XXXVIII. 11. LIII. 8. Jer. XI. 19. Ezech. XXXII. 23. 24. 32. Hoc autem in Psalmo ***terra viventium*** pro Israelitâ terrâ sumenda videtur: quanquam Euthymius pro toto mundo accipiat, dum, hæc verba ***in terra viventium*** explanans, ait, ***in hoc mundo qui est vivorum terra: terra enim mortuorum infernus.***

ARGUMENTUM.

PSALMI VIGESIMI SEPTIMI.

QUI, in præcedenti Psalmo, istum, ad cujus explicationem aggredimur, Psalmum, carmen pro deletis Assyriis vocavit S. [a] Athanasius, aliam nunc sententiam affert, dicendo: *ex personâ credentium in Christum canit hunc Psalmum, Dei curam & providentiam sui implorat: continet etiam Judæorum contumaciæ detestationem, séque à pessimâ illorum societate liberari postulat.* Hæc opinionum diversitas impellit me ut priorem sententiam S. Athanasio perperàm adscribi credam: ídque meum in animum eò induco faciliùs quòd B. Athanasius, in Catenâ Corderianâ ad Psal. XXVI. productus, ne ullum

[a] in Catenâ Barbari.

quidem verbum de Assyriis facit. Theodorus Heracleotes, in suo, quem Corderius, ante Catenam, exhibere solet, Commentario ait *nonnullos esse qui dicunt Psalmum nostrum quadrare in Ezechiam, nec non morbi ac sanitatis ejus mentionem facere. Quum enim post victoriam, quòd hanc virtute suâ factam arbitraretur, fuisset infirmatus, jam emendatus fatetur veritatem, dicens : ad te Domine clamabo ; neque in posterum victoriam virtuti meæ adscribam, sed tibi illius auctori.* Theodoritus, Nicephorus, atque Euthymius existimant hunc Psalmum à Davide scriptum fuisse quum Saulem fugeret : & quidem, ut addit Theodoritus, *insidiis peteretur ab iis qui amici putabantur, qui etiam indicabant, & manifestum facere ipsum Sauli conabantur.* Kimchius undecimum hujus Psalmi versum cum II. Reg. XXI. 16. 17. confert. Vatablus arbitratur contineri hoc Psalmo precationem quâ usus fuerit David adversùs Sebam, & gratiarum actionem quam habuerit superato Seba II. Reg. XX. Jansenius : *Et hunc quoque Psalmum in gravi aliquo periculo constitutus Propheta cecinit. In quo primùm Dei auxilium implorat, deinde precatur ne se innocentem nocentibus in ultione conjungat, quibus meritum judicium imprecando prædicit. Pòst hæc Deo gratias agit sive pro salute quâ prius à Deo affectus fuit ; sive quòd de hujus suæ orationis exauditione certus à Deo factus inter orandum fuerit : postremò communem, pro salute populi, fundens orationem, sic demùm Psalmum concludit. Potest tamen quæ heic continetur gratiarum actio accipi ea quâ Propheta gratias egit post adeptam salutem de inimicis, pro quâ in principio Psalmi precatur : ut accipiatur hic Psalmus compositus post adeptam salutem, continens simul & orationem quâ salutem precatus est, & gratiarum actionem quam posteà, pro obtentâ salute, egit in exemplum nostrum. Atque hic modus in plerisque Psalmis ob-*

ſervari facile poteſt. Muiſius : *Apparet hunc Pſalmum à Davide... conſcriptum quum , cunctis bello domitis & exteris ac domeſticis motibus compreſſis, florentiſſimum regnum in pace haberet ac ſummo otio frueretur : quo quia impii ad ſuam & aliorum perniciem abuti ſolent, idcircò verſu 3. quo hujus carminis propoſitio præſertim continetur, Deum rogat ne ſe impiorum conſuetudine corrumpi, unáque cum illis perire patiatur.* Pſeudo Athanaſii & Muiſii opinionem una Pſalmi lectio abundè refellit. Theodorito ejúſque ſequacibus non favet verſus 11. ut rectè obſervat, poſt Bellarminum, Corderius: qui, cum laudato Bellarmino, titulum & verſus 8. 9. 10. ad labefactandam Theodoriti ſententiam minus benè contuliſſe videtur. Vatablo & Janſenio aſſentiri non poſſum, vero non putans ſimile ut Pſalmo eandem perſonam (diverſo licet modo) conſideranti oratio & gratiarum actio mandata fuerit. Quid ego de hiſtoriâ in Pſalmo ſpectatâ ſentiam paucis aperio. In ſecundo Regum libro cap. XV. 32. hæc leguntur verba. *Cúmque aſcendiſſet David ſummitatem montis in quo adoraturus erat Dominum*, &c. Ex hoc textu colligitur Davidem relictis, ob Abſalomiticam conjurationem, Hieroſolymis, ſupplices ad Deum manus tetendiſſe ubi ad verticem montis Olivarum pervenit. Quæ ejus fuerit oratio non indicat laudatus à me textus ; ſed illam ab eâ, quæ hoc in Pſalmo habetur, aliam non fuiſſe credo: his, quæ ſequuntur , adductus rationibus. In ſecundo Pſalmi noſtri verſu David ſe manus ſuas verſus Templum ſuſtuliſſe oſtendit : eandem verò rem à Davide ab Urbe exacto præſtitam fuiſſe jam notavi poſt Interpretes : qui in ſummitatem montis Olivarum Davidem Deo ſupplicaturum ideò acceſſiſſe dicunt , ut Templum ſeu locum, in quo erat Arca, reſpiceret ex receptâ, apud

Judæos, consuetudine Deum orandi oculis ad Templum conversis, cujus moris vestigia exstant in III. Reg. VIII. 48. II. Paralip. VI. 34. Daniel. VI. 10. ut & apud [a] Eusebium, [b] Epiphanium, [c] Hieronymum, & [d] Theodoritum. Ad hæc David versu 4° ait hostes suos sic esse comparatos pacem ut loquantur & tamen mala in cordibus suis cogitent : quibus verbis eximiè, ut quidem mihi videtur, Absalomitica conjuratio depingitur non solùm quia conjuratores amicitiam, dum perniciem moliuntur, simulare solent, sed quia Absalomiticæ conjurationi simulatio hæc liquidò tribuitur in Psal. XXXIV. 23. Denique David in Psalmis III. 8. XXIV. 14. ad bellum Absalomiticum pertinentibus, orat pro populo : atqui similem in ultimo Psalmi nostri versu orationem adhibet ; igitur Psalmus ille ad bellum Absalomiticum pertinere videtur.

a Hist. Eccl. III. 6.
b Hæref. IX. cap. 3.
c ad Ezech. VIII. 16. & Dan. VI. 10.
d ad Daniel. VI. 10.

TITULUS.

Psalmus ipsi David.

PSALMUS XXVII.

AD te Domine clamabo: 1 *Deus meus ne sileas à me ne, quando taceas à me, & assimilabor descendentibus in lacum.*

PARAPHRASIS.

AD te, Domine, clamo: Deus mi ne obsurdescas ad preces meas ne, si eas non audieris, similis sim illis qui in sepulchrum descendunt.

ANNOTATIONES.

Psalmus ipsi David. Codices Reg. 138. & Colb. 158. habent : ***huic David Psalmus de Judæis Christus dicit.*** Codex Memm. 2. ***huic David.*** Sanctus Augustinus : ***Psalmus David.***

clamabo. fut. pro præt. ut secundo apparet versu, in quo legitur ***dum oro, dum extollo.*** S. Augustinus, ***clamavi*** : quæ lectio in Sixtinâ editione, atque in Psalteriis Æthiopico & Arabico reperitur.

ne fileas à me. Hebraiſmus pro ne ſileas orationi meæ non reſpondens. Hoc autem ***ne ſileas à me*** ex tranſlatione ſumſit eorum qui ab aliquibus invocantur & ad interrogata reſpondere nolunt, ut docent Theodoritus & Euthymius. Pro ***ne ſileas à me*** Symmachus, apud Euſebium, in Catenâ Barbari, dicit : ***ne ſilueris à me ne, ſi procul à me abſis, ſimilis ſiam deſcendentibus in lacum.***

nequando taceas. à Sixtinâ editione abſunt hæc verba; eáque etiam à multis Codicibus Græcis abeſſe teſtantur Nobilius & Corderius. Illa Græci, quos tero, Codices repræſentant cum Theodorito, & Pſalteriis Complutenſi, Æthiopico, & Arabico. S. Aug. ***nequando ſileas à me.***

in lacum. de animarum inferno exponunt Euſebius & Theodorus Heracleota; ſed Theodoritus de ſepulchro rectiùs explicat hoc modo : φησι &c. ***dicit, ſi tacueris à me tuáque ope me deſtitueris, repentè morte afficiar: hanc enim lacum vocavit, ſiquidem ſepulchrum ut lacus foditur.*** Subſcribit Euthymius dicens : ***per lacum, ſepulturam intelligit.***

Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ dum oro ad te; dum extollo manus meas ad Templum ſanctum tuum.	2	Audi, Domine, vocem deprecationis meæ dum te oro; & dum manus meas versùs ſanctum tuum Templum extollo.
Ne ſimul trahas me cum peccatoribus: & cum operantibus iniquitatem ne perdas me	3	Ne me *ad mortem* ſimul trahas cum improbis *meis inimicis* : nec me perdas *unà* cum ſceleraris *hoſtibus meis*
Qui loquuntur pacem cum proximo ſuo; mala autem in cordibus eorum.	4	Qui proximo ſuo amorem ore teſtificantur; exitium autem ei in cordibus ſuis moliuntur.
Da illis ſecundùm opera eorum, & ſecundùm nequitiam adinventionum ipſorum:	5	Mercedem operibus eorum conſentaneam redde illis, & præmia nefariis ipſorum ſtudiis æqua perſolve eis:
Secundùm opera manuum illorum tribue illis, redde retributionem eorum ipſis.	6	Tracta illos ſecundùm facta manuum eorum, illíſque repende quod merentur.

Domine. deeſt in Hebræo, & in Sixtinâ editione.

ad templum. tabernaculum, quod David arcæ in monte Sion tetenderat, intelligit; nec illud ***templi*** nomine inſigniri miraberis ſi textus I. Reg. I. 9. II. 29. 32. conſideres : ibi enim locus, in quo Arca apud Silonitas erat, vocatur ***templum*** ante constructam à Salomone ædem. Explicationi noſtræ favent Theodoritus & Euthymius qui tabernaculum nominari ***templum*** aſſerunt. Qui porrò, in verſu noſtro, apparet mos preces converſo ad Templum vultu fundendi, alius non eſt ab eo qui ex *a* Ezechiele colligitur atque ab *b* Anaſtaſio Antiocheno & *c* Gregentio memoratur, & quem ſequuti Judæi preces, ad occaſum converſi, concipiebant: uterque, inquam, mos diverſus non erat; nam, quando ſanctuarium ad occidentem ſpectabat ut cognoſcimus ex Exodi XXVI. 22. idem, apud Judæos, erat orare ad occaſum & orare versùs templum, contra atque vir maximus exiſtimavit. Prædictus autem mos ad occaſum ſeu templum lumina, inter precandum, flectendi inductus à Judæis videtur ut Paganos (quorum nonnulli, teſtibus *d* Herodoto, *e* Virgilio, *f* Vitruvio, *g* Mercurio, *h* Servio, *i* Clemente Alexandrino, & *k* Tertulliano, contra ortum

a VIII. 16.
b Quæſt. 44.
c in diſput. cum Judæo. fol. 61.
d lib. I. ubi de Magis & Perſis.
e Æneid. 12. verſ. 172.
f lib IV. cap. 5.
g in Aſclep. cap. ult.
h in citatum Æneidos locum.
i Strom. 7. pag. 724.
k Apolog. cap. 16.

Solis precabantur) non imitarentur: imitatores, hac in re, non habentes priscos Christianos: qui (narrantibus *a* Tertulliano, *b* Clemente Alexandrino, *c* Origene, *d* Pseudo-Justino, *e* Pseudo-Clemente, *f* Basilio, *g* Augustino, *h* Paulino, *i* Pseudo-Athanasio, *k* Johanne Damasceno, *l* Gregentio, *m* Germano Constantinopolitano, *n* Anastasio Antiochæno, innumerisque aliis) & ad Orientem converti orabant & templa versùs Orientem exstruebant; titu quidem cum Ethnicis congruentes, sed ratione ritus differentes: quum Ethnici materialem solem respicerent; Christiani verò Christum justitiæ solem spectarent ut docet *o* Clemens Alexandrinus; aut paradisum, unde ejecti sumus, aspicerent ut aiunt S. *p* Basilius & ementitus *q* Athanasius. Atque ex his, quæ de Judæis dicta à nobis sunt, emendari velim *r* Pseudo-Athanasium quum ait Judæos versùs meridiem orasse.

trahas. sup. ad mortem ut secundo apparet hemistichio & Psal. XXV. 9. & Job. XXI. 33. S. Augustinus, *ne simul tradas cum peccatoribus animam meam.*

ne perdas me. Id LXX. Senes in Hebræis ætatis suæ Codicibus repererunt, vel doctè addiderunt. Hoc autem sermone usus fuisse videtur David prævisâ vexatorum suorum pœnâ. S. Augustinus, *ne comperdas me.*

da illis, &c. Hæc ad Absalomum, quem salvum volebat David, non sunt referenda; sed ad ejus socios, quibus exitium optabat David: quem nolim in culpâ poni tum quia Mosaica, cui David adstrictus erat, lex odium inimicorum probabat; tum quia David intelligebat se, in suis ærumnis, personam gerere divini nostri Sospitatoris: quem quum ab hostibus malè aspetéque accipi prævideret, amoris putabat esse sui perniciem nefandis tam hostibus apprecari.

secundum nequitiam. S. Augustinus: *secundùm malignitatem affectionum ipsorum.*

a Ibid.
b loc. cit.
c in lib. Num. homil. 5. pag. 118. L.
d Quæst. 118. ad Orthod.
e lib. II. Constit. Apost. c. 57.
f de Spiritu sancto cap. 27.
g lib. 2. de Serm. Domini cap. 19. & Epist. ad Casulan.
h Epist. 12. ad Severum.
i Quæst. 37. earum quæ ad Antiochum inscribuntur.
k Orth. fid. lib. IV. cap. 13
l loc. cit.
m in Theoriâ Mysticâ post initium.
n Quæst. 44.
o loc. cit.
p loc. cit.
q Quæst. 37.

7 *Quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opera manuum ejus, destrues illos; & non ædificabis eos.*

Et, quoniam non intellexerunt *meam ad regnum promotionem* à Domino procuratam esse, ejúsque manus esse operis hujus artifices, destruas illos, *obsecro*; nec eos *ampliùs* ædifices, *ipsos ad salutem reducendo.*

8 *Benedictus Dominus: quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ;*

Laudetur Dominus: audiet enim vocem deprecationis meæ;

9 *Dominus adjutor meus, & protector meus: in ipso speravit cor meum, & adjutus sum.*

Dominus adjutor erit meus, & protector meus: in ipso sperat cor meum, & opem *ab eo* consequar.

10 *Et refloruit caro mea; & ex voluntate mea confitebor ei.*

Túmque caro mea, *mœrore tabefacta*, reflorescet *bonam ex lætitiâ habitudinem recipiens*; & Deum, alacri animo, celebrabo.

opera Domini. Hæc loquutio cœlos propriè spectat ut patet ex iis quæ ad Psal. VIII. notavi, sed aliquando transfertur ad alia Dei opera in quibus ejus sapientia ac providentia non minùs, quàm in cœlis, elucet. Talis fuit Davidis ad regnum electio: quam hoc in versu respici, mecum opinor, credent qui meminerint Absalomiticam, in nostro Psalmo, recoli rebellionem quâ David ex regno, sibi mirâ Dei providentiâ collato, deturbatus fuerat. Bu-

chanano id aliquantulùm subolult canenti : *non bis consilii provida vis tui qui me conspicuis tollis honoribus*. S. Augustinus legit primò *opera Domini* ; 2°. *in opera Domini* cum Vulgatâ.

destrues. quominùs verbum hoc Davidi non imprecanti, sed futura prædicenti cum Theodorito tribuam impediunt versus duo præcedentes, præter Codices Reg. 138. & Memm. 2. qui habent *destrue*, & Psalmos XXXIV. 1. 2. 3. 4 5. 6. 8. LIV. 16. CVIII. 15. 20. 28. Hebræi legunt in tertiâ personâ *destruet*. Sed personarum enallage lectionem hanc cum nostrâ in concordiam facilè revocat.

refloruit. ad lætitiam, quæ carnem luctu tabefactam recreet & novâ quasi vitâ donet, traho cum Theodorito, Nicephoro, & Euthymio ; non autem ad resurrectionem cum Eusebio & B. Athanasio. Utramque explicationem probat Didymus. Pro *refloruit* Symmachus, teste Eusebio, *florebit cor meum*, Aquila *exultavit cor meum*, Theodotio *refloruit cor meum*, Quinta editio *confirmatum cor meum* dixere. Hebræus textus hodiè habet ויעלז לבי משירי אהודנו *& gavisum est cor meum & ex cantico meo confitebor illi*. Luxatus & luxatione corruptus videtur hic textus : quem, nisi fallor, in locum suum & in suam integritatem restituemus si, versionis nostræ & multorum Scripturæ textuum (ubi dicitur *confiteri in corde* non *in cantico*) face præeunte, legamus ויעלז בשרי ומלבי אהודנו *& exultavit*, seu *refloruit*, *caro mea*, *& ex corde meo confitebor illi*.

ex voluntate id est alacri animo : siquidem alacritas voluntarias actiones comitari solet. Eusebius : *pro eo, ex voluntate meâ confitebor illi*, *Symmachus dixit* : *& in canticis laudabo eum* ; *& Aquila*, *& à cantu meo confitebor ipsi*.

11 *Dominus fortitudo plebis suæ ; & protector salvationum Christi sui est*,

Intereà, Domine, fortitudo plebis tuæ *quum sis* ; & ille quo *Davidis* regis, abs te electi, salus nititur,

12 *Salvum fac populum tuum Domine ; & benedic hæreditati tuæ : & rege eos ; & extolle illos usque in æternum.*

Serva populum tuum Domine ; & *Israelitas*, qui tua sunt hæreditas, benedictione tuâ prosequere *sic ut nullum*, *in isto bello*, *detrimentum accipiant* : & rege eos ; ac illos perpetuis bonis cumula.

Dominus fortitudo, &c. verba hæc istis (*in ipso speravit cor meum* suprà vers. 9.) respondere videntur ; nec obstat quòd ibi sui tantùm meminerit : quæ enim à partibus ejus stabat plebs, ad ejus exemplum componebatur ; unde ei congruere censetur, quæ Davidi tribuitur, fiducia.

plebis suæ. eam, quæ Davidi adhærebat, intelligo cùm ex annotatis ad Psal. XXIV. 24. tum ex versibus 5. 6. suprà, ubi imprecatio cernitur. Hebræi legunt למו *eis*. Sed LXX. melius legebant עמו *populi sui* ; atque huic lectioni favet sequens versus.

salvationum. plur. pro sing. ut Psal. XXVI. 3. XXXV. 6. CXVIII. 120. Versum 7. suprà, & Psalmum XVIII. 1. cum Hebræâ Scripturâ confer. S. Augustinus legit *salutarium*.

salvum fac. mutat personam ; sed huic mutationi me non accommodavi ob perspicuitatem, cui consulens secundam personam in utroque usurpavi textu : in cujus postremo quum Davidem, qui sui & populi mentionem, pauló ante fecerat, de solo populo loquentem cernis, eum institutæ orationis & regulæ Synonimicæ oblitum fuisse noli existimare : nam, quando in populi, suam causam complectentis, salute salus Davidis continebatur, cohæret oratio & illæsa manet regula synonimica.

ARGU-

ARGUMENTUM.

PSALMI VIGESIMI OCTAVI.

PSEUDO-Athanasius, [a] in Catenâ Danielis Barbari memoratus, Psalmum nostrum de incolumitate & sanitate Ezechiæ restitutâ agere dicit; verus autem [b] Athanasius, in eadem Catenâ & Cordelianâ laudatus ac titulo isto ἐξόδου σκηνῆς *exitus tabernaculi* innixus, ait *cani hunc Psalmum ejecto Israelis populo & Gentibus ejus vice accitis.* S. Basilius & Euthymius, eodem freti titulo, docent hoc Psalmo, juxta historiam spectato, contineri præceptum ad Sacerdotes & Levitas de egressu tabernaculi seu templi: quid scilicet illinc egressi, sequenti die facere deberent, afferre nimirùm filios arietum, & gloriam ac honorem nomini Dei, ídque in aulâ templi & non in alio loco. Theodoritus nullâ hujus tituli (quem se non in Hexaplo sed in aliquibus exemplaribus invenisse testatur, ipsísque Psalmi verbis repugnare affirmat) ratione habitâ, Psalmum primario sensu ad victoriam in Assyrios ab Ezechiâ partam trahit; sublimiore autem sensu ad Christum dæmones debellantem & salutem populo Christiano dantem refert. Hæc à Theodoro Heracleotâ Theodoritum hausisse videbunt qui præfatum Theodorum in Commentario Corderianæ diligentiæ debito adierint. Qui verò ipsum convenerint Theodoritum, dicturi cum Genebrardo non sunt Theodoritum existimasse Psalmum conditum fuisse à Davide quum Arcam reduceret: id enim liquidò explodit doctissimus Cyrensium Episcopus; addítque Psalmi verba nullam hujusmodi

[a] ad Psal. 28.
[b] ad Psal. 28.

ſententiam habere. Theodorito, quantùm ad priorem ſenſum, aſſentitur auctor Paraphraſis à Corderio pervulgatus: ſed, in poſteriore ſenſu, tabernaculum, cum ſancto Baſilio, de corpore exponit; &, per exitum tabernaculi, intelligit diſceſſum ab hac vitâ ad quem nos hic ſermo præparet, & talia ac talia Domino afferre jubeat. Hieronymiaſter, noſtro titulo *in conſummatione tabernaculi* nixus, ita loquitur. *Quando Arca de captivitate Philiſtinorum reducta eſt..... dimiſſa eſt in Silo, & David ædificavit ei tabernaculum, in quo hortatur populum ut offerant ſacrificia Deo. David apertiſſimè figuram Chriſti tenet; & arca figuram Eccleſiæ. Sicut David reduxit Arcam de captivitate, ſic & Chriſtus reduxit arcam hoc eſt ſanctam Eccleſiam de captivitate id eſt de poteſtate diaboli.* Myſtici Judæorum Interpretes, qui *Medraſchim* audiunt, Pſalmum de die, quâ lex in Monte Sinai data eſt, interpretantur eò quòd in iſto Pſalmo tonitru, pluvia, & flammæ commemorentur, quæ ōlim, in prædicto monte, viſa & audita fuerint. Aben Ezra Pſalmum explicat de miris Dei operibus in terrâ apparentibus, præcipuè verò de pluviâ: quæ inter miracula eſt annumeranda, quæque cum tonitruò & fulguribus decidere ſolet. Kimchius Pſalmum temporibus Meſſiæ accommodat; cenſétque tonitruo & reliquis tempeſtatis appendicibus denotari mala quæ Meſſias illaturus ſit Gogo & Magogo, cæteríſque nationum exterarum principibus, quos Libano & Sarione excelſis montibus deſignari arbitratur. Grotius hoc Pſalmo hiſtoriam repræſentari aſſerit quæ exſtat II. Sam. VIII. putátque Cedris Libani denotari Syros Libani vicinos, & deſerto Cades Moabitas adumbrari. Decimus tertius Pſalmi LXVII. verſus qui, per *dilectum*, intelligit Ezechiam; & ſeptimus capitis

VIII. Iſaiæ verſus qui Aſſyrios *aquis fluminis fortibus & multis* comparat, ad Theodorum Heracleotam & Theodoritum me adjunxiſſent, niſi animadvertiſſem Libani & deſerti Cades mentionem & verſum 9. cum horum Auctorum ſententiâ vix ac ne vix quidem conſtare poſſe: quum Dei vox ſeu tonitru hoc eſt virtus Aſſyrios debellans, Cedros Libani confregiſſe & deſertum Cades concuſſiſſe dici propriè non poſſit; nec laus Deo, ob immiſſum Aſſyriorum diluvium, tribui debeat. Hæc quum momenta ab opinione Theodori & Theodoriti me avertiſſent; & laudatus verſus 9. Grotianam mihi non ſuaſiſſet ſententiam, Rabbini Aben Ezra opinionem probare cœpi; ſed in eâ rem unam deſiderabam nempe eventum qui Davidem adduxiſſet ut Deo panegyrim, ob effuſam pluviam, diceret. Illum tandem eventum deprehendiſſe videor in ſecundi Regum libri capite 21. ubi triennalis, quæ tempore Davidis contigit, fames deſcribitur. Hanc famem, utpote ex ſiccitate ortam, pluviâ depulſam fuiſſe res ipſa loquitur; colligitúrque cùm ex laudato Regum capite ℣. 10. tum ex [a] Joſepho: &, quamvis illic nulla tonitrui mentio fiat, auditum tamen fuiſſe tonitru probabile eſt; unde non mirum ſi Pſaltes, qui omiſſas in aliis libris res non rarò narrat, hujus meminerit tonitrui, anſámque inde ceperit tonitrui effectus ediſſerendi. Dico itaque vero videri ſimile ut Pſalmo noſtro mandatum fuerit præconium: quod Judæi, ſub regno Davidis, fame, per pluviam à Deo immiſſam tonitruíſque permixtam, liberati Deo tribuerint. Quoniam verò, ut Theodoriti verbis utar, *figura novi teſtamenti vetus eſt, age umbræ corpus applicemus, & ſimilitudinem oſtendamus.* Illic pluvia materialis quæ Iſraelitico ſolo fertilitatem dat; heic

[a] Antiq. lib. VII. pag. 242. B. edit. Gr. Lat.

a Psal. LXXI. 6. Christus, qui [a] *descendit sicut pluvia in vellus:* heic, in-
b Is. XLV. 8. quam, [b] *Justus* ille Sospitator quem, *cœlis desuper rorantibus, nubes pluunt;* quique totum terrarum orbem miserrimâ virtutum sterilitate laborantem fœcundat. Illic tonitrua quæ Dei majestatem produnt; heic Apostoli
c Marc. III. 17. [c] *tonitrui filii* qui hanc Dei majestatem sic prædicant ut eorum voce tota tellus personet. Plura reperies apud Origenem, S. Athanasium, Eusebium, Basilium, Didymum, S. Augustinum, Theodoritum, Nicephorum, Euthymium, aliósque: qui allegoricum, sive in peculiaribus Commentariis sive in Catenis Barbari & Corderii, fusè explanant sensum. Ad literalem ego aggredior; mysticum ab illis pete.

TITULUS.

Psalmus David in consummatione tabernaculi.

PSALMUS XXVIII.		PARAPHRASIS.
AFferte Domino filii Dei, afferte Domino filios arietum.	1	AFferte Domino, ô Israelitæ, afferte Domino agnos *ei immolandos in gratiarum actionem.*
Afferte Domino gloriam & honorem; afferte Domino gloriam nomini ejus; adorate Dominum in atrio sancto ejus.	2	Tribuite Domino gloriam & honorem: tribuite Domino gloriam nomini ejus debitam; Dominúm*que*, in sancto ejus atrio, adorate.

ANNOTATIONES.

in consummatione tabernaculi. Hanc lectionem S. Augustinus & Hieronymiaster sequuntur; sed Græci Doctores S. Athanasius, S. Basilius, Theodoritus, Nicephorus, Hesychius, & Euthymius legunt ***exitum*** pro ***consummatione***. Cod. Reg. 138. habet: ***Psalmus David ad consummationem tabernaculi post passionem & res.*** Colb. 158. ***Psalmus David in consummatione tabernaculi post passionem & resurrectionem & consummationem Ecclesiæ Christi.*** Hos titulos literalis sensus respuit; sed illis mysticus convenit sensus: cujus, nisi fallor, rationem habuit qui præfatum apposuit titulum, quem ab Hexaplo abfuisse jam monuit Theodoritus: qui eum, paulò aliter atque in textu ejus exstat, legisse videtur ex explanatione.

afferte Domino filii Dei. Eusebius, de Hebraicâ loquens traditione, ait: *in quâ non adducitur illud. afferte Domino filii Dei: quamobrem & apud Septuaginta, tanquam in Hebrao minimè positum, expunctum est; nec apud alios Interpretes reperitur.* Eusebio in Catenâ Corderianâ subscribit Theodorus Heracleotes; sed uterque, in eo quod de Septuaginta dicit, hallucinatur ut ex ipso patet Eusebio qui, paulò post, addit: *Quòd si respicere oporteat ad interpretationem Septuaginta, dico filiis pracepi.* Hinc intelligimus illud *filii* à LXX. Senibus lectum fuisse. S. *a* Basilius testatur Græca suæ ætatis exemplaria heic variasse: sic ut in quibusdam hæc verba *afferte Domino filii Dei* deessent; in multis tamen exemplaribus eadem verba reperirentur. Illa sanè retinebit & nostram simul interpretationem probabit qui loca Gen. VI. 2. Exod. IV. 22. 23. Psal. XCV. 7. 8. XCIX. 4. CXXXIII. 2. CXXXIV. 2. Jer. XXXI. 9. Os. XI. 1. & reverendum Patrem Deschampneufs inspexerit. LXX. Senes legebant הבו ליהוה בני אלהים הבו ליהוה בני אלים *afferte Domino filii Dei, afferte Dominum filios arietum* pro הבו ליהוה בני אלים *afferte Domino filios arietum.*

a to. 1. edit. Gr. Lat. pag. 167. A.

honorem. Rabbini fortitudinem. Idem ubique sensus. Vide annotata ad Psal. VIII, 3.

in atrio sancto ejus. Aquila, *in decore sanctificato*, Symmachus, *in decore sancto* verterunt testibus Eusebio & Theodoro Heracleota. Rabbini *in decore sanctitatis.* LXX. Senes pro hodiernis vocibus בהדרת קדש *in decore sanctitatis*, legerunt בחצר קדשו *in atrio sancto ejus*; & rectam esse hanc lectionem liquet ex Levit. VI. 16. If. LXII. 9. S. Augustinus *in aulâ sanctâ ejus.* De atrio illo consule *b* Philonem, *c* Talmudistas, *d* Riberam, *e* Bochium, & *f* Lighfootum.

b lib. 3. de vitâ Mosis.
c tract. Middoth. c. 2. & tract. Sanhedrin. c. 11.
d de Templo.
e Comment. in hunc Psal.
f in Horis Talmudicis.

3 *Vox Domini super aquas: Deus majestatis intonuit; Dominus super aquas multas.*

Scilicet vox Domini, medias inter aquas, audita est: Deus majestatis intonuit; & Dominus, multas inter undas, *audientiam sibi fecit.*

4 *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentiâ.*

Vox *illa* Domini valida fuit, & dignitatis plena.

5 *Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani:*

Vox Domini confregit cedros, fregítque Dominus, *cum voce illâ*, cedros Libani:

6 *Et comminuet eas tanquam vitulum Libani, & dilectus quemadmodum filius unicornis.*

Eásque, *licet firmas & rigidas*, comminuit *ac si essent molles & teneræ* tanquam vitulus Libani, aut tanquam dilectus unicornium pullus.

vox Domini. Vates pluviam descripturus orditur à tonitru, quod pluviam præcedere solet. De eo *g* Aristoteles, *h* Plinius, *i* Plutarchus, *k* Stobæus, aliique multa tradunt. Nos unum addemus scilicet ex secundâ versus nostri parte ut, & Psal. XVII. 16. LXXVI. 17. 19. perspicuum esse *vocem Domini*, primario sensu, nihil esse aliud quàm tonitru: quod quum non solùm ante pluviam; sed etiam, decidente pluviâ, audiatur, huic loquutioni *vox Domini super aquas* locum dedit. Exteri poeræ à nostro edocti; sed ejus doctrinâ abusi tonitru Jovi tribuerunt.

g II. Meteor. c. 9. & de Mundo cap 4.
h Hist. nat. lib. II 41.
i de Placitis Philosoph. lib. 3. c 3. p. 893.
k In Phys.

in virtute, &c. dicit tonitru vim habuisse admirabilem & magnâ cum dignitate perstrepuisse sic ut & cedros confregerit & desertis terrorem incusserit.

& comminuet, &c. Heb. *& saltare facies eas quasi vitulum: Libanum & Sarionem* (montes) *quasi filium unicornium.* id est cedros radicibus evellet, & exilire faciet quemadmodum vituli saliunt: ipsósque etiam montes Libanum & Sarionem seu Hermonem

ſaltare faciet quemadmodum ſaltat filius unicornium. Multi hunc ſenſum probant & noſtro anteponunt, ſed falluntùr: nam vocis Dominicæ ſeu tonitrui, de quo heic agitur, proprium non eſt ut arbores montéſque ſaltare faciat ne quidem poeticè. Poteſt equidem arbores evellere montéſque disjicere; ſed arbores & montes, inſtar vitulorum aut pullorum monocerotis, ſaltu è loco in locum projicere nequit: ſiquidem unicus eſt non continuus tonitrui ictus: & ad ſaltum edendum motus continuus requiritur. Unde in Pſal. CXIII. ubi montes exſultaſſe ſeu ſubſiliiſſe dicuntur ut arietes & colles ſicut agni ovium, additur ſtatim terræ motus ut intelligamus ſaltus illius cauſſam fuiſſe terræ motum: qui, quum ſit continuus, ſaltum hunc producere poteſt. Sed is à tonitruo effectus oriri nequit niſi fortè corpora ab eo evulſa rotunda eſſent, ita ut ſemel impulſa ſaltitarent: at rotunditas hæc quum à montibus abſit & arboribus, nequeunt illa ſaltum edere vi tonitrui. Ad hæc reperimus quidem in Deuteronomio montem Sarionem; ſed, quum ibidem dicatur id nominis Hermoni à Sidoniis dari & Vates noſter non Sidoniâ ſed Hebraicâ linguâ uteretur, vero non eſt ſimile agi heic de hoc monte. Retinenda eſt ergo verſio noſtra quæ naturæ conſonat & textui conſentit Hebraico: exceptâ voce שריון, pro quâ LXX. Senes legiſſe videntur ירדון formæ ישרון Deut. XXXII. 15. Eſt autem vox illa epitethum pullorum unicornis: quos vocari crediderim *dilectos* ob ſingularem, quo eos parentes complectuntur, amorem.

Libani. S. Baſilius, Nicephorus, & Euthymius legunt ***Libanum***; eandémque lectionem Sixtina editio exhibet, ut ſenſus ſit confringet eas ſicut vitulum & ſicut Libanum. Sed lectioni noſtræ inhærent Origenes, S. Athanaſius, S. Chryſoſtomus, S. Auguſtinus, Theodoritus, & Auctor Commentarii B. Hieronymo adſcriptí.

& dilectus. conſtructionem mutat Vulgatus Interpres, & ſubaudit ***comminuentur***, hoc modo, Et comminuet eas tanquam vitulum Libani, & illæ arbores comminuentur quemadmodum dilectus filius unicornis.

7 *Vox Domini intercidentis flammam ignis: vox Domini concutientis Deſertum; & commovebit Dominus deſertum Cades.*

Eadem Domini vox diſſectas ignis flammas emiſit: & Dominica *illa* vox terrorem Deſerto injecit; metúque *horrendam* ſolitudinem Cades perculit Dominus *cum voce illâ*.

8 *Vox Domini præparantis Cervos: & revelabit condenſa. Et in templo ejus omnes dicent gloriam:*

Denique vox Domini Cervas *ante tempus* parere fecit; & denſas ſylvas denudavit. Ergo, *ob pluviam cum his tonitruis à Deo immiſſam*, canant omnes in templo ejus gloriam ipſius, *dicentes:*

intercidentis flammam ignis. Pergit Vates in deſcribendo tonitru: quod quum flammas diſpertitas atque, interſecatas hoc eſt fulgetra ejaculetur, ſeu cum fulgetris illis emicet, ait Pſaltes ***intercidentis***, &c.

concutientis. Symmachus, inquiunt Theodorus Heracleota & Theodoritus, ***non concutientis, ſed parere facientis, dixit***; ***Aquila etiam, parturientis.***

deſerto. Judaicum intelligo de quo II. Reg. XV. 23. & Matth. IV. 1.

deſertum Cades. vaſtiſſima eſt ſolitudo in Arabiâ ſita & in Idumæam uſque pertingens. Ejus mentio fit Num. XIII. 27. XXXIII. 36.

præparantis. ſup. ad partum, hoc eſt parere facit. Vulgatus interpres, ob appoſitum genus maſculinum ***cervos***, vapulare non debet: illud enim maſculinum pro totâ ſpecie Cervinâ ſupponit; & individuis, cùm maſculis tum fœmineis, pro loci commoditate, aptari poteſt. Cervos quidem in individuo ſententia pateretur, dicendo: præparantis cervos ad fugam,

idest cervos, etsi mirâ pernicitate vigeant, tanto percellit timore ut se ad fugam compa-rent veriti ne, vel illâ suâ pernicitate, tonitruum subterfugere valeant. Sed, quando Hebræus textus habet *cervas*; & cervarum partus difficilis est ut ex *a* Jobo, & *b* Cicerone, ad *c* Dioscoridem exacto, colligitur, satiùs videtur ut textus ad cervas in individuo accommodetur: quasi Vates innuere velit cervas, quæ difficiliori utero sunt, præ nimio, quem ipsis tonitru incutit, metu parere. Huic sententiæ fidem adjungere non cunctabuntur qui *d* Plinium audierint docentem ovibus solitariis tonitrua abortum inferre: neque eandem sententiam Ciceronianus de herba *Siseli* (quâ cervæ paulò ante partum se perpurgant) locus disturbat: ut enim omittam ab *e* Aristotele & *f* Plinio proditum esse cervas herbâ illâ non ante sed post partum uti, dico cervas, etiamsi prædictâ herbâ, ut partibus suis difficultatem infringant, perpurgare se solitæ sint, nihilominùs interdum contingere ut metu perculsæ fœtus suos ante tempus & sine illâ herbâ ejiciant.

a XXXIX. 1.
b lib. 2. de Nat. Deor. ubi ait *Cerva* &c.
c lib 3 c. 61. ubi docet *Seselim* herbam ad fœtus ex utero educendos valere.
d lib VIII. cap. 47.
e de hist. Animal lib. IX c. 5.
f lib. XXV. cap. 8.

revelabit condensa. idest densas sylvas denudabit, eas exstirpando. S. Augustinus legit *sylvas* pro *condensa*.

omnes dicent. S. Aug. *unusquisque dicet.*

9 *Dominus diluvium inhabitare facit; & sedebit Dominus rex in æternum:*

Dominus copiosum imbrem effudit; & perpetuum imperium Dominus *in mundo* tenebit:

10 *Dominus virtutem populo suo dabit; Dominus benedicet populo suo in pace.*

Dominúsque populum suum (*si deinceps perculso atque abjecto, ob aliquam calamitatem, animo fuerit*) refocillabit; & Dominus populum suum bonis cumulabit eximiis.

diluvium. de Noachido, ut multi putant, diluvio heic non agi videtur; sed de copioso, qui Judaicam, regnante Davide, terram abundè rigaverit, imbre: quem *diluvii* nomine denotatum non mirabitur qui Psal. XXXI. 8. consideraverit.

inhabitare facit. S. Augustinus *inhabitat*, ex Græco κατοικεῖ quod habet S. Basilius, & agnoscit S. Hieronymus charissimis fratribus * Suniæ & Fretelæ scribens; sed sanctus Doctor Vulgatam interpretationem huic loco magis convenire putat. Eam Sixtina editio repræsentat, & sequuti fuerunt Nicephorus atque Euthymius, post S. Athanasium: cujus explicatio, quomodo cum eâ, quam initio Psalmi affert, cohæreat, non capio.

* viri quippe non fœminæ erant Sunia & Fretela, uti sciunt qui MSS. versarunt codices: in quorum nonnullis, Epistolæ 135. præfiguntur hæc verba, *charissimis fratribus Sunia & Fretela.*

sedebit, &c. istud hemistichium priori optimè consentit, adeóque regulam Synonimicam servat: etenim, quum Deus pluviam, post longam siccitatem, dat, ostendit se mundi Dominum esse ac regem. Atque huc non incommodè forsitan traxeris illud, de quo sermo fit, imperium in his versibus: *nocte pluit totâ; redeunt spectacula manè: dimidium imperii cum Jove Cæsar habet.*

dabit. ex præterito beneficio futura auguratur Vates: cujus verba *sedebit*, *dabit*, *benedicet* qui per præteritum verteret, & ambos versus ita explanaret: *Dominus copiosum imbrem effudit atque ita ostendit se ad mundi gubernacula perpetuò sessurum: Dominus populum suum fame dejectum erexit; & singulari beneficio affecit, abundantiam rerum omnium, immissâ pluviâ, tribuens illi.* Qui, inquam, explanationem illam proferret, in meam non incurreret animadversionem.



ARGUMENTUM.

PSALMI VIGESIMI NONI.

CITATUS in Catenâ Barbarianâ ad Pſalmum 26. Pſeudo-Athanaſius Pſalmum noſtrum ob redditam Ezechiæ regi ſanitatem ſcriptum fuiſſe exiſtimat. S. Baſilio hiſtoricum ſive corporalem ſenſum ſcrutanti videtur hic Pſalmus temporibus Salomonis, erecto jam perquàm celebri templo, fuiſſe ad melicam Pſalterii modulationem accommodatus & decantatus. Non longè inde abit Didymus: quum ait Davidem, quemadmodum materiam templi præparavit, ſic cùm Pſalmum feciſſet, eundem quoque tanquam rem maximè neceſſariam dereliquiſſe; ac docuiſſe quemadmodum, exſtructo ac dedicato templo, à cantoribus & pſallentibus, ad hoc aſcitis, cum gratiarum actione canendus eſſet. Horum Doctorum veſtigia perſequitur Kimchius; ſed Pſalmum in Templi dedicatione cantatum vult ut os Davidicis obſtrueretur inimicis qui non autumabant Templum illud à Salomone ex Bethſabeâ ſuſcepto ædificatum iri. Theodoritus dictum eſſe putat Pſalmum in beatum Ezechiam: nam, pergit ille doctiſſimus Epiſcopus, *poſt Aſſyriorum internecionem & mortis liberationem, maximam, ut par erat, celebritatem inſtituit: Deo gratias agens quoniam & illis ſalutem donavit, & ſanctum ſuum templum ab hoſtili igne purgavit. Quoniam igitur ea quæ fiebant dedicationis feſto ſimilia erant, jure & hanc recepit inſcriptionem: nempe Pſalmus cantici Dedicationis domus.* Alii interpretes, titulum noſtrum & loca II. Reg. V. 11. & 12. attendentes,

attendentes, existimant Psalmum à Davide compositum fuisse ut Deo gratias ageret pro constructâ dedicatáque domo suo, & firmato sibi imperio: quam quidem dedicationem in tempus, quo David è morbo recreatus fuisset, incidisse arbitratur Aben Ezra. Grotius Psalmum de Davide domum suam ab Absalomo fœdatam repurgante exponit; atque huc trahit ista tituli verba *in dedicatione domus*. Ab his me sententiis Psalmus noster, cum Psalmis VI. XXXVII. & XL. collatus, avertit: ex eâ enim collatione intellexi veri simillimum esse ut David, in Psalmo nostro, gratias Deo agat pro redditâ sibi sanitate quam in prædictis Psalmis petierat. Huic autem sententiæ titulus non officit: illo enim nihil aliud significari videtur quàm Psalmum decantandum fuisse eo cantici & musicæ genere, quo (David) in dedicatione domus usus esset. Ita sentio post Muisium: qui meritò sperat conjecturam hanc suam probatum iri si animadvertatur nullam prorsùs in Psalteriano textu fieri mentionem dedicationis domus.

TITULUS.

Psalmus Cantici in dedicatione domus David.

PSALMUS XXIX.	PARAPHRASIS.
1 *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me; nec delectasti inimicos meos super me.*	Laudibus te efferam Domine, quòd me adjuveris; nec ansam *de morte meâ* lætandi inimicis meis præbueris.

ANNOTATIONES.

Psalmus. Sanctus Basilius titulum nostrum sequitur. Sanctus Augustinus: *in finem Psalmus Cantici dedicationis domus ipsi David.* Theodoritus: *Psalmus Cantici dedicationis domus in finem ipsi David.* Cod. Reg. 138. *Psalmus Cantici David ad ædificatio-*

nem domus David. Reg. 222. *Psalmus Gantici in dedicatione domus David.* Colb. 258. *Psalmus Cantici David in dedicatione domus David. Propheta ad Patrem & ad Christum dicit de crudelitate oratione in homine.* Colb. 1339. *in finem Psalmus Cantici dedicationis domus ipsi David.*

a Prol. in Psalm.

b Comment. in Psal. 29.

Cantici. S. a Hilarius: *Psalmus Cantici est quum, choro ante canente, humana cantionis hymno ars organi consonantis aptatur; vocisque modulis præcinentis pari Psalterium suavitate modulatur.* Ita ferè S. b Basilius: qui, literali explicationi moralem adjungens, putat *Psalmo Cantici* significari quòd contemplationem ordine sequatur actio: unde non longè abit Hieronymiaster, cui *Psalmus Cantici* est laus cum opere.

quoniam suscepisti me, &c. Confer Psal. XXXVII. 18. 21.

Domine Deus meus clamavi ad te, & sanasti me.	2	Domine Deus mi invocavi te, & sanasti me.
Domine eduxisti ab inferno animam meam: salvasti me à descendentibus in lacum.	3	Domine eripuisti me à sepulchro *à quo non longè aberam: &* me servasti, sic ut non essem in eorum numero qui in sepulchrum descendunt.
Psallite Domino sancti ejus, & confitemini memoriæ sanctitatis ejus:	4	Celebrate Dominum ô cultores ejus, & sanctum nomen ejus laudate:
Quoniam ira in indignatione ejus; & vita in voluntate ejus:	5	Nam suam quidem iram, *mihi* indignatus, in me exercuit, *morbum immittendo*; sed vitam mihi, pro suâ in me voluntate, servavit:
Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.	6	*Ita ut* fletus meus ad vespertinum *duntaxat* productus fuerit tempus, & matutino lætitiam ceperim.

ab inferno. vide annot. ad Psal. VI. 5. S. Augustinus legit *ab inferis.*

in lacum. vide aunot. ad Psal. XXVII. 1. & Theodoritum heic.

memoria, &c. sanctum Dei nomen rectè interpretatur Kimchius ut apparet Exodiano III. 15. quem adducit, loco, & Psal. CXXXIV. 13.

quoniam ira, &c. Rabbini eorùmque sequaces *quoniam momentum est in ira ejus*, hoc est momentanea est ejus ira; sed hæc interpretatio non benè cum sequenti membro cohæret: nam dicendum esset pariter vitam in voluntate ejus esse momentaneam. Scio Vatablum sic explicare, *momentanea est illius ira* hoc est brevissimo tempore affligit; amor verò, quo nos prosequitur, per omnem vitam seu longissimo tempore durat. Verum hæc explanatio textui parùm consonat. Theodoritus: *τῇ γὰρ ὀργῇ iram enim indignationi adscripsit: iram quippe castigationem vocat; vitam verò voluntati, hoc enim vult; non illud.* Doctissimi Episcopi explanationem non sequor; sed ejus lectionem probo, legens cum eo *iram.* Quod quum facio ab Hebræo textu nullatenùs recedere mihi videor: quum enim verbum רגע significet *findere, rumpere* ut apparet Job. VII. 5. XXVI. 12. Is. LI. 15. Jer. XXXI. 35. nihil obstat quominùs nomen רגע sonet *ira*, quippe quæ nihil sit aliud quam quædam cordis scissio. Vide Psal. XXXIV. 23. Unde iis non assentior qui dicunt LXX. legisse רגז pro רגע.

ad vesperum, &c. non illud præcisè intelligo tempus quod à vespere ad mane intercedit:

sed his verbis designari puto breve tempus ; atque inde colligo Davidis morbum ad exiguum tempus durasse. S. Augustinus legit *vespere* pro ad *vesperum*.

7 *Ego autem dixi in abundantiâ meâ, non movebor in æternum.*

Ego equidem in meâ prosperitate dixeram, nunquam ab eâ deturbabor :

8 *Domine, in voluntate tuâ præstitisti decori meo virtutem ;*

Siquidem, Domine, pro tuâ in me benevolentiâ, felicitati meæ robur præstiteras, eam egregiè firmando ;

9 *Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus :*

At, ubi tuum à me favorem avertisti, conturbatus sum *totus*, *& ad summam depulsus miseriam :*

10 *Ad te Domine clamabo ; & ad Deum meum deprecabor :*

Túmque opem tuam imploravi Domine ; & Deum meum deprecatus sum, *dicendo* :

11 *Quæ utilitas in sanguine meo ; dum descendo in corruptionem ?*

Quid *tibi* proderit si mortem mihi inferas ; *& quam capies utilitatem*, dum in sepulchrum descendero :

12 *Nunquid confitebitur tibi pulvis ; aut annuntiabit veritatem tuam ?*

Nunquid homo in pulverem redactus laudes tuas canet ; aut promissorum tuorum fidem prædicabit ?

13 *Audivit Dominus ; & misertus est mei, Dominus factus est adjutor meus.*

Meam hanc orationem audivit Dominus ; & mei misertus est, Donúsque opem mihi tulit.

14 *Convertisti planctum meum in gaudium mihi : conscidisti saccum meum ; & circumdedisti me lætitia*

Luctum meum in gaudium vertisti Domine : mœrorem meum depulisti ; &, *loco illius*, lætitiâ me perfudisti

15 *Ut cantet tibi gloria mea, & non compungar. Domine Deus meus in æternùm confitebor tibi.*

Ut te lingua mea celebret, & *à tuo præconio* non desistam. Domine Deus mi perpetuas tibi laudes dicam.

abundantia. Ita vocat prosperitatem : nam ea quum adest, rerum omnium copiâ abundamus.

in voluntate tua. &c. Symmachus, teste Theodorito, posuit : *Domine in beneplacito tuo potentiam primo meo parenti statuisti.*

decori meo Rabbini *monti meo* vertunt ; putántque ad montem Sionem, ubi erat Regia, stabilitum alludi : sed non est necesse ; & melior est Veterum lectio הדרי *decori meo* quàm hodierna הררי *monti meo.*

clamabo. fut. pro præterito: unde mihi non probatur Symmachus, ita apud Eusebium explanans. *Cùm malis premerer, dicebam: ad te Domine clamabo.*

in sanguine meo. ideſt in nece meâ: ſanguis enim pro nece ſeu homicidio interdum ſumitur ut Pſal. L. 15. atque in eum modum Pſalteriana verba accipi debere perſpicuum eſt ex ſequenti hemiſtichio.

corruptio. ita vocat ſepulchrum, quia in eo corrumpitur corpus.

nunquid confitebitur. orationem hanc habes in Pſal. VI. 5. verbis paululùm diverſis, ſed in eundem cadentibus ſenſum: qui, ut in laudato Pſalmo annotavimus, reſpicit ad Davidicum tempus, in quo plurimi fiebat laus quæ Deo in terrâ tribuebatur ab iis qui corpore nondum exuti erant. S. *a* Cyprianus: *nunquid exomologeſin faciet tibi pulvis.*

a lib. 3. Teſtim. ad Quirin. ſub fin. p. 283.

factus eſt adjutor meus. Confer Pſal. XXXVII. 22.

ſaccum. Quanquam David, circa tempus, in quod Pſalmum hunc conjicimus, ſaccum induiſſe videatur ex II. Reg. XII. 16. nihilominùs Muiſio aſſentior ita ſcribente. *Conſcidiſti prop. diſſolviſti ſaccum meum, hoc eſt luctum meum, ut idem ſit atque id quod praceſſit. Eſt autem hoc loquendi genus figuratum; ipſúmque è conſuetudine Hebrea gentis petitum: qua, in luctu & mœrore, utebatur ſacco, veſte tum lugubri, quem induebat aut circa lumbos conſtringebat ſicuti patet ex Iſ. XXXII.* 11. Judaica, quam Muiſius laudat, conſuetudo ad Perſas & Ninivitas manavit ut ex *b* Herodoto & *c* Jona diſcimus; nec longè à laudato ſacco aberat ſordida, quam Romani in luctu ſumebant, veſte quam *d* Cicero innuit, & *e* Digeſtum meminorat *Saccophoros* Hæreticos vide apud S. *f* Epiphanium.

b lib. 3. & 8.
c cap. III. 7. & 8.
d pro *Murenâ*, & ad *Quirites* poſt reditum, atque pro *domo ſua*.
e l. *veſtem ſordidam* ff *de injuriis*.
f Hæreſ. 80.

gloria. ideſt lingua. Confer Pſal. XV. 10.

non compungar. Symmachus poſuit *& non taceat* ut teſtantur Theodorus Heracleota & Theodoritus: quorum poſtremus, quum ait *Septuaginta pro gloriâ compunctionem poſuerunt*, ex priore eſt emendandus dicente: *pro ſilentio, quod Symmachus poſuit, Septuaginta poſuerunt compunctionem.* Uterque porrò, hanc LXX. verſionem & Symmachianam interpretationem ad concordiam revocans, addit *compunctione ſilentium induci* Malim tamen ex Pſal. IV. 5. dicere compunctionem à LXX. Senibus pro *pœnitentiâ* accipi, ut ſenſus ſit: non me pœnitebit laudes tuas canere, hoc eſt nunquam ab iis canendis deſiſtam. Hæc tamen concordia non impedit quominùs exiſtimem LXX. Senes, pro כבוד *gloriâ*, legiſſe כבודי *gloria mea*; &, pro לא ידם *non tacebit*, legiſſe לא ארם *non compungar*, ſeu non tacebo aut deſiſtam.

ARGUMENTUM.

PSALMI TRIGESIMI.

IN commentario Theodori Heracleotæ à Corderio in lucem prolati, Pſalmus iſte Judæis Babylonico jugo addictis, Davidi, atque Ezechiæ accommodatur; ſed captivis, apud Babylonios, Judæis præcipuè tribuitur: cámque explicationem B. Chryſoſtomo placuiſſe colligimus ex ejus in ſeptimum hujus Pſalmi verſum enarratione, quæ in Barbarianâ exſtat Catenâ. In câ porrò Catenâ Heſychius aut alter, poſtquam Pſal-

morum titulos vexavit, constare affirmat beato Ezechiæ convenire quæ à beato David afferuntur. Theodoritus, Nicephorus, atque Euthymius Psalmum Davidi Absalomum fugienti aptant. Kimchius ad Davidem à Saule exagitatum refert; eique subscribens Vatablus, addit Carmen nostrum eo conditum fuisse tempore de quo I. Reg. XXIII. 24. quum scilicet David, in deserto Maon conclusus, ardenter ad Deum clamavit; eique se commendans, suam in eo fiduciam posuit. Jansenius Psalmum tribuit Davidi in urbe Hierosolymâ degenti, & gloriâ ac felicitate copiáque rerum omnium affecto, & precem referenti quâ fuerat usus in persequutione quam à Saule perpessus erat. Ego verisimillimum esse puto ut Psalmo nostro illud recolatur tempus de quo I. Reg. XXVII. 1. quum nimirùm David, inconstantiæ Saulis fidere non ausus, ad Achis regem Geth diverteret: à quo postmodum urbem Siceleg obtinuit, quam præsagâ mente indicasse videtur his ℣. 28. verbis *benedictus Dominus quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munitâ:* qui versus ut & is qui proximè venit, laudato Regum capiti & sexto ejusdem capitis versui comparati, Psalmum, ni fallor, ad illud, quod notavi, tempus trahunt; non officiente, quam Psalmus ille ad Psalmum LXX. habet, similitudine: hæc enim similitudo, nullum habet momentum quum aliæ sunt, quæ præponderant, rationes, quales profectò reperient qui Psalmum accuratè legerint. Objicies, ex [a] Muisio, post *liberationes* I. Sam. XXIII. & XXIV. *celebratas non legi in metu aut certè discrimine fuisse David à Saule.* Respondeo & metum & discrimen animadverti in his capitis XXVII. 1. verbis: *& dixit David in corde suo, aliquando incidam unâ die in manus Saul: nonne melius est ut*

[a] Comment. in Psal. pag. 156. sub fin.

fugiam, & salver in terrâ Philistinorum? Metum ac discrimen fuga hæc prodit; planúmque est Davidem in fugam se dedisse quia in metu Saulis versabatur, ipsíque ab isto Principe instabat periculum. Hoc ut periculo persungatur orare, in nostro Psalmo, videtur David: qui ut, quæ contendit, obtineat, Deum ab ipsius fide & misericordiâ urget; tum duriorem, quâ conflictatur, fortunam ingerit: &, repetitâ suæ in Deum spei mentione, divinam (ut ex Psal. XVII. 34. colligere est) fidem tacitè appellat; deinde misericordiam Dei iterum implorat: salutem sibi, inimicis exitium deposcens. Denique affuturam sibi divinam prævidens misericordiam, benè de oratione suâ auguratur; suósque hortatur socios ut divinæ, quam paulò ante celebraverat, veritatis memores Deum diligant, & forti sint animo. Hæc difficillimi Psalmi primaria videtur esse sententia: sublimiorem Christus in cruce pendens, & priore versus sexti hemistichio utens suppeditat: ostendítque in iis, quas David perferebat acerbitatibus, suas adumbratas fuisse; &, quam ille, miseriis circumclusus, in Deo (suum illi spiritum commendans) collocaverat, spem sibi nobiliori modo convenire.

TITULUS.

In finem Psalmus David pro exstasi.

PSALMUS XXX.

1 *IN te Domine speravi: non confundar in æternum; in justitiâ tuâ libera me.*

PARAPHRASIS.

IN te Domine spero: ne, *quæso*, pudefiam unquam *spe frustratus meâ*; *sed*, pro tuâ in promissis servandis æquitate, libera me *à calamitate quâ vexor.*

ANNOTATIONES.

in finem, &c. Eusebius: *neque in Hebræorum scriptis; neque apud reliquos interpretes*

adscriptio illa PRO EXTASI *continetur. Num verò, propterea quod in Psalmo inseruntur verba illa, ego dixi in excessu meo* ἐν τῇ ἐκστάσει μου, *hoc aliquis apposuit referens quæ tempore in extasi constitutus dixit, projectus sum à facie oculorum tuorum.* Theodoritus: ὑπὲρ ἐκς &c. *hunc titulum nec apud Hebræos, nec apud reliquos interpretes inveni; verùm in aliquibus exemplaribus.* Eum habebant Codices quibus S. Athanasius, Nicephorus, & Hesychius utebantur. Eum pariter exhibent Codices Reg. 928. 2603. 2723. Colb. 6051. 6258. 6510. in quibus legitur εἰς τὸ τέλος &c. *in finem Psalmus Davidi extasis;* sed in Codice Reg. 2225. legitur ψαλμὸς &c. *Psalmus Davidi extasis in finem.* In Cod. Reg. 2653. ψαλμὸς &c. *Psalmus Davidi extasis.* in Cod. Colb. 4439. εἰς τὸ τέλος &c. *in finem extasis Psalmus Davidi.* Regii autem Codices 1775. & 2606. præfatâ *extasis* carent voce: quæ etiam à Codicibus Reg. 221. & Memm. 2. abest; sed reperitur in Cod. Colb. 1339. hoc modo. Augustiniani simili: *in finem Psalmus ipsi David extasis.* Codices Reg. 158. & Colb. 258. titulum sic repræsentant: *in finem Psalmus David. vox Christi positi in cruce.*

justitia. divinam in promissis servandis fidem seu æquitatem intelligere videtur ex Psal. XVII. 34.

2 *Inclina ad me aurem tuam; accelera ut eruas me.*

Precibus meis aurem accommoda; & me celeriter erue *ex his, quibus premor, miseriis.*

3 *Esto mihi in Deum protectorem; & in domum refugii, ut salvum me facias:*

Tuere me, ô Deus; mihíque in munitam, ut me serves, arcem esto:

4 *Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu. Et propter nomen tuum deduces me, & enutries me:*

Nam te uno nitor, & ad te confugio. *Sed* &, propter bonitatem tuam, ducem præbe te mihi, & mei curam gere:

5 *Educes me de laqueo hoc quem absconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.*

Méque ex his, quas *hostes mei* struunt mihi, insidiis eripe: quoniam protector meus tu es.

6 *In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me Domine Deus veritatis.*

Vitam meam, *ab inimicis meis appetitam*, tibi commendo: *ex eorum manibus* libera me, Domine, verax in promissis.

fortitudo mea. Aquila & Symmachus *petra mea* interpretati sunt testibus Theodoro Heracleota, & Theodorito.

nomen tuum. bonitatem intellige ex Psal. LIII. 6.

enutries me. Symmachus, narrante Theodorito, *curabis me* posuit. Generalem hanc interpretationem sequutus sum: explanationibus, quæ Psalterianum textum de depellendâ fame speciatim exponunt, rejectis, quanquam scirent fame Davidem laborasse 1. Reg. XXI. 3. & ventris infrà vers. 11. mentionem facere. Confer Psal. XXII. 2. & mihi, ni fallor, assentieris; insupérque Rabbinos, vertentes *deduces* pro *enutries*, non probabis: præsertim quum S. Hieronymus ex Hebræo interpretetur *enutries*. Hoc porrò verbum pro curâ meritò accipitur: nulla enim major est cura quam ea quæ à parentibus, filios, enutrientibus, geritur.

redemisti. præt. pro futuro imperativi locum tenente, ut locum tenent præcedentia futura *deduces, enutries, educes.* Vide Psal. LXXIII. 3. LXXXIV. 1. 2. 3. Nonnulli sic explanant: aliàs me redemisti, hoc est me liberasti: quasi velit Psaltes ex præteritis beneficiis

nova impetrare; sed repugnant versus sequens, & vox *veritatis* quæ supervacanea vel saltem parùm opportuna fuerit, si præterita beneficia heic recolantur.

veritatis. mirum attende Vatis artificium; & compactam ac coagmentatam sibique undecunque cohærentem vide orationem. Divinam, in primo versu, fidem appellavit, misericordiam imploravit in quarto. Utramque dotem paulò fusiùs resumit: fidem quidem in sexto hoc versu proferens; misericordiam verò in octavo versu memorans.

7 *Odisti observantes vanitates supervacuè;*

Scilicet odisti eos qui in vanis inanibúsque hariolis confidunt;

8 *Ego autem in Domino speravi. Exultabo; & lætabor in misericordiâ tuâ:*

Ego autem meam in te spem posui: *unde opitulare mihi juxta promissa sperantibus in te facta. Ad hæc* lætus cano; &, cum gaudio, prædico misericordiam quam *mibi anteà* impertitus es:

9 *Quoniam respexisti in humilitatem meam; salvasti de necessitatibus animam meam:*

Meam namque miseriam *multoties* respexisti; *&* me his, in quibus versabar, angustiis explicasti:

10 *Nec conclusisti me in manibus inimici; statuisti in loco spatioso pedes meos.*

Nec me in *Saulis* inimici mei potestatem tradidisti; *sed* pedes meos in loco spatioso *adeòque securo* collocasti.

11 *Miserere mei Domine: quoniam tribulor; conturbatus est in irâ oculus meus, anima mea, & venter meus.*

Quum ergo mihi, calamitatibus fracto, benignitatem tuam anteà exhibueris, mei *nunc quoque* miserere Domine: nam miseriis premor; oculús*que*, animus, & venter meus *mœrore* contabescunt.

odisti. Ex his, quæ in præcedenti annotatione dicta sunt, perspicuum est errare Rabbinos eorùmque sequaces qui legunt *odi.* LXX. Senes, pro hodierno verbo שנאתי *odi*, legerunt שנאת *odisti*: cui lectioni novum, ex versu sequenti cum Psal. XVII. 34. collato, *robur* accedit: quum enim, in hoc Psalmo, spes in Deo locata fidem divinam appellet, efficitur eandem fidem cum textus nostri spe jungendam esse; & revera junctionem hanc inveniet qui versum sextum cum octavo contulerit: quod frustrà in Hebræâ quæras versione, quæ proinde rejicienda est; præsertim quum B. Hieronymus vertat *odisti*, quod argumento est ejus codicem habuisse שנאת; adeóque hodiernam lectionem שנאתי esse depravatam. Cæterùm in hanc propositionem *odisti observantes vanitates*, ista tacitè includitur *eis autem qui in te, non in vanitatibus, sperant favorem pollicitus es atque amorem.* Unde Psalteriana sententia hac ratiocinatione continetur. redime me ut verax inveniaris: nam odisti observantes vanitates; & illis, qui in te non in vanitatibus sperant, favorem promisisti; quúmque ego, spretis vanitatibus, meam in te uno spem posuerim, *redime me*, &c.

observantes vanitates. Hariolos, cum Aben Ezra & Kimchio, intelligo tum quia eos Judæi, tempore Davidis, interdum consulebant ut Saulis *a* exemplo patet, tum quia *b* Plinius Magicas *vanitates* dicit, tum denique quia *vanitas* pro mendacio aliquando in sacris

a I. Reg. XXVIII.
b lib. XXX. cap. I.

sacris *a* libris accipitur; & harioli mendacio in primis obnoxii sunt vel ipso teste *b* Plinio, qui divinationem appellat *fraudulentissimam artium*: quâ de re adeas velim ad sanctum *c* Basilium.

supervacuè. Heb. *mendacii.* idem ubique sensus: quæ enim divinatio mendacium habet adjunctum, supervacanea prorsúsque inutilis est illis qui eam quæsiere.

exultabo. idem quod canam seu laudabo ut appatet collatis locis Psal. IX, 2. XXXII. 1. XCIV. 1. Verùm in nostris futuris, non solùm observandum est, quod multoties diximus, futura pro præsentibus interdum accipi; sed præcipuè spectari debet admiranda Vatis ars, cujus vestigia habes in Psal. LXXXVIII. 1. C. 1. quæque in eo consistit ut divinam canar misericordiam quum eam impetrare vult, qd. Vates: tuam, ò Deus, misericordiam cano ut intelligas eam mihi nunc esse exhibendam. Rectè omninò: nam, quâ Deus est ad benignitatem propensione, afflictos miseratur statim atque ei misericordiæ suæ memoria commovetur; commovetur autem memoria misericordiæ, quum canitur misericordia.

respexisti. in hoc, & sequenti versu, ea videtur recolere quæ describuntur I. Reg. XVII. XXI.

ira. eam Kimchius intelligit quâ in Davidem hostes ardebant; sed ex versu sequenti cognoscimus iram hanc nihil esse aliud quàm dolorem seu mœrorem quo David conficiebatur: quique vocatur *ira* quia Davidem impellebat ut duriori, quam experiebatur, fortunæ irasceretur. Adde quæ notavi ad Psal. IV. 5. Aquila, testibus Eusebio & Theodoro Heracleota, pro *conturbatus est* &c. dixit, *squaluit in irritatione oculus meus.* Symmachus autem, referentibus Eusebio & Theodorito, dixit: *ob irritationem oculus meus turbatus est.* Unde emendari velim commentarium Theodori Heracleotæ pag. 528. addendo nomen Symmachi post μῦ, ne duæ versiones uni eidémque Aquilæ tribuantur.

Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.	12	Vita mea in dolore consumitur, & anni mei in gemitibus traducuntur.
Infirmata est in paupertate virtus mea; & ossa mea conturbata sunt.	13	Debilitatæ sunt vires meæ ob miseriam *quâ premor*; & ossa mea robore sunt destituta.
Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, & vicinis meis valdè; & timor notis meis:	14	Opprobrio sum omnibus inimicis meis, *mihique* vicini *populi* vehementer *illudunt*; & amici mei *suam in me benevolentiam patefacere* timent:
Qui videbant me, foras fugerunt à me; oblivioni datus sum, tanquam mortuus, à corde.	15	Quique me suo amore *anteà* complectebantur, procul fugiunt à me; atque ex hominum animo, non secùs ac si essem mortuus, effluxi.

in paupertate. Eusebius & Theodorus Heracleotes testantur Symmachum ita vertisse *ob afflictionem meam fortitudo mea & ossa mea putruerunt.* Laudatus interpres *paupertatem* rectè dixit afflictionem: nam in eam sententiam vox illa etiam à Vulgato Interprete plerunque sumitur; ut necesse non sit ad egestatem speciatim recurrere.

conturbata sunt. docta versio: qui enim conturbato sunt animo viribus destituuntur.

opprobrium. respicere videtur ad I. Reg. XXI. 14.

vicinis. dictio hæc pro cognatis & amicis interdum sumitur ut Luc. I. 58. XV. 9. aliquando autem accipitur pro illis qui non procul habitant ut Psal. XLIII. 15. LXXVIII.

a vide Psal. II. 1. IV. 3. XI. 2. & annot. ibid.

b lib. XXX. cap. 1.

c Homil. VI. in Hexaem. pag 74. & seq. nec non Comment. in Is. II. 6. pag. 876. 877.

4. 13. LXXIX. 7. posteriorem sensum versus noster postulat pro lege Synonimicâ.

videbant &c. prius hoc hemistichium præcedenti respondet, illúdque explicat : quod ab iis non revocabitur in dubium qui repetitionem Vati familiarem esse, & nomine *vultu* (adeóque *visu* qui ad vultum pertinet) favorem atque amicitiam nedum in laudatis alibi locis sed & versu 20. infrà significari meminerint ; & Theodoritum atque Euthymium legerint. Nonnullos quidem socios tunc habebat David, sed amici ac parentes recesserant ut ex sacrà historià liquet, quemadmodum superiùs notavi.

16 *Factus sum tanquam vas perditum, quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu:*

Similísque sum vasi deperdito, *cujus memoria abjicitur. Miserere, inquam, mei :* nam multos, circum me commorantes, audio dicentes *gravibus me* criminibus *apud Saulem* deformari :

17 *In eo dum convenirent simul adversùm me, accipere animam meam consiliati sunt.*

Dum *scilicet aulici ejus* conveniunt simul adversùm me, & consilium de vitâ mihi eripiendâ ineunt.

18 *Ego autem in te speravi Domine, dixi : Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ.*

Illi quidem hoc pacto se habent. Ego autem spero in te, Domine, & dico : Deus meus es tu *quo nitor* ; vita & mors mea in potestate tua sunt.

19 *Eripe me de manu inimicorum meorum ; & à persequentibus me.*

Eripe *ergo* me è manu inimicorum meorum ; & ab iis, qui me persequuntur, *erue me.*

20 *Illustra faciem tuam super servum tuum : salvum me fac in misericordià tuà.*

Servum tuum favore tuo prosequere : & me, pro tuâ misericordiâ, salvum præsta.

vas perditum. repetit quod paulò ante dixerat : sic ut istud hemistichium præcedenti consonet, quod Euthymium non latuit : quem quum legissem & spei non semel hoc in Psalmo repetitæ meminissem, eam à me propulsavi suspicionem quam locus Jerem. XIX. 11. mihi attulerat, nimirùm loquutioni nostræ hanc subesse sententiam, omnia in me ad perniciem sunt profligata atque perdita.

quoniam. cum Nicephoro & Euthymio repeto *miserere* à communi sensu. Sed cum iisdem *vituperationem* non ausim sic interpretari, ut sensus sit : miserere quoniam propriis auribus vituperari me à multis audivi. Hanc ego vituperationem ad crimina, quibus apud Saulem accusabatur, cum Muisio refero ; idque sequens versus postulare videtur.

commorantium in circuitu. Rabbini : *pavor (est) circumquaque.* Utrumque sensum Hebrææ voces recipere possunt ; sed noster cum sequenti magis congruit versiculo, qui minùs benè cohæret si Hebraica lectio admittatur : nisi cum Muisio adverbium *ideòque* (quod nec Hebræus nec Latinus textus habet) addideris, hoc pacto : *quoniam audio multis me criminibus apud Saulem deformari, seditiosum me dici .. ideóque initi quotidie consilia de me tollendo, propterea pavor mihi est circumquaque.*

sortes meæ. ita, cum Didymo, legebant Eusebius & Theodoritus ; sed Eusebius monet Hebraica habere *tempora mea.* Theodoritus autem ait reliquos (Interpretes) dixisse *tem-*

pora mea. Idem in utraque versione sensus inest: mihique nullatenùs probatur quod multi affirmant Septuaginta Senes scripsisse *χαιροὶ μου tempora mea*. & librariorum vitio irrepsisse *κλῆροί μου sortes mea*. Posteriori modo LXX. scripsisse & ad sensum respexisse existimo. Psalterium Romanum Rabbinicam sequitur scripturam; nostræ Apollinarius, S. Augustinus, Nicephorus, Euthymius & Psalteria Arabicum & Æthiopicum adhærent præter laudatos Didymum ac Theodoritum: à quibus abire Eusebium, & ab Eusebio Nobilium discedere noscent qui Barbarianam Catenam legerint p. 277. Noster porrò versus præclarum suppeditat testimonium adversus Stoicos aliósque fati laudatores contra quos *a* Oenomaus, *b* Diogenianus Peripateticus, *c* Alexander Aphrodiseus, *d* Plutarchus, *e* Bardesanes, *f* Origenes; *g* Eusebius, *h* Nemesius, & S. *i* Augustinus feliciter disputant.

a apud Euseb. de Præp. Evang. VI 7
b apud Euseb. ibid. cap 8.
c apud Euseb. ibid. cap 9.
d lib. de Fortunâ
e apud Euseb. lib. cit. cap 10.
f ibid. cap. 11.
g de Præp. VI 6.
h de Nat. hominis cap 44.
i de Civ. Dei lib. V. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 10 11.

21 *Domine non confundar, quoniam invocavi te;*

Et, quia te invoco Domine, ne *quæso* sinas *me spe frustrari atque ita* pudefieri;

22 *Erubescant impii & deducantur in infernum, muta fiant labia dolosa:*

Sed potiùs erubescant & in sepulchrum detrudantur impii *qui me persequuntur*, mutíque fiant homines *illi* labiis mendacibus utentes:

23 *Quæ loquuntur adversùs justum iniquitatem; in superbiâ & in abusione*

Qui adversùs justum falsa loquuntur, *ei insuper* arroganter & cum despectu insultantes, ignari

24 *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te;*

Quàm grandis sit multitudo bonorum quæ tui metuentibus reservas;

25 *Perfecisti eis qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.*

Quæque iis, qui in te sperant, seponis, *exhibenda postmodùm* palàm atque apertè.

26 *Abscondes eos, in abscondito faciei tuæ, à conturbatione hominum:*

Eos *sanè*, ante faciem tuam, tanquam in latibulo *tutissimo*, collocatos securos præstas ab injuriis hominum:

27 *Proteges eos in tabernaculo tuo, à contradictione linguarum.*

Eósque, in tabernaculum tuum admissos, tueris à malevolorum calumniis.

justum. de se loquitur in tertiâ personâ.

abusione. despectum propriè significat Hebraica vox, quæ proinde priori consonat: etenim despectus à superbiâ oritur, quum ii soli alios spernant qui superbi sunt. Sed LXX. Senes, perspicientes etiam atque etiam & penitus introspicientes Vatis mentem, innuere voluerunt prædictæ superbiæ errorem inesse; eàque de caussâ usi sunt nomine *abusione*, quæ nostræ respondet loquutioni *ils parlent avec superbe & me méprisent, abusez qu'ils sont, & ne sçachant point combien grande est vostre bonté*, &c. Huic interpretationi sequens particula *quàm sive*; neque regula Synonimica adversatur: qui enim in præfato errore versabantur, Davidi superbè & contemtim insultabant. Vulgato Interpreti consentiunt Aben-Ezra & Kimchius: quippe qui, vel ipso teste Muisio, doceant Vatis hanc esse sententiam, *illi in justos*

superbè & cum magno contemptu insultant quòd videant eos jacere in sordibus atque ignorent quantum illis bonum... seposueris &c. S. Aug. pro *abusione* legit *in contemptu*.

quàm magna &c. *Aquila & Symmachus*, inquit Theodoritus, *sic verterunt: quàm multa est bonitas tua quam repositam timentibus te occultasti.*

abscondes eos, &c. Flaminius: *est autem sumta hæc orationis exornatio ex similitudine regis qui eum, quem securissimum esse velit ab impetu & insidiis inimicorum, in suum cubiculum recipiat, ut non solùm parietes regia sed etiam oculi regis salutem ipsius custodiant: quâ quidem tutelâ nihil securius aut amantius excogitari potest.* Metaphoræ vim, sed non originem doctus interpres intellexit: sumitur enim metaphora ex tabernaculo divino ad quod confugiens Moses ab impetu seditiosorum tutus erat, quasi sub oculis Dei esset. Vide annot. ad Psal XXVI. 9.

contradictio. vox obtrectationi & calumniis apta: quum enim alicui obtrectamus, famæ ejus contradicimus.

28 *Benedictus Dominus: quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita.*

Unde Dominum *etiam atque etiam* laudari velim: nam, *quâ est in suos cultores benignitate*, suam mihi misericordiam admirando modo impertietur *ducens me* in civitatem *aliquam* munitam, *ubi tandem à Saulis vexatione tutus sim.*

29 *Ego autem dixi in excessu mentis meæ, projectus sum à facie oculorum tuorum;*

Ego quidem *ærumnarum mearum* magnitudine obstupefactus, dicebam *nuper:* projectus sum abs te *Domine;*

30 *Ideò exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te.*

Verùm orationis meæ vocem audies, postequam ad te clamavero.

31 *Diligite Dominum omnes sancti ejus: quoniam veritatem requiret Dominus; & retribuet abundanter facientibus superbiam.*

Vos porrò omnes, qui divino cultui addicti estis, *ô socii mei*, Dominum diligite: siquidem fidei studiosus est Dominus; & superbissimis *hostibus nostris* pœnam, quam merentur, tribuet.

32 *Viriliter agite; & confortetur cor vestrum omnes qui speratis in Domino.*

Viriliter agite omnes qui in Domino speratis; & roboretur cor vestrum, *nullatenùs dubitantes quin Deus suppetias nobis sit laturus.*

civitate munita. Urbem *Ceilam* intelligit Muisius cum Rasi; sed utrumque refellit ipsemet, quo nituntur, locus I. Reg. XXIII. 7. nam, quando Ceilam urbs portarum & vectis erat, Saul de Davide actum esse concludebat, dicens: *tradidit eum Deus in manus meas, conclusúsque est introgressus Urbem in quâ porta & sera sunt.* Unde urbs hæc saluti non fuit Davidi, quin potius exitio futura erat si in eà mansisset: atque adeò Psalterianus in Urbem illam non quadrat textus: qui Urbem supponit in quâ David manens, integer incolumisque

ſervatus fuerit. Paulò feliciùs, ſed non feliciter verſum noſtrum explanat Symmachus quum eum, apud Euſebium & Theodoritum ei ſubſcribentes, ſic vertit. *Benedictus Dominus qui mirabilem miſericordiam ſuam fecit mihi tanquam in civitate munita.* S. Auguſtinus, pro *civitate munita*, legit *civitate circumſtantiæ.*

in exceſſu mentis meæ. Rabbini: *in feſtinatione meâ*, hoc eſt quum præceps fugerem à facie Saul. S Hieronymus ex Hebræo vertit *in ſtupore meo.* Idem ubique ſenſus: etenim, quum præcipites fugimus, ſtupemus; & quaſi mente excedimus præ eâ, in quâ jacemus, perturbatione. S. Auguſtinus legit *in exſtaſi mea*, & S. Hieronymus ep. 135. habet *in ſtupore & admiratione*: ac teſtatur in Latinis codicibus antea legi ſolitum *in pavore meo*: quod reperias in explanatione B. Auguſtini.

ideò. interpretor *verùm* cum Theodorito: à quo tamen abeo præteritum *exaudivit* per futurum vertens, prælucente Pſal. IV. 5. & obſecundante Pſalterianâ ſerie.

diligite &c. hoc in verſu & ſequenti ſocios alloqui videtur: quos ei tunc adfuiſſe noſcent qui Regum hiſtoriam legerint.

& retribuet &c. dilucidior eſt Auguſtiniana lectio *retribuet his qui abundanter faciunt ſuperbiam.* Favet textus Græcus.

ARGUMENTUM.
PSALMI TRIGESIMI PRIMI.

POSTQUAM David adulterio ſe & homicidio contaminaſſet, acceſſit ad eum Propheta Nathan; & cum illo ſermonem contulit, in quo tria potiſſimùm videmus: 1°. Davidem feciſſe *abſconditè* ideſt clàm peccaſſe; atque adeò publicam, quæ occultum illud peccatum pervulgaſſet, veniam à Deo non petiiſſe. 2°. peccatum hoc fuiſſe illi à Deo condonatum ſtatim atque publicè ſeu coram Nathane dixit *peccavi Domino*: 3°. peccati hujus pœnam non fuiſſe remiſſam. Tria hæc in noſtro Pſalmo animadvertimus. Peccati reticentia in verſu 3. reperitur; condonatio in verſibus primo & ſecundo inſinuatur, & apertè in ſexto deſcribitur; pœna in octavo ac nono apparet. Ex quibus verſibus, cum ſeptimo & ultimo ac prædictâ libri Regum hiſtoriâ collatis, conjicio mandatam huic Pſalmo fuiſſe orationem quam David ab Abſalomo exagitatus & Urbe exactus habuerit coram iis viris pietate claris qui ei adhæſerant. Ma-

gnam autem, & quæ nos peccatores pudore suffundat, deprehendisse, hoc in Psalmo, videor demissionem: quam eò lubentiùs aperiam quòd clarissimum, ut mihi quidem videtur, perobscuro Psalmo lumen est allatura, totúmque ejusdem Psalmi ordinem patefactura, & nexum explicatura. David, impetratâ peccati sui veniâ, beatum se dicit ac perbenignè à Deo tractatum: præsertim quum venia illa animum suum tranquillaverit & angorum, quibus diu noctúque excruciabatur, finem fecerit. Nihil amplius à se (qui in peccata tam gravia prolapsus fuerat) peti debere innuit; neque par esse ut qui, præter meritum, eximio bono idest indulgentiâ peccatorum donatus fuerat, pœnam quæ his peccatis debita erat deprecaretur. Nihilominùs (divinâ bonitate confisus) pœnam hanc deprecatur in versibus 8. 9. 10. 11. 12. 13. in quibus Vates Deum introducit sibi & hostibus suis loquentem; tum versu ultimo justos, hoc est eos qui à partibus suis stabant, ad laudes Deo canendas & spem in eo ponendam excitat. Atque ex his colligi potest Theodorum Heracleotam, in enarratione tertii versus, Psalmum Ezechiæ minùs benè aptasse.

TITULUS.

Ipsi David intellectus.

PSALMUS XXXI.	PARAPHRASIS.
1 *BEati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.*	FElices *sunt illi* quorum iniquitates remissæ sunt, & quorum delicta sunt condonata.

ANNOTATIONES.

ipsi David &c. S. Aug. in primâ enarratione: *ipsi David intelligentia*; in secunda: *huic*

David intellectus: & ita legit Codex Memm. 2. Codex autem Reg 138. habet: *ipsi David intellectus vox pœnitentium.* Colb. 158. *ipsi David intellectus vox pœnitentium ante baptismum*: quod ex Origene & Eusebio baptismum memorantibus sumtum videtur. Codices Reg. 928. 1532. 1775. 2603. 2606. 2723. Colb. 6051. 6510. habent ψαλμὸς τῷ Δαβὶδ συνέσεως. *Psalmus Davidi intelligentia*: quomodo in optimis duobus Codicibus MSS. Cæsareis titulus, teste Corderio, huic Psalmo inscribitur Eandem inscriptionem Theodoruo tribuit Nobilius: sed vir doctissimus memoriâ labitur: nam Theodoritus pag. 513. edit. Gr. Lat. habet tantùm τῷ Δαβὶδ συνέσεως, *Davidi intelligentia*. Codex Reg. 2225. τῷ Δαβὶδ συνέσεως ψαλμός, *Davidi intelligentia Psalmus.* Colb. 4439. συνέσεως τῷ Δαβὶδ ψαλμός, *intelligentia Davidi Psalmus.* Codex Colb. 6158. titulo prorsus caret. Kimchio vocabulum משכיל, quod Noster vertit *intellectus*. est melodiæ genus: aliis instrumentum musicum; aliis initium veteris cantilenæ: mihi carmen eximiâ doctrinâ refertum. Adstipulatur Didymus qui ait: *ad intelligentiam hoc ait quum multa sint in Psalmo arcana & occulta.*

remissa sunt &c. Hallucinantur Hæretici: qui ex his duobus versiculis colligunt justificationem in solâ peccatorum remissione non in justitiæ infusione consistere; eaque remissione peccata non aboleri, sed tegi à Deo & non imputari. Hallucinantur, inquam, nam quemadmodum *a* Abrahami & *b* Phineesi factum verè justum fuit quanquam eis ad justitiam reputatum dicatur; ita peccatum, quum non imputatur, verè tollitur: idque ostendit S. *c* Paulus quum, ambos istos versus adducens, justitiæ meminit; ostendítque etiam ipsemet David qui, quum addat *nec est in spiritu ejus dolus* illam non imputationem sic, ut nulla supersit in hominis animo iniquitas, esse intelligendam declarat: nam, ut multoties diximus, secundum hemistichium prioris solet esse explicatio vel repetitio. Unde optimè Didymus in Catenâ Barbari p. 282. *Deus non imputat peccatum vel dum illud aufert; vel quum planè admissum non fuerit*; & apud Corderium p. 553. Κἂν ἐφαμαρτῶσι &c. *&, si peccaverint, tegit ea per virtutem non abscondentem illa; sed omninò abolentem.* Optimè etiam Theodoritus τοσαύτῃ &c. *erga ipsos* (qui peccatorum veniam adepti sunt) *tantâ liberalitate utitur ut non modò remittat, verùm etiam obteget peccata, ut ne vestigia quidem horum remaneant.* Plura suppeditabit Bellarminus de Justificatione disputans & in hunc Psalmum scribens.

a Gen. XV. 6.
b Psal. CV. 31.
c Rom. IV. 18.

Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus.	2	Beatus *est* homo cui Dominus veniam peccati dedit, & cujus in animo nulla superest pravitas.
Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea dum clamarem tota die:	3	*Eâ ego felicitate anteà non utebar:* quia enim *peccatum meum* reticebam, meæ consenescebant vires præ gemitu in quo totâ die versabar:
Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in ærumnâ meâ dum configitur spina.	4	Siquidem manus tua diu noctúque super me ingravescebat: *&* me in miseriâ meâ volutabam, pungente me *scilicet peccati* spinâ.

in spiritu. Arnobius, S. Augustinus, Theodoritus, Cassiodorus, & Psalteria Romanum & Arabicum, cum Sixtinâ editione legunt, ἐν τῷ στόματι *in ore.* Sed S. Hieronymus in Epist. 135. testatur solum Symmachum posuisse ἐν τῷ στόματι *in ore*; Septuaginta verò Interpretes & Theodotionem & Quintam & Sextam editionem & Aquilam & ipsum Hebraicum habere *in spiritu.* Consonat Æthiopicum Psalterium, in quo legitur *in corde.* Eusebius utramque lectionem profert.

delus. pro iniquitate, & quæ ad proximum præsertim spectet (qualis erat Davidica) heic sumitur ut Psal. XIII. 5. CIV. 24.

quoniam. Kimchius minùs benè: *quum peccata mea tacitus contemplor*: nec meliùs quidam alii: *quum* seu *quandiu tacui.*

tacui. Eusebius: *Symmachus, absilui: Theodotio, laboravi interpretati sunt.* idem testatur Theodorus Heracleota apud Corderium p. 546.

ossa. Euthymius: *per ossa, vires suas intelligit.*

gravata est. ἐκ μεταφορᾶς &c. *ex translatione posuit eorum qui manu feriunt & in hoc diutiùs perseverant* inquit Theodoritus post Theodorum Heracleotam. Nonnulli hanc aggravationem de filii, quem David ex stupro susceperat, morte; Ammonis cæde; aliisque hujusmodi calamitatibus Davidi à Deo immissis explicant; sed non advertunt agi heic de tempore quod Davidis confessionem præcessit: quumque tunc præfatis calamitatibus vexatus non esset, perspicuum est hane manus divinæ *aggravationem*, illámque, in quâ David versabatur, ærumnam intelligendas esse de conscientiæ angore: quo, post admissum peccatum, cruciabatur; quíque, testibus *a* Cicerone & *b* Plutarcho, vera & maxima ærumna est. Psalteriana, quæ spinæ meminit, series opinionem nostram confirmat, ut iis planum fiet qui *c* Didymum, *d* Hieronymiastrum, *e* Theodoritum, atque *f* Euthymium *spinam* de peccato, quod spinæ instar, inutile sit germen atque ad pungendum natum, & dolorem inferat, exponentes legerint; & *g* Ciceronem audierint atque *h* Boetium qui conscientiæ angorem stimulis pungentibus assimilant.

conversus sum. &c. Rabbini: *conversus est succus meus in siccitates æstatis*; sed versio nostra melior est ut præcedenti patet annotatione, & sequentibus fiet manifestius. LXX. legisse videntur נהפכתי לשדי בחרבני קיץ *versatus sum in ærumnâ meâ dum desolat me spina*; seu, *dum configitur spina*, pro נהפך לשדי כחרבוני קיץ *conversus est succus meus in siccitates æstatis.* Posterioris hujus lectionis depravatio colligitur 1°. ex iis quæ de spinâ diximus, quæque luculentiorem sensum efficiunt quam siccitates æstatis. 2°. ex S. Hieronymo qui ex Hebræo vertit *versatus sum* quod argumento est Hebræum, quo sanctus Doctor utebatur, codicem habuisse נהפכתי non נהפך. 3°. ex ejusdem sancti Doctoris interpretatione qui, vocem שדי à radice שדד deducens, posuit *in miseriâ meâ*: adstipulante, apud Rasium, Rabbino Menachem qui, Psalterianam vocem ex eadem radice eliciens, interpretatus est in *vastitate meâ.* 4°. ex nomine כחרבוני quod quum semel tantùm sub hac formâ occurrat, magnam depravationis suæ suspicionem affert; præsertim quum *siccitas* חרבה & *siccitates* חרבית in fœminino genere exprimantur Gen. VII. 22. Exod. XIV. 21. Levit. VII. 10. Jos III. 17. IV. 18. Prov. XVII. 1. Is. XLVIII. 21. Ezech. XXX. 12. Ag. II. 7.

mea. S. Hieronymus in Ep. 135. testatur illud pronomen ex Hebraico & de tralatione Theodotionis sub asterisco additum esse in Hexaplo. Id ego de Hexaplo, quod Hieronymianâ ætate circumferebatur, facilè crediderim; sed in eâ sum sententiâ pronomen illud in primævâ atque immaculatâ LXX. Senum versione exstitisse.

configitur. S. Augustinus in priore enarratione: *configeretur*; in secundâ, *configitur*: &, paulò post in explanatione, *configeretur.* Cassiodorus, cum Psalterio Romano, *confringitur.*

a de Legib. num. 30. *pœnas luunt* &c.
b de Serâ Num. vind. pag. 554. E. F. 555 A. B. 556. E. F.
c in Cat. Barb.
d Comment. in hunc Psal.
e Comment. in hunc Psal.
f Comment. in hunc Psal.
g pro Sext. Rosc. 6 *scrupulum evelle qui me dies noctésque stimulat ac pungit*
h lib. 3. Consol. metr. 7. *Habet omnis hoc voluptas* &c.

Delictum meum cognitum tibi feci; & injustitiam meam non abscondi,	5	*Ast* ubi delictum meum tibi, *coram Nathane,* aperui: & meam, *coram eo*, iniquitatem non celavi,
Dixi: confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.	6	Dicens: peccavi Domino, statim tu peccati mei impietatem remisisti; *& felicem me hac reddidisti indulgentiâ.*

cognitum tibi feci. S. Augustinus, *cognovi.*

& tu remisisti. Symmachus, *ut tu auferas impietatem peccati mei.* Hanc interpretationem referunt & probant Eusebius ac Theodorus Heracleota, quibus non assentior.

impietatem

impietatem. impietatem dicit, non pœnam: quia illa translata erat, hæc non item.

peccati mei. rectè observat Bellarminus S. Augustinum, cum Græco textu, legere *cordis mei*; sed hanc lectionem Theodorito vir summus perperàm tribuit: Cyreusis enim Episcopus p. 514. edit. Græc. Lat. habet *τῆς ἁμαρτίας μου peccati mei*, quâ cum lectione Hebræus textus consentit.

7 *Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno:*

Et, pro hac, *quam mihi indulsisti, veniâ*, omnes, *qui à partibus meis stant*, pii viri laudabunt te quum opportunum, *finito bello*, tempus nacti fuerint.

8 *Verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.*

Verùm, *etsi hæc culpæ liberatio felicem & feliciorem, quàm sperare par fuisset, Davidem efficiat*, tamen *obsecrat ut* in *luctuoso hoc bello, quod in eum* instar diluvii *effunditur, multijuges, quæ bella sequi solent, calamitates* ad eum non pertingant.

9 *Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea erue me à circumdantibus me.*

Tu es refugium meum in hac, quæ circumstat me, ærumnâ: erue *ergo* me ab *illis* qui circumdant me *hostibus* ô Deus, quo uno glorior.

pro hac. fœmininum pro neutro ut Psal. XXVI. 7. quod optimè intellexit Symmachus: qui, apud Theodorum Heracleotam & Theodoritum, vertit *pro hoc.* Illud tamen pronomen ad impetratam veniam relatum, in fœminino exprimitur. Symmachus ab Eusebio & Theodorito laudatus, hunc versum ita interpretatus est: *pro hac orabit omnis sanctus, occasionem nactus, ne aqua multa inundantes ad ipsum appropinquent.*

orabit. Confer Psal. LXXI. 15. & annot. ibid. nec non ejusdem Psalmi versum 11. & nostram, ni fallor, explanationem probabis.

tempore opportuno. David à culpâ liberatus, repositam huic culpæ pœnam tàm subitò experiri cœpit ut spatium ei non fuerit solemnes, de prædictâ culpæ liberatione, gratias Deo agendi. Illud à se sociisque suis præstitum iri recipit in hoc versu: cujus vel sola vox *opportuno*, tritam, de veniâ à piis, Davidis exemplo fretis, petendâ, explanationem explodere debuisset, quum venia illa quovis tempore & semper sit efflagitanda. LXX. doctè, pro suo more, Hebraicam loquutionem *in tempore inveniendi* reddiderunt *in tempore opportuno.*

verumtamen. erudita vox, & quæ sempiternum eruditionis LXX. Senum monumentum erit. Hæc una vox, meo quidem judicio, totum Psalmum illuminat & cohærentes ejus sensus aperit. Audiendi porrò heic non sunt sive Nicephorus qui *verumtamen* interpretatur &; sive illi qui vertunt *profectò.*

aquarum multarum. aquæ calamitatum symbolum Psal. LXVII. 24. LXVIII. 1. 2. 3. 9.

ad eum. de se loquitur David in tertiâ personâ, & pronomen *eum* refertur ad *me* vers. 5. Nec proximior vox *sanctus* obstat: nam pronomina ad remotiores dictiones aliquando referuntur ut notavi ad Psal. II. 9. neque etiam personarum mutatio obstat: nam ea, hoc in opere, frequens est ut jam non semel monui.

approximabunt. fut. pro imperativo Subauditur autem nomen *aqua*. Vates nominativum cum hoc verbo subaudire amat. Confer Psal. XC. 7.

exultatio mea. Confer Psalmum V. 14. & hunc ipsum Psalmum nostrum vers. ult. Rabbinorum sequaces totum versum ita interpretantur : *tu es refugium mihi à tribulatione, custodies me : clamoribus*, vel potiùs, *cantionibus liberationis circumdabis me*. LXX. Senes solitam pronominis *qui* ellipsin suppleverunt ; & Hebræum textum, uti hodie exstat, habuerunt : nisi quod legerunt מסובבני *à circundantibus me* pro תסובבני *circundabis me*. Lectionis nostræ præstantiam eximius, qui ex eâ oritur, sensus ostendit ; contrà Hebraicæ versionis vitium insulsitas ei connexa patefacit : quod quum Hebraici textus vindex acerrimus dissimulare non posset Muisius, in hæc erumpere coactus est verba : *sanè durum illud loquendi genus videri possit cantionibus liberare ; ac mallem, si fieri posset, libera seu erue*. Non minùs dura ista loquutio *circumdare aliquem cantionibus liberationis* ; nec eam satis emollit Vatablus, quum ait : *me lætitiâ perfundit illâ, quâ gaudere solent qui ab hostibus liberati sunt*.

Intellectum tibi dabo ; & instruam te in viâ hac quâ gradieris : firmabo super te oculos meos ; 10

Me, inquam, erue, dicendo mihi : erudiam te ; & docebo te viam, quâ tibi sit eundum *ut inimicorum manus evadas :* & te studiosè diligentérque curabo ;

Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus ; 11

His verò, qui me insectantur, ita loquendo : nolite fieri sicut equus & mulus qui intellectu carent ; *neque hæc rationis expertia imitati animalia, Regem vestrum oppugnate ;*

In camo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te : 12

Mihi iterùm : camo & fræno os constringe eorum qui *sponte suâ* ad te accedere *& morem tibi gerere* noluerint ; *eósque, hoc pacto, ad obedientiam compelle vel invitos ;*

Multa flagella peccatoris ; sperantem autem in Domino misericordia circumdabit. 13

Illis rursùs : multæ pœnæ manent improbos *qui à suo, quem Deus elegit, rege deficiunt ;* cum autem qui in Deo sperat *Davidem* suâ *ipse* misericordiâ cinget, *illum reddens victorem*.

Lætamini in Domino, & exultate justi : & gloriamini omnes recti corde. 14

Interea vos ô mei comites, qui justitiam colitis, læti Dominum canite, & exultate : *vósque omnes commilitones mei*, qui candidum pectus geritis, tanto gloriamini defensore.

intellectum tibi dabo &c. Theodorus Heracleota testatur Aquilam vertisse : *scientiam*

dabo tibi & illuminabo te in viâ quâ gradieris. Symmachum : *intellectum tibi dabo & ostendam tibi viam quâ ambules.* Eadem ferè habet Eusebius in Catenâ Barbari.

firmabo &c. Euthymius : *non simpliciter ego te aspiciam ; sed constanter atque indesinenter te observabo, eorum instar qui, in bello, alicujus curam suscipiunt, & oculos in eum firmant ut periclitanti subveniant ac præsto adsint.* Confer Psal. XXX. 26.

camo & fræno. repetitio est ; camus namque idem significat ac frænum ut constat ex *a* Xenophonte & Hesychio : quorum ille ait ὁ γὰρ κημὸς &c. *quippe camus, ut respirationem non impedit, ita mordere non sinit* ; alteri autem κημὸς est εἶδος χαλινῶ *fræni species.* Ex istâ autem fræni mentione *b* Virgilium & *c* Plinium, frænorum usum Pelethroniis Lapithis Thessaliæ montem incolentibus aut Pelethronio cuidam adscribentes, errasse colligi non immeritò potest.

a de re equestri.

b Georg. III.

c lib. VII. cap. 56 post. med.

qui non approximant ad te. Rabbini *ne appropinquent ad te* : inepta versio ut ex Psalteriano liquet contextu ; & B. Hieronymo qui ex Hebræo vertit : *qui non accedunt ad te.* Nec repugnant Hebræa, modò ellipsis pronominis *qui* suppleatur.

ARGUMENTUM.

PSALMI TRIGESIMI SECUNDI.

IN secundo Regum libro cap. XXI. 15. 16. 17. describitur prælium à Davide contra Philisthæos initum : in quo capitis periculum adiit David, irruente in eum Jesbibenobo qui erat de genere Arapha seu Gigantum ut apparet I. Paralip. XX. 4. & 6. Tanto perfunctus David periculo & reportatâ ab hostibus victoriâ, Psalmum hunc in gratiarum actionem condidisse videtur : idque probabiliter conficitur primùm ex versu 10. ubi mentio fit *Gentium*, quibus Philisthæos designari puto ut Psal. XVII. 48. Secundò ex versu 16. in quo *Gigantem* nominari videmus qui, nisi fallor, est Jesbibenob. Atque hæc sententia magis mihi placuit quàm ea in quâ sunt Theodorus Heracleota, Theodoritus, Theorus Antiochenus, atque Euthymius qui Psalmum exponunt de Ezechiâ populum ad hymnos cantandos excitante post partam in Assyrios victoriam. Notari porrò velim Psalterianum ordinem & miram, quæ in eo

latet, artem ac cohærentiam. Victoriam in Philisthæos eorúmque ducem Jesbibenobum partam atque à divinâ cùm fide tum misericordiâ ortam descripturus David, fidem ac misericordiam Dei generatim canit : & misericordiæ, utpote quæ in orbe potissimùm fulgeat : inhærens, eam in cœli creatione & aquarum in unum locum congregatione primùm demonstrat ; deinde illam in reportatâ à Philisthæis & Jesbibenobo victoriâ ostendit. Postmodùm Deo supplicat ut eandem misericordiam Israelitis in ipso sperantibus impertiri pergat. Cæterùm victoriam cum creatione & aquarum congregatione Vates rectè conjungit : nam victoria illa afflictos & luctu perditos Israelitas erexit ac recreavit ; Philisthæos autem per terram Israeliticam passim dispersos in unum locum nempe in eorum regionem coegit.

TITULUS.

Psalmus David.

PSALMUS XXXII.		PARAPHRASIS.
EXultate justi in Domino : rectos decet collaudatio.	1	LAudes Domini cum exultatione canite ô justi : decet *enim maximè* ut recti *Deum* laudent.
Confitemini Domino in citharâ ; in psalterio decem chordarum psallite illi.	2	Celebrate Dominum citharâ ; eúmque Psalterio decem chordis constante canite.

ANNOTATIONES.

Psalmus David. Cod. Reg. 2606. ψαλμὸς τῷ Δαβίδ, *Psalmus Davidi.* Reg. 928. 1532. 1775. 2603. 2653. 2723. Colb. 4439. 6158. 6510. ψαλμὸς &c. *Psalmus Davidi sine titulo apud Hebraos.* Reg. 2225. ψαλμὸς &c. *Psalmus Davidi sine titulo.* Colb. 6051. ἀνεπίγραφος &c. *sine titulo apud Hebraos.* Cum ultimo hoc Codice consentit Theodoritus qui prædicta verba à LXX. Interpretibus apposita esse putat. Codex Reg. 138. *Psalmus David. Propheta cum laude Domini populum adhortatur.* Colb. 158. *Psalmus David Propheta cum laude populum adortatur.* Memm. 2. *in finem Psalmus David.*

exultate. Theodoritus : *multis in locis pro exultate. Aquila laudate ; & Symmachus similiter verterunt.*

justi. Judæos sic appellat comparatione reliquorum populorum : qui quum Deum non colerent, longè à justitiâ & sanctitate aberant.

psalterio. Kimchius duo heic distinguit instrumenta, Psalterium seu Nablum, & Decachordum; afférteque locum Psal. XCI. 3. ubi hæc distinctio in textu Hebræo clarè observatur adhibitâ copulâ ו. Sed, utroque in loco, nostros consectari libet Senes, qui præfatam copulam in exemplari suo Hebræo non legebant. *Psalteris* mentionem habes apud *a* Athenæum & Varronem à *b* Nonio productum : ubi psalterium memoratur *orthopsallicum*, pro quo legendum putem *aschorpsallicum*, ut sensus sit Psalterium illud, quo psallebatur, decem chordis instructum fuisse : nam vox *aschor*, quæ in versu nostro usurpatur, Hebræis est *decem* ; & fortasse ex illâ dictione Hebraicâ fluxit vox corrupta *ortho* : quanquam scio *c* Casaubono & *d* Bochio verisimile videri ut ψαλτήριον ὄργανον distinguatur ab *e* Athenæo. Ut ut res sit, Psalterium fuisse instrumentum musicum in confesso est.

a lib. 4. cap. 25 pag. 183. C ubi de Alexandro Cytherio sermo fit

b in voce *Dicteria.*

c animadvers. in Athen. pag. 316 lin. 51.

d Comment. in hunc Psal.

e loc. cit. ubi præposterus ordo esse videtur mihi, & idem dici atque apud Varronem jam laudatum.

3 *Cantate ei canticum novum ; bene psallite ei in vociferatione :*

Cantate ei canticum novum ; illúmque voce splendidâ laudate quàm optimè :

4 *Quia rectum est verbum Domini ; & omnia opera ejus in fide ;*

Siquidem sermo Domini verax est, & promissorum fides in omnibus ejus operibus elucet ;

5 *Diligit misericordiam & judicium, misericordiâ Domini plena est terra.*

Diligítque misericordiam ut & in promissis servandis constantiam, eâque Domini misericordiâ plenus est orbis.

6 *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

Misericordiâ effectum est ut verbo Domini formati sint cœli, omnísque eorum ornatus *perfectus fuerit* simul ac vocem emisit.

in vociferatione. Quidam in clangore tubæ ut Psal. XXVI. 11. sed verbum Hebraicum נגן (cui pulsandi significatio subest) répugnat, tubæ enim non pulsantur : unde nostro in versu vociferatio grandem (ut Exod. XXXII. 17. I. Reg. IV. 5.) vocem significare videtur. Favent S. Augustinus qui legit *in jubilatione*, & Theodoritus cui vociferatio est victoriæ clamor qui contra fugientes à vincentibus editur.

rectum. ad promissum de quo II. Reg. III. 18. respicere videtur : non officiente generali, quæ in secundo hemistichio sequitur, loqutione.

judicium pro veritate seu fide promissorum heic accipitur ut Psal. XXXV. 6. LXXXVIII. 14. CX. 6.

plena est. innuit misericordiæ specimina à Deo in terrâ præcipuè exhiberi. Confer Psal. XXIV. 14. & annot. ibid.

verbo Domini. alludit ad Gen. I. 6. ut Theodorito notatum est, atque Euthymio : qui, versum nostrum enarrans, ait : *videntur quidem hæc verba idem æquè significare : dixit enim Deus de unoquoque, fiat ; & factum est. Verbum præterea, oris spiritus est aerem verberans : & qualis est oris spiritus qui aerem verberat, tale est & ipsum verbum.* Hanc explicationem firmat locus Is. XI. 4. Quemadmodùm autem in sensu literali *verbum* & *spiritus oris* idem sunt, ita in sensu sublimiore *verbum* à *spiritu oris* differre non videtur. Unde utrâque loqutione unum Dei Verbum hoc est secundam sanctissimæ Trinitatis personam significari existimo. Suadent id 1°. regula Sinonymica ; 2°. S. *c* Johannes qui de creatione, cujus Psaltes meminit, sermonem faciens, eam Verbo divino tribuit : * succinentibus

c I. 2.

* dicens : *omnia per ipsum facta sunt.*

a lib. III. 8. IV. 75.
b Orat. 3.
c de Spiritu sancto c. 16.
d Past. lib. 3.
e Apolog. 2.
f Simil. V. n. 6. adde Clementem (aut alium) epist. 2. ad Cor. n. 9. V. 1.
g Apolog. XXI. p. 19. C. XXIII p. 23. B de Orat. in princip. adv. Marc. lib. I. c. 19. p. 374 C. lib. VI. pag. 400. A. adv. Prax. cap 26. p. 515 D. & de Carne Christi cap. 16. p. 321. D.
h de Idolorum vanit. in vetustioribus libris teste Rigaltio in Not. in hunc loc p. 207.
i Inst. lib. IV. cap. 6. §. 11.
k lib. contr. Ar. sub fin. to 4. Bibl. PP. p. 234. C.
l lib. 3. adv. Hæres. hæres. 73. to. 1. p. 864. B C D.
m in Timæo λέγωμϑν ὅ &c.
n Comment. in cap. 2. lib. 5. Metaphys. Arist.
o de mundi opif. sub init. lib. 2. de Allegor. p. 57. edit. Genev.
p Comment. in aur. carm Pythag. δι' αὐτὸν τὰ πάντα, &c.
q de Cœlest Hier. c. 4. & lib. de div. nomin. c. 14.
r Orat. de Jonâ.

S. *a* Irenæo, S. *b* Athanasio, & S. *c* Basilio. Nec vocabulum *Spiritus* obstat : etenim vocabulum illud, non in strictam illam & singularem quà tertiam divinæ Trinitatis personam intelligimus; sed in laxiorem, quâ *spirare* dicitur quicquid emanat, significationem sumtum, Christo tribuitur non solùm ab *d* Herma, *e* Justino, S. *f* Irenæo, *g* Tertulliano, S. *h* Cypriano, & *i* Lactantio : sed etiam à *k* Phœbadio post ortam & multoties oppugnatam Arianorum hæresim scribente; imò à S. *l* Epiphanio post natam cum Macedonio controversiam disputante. Cæterùm observari velim eximiam, quæ in Psalmo nostro reperitur, connexionem. Dicit Psalmographus *misericordiâ Domini plenam esse terram*; tum subdit, *verbo Domini cæli firmati sunt*. Miré id cum misericordiâ seu bonitate cohæret : nam, Deus bonitate inductus suâ, mundum creavit ut docent *m* Plato, *n* Asclepius, *o* Philo, *p* Hierocles, S. *q* Dionysius, & *r* Basilius Seleuciensis qui mundum τῆς ϑείας φιλανθρωπίας εἰκὼν *divinæ bonitatis imaginem* eleganter vocat.

virtus. Solem Lunam & stellas, quæ cœlum non minùs, quàm hominem virtutes, ornant intelligit ut apparet collato loco Gen. II. 1. cui B. Hieronymus, in suâ ex Hebræo versione, consenti vertendo *ornatus* pro *virtus*.

7 *Congregans sicut in utre aquas maris : ponens in thesauris abyssos.*

Eàdem ductus misericordiâ Dominus, aquas maris, *quæ initio erant terris superfusæ*, in *uno receptaculo*, velut in utre, constrinxit : *easdemque* aquas *certo loco servandas conclusit* non aliter quàm thesauri *concludi solent*.

8 *Timeat Dominum omnis terra ; ab eo autem commoveantur inhabitantes orbem.*

Revereatur *ergo* Dominum omnis terra ; eùm*que* omnes, qui orbem incolunt, *summâ venerentur observantiâ :*

9 *Quoniam ipse dixit, & facta sunt ; ipse mandavit, & creata sunt.*

Nam, *ut dictum est*, ipse *misericordiâ adductus*, dixit, & factæ sunt res ; ipse, præcepit, & *res eædem* creatæ fuerunt.

10 *Dominus dissipat consilia Gentium, reprobat autem cogitationes populorum ; & reprobat consilia principum :*

Sed & alia bonitatis suæ specimina nuper nobis præbuit Dominus: *siquidem* Gentium, *quæ bellum nobiscum susceperant*, consilia dissipavit, cogitationes populorum *illorum* fecit irritas ; & magnatum, *qui eis præerant*, consilia dissolvit:

congregans. alterum divinæ misericordiæ exemplum adducit, nempe maris in unum locum congregationem, quæ inter opera misericordiæ rectè adscribitur : etenim Deus, terram ab aquis in unum locum coactis discernens, magnâ erga homines bonitate usus est, quippe qui terram habitare non potuissent sine illâ congregatione, quæ respicit ad Genes. I. 9.

in utre. Rabbini, *in acervum* : legunt enim נד, pro quo LXX. legerunt נאד : quam

ctionem Rabbinicæ anteponent qui ad rem, de quâ agitur, animum adverterint. Græci Patres S. Basilius, Theodoritus, Euthymius, aliique legunt *sicut utrem*: consentiente Sixtinâ editione, & consentientibus Regiis ac Colbertinis, quos habeo, Codicibus Græcis. Sed S. Basilius testatur invenisse se in nonnullis exemplaribus *sicut in utre*. S. Aug. *sicut in utrem*.

abyssos. rem eandem diversis verbis repetit. Abyssus idem est quod aqua. Confer Gen. I. 2. Psal. LXXVI. 15. LXXVII. 18.

commoveantur. Theodoritus: &c. *hoc commoveantur, Symmachus quidem, vereantur*; Aquila verò, *formidabunt dixit*.

gentium. vox hæc ut & dictio *populorum*, quamvis plurali numero gaudeat, unum, apud Hebræos, denotare solet populum: sæpius Ethnicum ut oemo oescit; interdum Judæum ut Ezech. II. 3. Amos. VI. 1.

11 *Consilium autem Domini in æternum manet, cogitationes cordis ejus in generatione & generationem.*

Dum Dominicum, *de beandis Judæis*, consilium perpetuò impletur, *& propensæ in eos* cordis ipsius cogitationes semper *perficiuntur*.

12 *Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus: populus quem elegit in hæreditatem sibi.*

Felix sanè est Gens *Israelitica* quæ Dominum hunc habet in Deum: *& Judaicus*, quem sibi *idem Dominus* in hæreditatem elegit, populus beatus est.

13 *De cœlo respexit Dominus; vidit omnes filios hominum:*

Nimirùm de cœlo respexit Dominus; viditque omnes hominum *Judæorum* filios:

14 *De præparato habitaculo suo, respexit super omnes, qui habitant terram:*

Atque ex stabili habitaculo suo omnes terræ *Israeliticæ* incolas contemplatus est:

15 *Qui finxit sigillatim corda eorum; qui intelligit omnia opera eorum:*

Ille, inquam, universos Judæos contemplatus est: qui singulorum animum formavit; qui*que proinde* omnia eorum opera noscit:

omnes filios hominum. Filii hominum pro filiis peculiarium aliquorum hominum seu peculiaris alicujus gentis; mox Judaicæ; aliquaodo Paganicæ accipiuntur, ut apparet collatis locis Psal. IV. 3. XIII. 3. XXXV. 8. LII. 3. LVI. 6. LXV. 4. Hanc verò loquutionem ad Judæos heic trahi debere versus præcedens & series ostendunt.

præparato. Nicephorus: *hoc est habili ac commodo ut facilè illinc omnia prospiciat.* Alii: *ex habitaculo quod sibi paravit in regiam.* Meliùs Theodorus Heracleotes &c. *præparatum vocat firmum, ac stabile uti & illud præparans montes.* Nec inde abit vox *præparato*: siquidem, ut jam notatum est, firma esse solent quæ adhibitâ diligentiâ præparantur. Addit Theodorus Aquilam pro, *de præparato habitaculo*, dixisse à *stabilitate cathedræ suæ*; Symmachum: *à sede habitationis suæ.* Idem refert Eusebius apud Nobilium. Atque ex his emendanda est Latina Barbarianæ Catenæ versio, quæ Symmacho tribuit quod Aquilæ convenit.

terram. pro Judæâ interdum; aliquando pro aliâ regione peculiari sumitur ut apparet Psal. XLVII. 4. LX. 2. LXIV. 9. LXVI. 5. LXVII. 9. LXXIII. 13. LXXVI. 18. Exod. VIII. 22. II. Reg. XV. 4. Vide B. Hieronymum ad Is. XIII. 5. Ad Judæam heic traho.

qui finxit. optima ratio cur Deus homines cognoscat: nam ex eo quod eos formavit, efficitur illorum actiones & cogitationes esse *ei perspectas: quomodo enim potest fieri,* ait hoc loco Theodoritus, *ut qui animam fecit, ejus motus ignoret.* Similem in Psal. XCIII. 9. & CXXXVIII. 11. ratiocinationem vide; & *a* Philonem consule, atque *b* Ammonium, S. *c* Augustinum, *d* Alexandrinum Cyrillum, & *e* Zachariam Mitylenæum, qui prædictam ratiocinationem assensu suo comprobant.

sigillatim. idest singulatim, singula, hoc est omnia ad unum, sine exceptione: non pariter seu eodem tempore uti animas creatas esse sentiebat Origenes, quem *f* Leo Papa doctè confutat; nec ab aliis animalibus irrationabilibus aut à vitiis atque passionum vinculis separata ut docent Eusebius, Theodorus Heracleota, S. Basilius, Nicephorus, & Euthymius; neque solus, hoc est sine ope alterius ut *g* Origenes & *h* Isidorus explanant. Confer Eccl. XVIII. 1.

a lib. de immutabil. Dei p. 301.
b Comment. in lib. Arist. de Interpret.
c lib. 5. de Gen. ad lit. cap. 15.
d lib. 11. Thesaur. p. 151.
e to. 1. Biblioth. Græco Lat. PP. pag. 350.
f Epist. ad Turibium Astur. Episcop. c. 10.
g in Cat. Barb.
h Ibid.

16 *Non salvatur rex per multam virtutem: & gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ:*

Túmque Philisthinorum dux *Jesbibenob*, etsi valentissimus, non evasit salvus; & gigas *ille*, multo licet robore instructus, non servatus fuit:

17 *Fallax equus ad salutem, in abundantiâ autem virtutis suæ non salvabitur.*

Equus *etiam* nihil *ei* ad salutem adipiscendam profuit; neque mortem *vir ille* effugit, etiamsi egregiâ polleret fortitudine.

18 *Ecce oculi Domini super metuentes eum; & in eis qui sperant super misericordiâ ejus*

At ecce oculi Domini in *Judæos* cultores suos *intenti erant*; & in *eosdem Judæos*, qui misericordiæ ejus fidunt, *erant defixi*

19 *Ut eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.*

Ut vitam eorum à morte eriperet; & famem, *quâ laborabant*, ab eis propulsaret.

20 *Anima nostra sustinet Dominum; quoniam adjutor & protector noster est.*

Quum *igitur* adjutor & protector noster fuerit Deus; ipséque *præsentem* lætitiam cordi nostro largitus fuerit, anima nostra firmam in Domino spem habet;

21 *Quia in eo lætabitur cor nostrum, & in nomine sancto ejus speravimus.*

Et in sancto ejus nomine *semper* sperabimus.

22 *Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in te.*

Sit, *quæsumus*, Domine, misericordia tua spei nostræ consentanea.

rex. idem heic sonat ac potens, robustus, validus; adeóque dux utpote qui fortitudine alios anteire debeat. Id verò ex nomine *gigas*, in secunda hemistichii parte posito, intelligimus; nec non ex Job. XXXIV. 18. ad quem locum vide Pinedam: qui ex Donato, Plauto,

Plauto, Terentio, Martiali, Columellâ, & Horatio eruditè probat *regem* pro viro divite & potentiori interdum sumi: quam in sententiam illud etiam *a* Horatianum *atavis edite regibus* accipiendum videtur, ut & vox *regina* à Terentio usurpata in Eunucho Act. 1. Scen. 2. Quid quod *b* Isaias mercatores Tyri appellat *principes*; eosdémque, opinor, *c* Jeremias vocat *reges*: quod aliquatenùs imitatus *d* Horatius, mercandi verbum cum regibus conjunxit: *Regibus hic mos est ubi equos mercantur apertos.*

a lib. 1. od. 1.
b XXIII. 8.
c XXV. 22.
d Sat. 2, lib. 1.

gigas. rem eandem, pro more suo, repetit Vates: cujus vox *gigas* præcedentem dictionem *rex* explicat. Theodorus Antiochenus auctor est Symmachum ita interpretatum fuisse: *neque fortis effugiet per ingentem fortitudinem suam.*

salvabitur. S. Hieronymus vertit ex Hebræo *salvabit*: sup. se, ut explicat Aben Ezra; aut sessorem, ut docet Kimchius; aut regem & gigantem, ut volunt alii qui *abundantiam virtutis* de equo exponunt: quibus ego non assentior.

alat. hoc ideò dictum videtur quia Israelitarum exercitus in difficultate pabularia erat, & idoneo carebat commeatu.

anima nostra sustinet Dominum. Huic hemistichio postrema sequentis versus pars, *& in nomine sancto ejus*, respondet; & duo hemistichia intermedia, sunt Sinonyma quemadmodum in Psal. XXV. 1. XXVI. 20. Id optimè intellexit Theodoritus, cui & explanationem & nexum à me adhibita refero accepta; quique ad ultimum Psalmi nostri versum doctè ait. Παῤῥησίας &c. *Sermo autem hic est summa fiducia, & insolens hominibus hujus tempestatis: Quis enim sic speravit ut audacter dicat: metire misericordiam meâ spe.* S. Aug. pro *sustinet Dominum* habet *patiens erit Domino.*

quoniam. deest in Hebræo; sed aderat olim, aut saltem à LXX. Senibus eruditè suppletum fuit.

ARGUMENTUM.

PSALMI TRIGESIMI TERTII.

EUSEBIUS & Theodoritus illud hoc in Psalmo recoli censent tempus quod in I. Reg. XXI. 1. 2. 3. 4. describitur: quando scilicet David cum Achimelecho Sacerdote congressus est, & faciem coram eo immutavit: hoc est, ut illi explicant, negotium sibi à rege demandatum finxit. Quia autem huic sententiæ Psalterianus (in quo erat *Abimelech*) titulus Regali (in quo legitur *Achimelech*) repugnare videbatur, respondet Eusebius literarum *Beth* & *Caph* similitudinem huic mutationi locum dedisse. SS. Basilius & Augustinus Psalmum ad historiam, quæ in laudati Regum capitis versibus 11. 12. 13. 14. 15. recitatur, trahunt: ut sensus

ſit Davidem, poſtquam vultum ſuam coram Achis Gethæorum rege immutaſſet atque à magno, in quo verſabatur periculo, evaſiſſet, has, quæ in iſto Pſalmo habentur, gratiarum actiones Deo egiſſe. Quod verò titulum ſpectat (in quo legitur *Abimelech* contra atque ſit in Regali hiſtoriâ ubi rex ille, coram quo David faciem immutavit, vocatur *Achis*) optimè reſpondet S. Baſilius, dicendo duplex huic regi nomen fuiſſe: proprium alterum, nempe *Achis*; aliud autem commune, nimirùm *Abimelech*: quomodo apud Romanos *Cæſarum* nomen, & apud Ægyptios *Pharaonum* nuncupatio propriæ Regum nomenclationi adjungitur. Poſteriori ſententiæ aſſenſum præbeo: &, undecimum Pſalmi noſtri verſum cum I. Reg. XXI. 13. XXII. 1. 2. comparans, auguror Davidem, periculo, in quod apud Regem Achis adductus fuerat, perfunctum & in ſpeluncâ Odollâ cum quadringentis viris degentem, Deo, pro datâ ſibi ſalute præconium tribuiſſe; & viros illos docuiſſe quo pacto parem ſalutem conſequerentur & beatè vivere poſſent; iſtáque omnia noſtro (quod deinde in deſcribendis belli Abſalomitici geſtis imitatus in Pſalmo XXXVI. fuerit David) carmini fuiſſe mandata. Conjecturam meam Pſalmus I. cum noſtro collatus firmat: ille enim beatitudinem in divinæ legis ſtudio ponit, illúdque ſtudium ſtatuit viam ad honores cæteráque mundi bona expeditam; hic verò Pſalmus ſimilem rationem in verſibus 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. init. Eò accedit quòd in Pſalmo primo ỹ. ult. *juſtorum* mentio fiat; & præſens Pſalmus *ſanctos* nominet ỹ. 10. Penè omiſeram, quod minimè prætereundum duco, Theodorum Heracleotam (à quo non alium puto fuiſſe Theodorum qui in Catenâ Barbari comparet) ad Eze-

chiam Psalmum nostrum retulisse: nullâ, ut patet, ratione habitâ tituli qui fortasse ab ejus codice aberat.

TITULUS.

Davidi quum immutavit vultum suum coram Abimelech & dimisit eum & abiit.

PSALMUS XXXIII.

1 *BEnedicam Dominum in omni tempore; semper laus ejus in ore meo.*

2 *In Domino laudabitur anima mea: audiant mansueti, & lætentur.*

3 *Magnificate Dominum mecum; & exaltemus nomen ejus in idipsum.*

4 *Exquisivi Dominum; & exaudivit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.*

5 *Accedite ad eum: & illuminamini; & facies vestræ non confundentur.*

6 *Iste pauper clamavit; & Dominus exaudivit eum, & de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.*

PARAPHRASIS.

DOminum perpetuò celebrabo; & laus ejus in ore meo semper versabitur.

In Domino gloriabitur anima mea *ob acceptam ab eo salutem: quam* audiant, & *de eâ* lætentur velim afflicti *socii mei.*

Magnificate Dominum mecum *vos ô socii mei qui duriore fortunâ conflictamini*; & nomen ejus simul extollamus.

Domini opem quæsivi *quum apud Gethæos in magno versarer discrimine*; ipséque me exaudivit, & me ex omnibus meis angoribus eripuit.

Hoc meo adducti exemplo ô afflicti commilitones, ad Deum accedite *ipsius auxilium petituri*: & vestro ex mœrore recreabimini; nullóque pudore facies vestræ suffundentur, *quippe qui postulata impetrabitis.*

Pauper iste *David* invocavit Dominum; & Dominus eum exaudivit, illúmque ex omnibus ejus angustiis eduxit.

ANNOTATIONES.

quum immutavit, Cod. Colb. 1339. *cùm mutavit.*

* excipe Cod. Reg. 22 3. qui hæc tantùm, in titulo, habet verba: ψαλμὸς τῷ Δαβὶδ idest, *Psalmus Davidi.*

Abimelech. ita reponendum ex auctoritate non solùm Eusebii, S. Basilii, S. Augustini, Hieronymiastri, Theodoriti, & Hesychii, atque Græcorum * Codicum Regiorum ac Colbertinorum, Sixtinæ editionis, Psalterii Complutensis, textúsque Hebræi, sed etiam Codicum Latinorum Reg. 138. 222. Colb. 1. 158. 1339. & Memm. 2.

& abiit. post hæc verba in Cod. Reg. 138. additur: *vox cujusdam justi*; & in Cod. Colb. 158. *vox cujusdam justi. oratio ad altare.* Psalmus porrò est alphabeticus ut 24.

mansueti. sunt afflicti, qui mansueti rectè appellantur: nam afflicti solent esse mansueti. Vide annot. ad Psal. XXIV. 11.

in idipsum. S. Augustinus testatur multos Codices habuisse *in unum.*

accedite &c. Rem, de quâ agitur, attende; & nostros suspicies Senes, ac Rabbinis præpones vertentibus *respexerunt ad eum* vel *respicient ad eum, & illuminati sunt aut illuminabuntur.* S. Hieronymus, LXX. Senes sequutus, binos in suâ ex Hebræo versione imperativos adhibuit; sed, pro *illuminabimini*, minùs rectè posuit *confluite* ut iis planum fiet qui Psalterianam expenderint sententiam, quæ petit verbum *illuminandi* ei subjectum significationi de quâ diximus ad Psal. XII. 4. & cui adde Psal. XCVI. 12. ubi *lux* pro *lætitiâ* accipitur.

iste pauper. David de se in tertiâ personâ loquitur pro more non semel annotato.

7 *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum; & eripiet eos.*

Parem ob tutelam Angelus Domini castra metabitur circumcultores ejus; illósque suis explicabit ærumnis.

8 *Gustate & videte quoniam suavis est Dominus: beatus vir qui sperat in eo.*

Perpendite & videte quòd bonus est Dominus: felix *profectò est ille* vir qui suam in eo spem collocat.

9 *Timete Dominum omnes sancti ejus: quoniam non est inopia timentibus eum.*

Dominum, *vos* omnes qui obsequio ejus mancipati *nunc* estis *commilitones mei*, reverenter colite: nihil enim unquam deest illis qui eum reverentur.

10 *Divites eguerunt & esurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.*

Videre est aliquando divites ad inopiam redactos & fame oppressos; sed qui Dominum colunt bonis omnibus abundant.

11 *Venite filii: audite me; timorem Domini docebo vos.*

Quum igitur tantùm utilitatis afferat divinus cultus, venite filii: audite me; *atque hunc* Domini cultum docebo vos.

Angelus. præter peculiarem cuique Angelum ad tutelam ac custodiam à Deo datum alius est peculiaris Angelus Genti cuilibet, provinciæ, regno, communitatíque hominum à Deo præpositus. Psaltes de hoc loquitur Angelo: cujus meminere *a* Daniel, *b* Clemens Alexandrinus, S. *c* Basilius, S. *d* Epiphanius, S. *e* Hieronymus, *f* Rufinus, S. *g* Chrysostomus, *h* Isidorus Pelusiota, S. *i* Cyrillus Alexandrinus, *k* Theodoritus, S. *l* Dionysius, ejúsque interpres S. *m* Maximus, *n* Victorinus Pictaviensis, & *o* Isidorus Hispalensis.

divites. Heb. *leunculi.* Metaphoram LXX. Senes doctè explicarunt. Vide Ezech. XXXVIII. 13.

a X. 13
b VII. Stromat. pag. 702. C.
c lib. 3 adversùs Eunom εἰ μὴ αὐτῷ &c.
d Hæres. 58. num. 34.
e Comment. in cap. 7 Daniel. & in caput 1. Zach
f in Symbolum Apostol.
g homil. de Archangelis. & homil. 3. in Epist. ad Coloss.
h lib. 2. epist. 85.
i lib. 4. contra Julian.
k lib. 5. adv. Hæres. cap. 8
l de Cœlest. Hier. c. 9.
m in locum mox citatum.
n Comment. in Apocal.
o l. 1. sentent. cap. 12.

Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos.

12 Quotusquisque *vestrum est* qui vitâ frui optat; *&* eam beatè ducere cupit, *auscultet mihi.*

Prohibe linguam tuam à malo; & labia tua ne loquantur dolum.

13 Linguam tuam, *quicumque desiderio felicitatis incenderis*, à maledicentiâ cohibe; & labia tua compesce ne alienæ famæ detrimentum importent.

Diverte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam.

14 Declina à malo, & fac bonum: stude paci, & eam sectare.

Oculi Domini super justos; & aures ejus in preces eorum.

15 *Hæc sunt divini cultus & veræ pietatis instituta. Accipite nunc quæ sit merces eorum qui vitam ad illa instituta componunt; & quæ pœna maneat eos qui ab iisdem institutis discedunt. Atque ut à priore parte exordiar.* Oculi Domini in justos sunt defixi *ut eos tueantur*; & aures ejus in preces eorum sunt intentæ *ut illas audiant.*

Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terrâ memoriam eorum.

16 *Ad secundam partem quòd attinet*, vultus Domini *irâ inflammatus* in sceleratos convertitur, ut memoriam illorum è terra exscindat.

Clamaverunt justi; & Dominus exaudivit eos, & ex omnibus tribulationibus suis liberavit eos.

17 *Ex his ita concludo. Mei*, qui justitiæ studio flagrant, *commilitones* Dominum invocabunt; & *ipse* eos exaudiet, illósque ex omnibus eorum calamitatibus eruet.

dies videre bonos. ita legit B. Petrus in I. Epist. c. 3. vers. 10. sicque ex Hebræo vertit S. Hieronymus: ita ut audiendi non sint Hebraistæ illi qui interpretantur *diligit dies ad videndum bonum.* Hæc porrò constructio ימים טוב irregularis quidem est; sed non insolens apud Hebræos.

dolum. Plerique interpretantur de fraude, ut sensus sit: *ne dolosè loquantur; aliud dicendo, aliud sentiendo: pacem ore loquendo, & insidias occultè struendo.* Verùm hanc interpretationem, etsi ei Psalmus XIII. 5. & Jerem. IX. 8. favere videantur, heic non recipio tùm ob regulam Sinonymicam & Psal. CIV. 24. in quo *dolum* pro malo seu damno sumitur; tum quia fraudis ac doli nomen obtrectationi convenit: obtrectatores enim eos, qui sibi aurem præbent, fallunt narrando illis falsas de proximo suo res.

& fac bonum. Præclarè B. Hilarius in Psal. CXLIV. 2. *solum malum non admittere, non habet laudem, nisi mali abstinentiam etiam gloria boni operis consequatur.*

oculi Domini. Vati fuccinit Plato libro de Republicâ decimo: Οὕτως &c. In fuperioribus quidem verfibus 7. 8. 9. 10. pietatis fructum Vates defcripfit: fed quia de repofitâ impiis pœnâ fermonem non fecit, cum hic habet; &, quem jam attigerat, pietatis fructum præmittit ut impiorum pœnam magis apertam magifque infignem faciat: nam contraria contrariis magis elucefcunt.

vultus. Vide Pfal. XX. 12. & annot. ibid.

exaudivit. præt. pro fut. ut apparet verfibus 18. 19. 20. 22. infrà. Hunc porrò verfum & fequentes tanquam orationis contextum nonnulli accipiunt, atque in præfenti tempore, & de juftis generatim explicant, hoc ferè modo. *Jufti invocant Dominum & Dominus exaudit eos* &c. Sed verfus 18. ab eâ me fententiâ deduxit: nam, quando tribulatio improbis æquè ac piis accidit, verfus ille intempeftivus videbatur nifi per futurum exprimeretur & ad Davidicos traheretur focios. Unde illum ut & præcedentem ac fequentes verfus non pro orationis contextu fed pro conclufione accepi.

18 *Juxta eft Dominus iis qui tribulato funt corde, & humiles fpiritu falvabit.*

Aderit Dominus *iifdem meis commilitonibus* qui mœfto funt corde, eorúmque animum demiffum & humilem eriget.

19 *Multæ tribulationes juftorum; & de omnibus his liberabit eos Dominus.*

Multæ *quidem* miferiæ juftos *meos commilitones* circumcludunt; fed his omnibus liberabit eos Dominus.

20 *Cuftodit Dominus omnia offa eorum; unum ex his non conteretur.*

Cuftodit Dominus omnia offa eorum; & ne ullum quidem ex illis conteretur.

21 *Mors peccatorum peffima: & qui oderunt juftum delinquent.*

Contrà impiis, *qui meos commilitones infectantur*, mors gravis incubat: & qui *focios meos* juftitiæ *nunc* ftudiofos odio habent, infeliciter peribunt.

22 *Redimet Dominus animas fervorum fuorum: & non delinquent omnes qui fperant in eo.*

Suorum, *qui cauffam meam complectuntur*, fervorum vitam periculis, in quibus verfatur, expediet Dominus: & omnes, qui in eo fperant, *focii mei* triftem non confequentur exitum.

a pro Font. 58.

qui tribulato funt corde. S. Auguftinus, *qui obtriverunt cor.*

humiles fpiritu. repetitio eft: nam hæc loquutio, *humiles fpiritu*, idem fonat atque altera *qui tribulato funt corde*: quos a Cicero, Vatis noftri veftigiis infiftens, exprimit per animum demiffum atque humilem.

mors peccatorum peffima. Rabbini: *interimet impium malitia.* Hæc quidem interpretatio textui Hebræo non repugnat; fed à lege Sinonymica abit: unde noftra eft poftponenda: præfertim quum Vulgata verfio ipfi etiam Hebraico textui conveniat, fubaudiendo verbum *eft.* Confer Pfal. I. ult.

delinquent. ideft aberrabunt fup. à felicitatis tramite: hoc eft miferabiliter peribunt, ut liquet ex Hebræâ voce quæ propriè fignificat *devaftabuntur.*

ARGUMENTUM.

PSALMI TRIGESIMI QUARTI.

OMnes ferè interpretes cùm Judæi tum Christiani consentiunt Psalmum LIV. literaliter sumtum ad conjurationem Absalomiticam pertinere, & de Achitophele potissimùm exponendum esse. Magnam verisimilitudinem sententia hæc consequitur: víxque explodi potest si tota Psalmi series spectetur, versúsque 14. & 15. attentis expendantur animis. Ad eandem conjurationem Psalmum XXXIV. referendum esse fuit semper persuasum mihi, ejus cum Psalmo LIV. similitudinem consideranti. Eundem in utroque videas legis veteris spiritum ad vindictam propensum; facilèque observes versus 17. & 23. Psalmi XXXIV. versibus 14. 15. & 24. Psalmi LIV. germanos esse. Sed, sepositâ Psalmi utriusque similitudine, videor mihi in Psalmo nostro deprehendisse versum qui prædictum Psalmum ad eam, cujus memini, conjurationem revocet: nempe versum 9. in quo mentio fit *laquei*, quo designari heic puto eum qui Achitopheli suspendio intereunti vitam abstulit II. Reg. XVII. 23. His ego rationibus adductus Psalmum, primario sensu, ad conjurationem Absalomiticàm traho: nec Eusebio Psalmum ex Jeremiæ personâ dictum putanti assentior; neque Theodoro (videtur esse Antiochenus) qui in eadem est sententiâ, addítque Psalmum in populum Judæum Babylone commorantem quadrare: neque Theodorito, S. Cyrillo Alexandrino, Euthymio, & Kimchio qui Psal-

a apud Corderium pag. 616.

mum Davidi Saulem fugienti accommodant ; neque denique anonymo, quem [a] Theodorus Heracleotes producit, auctori qui Pſalmum Ezechiæ aptat.

TITULUS.

Ipſi David.

PSALMUS XXXIV.

JUdica, Domine, nocentes me; expugna impugnantes me. 1

Apprehende arma & ſcutum; & exurge in adjutorium mihi 2

Effunde frameam; & concluде adverſus eos qui perſequuntur me: dic animæ meæ, ſalus tua ego ſum. 3

Confundantur, & revereantur quærentes animam meam. 4

Avertantur retrorſum, & confundantur cogitantes mihi mala. 5

Fiant tanquam pulvis ante faciem venti; & Angelus Domini coarctans eos. 6

Fiat via illorum tenebræ; & lubricum; & Angelus Domini perſequens eos: 7

Quoniam gratis abſconderunt mihi interitum laquei ſui; ſupervacuè exprobraverunt animam meam. 8

PARAPHRASIS.

1 EOs, Domine, qui mihi nocent puni; *atque* adverſus eos, qui me oppugnant, decerta.

2 Arripe arma & ſcutum; *atque* exſurge ſuppetias mihi allaturus.

3 Exere gladium; &, meis *occurrens* vexatoribus, *eum* in iis *gladium* fige: mihíque dic, ſalutem tibi præſtabo.

4 Pudefiant, *obſecro*, & ignominiâ afficiantur qui vitam mihi eripere ſtudent.

5 Spe fruſtrentur; atque ita erubeſcant qui malum mihi moliuntur.

6 Fiant ſicut feſtuca à vento raptata; & Angelus Domini coarctet eos.

7 Sit via illorum tenebroſa & lubrica; eóſque Angelus Domini perſequatur:

8 Quoniam lethiferas inſidias, ſine cauſſâ, mihi ſtruxerunt; *&* vitæ meæ, nihili ductæ, immeritò inſidiati ſunt.

ANNOTATIONES.

ipſi **David.** Theodoritus cum Regiis & Colbertinis codicibus Græcis præponit vocem ψαλμὸς, ſic: ψαλμὸς τοῦ Δαβίδ, *Pſalmus Davidi.* Cod. Reg. 138. & Colb. 158. *huic David. Chriſtus de Judais & de paſſione ſua dicit ad patrem.*

judica.

judica. accipi heic videtur pro castiga ut Exod. VI. 6. XII. 12. Ezech. XVI. 38. quo sensu apud nos dicitur *on fera aujourd'huy justice, reus pœnam hodie dabit.*

expugna. modos proponit quibus Deus uti debeat ut inferendæ hostibus pœnæ par sit. Sed, quum pugnam audis & arma, Euthymianum sume clypeum. *Cùm pugnæ meminerit, consequenter etiam armorum genera apposuit: non quòd eis utatur Deus, sed humano loquutus est more* &c.

arma. Rabbini *clypeum.*

conclude. subaudio *incedens*; nec eos laudo qui, pro *conclude*, vertunt *sagarim.* Theodoritus in Cat. Barb. EFFUNDE FRAMEAM. *Apertiùs exposuit id Symmachus : dixit enim denuda lanceam & obsepi adversùs eos qui me persequuntur.*

adversus. Heb. לִקְרַאת. Hanc qui vocem expenderint, mihi fortasse assentientur potiùs quàm iis qui hanc hemistichii partem ita explanant : *gladium vaginâ exime, & viam iis intercludе, qui me insectantur, ut ab iis intercipiar*; aut illis qui sic explicant : *obstrue viam ante eos ita ut effugere amplius manum tuam non possint.* Hæ interpretationes cum prædictâ voce Hebraïcâ vix cohærent; vixque etiam cum *gladio* congruunt, & serie : cum gladio, nam gladius distringi solet ut vulneret non ut viam præcludat : cum serie, siquidem versus 7. viam, quâ hostes gradiantur, supponit, dum optat ut lubrica sit & tenebrosa quò impingant : unde efficitur vatem non rogasse ut via hostibus præcluderetur : hoc enim admisso, supervacanea fuerint ista vota *fiat via illorum tenebræ*, &c.

pulvis. Vide Psal. I. 4.

Angelus Domini &c. Angelos hominibus noxios heic ut & in lib. IV. Reg. XIX. 35. & Psal. LXXVII. 54. cernis; nec mirere : nam quidam sunt Angeli quorum operâ ad castigandos & exercendos homines utitur Deus. Hujus generis Angelos Orphicorum carminum [a] Scriptor, [b] Hermas, [c] Origenes, S. [d] Gregorius Nyssenus, [e] Cassianus, & [f] Auctor operis imperfecti in Matthæum agnoscunt; sed malum Angelum (ut & bonum) singulis hominibus adesse non ausim cum Hermâ & cæteris, qui proximè veniunt, Doctoribus affirmare: etsi scio illam, de duobus Angelis, sententiam, eo præsertim modo quo illam S. Gregorius Nyssenus exposuit, viro summo non displicuisse. S. Augustinus pro *coarctans* legit *tribulans.*

quoniam gratis &c. Eusebius : *Symmachus ita vertit : quoniam sine causâ absconderunt mihi interitum retium suorum.* S. Aug. pro *interitum laquei sui* legit *muscipulam corruptionis suæ.* Et vano *exprobraverunt* &c. Eusebius : *Symmachus vertit : sine causâ suffoderunt animam meam.* Hujus *suffoderunt* meminit quoque Theodoritus : qui rectè ait innui mortem quæ clanculùm parabatur. Id quod Absalomitis optimè convenit : hi enim, dum conjurationem habebant, Davidis vitæ clam & tanquam per cuniculos, ut Eusebianâ voce utar, insidiabantur. LXX. pro חפרו *foderunt* seu *suffoderunt*, legebant חרפו *exprobraverunt* : cujus lectionis vim & præstantiam nosces ex Jud. V. 18. ubi integra est loquutio חרף נפשו למות *probrosè exposuit animam suam ad moriendum* : id est, vitam periculo mortis exposuit, eam quasi nihili æstimans.

[a] Hymn. ad Musas.
[b] lib. 2. Past. mand. 6.
[c] Homil. 35. in Luc.
[d] de vitâ Mosis pag. 194.
[e] Collat. VIII. c. 17 XIII. c. 12.
[f] Homil 5.

Veniat illi laqueus quem ignorat : & captio quam abscondit apprehendat eum; & in laqueum cadat in ipsum:	9	Eveniat *Achitopheli* calamitas quam ignorat; &, quem mihi absconditè tetendit, laqueus irretiat eum; cadàtque in ipsam, *quam mihi occultè paravit*, foveam :
Anima autem mea exultabit in Domino; & delectabitur super salutari suo;	10	*Túmque* anima mea lætos hymnos Domino canet; & de salute *mihi* ab ipso allatâ gaudebit;

veniat illi. Theodorus Antiochenus : *animadvertendum est quod illud veniat illi, pro illis dictum est : nam singulari omnes complectitur.* Hæc, quæ alibi locum habere potest & cui S. Augustinus & Sixtina editio (ubi legitur *illis*) favent, observatio mihi heic non pro-

batur attendenti Eusebium & Hebræum (qui singulari utuntur numero) textum, & Psalmum CXIII. cujus septimus, in quo *ejus* reperitur, versus Judæ à B. Petro aptatur Act. I. 20. Puto itaque Achitophelem primario sensu; Judam secundario per pronomen *illi* designari : quumque ad exemplum Achitophelis multi componerentur, hinc factum esse arbitror ut Vates pluralem numerum singulari, paulò post, adjungat; & utrumque, toto in Psalmo, permisceat. Vide quæ notavi ad Psal. IX. 23. Hic porrò versus ut & 12. & 17. infrà Davidi Saulinis temporibus vexato parùm conveniunt. S. Augustinus totum versum ita legit: *veniat illis muscipula quam ignorant; & captio, quam occultaverunt, comprehendat illos & in muscipula incidant in ipsa.*

super salutari suo. S. Aug. *super salutare ejus.*

Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi	11	Dicám*que* toto animi affectu: Domine quis similis tibi
Eripiens inopem de manu fortiorum ejus; egenum & pauperem à diripientibus eum?	12	Qui afflictum *Davidem* à manu fortiorum eo liberas; *eundémque Davidem*, ad egestatem & paupertatem compulsum, eripis ab illis qui eum bonis spoliarunt?
Surgentes testes iniqui: quæ ignorabam, interrogabant me;	13	*Præter hos spoliatores*, iniqui surrexerunt testes: *qui crimina*, quæ penitùs ignorabam *& quorum proinde conscius non eram*, objectabant mihi;
Retribuebant mihi mala pro bonis: sterilitatem animæ meæ.	14	*Et* malum mihi, pro bono, reddebant: *testimonium scilicet dicentes* quod me vitâ orbaret.
Ego autem, quum mihi molesti essent, induebar cilicio.	15	Ego autem, quum mihi *sic* infensi essent, cilicium induebam:
Humiliabam in jejunio animam meam; & oratio mea in sinu meo convertetur.	16	Meám*que* animam jejunio affligebam; & orationem meam sinuatus fundebam:
Quasi proximum & quasi fratrem nostrum, sic complacebam: quasi lugens & contristatus sic humiliabar.	17	*Illisque meis inimicis præsertim Achitopheli*, perinde ac amico & fratri placere studebam; & me *coram eo* deprimebam instar lugentis & mœrentis.

ossa mea. Nicephorus: *per ossa, intimam gratiarum actionem denotat.* Euthymius: *significare videtur plenissimam gratiarum actionem ex intimo animæ provenientem; vel, per ossa, solidas ac validiores animæ cogitationes intelligit.* Prior explanatio ab ossibus petitur quatenùs in profundo corporis sunt; altera autem ab iisdem desumitur ossibus quatenùs totius corporis vis in iis residet.

Domine. vox hæc apud Theodoritum geminatur; secùs in Hebræo textu, S. Augustino, & Sixtinâ editione.

quis similis tibi. Non longè hinc abit Hesiodus, quum ait: Αὐτὸς γὰρ &c.

surgentes. ita nectit & explicat Jansenius: *hanc autem ut de tuâ ope & salute exultationem magis præstes, audi amplius hostium meorum in me injustitiam & ingratitudinem. Consurgentes contra me homines, contra me falsum preferentes testimonium interrogabant me* &c. Nexus noster, tum quia brevior erat tum quia sententiæ magis connexus videbatur, Janseniuiano præpositus est.

testes iniqui. Hæc non intelligo quasi David còram judicibus steterit; ibique falsa, adversus eum, testimonia dicta fuerint. Sed, testibus illis iniquis ac mendacibus significari puto eos qui Absalomiticas partes sequuti, verborum contumeliis Davidem ubique lacerabant: testantes jus ab eo non dici; & alia hujusmodi crimina ei impingentes eo consilio ut subditi ad vitam ei adimendam magis inflammarentur.

sterilitatem &c. Symmachus, testibus Eusebio & Theodoro Heracleota, vertit *contrariè* (seu adversa) *adversùs animam meam.* Hæc mihi probatur interpretatio, eique LXX. Senes consentiunt: nam illi, ut notat Theodorus Heracleotes, *per* STERILITATEM *volunt omnimodum ejus interitum designare, ut fit in sterilibus: cui enim proles non superest, ejus quoque memoria non existit* Ita ferè Theodoritus & Nicephorus.

quum mihi molesti essent. Rabbini eorùmque alumni: *quum ægrotarent ipsi.* LXX. Senum lectionem non aliam à Rabbinicâ fuisse credo: sed in eâ sum sententiâ Senes illos, Rabbinis doctiores, vocem בחלותם non à radice חלה derivasse; sed à verbo חיל, à quò חילה *dolor*, & in plurali חלות *dolores*: unde בחלותם *in doloribus eorum* passivè, hoc est in doloribus quos mihi inurebant. Hunc Psalteriana sententia petit sensum. Sanctus Hieronymus Vulgatæ accedit, ita ex Hebræo vertens: *ego autem quum infirmarer ab eis.* Unde mirari subit cur Eusebius contrariam interpretationem miratus fuerit, dicens. *Ego autem cùm mihi molesti essent &c. pro quo Aquila mirabiliter sanè dixit, in ægritudine eorum vestimentum meum cilicium: Symmachus, in ægritudinibus eorum indumentum meum cilicium. Theodotio & Quinta editio, quum illi molestiâ afficerentur, dixerunt.*

induebar cilicio. S. Aug. *induebam me cilicio.*

& oratio mea in sinu meo convertetur. Eusebius & Theodorus Heracleotes exponunt de oratione ad Patrem non perveniente ob indignitatem Judæorum; sed ad Christum revertente, adeóque non exauditâ; Didymus autem, Apollinarius, S. Cyrillus, Theodoritus, Nicephorus, & Euthymius orationem intelligunt exauditam. Existimo ego Vatem ad veterum spectasse consuetudinem: in qua erat positum ut qui in luctu erant, incurvi orarent, quod quum faciebant oratio in sinum eorum revertebatur. Favet sequutura, paulò post, *lugentis* mentio. S. Augustinus legit *in sinum meum.*

quasi lugens & contristatus. Rabbini: *quasi lugens matrem, contristatus incurvabar.* S. Hieronymus: *quasi lugens mater tristis incurvabar.* LXX. Senes, pro hodiernis verbis כאבל אם קדר *sicut lugens matrem contristatus*, legisse videntur כאבל וקידר *sicut lugens & contristatus*: quæ lectio eò mihi magis arridet quòd nullam satis idoneam video caussam cur matris potiùs quàm patris mentio facta fuerit.

Et adversùm me lætati sunt & convenerunt: congregata sunt super me flagella; & ignoravi.

18 *Ii* nihilominùs læti adversùm me convenerunt: *& crudeles hi viri* contrà me congregati sunt; etsi culpâ vacarem *quam in me accersebant.*

& adversùm me lætati sunt &c. LXX. Senes, dictionem בצלעי in *lateris* sententiam, quæ II. Reg. XVI. 13. occurrit, accipientes, rectè verterunt *adversùm me.* Rabbini eidem voci significationem *claudicationis*, quam alibi habet, tribuentes interpretantur *in claudicatione meâ*, seu in meâ ærumnâ. Rabbinis veterum Interpretum nonnulli præiverant: auctor enim est Eusebius Aquilam dixisse *in claudicatione mea lætati sunt*; Symmachum, *me claudicante lætati sunt*; Quintam editionem, *infirmitate meâ lætati sunt.* Idem ubique sensus.

flagella. Eo, vox ista sumitur, sensu quo Attila dicebatur *flagellum Dei.* Ita intellexit Symmachus: eum enim vertisse *verberones* seu *percussores* testantur Theodorus Heracleota.

&Theodoritus. Favent S. Hieronymus qui interpretatur *percutientes*, & Nicephorus atque Euthymius quibus *flagella* sunt occisores, flagellatores.

& ignoravi. sup. causam seu crimen ob quod me vexabant, & cujus specie adversùm me congregabantur : hoc est hujus criminis non eram conscius ut suprà vers. 13. Id neque Theodoritus, neque Hesychius, neque Nicephorus, neque Euthymius habuere perspectum ; sed Eusebius & S. Athanasius optimè intellexerunt. S. Aug. legit *& ignoraverunt.*

19 *Dissipati sunt ; nec compuncti, tentaverunt me : subsannaverunt me subsannatione ; frenduerunt super me dentibus suis.*

Varias iniere rationes *quemadmodum exitium mihi inferrent ; nec, ullâ ducti pœnitentiâ*, me *etiamnum* vexant : derident me quam maximè ; *&* suis contra me dentibus frendunt.

20 *Domine, quando respicies ? restitue animam meam à malignitate eorum, à leonibus unicam meam.*

Domine quando *tandem* miserebęris *mei* ? libera me, *obsecro*, ab iniquâ eorum vexatione ; *&* me, ope destitutum, eripe ab *istis* leonibus.

21 *Confitebor tibi in ecclesiâ magnâ ; in populo gravi laudabo te.*

Mòxque celebrabo te in cœtu magno ; *&* te, coram numeroso populo, laudabo.

22 *Non supergaudeant mihi qui adversantur mihi iniquè, qui oderunt me gratis, & annuunt oculis :*

Ne, *quæso*, de malis meis *diutiùs* gaudeant illi qui me injustè insectantur, qui sine caussâ odio me habent, quíque perfidi sunt :

dissipati sunt nec compuncti. absunt à S. Augustino, p. 176. Symmachus, referente Eusebio, dixit : *& evellentes* (hoc est proscindentes convitiis, quo trahas Hieronymianam & Rabbinicam versionem *sciderunt & non tacuerunt*) *non quiescebant.* Quidam, *discissi sunt* : quod dictum nolim de discordiâ seu dissensione quemadmodum explicabat Theodorus Heracleota; sed de variis studiis in quæ Davidici hostes scindebantur ; hoc est de diversis, quos ad perdendum Davidem quærebant, modis ut explicat Jansenius. Quòd autem spectat verbum *compuncti*, vide quæ diximus ad Psal. IV. 5. XXIX. 15.

tentaverunt &c. Ex Eusebio ac Theodoro Heracleota discimus Symmachum ita vertisse : *in simulatione fictorum verborum* ; seu, *verbis ad simulationem compositis, dentes suos in me acuebant.* Rabbini : *cum hypocritis sannionibus cibi* aut *placentæ* ; vel, *cum sannionibus otiosi sermonis* seu *sanna*, hoc est *sannionibus facetis & otiosis* : quasi verò parasitorum & sannionum ac scurrarum proprium sit proscindere alios convitiis (ut, juxta Rabbinos, præcedit) & dentibus frendere. Adde quod veri non est simile eos, qui adversus Davidem congregabantur, parasitis & facetis viris se adjunxisse. LXX. Senes pro hodiernis verbis בחנפי לעגי מעוג legisse videntur בחנוני לעגו לעג *tentaverunt me. subsannaverunt subsannatione.* Ad tentationem quòd attinet, vide quæ observavi ad Psal. XVII. 33. & adde *vexationem* rectè dici *tentationem* quia patientiam nostram explorat.

respicies. Theodoritus : πότε &c. *hoc non increpans dixit, sed opem desiderans : quando, inquit, appares & opitularis mihi injuriâ affecto ?* Confer Psal. XII. 3.

à malignitate. S. Aug. *ab astutiis.*

unicam. Aquila, inquiunt Eusebius & Theodorus Heracleotes, *solitariam* ; *Symmachus,*

solitudinem meam seu *singularem* vel *solam interpretati sunt.* Theodoritus: τὴν μονογενῆ &c. *unicam meam Symmachus, solitudinem meam dixit: hoc est omni humano auxilio destitutam.* Vide annot. ad Psal. XXI. 21. XXIV. 18.

annuunt oculis. Confer Proverb. VI. 12. X. 10. Eccl. XXVII. 25. & cognosces *annuentem oculo* opponi ei qui ambulat simpliciter; adeóque loquutione illâ perfidum significari. Favet Psalteriana series: favet & S. Augustinus, qui insuper legit *& annuentes.*

Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur; & in iracundiâ terræ loquentes, dolos cogitabant:	23	Nam mihi quidem amorem verbis testificabantur; sed sermonem habentes, dum irati *in me conspirarent* terræ *Hierosolymitanæ habitatores*, perniciem mihi machinabantur:
Et dilataverunt super me os suum, dicentes: Euge, euge, viderunt oculi nostri.	24	Et, *tandem ad exitum perductâ conspiratione*, dilataverunt adversum me os suum, dicentes: lætemur, lætemur, viderunt oculi nostri *quod tantopere expetebamus.*
Vidisti Domine: ne sileas, Domine ne discedas à me.	25	Vidisti Domine *hæc omnia*: ne sileas, *obsecro*; nec à me discedas Domine.
Exurge: & intende judicio meo Deus meus; & Dominus meus in causam meam.	26	*Sed* exurge: & animum, ad defensionem meam, intende Deus mi; & caussæ meæ patrocinium suscipe Domine mi.
Judica me secundùm justitiam tuam Domine Deus meus; & non supergaudeant mihi.	27	Jus mihi, Domine Deus mi, redde pro tuâ, *in tuendis iniquè vexatis*, æquitate; nec patere ut inimici mei de calamitate meâ *diutiùs* exultent.
Non dicant in cordibus suis: Euge, euge animæ nostræ; ne dicant devoravimus eum.	28	Non dicant toto animi affectu: *lætare, lætare, anima nostra*; non, *inquam*, dicant: vicimus eum.

quoniam mihi quidem pacificè &c. Hebraistæ ineptè vertunt: *quia non pacem loquuntur & in scissuris terra* (ut exponunt quidam) vel *contra humiles seu mansuetos terra*, hoc est eos qui placidâ mente sunt, vel afflicti ut nonnullis placet; aut *quietos terra*, hoc est divites (ut alii interpretantur) *verba dolosa meditantur.* S Hieronymus Hebraica interpretatur sic: *non enim pacem loquuntur sed in rapinâ terra verba fraudulenta concinnant.* Rabbinos ipsa eorum versionis insulsitas abundè refellit. S. Hieronymo loquutio præcedens *annuunt oculis* adversatur: nam, quando huic loquutioni simulatio subjicitur ut ostendimus, petit ordo ut simulatio illa in sequentibus explicetur, quod non præstat phrasis hæc *non pacem loquuntur.* Vide quæ diximus in Præf. pag. 44. 45. LXX. Senes Hebræum textum, uti

bodie exstat, habuere : præter unum vocabulum לא, pro quo legerunt לי. Per *scissuram autem*, non homines calamitosos, quietos, aut opulentos, cum Hebraiſtis intellexerunt ; ſed iracundiam quæ eſt veluti quædam cordis ſciſſio, quomodo accipitur vox רגע Pſal. XXIX. 5. & præpoſitionem על interpretati ſunt *in*, quemadmodum ſumitur Gen. XXVII. 40. *Terra* porrò heic accipitur pro terra Hieroſolymitana ut Pſal. LXIV. 9. LXVI. 2. 5. 6. LXXV. 8. 9. II. Reg. XV. 4. terráque illa Hieroſolymitana ſumitur pro terræ Hieroſolymitanæ incolis ut Pſal. XCV. 1. XCVII. 6. XCIX. 1. Hæc autem vox ab Euſebio, Nicephoro, Euthymio, Sixtinâ editione, & Regiis ac Colbertinis Codicibus Græcis abeſt : ſed eam Hebræus textus repræſentat ; illámque Theodoritus legebat ut ex ejus liquet commentario. Quòd autem prædicta vox in eruditiſſimi hujus Interpretis textu deſideretur profectum crediderim ex incuriâ aut fraude exſcriptorum : dum aut ex memoriâ non ex codice deſcribunt ; aut receptam ſuâ ætate lectionem repræſentare geſtiunt. Simile quidpiam apud eundem Theodoritum, Chryſoſtomum & Arnobium in Pſalmi XLIX. 22. enarratione obſervabis. S. Aug. 1°. *inſuper iram doloſè cogitabant.* 2°. *ſuper iram* &c.

juſtitiam tuam. S. Auguſtinus, Euthymius & Codices Regii 1532. 1775. 2603. 2606. Colb. 6051. legunt *juſtitiam μῦ meam.* Theodoritus, Sixtina editio, Cod. Reg. 928. 2653. 2723. 2653. Colb. 4439. 6158. 6510. legunt *juſtitiam σῦ tuam.*

dilataverunt. Vide Thren. II. 16.

euge, lætantis eſt interjectio ut Matth. XXV. 21. S. Hieronymus vertit ex Hebræo : *vah anima noſtra* : & juxta hunc ſenſum annotat in Ezech. VI. 11. ſed Pſalterianus contextus feſtivum petit ſenſum ; quem etiam ſequitur B. Theodoritus. S. Aug. pro *devoravimus*, legit *abſorbuimus.*

in cordibus ſuis. ideſt toto animi affectu, ut notatum Grotio ex Iſ. XLVII. 8. & Apoc. XVIII. 7.

29 *Erubeſcant, & revereantur ſimul qui gratulantur malis meis.*

Erubeſcant *potiùs*, & pudefiant qui voluptatem ex malis meis capiunt.

30 *Induantur confuſione & reverentiâ qui magna loquuntur ſuper me ;*

Induantur confuſione & ignominiâ qui verbis immoderatis in me debacchantur ;

31 *Exultent & lætentur qui volunt juſtitiam meam : & dicant ſemper, magnificetur Dominus, qui volunt pacem ſervi ejus.*

Exultent verò & lætentur qui bonum meum optant : & dicant ſemper, magnificetur Dominus, qui proſperitatem ſervi ejus expectunt.

32 *Et lingua mea meditabitur juſtitiam tuam, totâ die laudem tuam.*

Mea interim lingua tuam, *in defendendis oppreſſis*, æquitatem prædicabit, & laudem tuam jugiter canet.

* In Catenâ Barbari productus ſed ex Corderio pag. 641. emendatus.

erubeſcant & revereantur &c. Aſterius* : *Quum David mala inimicis imprecatur, hoc facit vel ut meliores fiant (pulſa enim argentum non probatum & probabitur) vel ut ita verberati & exerciti, levius futurum judicium experiantur ; vel ut eorum flagellis alii erudiantur : cautus enim, quum videt inſipientem acriter verberatum, eruditur ; vel ut vitam hanc peſte ac morbis liberet ; vel ut alii, eorum flagella videntes, ab eis eruditionem & diſciplinam accipere nolint ; vel demum ne aliqui dicant, ubi eſt Deus David, num liberat eum & ſalvat eum ?* Rectiùs Theodoritus : παρεγγυᾷ δὲ &c. *moneo eos qui hæc legerint, ne ullam ex juſti hominis precibus offenſionem accipiant, ne anſam inimicis imprecandi hinc arripiant : ſed conſiderent, legis ſtatum & non Evangelicum vivendi mo-*

dum, prophetam sectatum esse. Lex verò imperat ut proximum diligamus, & inimicum odio habeamus; Dominus autem Christus perfectam virtutem ostendens, ait: (Matth. V. 43.) *dictum est antiquis &c. in hanc igitur differentiam inspicientes, cognoscite quid legi congruat quid gratia* Quod verò doctissimus Episcopus addit *beatum Davidem non maledicendo hac dixisse; sed, prophetantis more, prædicendo ea quæ planè futura erant*, laudato B. Matthæi loco parùm convenire videtur: & vero putem similius, quod suprà dixi, Davidem inimicis succensuisse quia Christi ærumnas in suis adumbrari noverat. Sed potior ratio ex veteris legis spiritu heic alibique ferè petenda est.

magna loquuntur. S Augustinus, *maligna loquuntur.*

justitiam meam, in eam, cui nomen *justitia* in Psal. LXXI 7. CXI. 8. subest, sententiam accipio: sicque accipi jubet lex Synonymica, potiùs quàm *justa mea causa favent.* Favet nobis Theodoritus, Vide Psal. II. 12 & annot. ibid. & Psal. LXVIII. 33.

qui volunt. Heb *quis vult.* Vide quæ de hoc textu diximus in Præfat. pag. 45.

& lingua mea &c. Sic nectit Theodoritus: *Porrò tuam opem consequutus, dies noctésque omnia præcepta tua meditabor, & perpetua beneficia laudabo: hoc enim* tota die *omnem diem Symmachus dixit, continuationem significans.* Nexum hunc non elegi tum quia Psalteriano contextui minùs benè congruere videbatur; tum quia jam præcesserat in versu 21, suprà.

ARGUMENTUM.

PSALMI TRIGESIMI QUINTI.

QUOD sum explanaturus Carmen, cum Psalmis XIII. & LII. collatum, nonnullam mihi captivitatis Babylonicæ suspicionem movebat: illúdque à captivis Judæis scriptum fuisse ferè suadebat; præsertim ob versus primum & ultimum qui Babyloniis potiùs quàm Sauli convenire videbantur. Sed quum ad secundum Psalmi versum attentos adhibuissem animos; & Theodoritum, Nicephorum, atque Euthymium legissem, in eorum ivi sententiam, & sic habui persuasum Psalmo nostro recoli memoriam eorum quæ David egerit postquam Saulem in speluncâ Engaddi deprehensum servasset; ipséque Saul, qui amicis usus fuerat verbis & pœnitentiam simulaverat, interitum ipsi machinaretur. Saule ita se gerente, orationem (huic posteà carmini mandatam) fudisse videtur David: in quâ Deum obsecrabat ut suæ cùm misericordiæ tum fidei memor, sibi suísque sociis in eo sperantibus opitularetur, nec se su-

perbi sui hostis potestati permitteret ; sed eum cum ipsius alumnis exitio daret, ut scilicet divina in castigandis iniquis justitia conspicua foret quemadmodum ex Psalmo VII. intelligendum est.

TITULUS.

In finem servo Domini ipsi David.

Psalmus XXXV.

1 *Dixit injustus ut delinquat in semetipso, non est timor Dei ante oculos ejus.*

2 *Quoniam dolosè egit in conspectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.*

Paraphrasis.

1 Iniquus *Saul*, *etsi multa benevolentiæ signa mihi impertiverit, necis meæ* delictum admittere decrevit apud se, & Dei timor ante oculos ejus non est:

2 Siquidem, Deo vidente & sciente, perniciem mihi *tam* perfidè molitur ut iniquitas ejus, perspecta *ipsis ejus fautoribus* facta, odio *ab iis* habeatur.

ANNOTATIONES.

in finem &c. Cod. Reg. 222. & Memm. 2. carent voce *ipsi*. Cod. Reg. 138. *in finem servo Domini David Psalmus. Propheta cum laude Dei opera ipsius Juda* Similem inscriptionem Cod. Colb. 158. repræsentat, præterquam in voce *Prophita* quæ corruptè exhibetur *Prophota*. Theodoritus titulum nostro germanum habet : unde castigandus videtur Corderius, ita scribens. *Theodoritus omittit voces illas τῷ δούλῳ κυρίου contentus solâ inscriptione ψαλμῶ*. Psalmi non meminit Theodoritus ; & voces τῷ δούλῳ κυρίου præfert in edit. Græc. Lat. Paris. p. 530. Aliam à meâ editionem Corderius fortasse heic habuit ; ut & quum scripsit : *Eusibius negat Psalmum vel odam inscribi debere quòd doctrinam & Theologiam contineat.* Ait quidem Eusebius in Cat. Barb Psalmo isto doctrinam & Theologiam contineri ; sed non inde negat Psalmum vel odam inscribi debere : & quomodo negaret, quum Psalmi vel odæ inscriptio non impediat quominùs doctrina & Theologia in carmine, Psalmi vel odæ titulum habente, contineri possit ?

dicit &c. Rabbini ineptè : *dicit pravaricatio impio in medio cordis mei.* LXX. Senes eadem, quæ hodie habemus, vocabula in Hebræo textu legebant præter vocem לבי *cordis mei*, pro quâ in eorum codicibus erat dictio לבו *cordis sui* : quam lectionem probabit quisquis luculenti sensus studiosus fuerit ; & beatum consuluerit Hieronymum : qui, ex Hebræo, vertit *in corde ejus*, quod documento est Hebræum sancti Doctoris codicem habuisse לבו ; atque adeò hodiernam vocem לבי corruptam esse.

dolosè egit. Hoc ideò dictum videtur quia Saul homo erat totus ex fraude & mendacio comp[illegible]us, dum eum persequebatur virum cui maximas amoris significationes dederat

derat. Nostram porrò versionem suspiciet, & Rabbinicæ (*blanditur sibi*) anteponet qui Psalmum LIV. 24. expenderit.

in conspectu ejus. Verba hæc Saulem potiùs quàm Babylonium aliquem sapiunt: nam ille iniquitatem suam Deo esse nòtam sciebat; hic autem Deum ea quæ in mundo fiunt non videre arbitrabatur ut ex Psal. LXXII. 11. cognoscimus.

ut inveniatur. Non placet Eusebius quum, sermonem de primis Psalmi verbis faciens, *ita: proposita verba Symmachus magis apertè interpretatus est, hoc modo reddens: dixit de manu incompositione impii intus cor meum, non est propositus timor Dei ante oculos ejus.* Sed mirificè placet idem Eusebius quum, sequenti Symmachi versioni (*quoniam delinquere videtur ut inveniatur iniquitas ejus ad odium illi habendum*) inhærens, eam sic illuminat, & nostrum ita explicat textum: *usque adeo, inquit, seipsum depravavit & Dei timorem abjecit ut iniquitas ejus perspecta omnibus fieret; & deprehensa, ab omnibus odio haberetur.* Caussa verò non subest cur Saulis iniquitatem ejus fautoribus displicuisse miremur: nam probari vix cuiquam potest ille qui ei, à quo bis servatus est cuique amorem testificatus est suum, vitam adimere conatur; vel ipso scelestos ejus conatus Deo vidente. S. Ambrosius: *ut inveniret iniquitatem suam & odium.* S. Aug. *ut inveniret iniquitatem suam & odisset.*

3 *Verba oris ejus iniquitas & dolus; noluit intelligere ut bene ageret.*

Verba, *quæ in mei gratiam protulit*, mendacio ac dolo plena sunt; & mentem, ad benè agendum, advertere non vult.

4 *Iniquitatem meditatus est in cubili suo: astitit omni viæ non bonæ; malitiam autem non odivit.*

Iniquitatem in cubili suo meditatur: omne, *quod ad cædem meam conducat*, scelus probat; & malitiam non aversatur *ullam modò mihi sociisque meis sit exitialis.*

5 *Domine in cœlo misericordia tua; & veritas tua usque ad nubes.*

Domine misericordiam tuam sentiunt omnia quæ cœlum inter & terram interjacent; & promissorum tuorum constantiam experiuntur quæcunque tellurem inter & nubes media sunt.

6 *Justitia tua sicut montes Dei; judicia tua abyssus multa.*

Bonitas tua, montibus ingentibus similis, *maximam habet amplitudinem*; & veritas tua, *instar maris immensi, longè latèque diffunditur.*

in cœlo. idest usque ad cœlum ut ex Hebræo textu intelligimus: quâ in re notari velim lectionum varietatem quæ heic & Psal. LVI. 12. & CVII. 4. occurrit. Meâ autem paraphrasi verum literæ sensum aperuisse videor: etenim si misericordia & veritas ad cœlum usque & nubes exporriguntur ut habet litera, eam utique misericordiam & veritatem experiuntur quæ cœlum inter & terram interjacent.

justitia tua &c. præcedentis versiculi iste est repetitio; &, in eo, justitia pro misericordia sumitur ut Psal. IV. 1. & locis ibi annotatis.

montes Dei. ingentes, altos, & prægrandes montes sic vocat pro linguæ Hebraicæ consuetudine: quæ res exquisitas, extraordinarias, & minimè vulgares exprimere solet adjuncto

Dei nomine, ut Gen. XIII. 10. Psal. LXXIX. 11. Cant. Cant VIII. 6. Ezech. XXVIII. 13. Jon. III. 3. Unde Aquila, Eusebio & B. Ambrosio prolatus, interpretatus est *montes validi*; ipséque *a* Plato, sacrorum auctorum vestigiis insistens, virum bonitate præcellentem appellat *divinum*. Adde *b* Plautum, *c* Ciceronem, *d* Virgilium, & *e* Quintilianum.

judicia. plur. pro sing. ut Psal. XVIII. 10 XXVI. 3. &c. & voce illâ divinorum promissorum constantia heic significatur ut Psal. LXXXVIII. 14. XCVI. 2. CX. 8. CXVIII. 175.

abyssus. non dicit, ut vulgò creditur, judicia Dei esse inscrutabilia: sed Dei veritatem instar immensi maris seu copiosæ aquæ diffundi & laté patere. Abyssum pro copiosâ aquâ habes Genes. I. 2. Exod. XV. 5. Deut. VIII. 7. Psal. XXXII. 7. LXXVI. 12. LXXVII. 18. CV. 10. S. Amb. *sicut abyssus multa*.

a In *Menone* sub fin. & in fin. Dialogi de *virtute*.
b Pseud. *condimentis divinis*.
c Post. red. *divina Pisonis virtus*.
d Eclog. 9. *divini opus Alcimedontis*.
e Instit. lib. I. *Quæ Tullius divinè, ut omnia, exsequitur*.

7 *Homines & jumenta salvabis Domine: quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.*

Hinc fit, Domine, *ut* homines & jumenta, *in sua specie*, conserves; *atque ita egregium veritatis tuæ specimen præbeas*: quemadmodum, *aliis in rebus*, misericordiam tuam abundè ostendis ô Deus.

8 *Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt;*

Quamobrem mœrentes atque abjecti homines (*quales nos sumus*) *tuam illam misericordiam & fidem attendentes*, in te recumbunt;

9 *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

Sperántque fore ut uberibus domus tuæ bonis *aliquando* saturentur, & copioso deliciarum tuarum flumine, *in templo tuo*, potes eos:

10 *Quoniam apud te est fons vitæ; & in lumine tuo videbimus lumen.*

Fons *namque* felicitatis apud te est; & vultus tui lumine, *in æde tuâ*, collustrati, bonis cumulabimur omnigenis.

11 *Prætende misericordiam tuam scientibus te; & justitiam tuam his, qui recto sunt corde.*

Exhibe, *obsecro*, misericordiam tuam cultoribus tuis; & tuam, *in promissis servandis*, æquitatem ostende iis qui candido sunt pectore.

homines & jumenta salvabis. Quandoquidem Deus omni animæ viventi tam in volucribus quàm in jumentis, atque omni carni humanæ perennitatem promisit Genes. VIII 29. IX. 10. 11. homines & jumenta, quæ in terrâ degunt, conservari in suâ specie debent ut divinus sermo veritate fundetur, quemadmodum Kimchius eruditè observat ad Psal. LXXXVIII. 14. Unde prior hæc versiculi pars ad veritatem pertinere videtur. Altera misericordiam spectat ut nomine *misericordiam* planum est, apparétque collatis locis Psal. XXXII. 5. & CXVIII. 64. in quibus multiplicatio, in versu nostro laudata, misericordiæ tribuitur, dum terram misericordiâ plenam esse affirmatur. Vide annot. ad Psal. XXIV. 14. atque hinc intellige præstantissimam esse versionem nostram, in quâ LXX. Senes sensum quæsiere, non verba: quæ sic habent *quàm preciosa est misericordia tua*: quanquam fortasse dici posset eos legisse כמי חיקרת pro מה יקר S. Aug *sicut multiplicata est misericordia tua*.

filii hominum. Heb בני אדם idest abjecti, calamitosi. Vide Psal. VIII. 5. & ejus argumentum p. 184. adde Psal. X. 5.

inebriabuntur. Confer Psal. XXVI. 8.

vita. vita pro felicitate sumitur, ut Psal. XVI. 15. XXXVII. 20. Confer Psal. XLI. 2.

lumen. pro favore, & bonis inde manantibus accipitur ut Psal. IV. 6. LXVI. 1. LXXXVIII. 16. XCVI. 12. nec malè: nam qui gratiâ florent & affluentibus rerum omnium copiis abundant, clarissimâ velut in luce versantur; contra atque miseri qui in tenebris degere dicuntur. Vide Psal. XII. 4. XVII. 32. & annot. ibid.

scientibus te. de se & suis sociiis loquitur in tertiâ personâ ut suprà vers. 8. alibique. Quòd autem *scire* sumatur interdum pro *colere*, apparet loco Joh. XVII. 3.

justitiam tuam. justitiam heic accipio pro fide promissorum ut Psal. XXX. 1. alibique persæpe; nec refert quod suprà vers. 6. vox illa sumta fuerit pro bonitate seu misericordiâ; hoc, inquam, non refert: nam unum idémque nomen variè in uno eodémque Psalmo accipi discimus ex Psal. XXIV. 12. 16. Poteris tamen, si velis, de unâ misericordiâ, utpote præcellenti, interpretari juxta sensum Psalmi XXXII. 5.

12 *Non veniat mihi pes superbiæ; & manus peccatoris non moveat me.*

Ne, *quæso*, superbi *Saulis* pes comprehendat me; nec iniqui *hujus Principis* manus detrimentum mihi importet;

13 *Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem; expulsi sunt, nec potuerunt stare.*

Sed scelerati, *qui me vexant*, illuc decidant *quò me impellere conantur*; *tantòque* dejiciantur *impetu* ut non possint *unquam* surgere, *& in priore gradu stare.*

ibi ceciderunt. Symmachus apud Theodoritum: *ubi cadunt operantes iniquitatem illuc impelluntur, & nequibunt stare*: non benè.

ARGUMENTUM.

PSALMI TRIGESIMI SEXTI.

VIGESIMUS sextus hujus Psalmi versus præclaras, quæ in eo continentur, sententias à Davide ætate jam provecto usurpatas fuisse ostendit; & versus 14. 41. 42. Davidem tunc temporis duriore fortunâ conflictatum & ferro ab improbis appetitum fuisse innuunt. Hinc Psalmum istum ad bellum Absalomiticum pertinere conjicio: nam bellum illud, ut ex sacrâ historiâ liquet, maximas Davidi acerbitates attulit; &, Da-

vide ſenilem ætatem agente, exarſit ut apparet cùm locis II. Reg. XII. 24. I. Paralip. XXIII. 1. XXIX. 1. in quibus Salomon, paulò ante hoc bellum lucis uſurâ donatus, puer & tenellus deſcribitur quum à patre ſeptuagenario & dierum pleno in regiam dignitatem eveheretur; tum teſtimoniis [a] Eupolemi, S. [b] Ignatii, S. [c] Hieronymi, S. [d] Chryſoſtomi, [e] Auctoris *ἱστοριῶν συναγωγῆς*, [f] Cedreni, [g] Zonaræ, & [h] Rabbinorum qui Salomonem anno ætatis duodecimo regnum iniiſſe teſtantur. Ad hæc verſus 17. 18. & 20. luculenta Abſalomitici belli indicia produnt: in iis enim verſibus *juſtos* videmus & *peccatores*, illos fame laborantes; hos divitiis affluentes: quibus notis Davidis ſocios & Abſalomi fautores exprimi puto: illi enim in Pſal. XXIV. 23. *innocentes & recti* vocantur; hi autem nefarii erant quippe qui regem ſuum oppugnarent. Rursùm Davidis ſocios fame laboraſſe indicat locus II. Reg. XVII. 28. 29. Abſalomi verò fautores opibus inhiaſſe docet Pſalmus IV. 6. 8. inſupérque res ipſa declarat ipſos multam pecuniam ſuis rapinis eâ tempeſtate collegiſſe. Dices: ex prolatis Regum & Paralipomenων locis, atque adductis Eupolemi aliorúmque teſtimoniis conficitur Davidem, orto Abſalomi bello, annos circiter quinquaginta & octo natum fuiſſe: ſed, qui eam ætatem attigere, in numerum ſenum non adſcribuntur; ergo. Minorem propoſitionem nego, & auctores appello [i] Hippocratem, [k] Varronem, [l] Ciceronem, & C. Tuberonem ab [m] Aulo Gellio prolatum qui ſenectutem, ante annum quinquageſimum octavum, incipiunt cum ſacris auctoribus, apud quos Salomon annum nondum natus quinquageſimum vocatur ſenex III. Reg. XI. 4. quem locum eruditiſſimus [n] Tiraquellus non ſatis

[a] apud Euſeb. de Præp. IX. 30.
[b] in Epiſtolâ interpolatâ ad Magneſ. cap. 3.
[c] Epiſt. 125. Quæſt. 2. Epiſt. 131. & ad Iſ. III. 4.
[d] ad Iſ. III. 4.
[e] cum Chronicis Euſebii à Scaligero editi, ubi de Salomone.
[f] in Salomone.
[g] in eodem Rege.
[h] in *Seder Olam rabba* cap. 14.
[i] apud Cenſorin. de die natali cap. 14.
[k] Ibid.
[l] in Catone.
[m] Noct. Attic, lib. X. c. 28.
[n] ad legem 15. Connub.

intellexit. Oppones Chusaium de Davidis fortitudine loquentem II. Reg. XVII. 8. 9. 10. & Davidem ipsum ascendentem *clivum olivarum flendo nudisque pedibus incedentem & operto capite* II. Reg. XV. 30. dicésque Davidem, quando tantâ pollebat fortitudine & montem nudis pedibus ascendebat, juvenili ætate fuisse. Respondeo multos esse qui anno ætatis 58. robusti sunt & labores Davidicis pares sustinent : plenæque sunt historiæ viris qui senio confecti in bellum profecti fuerunt; imò [a] Cicero exercitus ex senibus collecti meminit. Constitutâ Psalmi epochâ; & dilutis, quæ adversùs eam fieri possunt, argumentis, dico verisimile esse ut Psalmus noster nihil sit aliud quàm oratio à Davide ad suos, tempore Absalomitici belli, commilitones habita: in quâ illos hortabatur ut secundis improborum hostium suorum rebus graviùs non commoverentur, quippe quæ breves & fugaces essent; tùm eos ad pietatem excitabat, asserens omnia prosperè processura si sanctitati operam darent & suam in Deo locarent spem. Eximia sanè est hæc oratio, atque adeò digna fuit quæ alphabetico ordine conscriberetur. Quando autem universa, quæ in Psalmos comprehenduntur, *allegoricis & typicis contexta sunt virtutibus* ut ait S. [b] Hilarius, ambigi non debet quin Psalmus iste ad nostram utilitatem scriptus sit, admonens nos brevem esse, adeóque non invidendam, impiorum felicitatem; contrà justis reposita esse bona ad longum tempus duratura, atque ita omne nostrum studium ad pietatem esse conferendum si verè beati esse velimus.

[a] 2. Catil. 51

[b] prolog. Psalm.



bodie exstat, habuere: præter unum vocabulum לא, pro quo legerunt לי. Per *scissuram autem*, non homines calamitosos, quietos, aut opulentos, cum Hebraistis intellexerunt; sed iracundiam quæ est veluti quædam cordis scissio, quomodo accipitur vox רגע Psal. XXIX. 5. & præpositionem על interpretati sunt *in*, quemadmodum sumitur Gen. XXVII. 40. *Terra* porrò heic accipitur pro terra Hierosolymitana ut Psal. LXIV. 9. LXVI. 2. 5. 6. LXXV. 8. 9. II. Reg. XV. 4. terrâque illa Hierosolymitana sumitur pro terræ Hierosolymitanæ incolis ut Psal. XCV. 1. XCVII. 6. XCIX. 1. Hæc autem vox ab Eusebio, Nicephoro, Euthymio, Sixtinâ editione, & Regiis ac Colbertinis Codicibus Græcis abest: sed eam Hebræus textus repræsentat; illámque Theodoritus legebat ut ex ejus liquet commentario. Quòd autem prædicta vox in eruditissimi hujus Interpretis textu desideretur profectum crediderim ex incuriâ aut fraude exscriptorum: dum aut ex memoriâ non ex codice describunt; aut receptam suâ ætate lectionem repræsentare gestiunt. Simile quidpiam apud eundem Theodoritum, Chrysostomum & Arnobium in Psalmi XLIX. 22. enarratione observabis. S. Aug. 1°. *insuper iram dolosè cogitabant.* 2°. *super iram* &c.

justitiam tuam. S. Augustinus, Euthymius & Codices Regii 1532. 1775. 2603. 2606. Colb. 6051. legunt *justitiam μȣ meam.* Theodoritus, Sixtina editio, Cod. Reg. 928. 2653. 2723. 2653. Colb. 4439. 6158. 6510. legunt *justitiam σȣ tuam.*

dilataverunt. Vide Thren. II. 16.

euge. lætantis est interjectio ut Matth. XXV. 21. S. Hieronymus vertit ex Hebræo: *vah anima nostra*: & juxta hunc sensum annotat in Ezech. VI. 11. sed Psalterianus contextus festivum petit sensum; quem etiam sequitur B. Theodoritus. S. Aug. pro *devoravimus*, legit *absorbuimus.*

in cordibus suis. idest toto animi affectu, ut notatum Grotio ex Is. XLVII. 8. & Apoc. XVIII. 7.

Erubescant, & revereantur simul qui gratulantur malis meis.	29	Erubescant *potiùs*, & pudefiant qui voluptatem ex malis meis capiunt.
Induantur confusione & reverentiâ qui magna loquuntur super me;	30	Induantur confusione & ignominiâ qui verbis immoderatis in me debacchantur;
Exultent & lætentur qui volunt justitiam meam: & dicant semper, magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus.	31	Exultent verò & lætentur qui bonum meum optant: & dicant semper, magnificetur Dominus, qui prosperitatem servi ejus expectunt.
Et lingua mea meditabitur justitiam tuam, totâ die laudem tuam.	32	Mea interim lingua tuam, *in defendendis oppressis*, æquitatem prædicabit, & laudem tuam jugiter canet.

erubescant & revereantur &c. Asterius*: *Quum David mala inimicis imprecatur, hoc facit vel ut meliores fiant (pulsa enim argentum non probatum & probabitur) vel ut ita verberati & exercíti, levius futurum judicium experiantur; vel ut eorum flagellis alii erudiantur: cautus enim, quum videt insipientem acriter verberatum, eruditur; vel ut vitam hanc peste ac morbis liberet; vel ut alii, eorum flagella, videntes, ab eis eruditionem & disciplinam accipere nolint; vel demum ne aliqui dicant, ubi est Deus David, num liberat eum & salvat eum?* Rectiùs Theodoritus: [illegible] &c. *moneo eos qui hæc legerint, ne ullam ex justi hominis precibus offensionem accipiant, ne ansam inimicis imprecandi hinc arripiant: sed considerent, legis statum & non Evangelicum vivendi mo-*

* In Catenâ Barbari productus, sed ex Corderio pag 641. emendatus.

dum, prophetam sectatum esse. Lex verò imperat ut proximum diligamus, & inimicum odio habeamus; Dominus autem Christus perfectam virtutem ostendens, ait: (Matth. V. 43.) *dictum est antiquis &c. in hanc igitur differentiam inspicientes, cognoscite quid legi congruat quid gratiæ.* Quod verò doctissimus Episcopus addit *beatum Davidem non maledicendo hæc dixisse; sed, prophetantis more, prædicendo ea quæ planè futura erant*, laudato B. Matthæi loco parùm convenire videtur: & vero putem similius, quod suprà dixi, Davidem inimicis succensuisse quia Christi ærumnas in suis adumbrari noverat. Sed potior ratio ex veteris legis spiritu heic alibíque ferè petenda est.

magna loquuntur. S Augustinus, *maligna loquuntur.*

justitiam meam, in eam, cui nomen *justitia* in Psal. LXXI 7. CXI. 8. subest, sententiam accipio: sicque accipi jubet lex Synonymica; potiùs quàm *justa mea causa favent.* Favet nobis Theodoritus, Vide Psal. II. 12 & annot. ibid. & Psal. LXVIII. 33.

qui volunt. Heb *qui vult.* Vide quæ de hoc textu diximus in Præfat. pag. 45.

& lingua mea &c. Sic nectit Theodoritus: *Porrò tuam opem consequutus, dies noctésque omnia præcepta tua meditabor, & perpetua beneficia laudabo: hoc enim* tota die *omnem diem Symmachus dixit, continuationem significans.* Nexum hunc non elegi tum quia Psalteriano contextui minùs benè congruere videbatur; tum quia jam præcesserat in versu 21. suprà.

ARGUMENTUM.

PSALMI TRIGESIMI QUINTI.

QUOD sum explanaturus Carmen, cum Psalmis XIII. & LII. collatum, nonnullam mihi captivitatis Babylonicæ suspicionem movebat: illúdque à captivis Judæis scriptum fuisse ferè suadebat; præsertim ob versus primum & ultimum qui Babyloniis potiùs quàm Sauli convenire videbantur. Sed quum ad secundum Psalmi versum attentos adhibuissem animos; & Theodoritum, Nicephorum, atque Euthymium legissem, in eorum ivi sententiam, & sic habui persuasum Psalmo nostro recoli memoriam eorum quæ David egerit postquam Saulem in speluncâ Engaddi deprehensum servasset; ipséque Saul, qui amicis usus fuerat verbis & pœnitentiam simulaverat, interitum ipsi machinaretur. Saule ita se gerente, orationem (huic posteà carmini mandatam) fudisse videtur David: in quâ Deum obsecrabat ut suæ cùm misericordiæ tum fidei memor, sibi suísque sociis in eo sperantibus opitularetur, nec se su-

perbi sui hostis potestati permitteret; sed eum cum ipsius alumnis exitio daret, ut scilicet divina in castigandis iniquis justitia conspicua foret quemadmodum ex Psalmo VII. intelligendum est.

TITULUS.

In finem servo Domini ipsi David.

PSALMUS XXXV.

1 *Dixit injustus ut delinquat in semetipso, non est timor Dei ante oculos ejus.*

2 *Quoniam dolosè egit in conspectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.*

PARAPHRASIS.

1 Iniquus *Saul, etsi multa benevolentiæ signa mihi impertiverit, necis meæ* delictum admittere decrevit apud se, & Dei timor ante oculos ejus non est:

2 Siquidem, Deo vidente & sciente, perniciem mihi *tam* perfidè molitur ut iniquitas ejus, perspecta *ipsis ejus fautoribus* facta, odio *ab iis* habeatur.

ANNOTATIONES.

in finem &c. Cod. Reg. 222. & Memm. 2 carent voce *ipsi*. Cod. Reg. 138. *in finem servo Domini David Psalmus. Propheta cum laude Dei opera ipsius Juda* Similem inscriptionem Cod. Colb 158. repræsentat, præterquam in voce *Prophta* quæ corruptè exhibetur *Prophota*. Theodoritus titulum nostro germanum habet: unde castigandus videtur Corderius, ita scribens. *Theodoritus omittit voces illas τῷ δούλῳ κυρίου contentus solâ inscriptione Δαυΐδ*. Psalmi non meminit Theodoritus; & voces τῷ δούλῳ κυρίου præfert in edit. Græc. Lat. Paris. p. 530. Aliam à meâ editionem Corderius fortasse hîc habuit; ut & quum scripsit: *Eusebius negat Psalmum vel odam inscribi debere quid doctrinam & Theologiam contineat.* Ait quidem Eusebius in Cat. Barb Psalmo isto doctrinam & Theologiam contineri; sed non inde negat Psalmum vel odam inscribi debere: & quomodo negaret, quum Psalmi vel odæ inscriptio non impediat quominùs doctrina & Theologia in carmine, Psalmi vel odæ titulum habente, contineri possit?

dixit &c. Rabbini ineptè: *dicit prævaricatio impio in medio cordis mei.* LXX. Senes eadem, quæ hodie habemus, vocabula in Hebræo textu legebant præter vocem לבי *cordis mei*, pro quâ in eorum codicibus erat dictio לבו *cordis sui*: quam lectionem probabit quisquis luculenti sensus studiosus fuerit; & beatum consuluerit Hieronymum: qui, ex Hebræo, vertit *in corde ejus*, quod documento est Hebræum sancti Doctoris codicem habuisse לבו; atque adeò hodiernam vocem לבי corruptam esse.

dolosè egit. Hoc ideò dictum videtur quia Saul homo erat totus ex fraude & mendacio compositus, dum eum persequebatur virum cui maximas amoris significationes dederat

deret. Nostram porrò versionem suspiciet; & Rabbinicæ (*blanditur sibi*) anteponet qui Psalmum LIV. 24. expenderit.

in conspectu ejus. Verba hæc Saulem potiùs quàm Babylonium aliquem sapiunt: nam ille iniquitatem suam Deo esse nòtam sciebat; hic autem Deum ea quæ in mundo fiunt non videre arbitrabatur ut ex Psal. LXXII. 11. cognoscimus.

ut inveniatur. Non placet Eusebius quum, sermonem de primis Psalmi verbi faciens, ait: *proposita verba Symmachus magis apertè interpretatus est, hoc modo reddens: dixit de morum incompositione impii intus cor meum, non est propositus timor Dei ante oculos ejus.* Sed mirificè placet idem Eusebius quum, sequenti Symmachi versioni (*quoniam delinquere videtur ut inveniatur iniquitas ejus ad odium illi habendum*) inhærens, eam sic illuminat, & nostrum ita explicat textum: *usque adeo, inquit, seipsum depravavit & Dei timorem abjecit ut iniquitas ejus perspecta omnibus fieret; & deprehensa, ab omnibus odio haberetur.* Caussa verò non subest cur Saulis iniquitatem ejus fautoribus displicuisse miremur: nam probari vix cuiquam potest ille qui ei, à quo bis servatus est cuique amorem testificatus est suum, vitam adimere conatur; vel ipso scelestos ejus conatus Deo vidente. S. Ambrosius: *ut inveniret iniquitatem suam & odium.* S. Aug. *ut inveniret iniquitatem suam & odisset.*

3 *Verba oris ejus iniquitas & dolus; noluit intelligere ut bene ageret.*

Verba, *quæ in mei gratiam protulit*, mendacio ac dolo plena sunt; & mentem, ad benè agendum, advertere non vult.

4 *Iniquitatem meditatus est in cubili suo: astitit omni viæ non bonæ; malitiam autem non odivit.*

Iniquitatem in cubili suo meditatur: omne, *quod ad cædem meam conducat*, scelus probat; & malitiam non aversatur *ullam modò mihi sociisque meis sit exitialis.*

5 *Domine in cœlo misericordia tua; & veritas tua usque ad nubes.*

Domine misericordiam tuam sentiunt omnia quæ cœlum inter & terram interjacent; & promissorum tuorum constantiam experiuntur quæcunque tellurem inter & nubes media sunt.

6 *Justitia tua sicut montes Dei; judicia tua abyssus multa.*

Bonitas tua, montibus ingentibus similis, *maximam habet amplitudinem*; & veritas tua, *instar maris immensi, longè latèque diffunditur.*

in cœlo. idest usque ad cœlum ut ex Hebræo textu intelligimus: quâ in re notari velim lectionum varietatem quæ heic & Psal. LVI. 12. & CVII. 4. occurrit. Meâ autem paraphrasi verum literæ sensum aperuisse videor: etenim si misericordia & veritas ad cœlum usque & nubes exporriguntur ut habet litera, eam utique misericordiam & veritatem experiuntur quæ cœlum inter & terram interjacent.

justitia tua &c præcedentis versiculi iste est repetitio; &, in eo, justitia pro misericordia sumitur ut Psal. IV. 1. & locis ibi annotatis.

montes Dei. ingentes, altos, & prægrandes montes sic vocat pro linguæ Hebraicæ consuetudine: quæ res exquisitas, extraordinarias, & minimè vulgares exprimere solet adjuncto

Dei nomine. ut Gen. XIII. 10. Psal. LXXIX. 11. Cant. Cant. VIII. 6. Ezech. XXVIII. 13. Jon. III. 3. Unde Aquila, Eusebio & B. Ambrosio prolatus, interpretatus est *montes validi*; ipséque *a* Plato, sacrorum auctorum vestigiis insistens, virum bonitate præcellentem appellat *divinum*. Adde *b* Plautum, *c* Ciceronem, *d* Virgilium, & *e* Quintilianum.

judicia. plur. pro sing. ut Psal. XVIII. 10 XXVI. 3. &c. & voce illâ divinorum promissorum constantia heic significatur ut Psal. LXXXVIII. 14. XCVI. 2. CX. 6. CXVIII. 175.

abyssus. non dicit, ut vulgò creditur, judicia Dei esse inscrutabilia: sed Dei veritatem instar immensi maris seu copiosæ aquæ diffundi & latè patere. Abyssum pro copiosâ aquâ habes Genes. I. 2. Exod. XV. 5. Deut. VIII. 7. Psal. XXXII. 7. LXXVI. 12. LXXVII. 18. CV. 10. S. Amb. *sicut abyssus multa*.

a In *Menone* sub fin. & in fin. Dialogi de *virtute*.
b Pseud. *condimentis divinis*.
c Post. red. *divina Pisonis virtus*.
d Eclog. 3 *divini opus Alcimedontis*.
e Instit. lib. I. *Quæ Tullius divinè, ut omnia, exequitur*.

Homines & jumenta salvabis Domine: quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.

7 *Hinc fit*, Domine, *ut* homines & jumenta, *in suâ specie*, conserves; *atque ita egregium veritatis tuæ specimen præbeas*: quemadmodum, *aliis in rebus*, misericordiam tuam abundè ostendis ô Deus.

Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt;

8 *Quamobrem* mœrentes atque abjecti homines *(quales nos sumus) tuam illam misericordiam & fidem attendentes*, in te recumbunt;

Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.

9 *Sperántque fore ut* uberibus domus tuæ bonis *aliquando* saturentur, & copioso deliciarum tuarum flumine, *in templo tuo*, potes eos:

Quoniam apud te est fons vitæ; & in lumine tuo videbimus lumen.

10 Fons *namque* felicitatis apud te est; & vultus tui lumine, *in æde tuâ*, collustrati, bonis cumulabimur omnigenis.

Prætende misericordiam tuam scientibus te; & justitiam tuam his, qui recto sunt corde.

11 Exhibe, *obsecro*, misericordiam tuam cultoribus tuis; & tuam, *in promissis servandis*, æquitatem ostende iis qui candido sunt pectore.

homines & jumenta salvabis. Quandoquidem Deus omni animæ viventi tam in volucribus quàm in jumentis, atque omni carni humanæ perennitatem promisit Genes. VIII 19. IX. 10. 11. homines & jumenta, quæ in terrâ degunt, conservari in suâ specie debent ut divinus sermo veritate fundetur, quemadmodum Kimchius eruditè observat ad Psal. LXXXVIII. 14. Unde prior hæc versiculi pars ad veritatem pertinere videtur. Altera misericordiam spectat ut nomine *misericordiam* planum est, apparétque collatis locis Psal. XXXII. 5. & CXVIII. 64. in quibus multiplicatio, in versu nostro laudata, misericordiæ tribuitur, dum terram misericordiâ plenam esse affirmatur. Vide annot. ad Psal. XXIV. 14. atque hinc intellige præstantissimam esse versionem nostram, in quâ LXX. Senes sensum quæsiere, non verba: quæ sic habent *quàm pretiosa est misericordia tua*: quanquam fortasse dici posset eos legisse כמי חיקרת pro מה יקר S. Aug. *sicut multiplicata est misericordia tua*.

filii hominum. Heb בני אדם idest abjecti, calamitosi. Vide Psal. VIII. 5. & ejus argumentum p. 184. adde Psal. X. 5.

inebriabuntur. Confer Psal. XXVI. 8.

vita. vita pro felicitate sumitur, ut Psal. XVI. 15. XXXVII. 20. Confer Psal. XLI. 2.

lumen. pro favore, & bonis inde manantibus accipitur ut Psal. IV. 6. LXVI. 1. LXXXVIII. 16. XCVI. 12. nec malè: nam qui gratiâ florent & affluentibus rerum omnium copiis abundant, clarissimâ velut in luce versantur; contra atque miseri qui in tenebris degere dicuntur. Vide Psal. XII. 4. XVII. 32. & annot. ibid.

scientibus te. de se & suis sociis loquitur in tertiâ personâ ut suprà vers. 8. alibique. Quòd autem *scire* sumatur interdum pro *colere*, apparet loco Joh. XVII. 3.

justitiam tuam. justitiam heic accipio pro fide promissorum ut Psal. XXX. 1. alibíque persæpe; nec refert quod suprà vers. 6. vox illa sumta fuerit pro bonitate seu misericordiâ; hoc, inquam, non refert: nam unum idémque nomen variè in uno eodémque Psalmo accipi discimus ex Psal. XXIV. 12. 16. Poteris tamen, si velis, de unâ misericordiâ, utpote præcellenti, interpretari juxta sensum Psalmi XXXII. 5.

12 *Non veniat mihi pes superbiæ; & manus peccatoris non moveat me;*

Ne, *quæso*, superbi *Saulis* pes comprehendat me; nec iniqui *hujus Principis* manus detrimentum mihi importet;

13 *Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem; expulsi sunt, nec potuerunt stare.*

Sed scelerati, *qui me vexant*, illuc decidant *quò me impellere conantur*; *tantòque* dejiciantur *impetu* ut non possint *unquam* surgere, *& in priore gradu stare.*

ibi ceciderunt. Symmachus apud Theodoritum: *ubi cadunt operantes iniquitatem illuc impelluntur, & nequibunt stare*: non benè.

ARGUMENTUM.

PSALMI TRIGESIMI SEXTI.

VIGESIMUS sextus hujus Psalmi versus præclaras, quæ in eo continentur, sententias à Davide ætate jam provecto usurpatas fuisse ostendit; & versus 14. 41. 42. Davidem tunc temporis duriore fortunâ conflictatum & ferro ab improbis appetitum fuisse innuunt. Hinc Psalmum istum ad bellum Absalomiticum pertinere conjicio: nam bellum illud, ut ex sacrâ historiâ liquet, maximas Davidi acerbitates attulit; &, Da-

vide ſenilem ætatem agente, exarſit ut apparet cùm locis II. Reg. XII. 24. I. Paralip. XXIII. 1. XXIX. 1. in quibus Salomon, paulò ante hoc bellum lucis uſurâ donatus, puer & tenellus deſcribitur quum à patre ſeptuagenario & dierum pleno in regiam dignitatem eveheretur; tum teſtimoniis [a] Eupolemi, S. [b] Ignatii, S. [c] Hieronymi, S. [d] Chryſoſtomi, [e] Auctoris *ἰσρελιῶν συναγώγης*, [f] Cedreni, [g] Zonaræ, & [h] Rabbinorum qui Salomonem anno ætatis duodecimo regnum iniiſſe teſtantur. Ad hæc verſus 17. 18. & 20. luculenta Abſalomitici belli indicia produnt: in iis enim verſibus *juſtos* videmus & *peccatores*, illos fame laborantes; hos divitiis affluentes: quibus notis Davidis ſocios & Abſalomi fautores exprimi puto: illi enim in Pſal. XXIV. 23. *innocentes & recti* vocantur; hi autem nefarii erant quippe qui regem ſuum oppugnarent. Rursùm Davidis ſocios fame laboraſſe indicat locus II. Reg. XVII. 28. 29. Abſalomi verò fautores opibus inhiaſſe docet Pſalmus IV. 6. 8. inſupérque res ipſa declarat ipſos multam pecuniam ſuis rapinis eâ tempeſtate collegiſſe. Dices: ex prolatis Regum & Paralipomenων locis, atque adductis Eupolemi aliorúmque teſtimoniis conficitur Davidem, orto Abſalomi bello, annos circiter quinquaginta & octo natum fuiſſe: ſed, qui eam ætatem attigere, in numerum ſenum non adſcribuntur; ergo. Minorem propoſitionem nego, & auctores appello [i] Hippocratem, [k] Varronem, [l] Ciceronem, & C. Tuberonem ab [m] Aulo Gellio prolatum qui ſenectutem, ante annum quinquageſimum octavum, incipiunt cum ſacris auctoribus, apud quos Salomon annum nondum natus quinquageſimum vocatur ſenex III. Reg. XI. 4. quem locum eruditiſſimus [n] Tiraquellus non ſatis

[a] apud Euſeb. de Præp. IX. 30.
[b] in Epiſtolâ interpolatâ ad Magneſ. cap. 3.
[c] Epiſt. 125. Quæſt. 2. Epiſt. 131. & ad Iſ. III. 4.
[d] ad Iſ. III. 4.
[e] cum Chronicis Euſebii à Scaligero editi, ubi de Salomone.
[f] in Salomone.
[g] in eodem Rege.
[h] in *Seder Olam rabba* cap. 14.
[i] apud Cenſorin. de die natali cap. 14.
[k] Ibid.
[l] in Catone.
[m] Noct. Attic. lib. X. c. 28.
[n] ad legem 15. Connub.

intellexit. Oppones Chusaium de Davidis fortitudine loquentem II. Reg. XVII. 8. 9. 10. & Davidem ipsum ascendentem *clivum olivarum flendo nudisque pedibus incedentem & operto capite* II. Reg. XV. 30. dicésque Davidem, quando tantâ pollebat fortitudine & montem nudis pedibus ascendebat, juvenili ætate fuisse. Respondeo multos esse qui anno ætatis 58. robusti sunt & labores Davidicis pares sustinent: plenæque sunt historiæ viris qui senio confecti in bellum profecti fuerunt; imò [a] Cicero exercitus ex senibus collecti meminit. Constitutâ Psalmi epochâ; & dilutis, quæ adversùs eam fieri possunt, argumentis, dico verisimile esse ut Psalmus noster nihil sit aliud quàm oratio à Davide ad suos, tempore Absalomitici belli, commilitones habita; in quâ illos hortabatur ut secundis improborum hostium suorum rebus graviùs non commoverentur, quippe quæ breves & fugaces essent; tùm eos ad pietatem excitabat, asserens omnia prosperè processura si sanctitati operam darent & suam in Deo locarent spem. Eximia sanè est hæc oratio, atque adeò digna fuit quæ alphabetico ordine conscriberetur. Quando autem universa, quæ in Psalmos comprehenduntur, *allegoricis & typicis contexta sunt virtutibus* ut ait S. [b] Hilarius, ambigi non debet quin Psalmus iste ad nostram utilitatem scriptus sit, admonens nos brevem esse, adeóque non invidendam, impiorum felicitatem; contrà justis reposita esse bona ad longum tempus duratura, atque ita omne nostrum studium ad pietatem esse conferendum si verè beati esse velimus.

[a] 2. Catil. 51

[b] prolog. Psalm.



TITULUS.

Psalmus ipsi David.

PSALMUS XXXVI.

NOli æmulari in malignantibus; neque zelaveris facientes iniquitatem:

Quoniam, tanquam fœnum, velociter arescent; & quemadmodum olera herbarum citò decident.

Spera in Domino, & fac bonitatem: & inhabita terram, & pasceris in divitiis ejus.

Delectare in Domino; & dabit tibi petitiones cordis tui.

Revela Domino viam tuam, & spera in eo; & ipse faciet:

Et educet quasi lumen justitiam tuam; & judicium tuum tanquam meridiem. Subditus esto; & ora eum.

PARAPHRASIS.

1 NOli, *ô populе mihi adjuncte*, improbis *Absalomitis, prospero fortunæ flatu utentibus*, æmulari; nec sceleratis *illis, rerum omnium copiâ circumfluentibus*, invideas:

2 Nam fœni, instar, arescent velociter; & virenti herbæ similes citò marcescent.

3 Spera in Domino, & bonis operibus incumbe: *sic*que terram incoles, & divitiis ejus potieris.

4 Delicias tuas in Domino colloca; & *ipse* postulatis tuis annuet.

5 Necessitates tuas Domino expone, atque ei fide; ipséque faciet *quæ optas*:

6 Et tuam, *cui secundæ impiorum Absalomitarum res tenebras nunc offundunt*, pietatem in lucem proferet; ac tuam, *quæ horum improborum felicitate obscuratur*, æquitatem reddet splendidam ut meridianam lucem. *Itaque* subditus esto Domino *immissam ab eo calamitatem patienter ferens*; & ora eum *ut te protegat*.

ANNOTATIONES.

Psalmus &c. Codex Reg. 138. *ipsi David. hic hortatur Moysem ad fidem, demonstrans & salutem Ecclesiæ, monet credentes.* Colb. 158. *ipsi David. Hic ortatur Moysem ad fidem, demonstrans & salutem. Ecclesia monet credentes.*

noli æmulari. Aquila, apud Eusebium: *ne contendas in malignantibus.* Symmachus: *ne certes cum maleficis.* Theodotio, apud Theodoritum, *ne irriteris.* Lex Syoonymica nobis favet; nec Rabbini, vertentes *ne irascaris*, adversantur: nam eis irascimur quibus æmulamur.

arescent. Rabbini *succidentur*; sed versio nostra melior apparet ex secundo hemistichio in quo habetur *decident*, quod arescendi quàm succidendi significationi propius est.

quemadmodum &c. S. Augustinus, *sicut olera prati citò cadent.*

inhabita. imperat. pro fut. ut notat S. Cyrillus Alexandrinus, & secundo patet hemistichio. Vide Num. XXIV. 22. Deut. XXXII. 49. Psal. CIX. 3.

& pasceris &c. Symmachus, inquiunt Eusebius & S. Cyrillus, vertit *& pascere assiduè seu continuò.* Aquila, *& pascere fide*, Ultimam interpretationem sequuntur Rabbini. LXX. legerunt חמון pro אמונה; & rectè interpretati sunt *divitiis*, ut liquet ex sensu & vers. 17. infrà.

revela. Rabbini: *devolve*. Idem sensus, etsi varia sit lectio.

subditus esto. Eusebius: *Aquila, sile Domino. Symmachus, quiesce Domino.* Rabbini, *tace Domino.* Idem ubique sensus: qui enim Deo subditi sunt & adversam fortunam æquo animo ferunt, tacent & adversùs Deum non murmurant.

ora eum. Aquila apud Euseb. *exspecta eum.* Symmachus, *supplica ei.* Rabbini, Aquilam sequuti, vertunt *spera in eo.* LXX. & Symmachus legisse videntur התפלל pro התחולל, sed res eodem recidit: nam in eo spem habemus quem oramus.

7 *Noli æmulari in eo qui prosperatur in viâ suâ; in homine faciente injustitias.*

Noli invidere iis quibus omnia pulcherrimè procedunt *hostibus nostris*; *nec* hominum *hujusmodi* sceleribus addictorum felicitate doleas.

8 *Desine ab irâ; & derelinque furorem; noli æmulari ut maligneris.*

Desine irasci *ob prosperas horum improborum res*; & furorem, *quem tibi eorum felicitas attulerat*, depone, nec ita velis *præstantem florentémque eorum fortunam* invidere ut malum, *quò tibi similis felicitas contingat*, fecteris.

9 *Quoniam qui malignantur exterminabuntur; sustinentes autem Dominum, ipsi hæreditabunt terram.*

Nam qui malum sectantur exterminabuntur; qui *verò* suam in Domino fiduciam ponunt, terram possidebunt.

10 *Et adhuc pusillum; & non erit peccator: & quæres locum ejus, & non invenies;*

Exspecta paulisper; & impius, *qui nos insectatur cœtus*, non supererit: quæres locum, ubi *antea* floruerat, & non invenies;

11 *Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.*

Qui autem adversam fortunam æquo ferunt animo *socii mei* terram hæreditabunt, & maximâ felicitate utentur.

homine. sing. pro plurali, ut patet versu 9. Vide versus 17. 18. infrà, & Psal. XXI. 21.

12 *Observabit peccator justum; & stridebit super eum dentibus suis;*

Improbus *quidem, qui nobis adversatur, cœtus* justum, *qui mihi adhæret*, populum observat *ut perniciem ei afferat*; & suis in eum dentibus frendet;

13 *Dominus autem irridebit eum: quoniam prospicit quòd veniet dies ejus.*

Sed Dominus irridet eum: novit enim propinquum esse diem interitus ejus.

14 *Gladium evaginaverunt peccatores; intenderunt arcum suum*

Gladium *equidem* è vaginâ eduxerunt impii *nostri hostes*, & arcum suum intenderunt

15 *Ut dejiciant pauperem & inopem, ut trucident rectos corde.*

Ut miserum & afflictum, *qui à partibus meis stat*, populum dejiciant, *&* probos *commilitones meos* trucident.

16 *Gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringatur;*

At gladius eorum in corda ipsorum intrabit, atque arcus illorum confringetur;

17 *Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas:*

Et modica, *quæ* justo, *qui caussam meam complectitur*, populo *supersunt*, bona immensis improborum *inimicorum nostrorum* divitiis, *in queis ceu belli nervis spem collocant*, præstabunt:

18 *Quoniam brachia peccatorum conterentur; confirmat autem justos Dominus,*

Nam improborum *horum* vires conterentur; justos autem, *qui partes meas susceperunt*, corroborabit Dominus,

19 *Novit Dominus dies immaculatorum & hæreditas eorum in æternum erit.*

Insuperque innocentium *commilitonum meorum* vitæ *sic* Dominus prospiciet *ut*, quam *ab eo* consequuturi sunt, hæreditas diutissimè illis adfutura sit.

observabit. fut. pro præs. ut Psal. LXVII. 34. & multis aliis in locis. Rabbini: ***cogitat peccator contra justum.*** Idem ubique sensus.

confringatur. S. Augustinus, ***conteratur.*** S. Ambrosius, ***arcus peccatorum Dominus confringat.***

justo. sing. pro plur. ut liquet ex versu sequenti: qui abundè indicat alia hujus Psalmi singularia ***justus***, ***homo***, &c. collectivè sumi, adeóque pro pluralibus stare.

novit. idest favebit, prospiciet. Vide Psal. I. 6. & Symmachum non laudabis qui, apud Eusebium & Theodorum Heracleotam, interpretatur ***pranovit.***

dies. pro vitâ: nec inde abit nomen ὁδὺς idest *vias*, quod Hesychio probatur, & quod SS. Ambrosius & Augustiuus legunt cum Sixtinâ editione & omnibus, quos verso, Regiis ac Colbertinis Codicibus Græcis. Ambrosius tamen agnoscit Græcum habere *dies*: quæ vox etiam in explanatione B. Augustini reperitur. Eam textus Hebræus habet.

Non confundentur in tempore malo; & in diebus famis saturabuntur: quia peccatores peribunt;

20 *Sed & suis*, in duro *isto* tempore, *votis non frustrabuntur*, *adeòque* non pudefient; & fames, *quâ*, *hisce* in diebus *laborant*, abundè explebitur: nam, *qui eam pariunt*, *Absalomitæ* peribunt;

Inimici verò Domini, mox ut honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient:

21 Atque *hi* Domini hostes, paulò postquam honoribus decorati fuerint atque in excelsissimam dignitatis sedem ascenderint, deficiendo deficient quemadmodum fumus:

Mutuabitur peccator & non solvet; justus autem miseretur & tribuet.

22 *Túmque* improbus, *qui divitiis modò affluit cœtus nobis infensus*, *tantâ rei nummariæ difficultate opprimetur ut* commodatam pecuniam solvere non valeat; è contrario justus, *qui mearum est partium populus cuique modica nunc adsunt bona*, egenorum miserebirur, & habebit quod eis largiatur.

Quia benedicentes ei hæreditabunt terram; maledicentes autem ei disperibunt.

23 Nimirùm qui Deo benedicunt *justi* omnibus terræ copiis circumfluere solent; & *improbi*, qui eidem *Deo* maledicunt, bonis evertuntur.

Apud Dominum gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet;

24 Ad hæc *piorum*, *de quibus loquor*, hominum gressus à Domino diriguntur, atque illorum instituto Deus favet;

inimici verò. Theodoritus: ***Aquila & Symmachus***, pro כי VERÒ, ***conjunctionem*** ו ET ***ponentes, eosdem esse peccatores & inimicos Dei ostenderunt.***

mox ut honorificati fuerint & exaltati. Rabbini legunt כיקר כרים idest, ***sicut pretiosum agnorum***, aut ***sicut pretiosi agni*** sup. consumentur. LXX. Senes legebant in gerundio Kal ביקר כרים idest, ***quum in precio fuerint. quum exaltati fuerint***; nec non בעשן. ***sicut fumus***: eæque lectiones Rabbinicis, sine dubio, sunt anteferendæ.

mutuabitur peccator. dices: qui mutuabitur peccator, quum, paulò ante, periturus describatur? Respondeo Prophetam non solùm dixisse peccatores perituros; sed eos, mox ut

honorificati fuerint, defecturos instar fumi. Unde duplicem inimicorum dominicorum sortem cernimus: alii peribunt; alii, post honores, ignominiâ afficientur, & in egestate erunt. Postremum caput heic attingitur. S. Ambrosius: *mutuatur peccator & non solvit.* S. Augustinus, *fœneratur peccator & non solvet.*

benedicentes ei &c, Rabbini: *benedicti ejus* &c. *& maledicti ejus* &c. Voces Hebrææ utrumque recipiunt sensum; sed noster est melior, ut nemo non videt.

disperibunt. idest bonis evertentur ut ex præcedenti hemistichio patet. In eandem sententiam id verbi à nobis interdum accipitur. Cic. 2. cont. Rull. 79. *an caput vestra pecunia disperire patiemini?* S. Aug. *maledicentes autem eum disperient.*

velet. Theodoritus & Euthymius, cum omnibus, quos habeo, Regiis ac Colbertinis Codicibus Græcis, adduut σφόδρα idest *valdè*; sed S. Hieronymus hoc additum esse, nec apud quemquam Interpretum haberi monet.

25 *Quum ceciderit non collidetur: quia Dominus supponit manum suam.*

Et, si fortè in aliquam calamitatem ceciderint, eâ non frangentur: quoniam Dominus manum suam supponet, *impediétque quominùs lædantur.*

26 *Junior fui, etenim senui; & non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem:*

Juvenis fui, & *nunc* senui; nec tamen justum *unquam* vidi derelictum, & posteros ejus stipem rogantes:

27 *Totâ die miseretur, & commodat; & semen illius in benedictione erit.*

Quinimò semper habet unde misericordiam in aliorum fortunis adhibeat, & pecuniam indigentibus dat mutuam; ejúsque posteritas bonis abundat.

28 *Declina à malo, & fac bonum: & inhabita in sæculum sæculi.*

Quando igitur tanta est pietatis merces, à malo, *quisquis me audis*, declina, & fac bonum: atque *ita* terram, diuturno tempore, inhabitabis.

29 *Quia Dominus amat judicium; & non derelinquet sanctos suos: in æternum conservabuntur.*

Dominus enim probitatem amat; nec cultores suos derelinquit *unquam*: *sed illi*, longos per annos, integri incolumésque servantur *in mundo.*

30 *Injusti punientur, & semen eorum peribit;*

Contrà, injusti puniuntur, & posteritas eorum perit;

non collidetur. SS Ambrosius & Augustinus, *non conturbabitur.*

supponit. S. Ambrosius, *confirmat manum ejus.* S. Augustinus, *firmat manum ejus.* Theodoritus, *confirmat manum ei.* Euthymius, *contrà firmat, hoc est supponit manum suam*, suum scilicet auxilium.

junior fui SS. Ambrosius & Augustinus, *juvenis fui & senui.* Nostræ tamen lectionis meminit S. Ambrosius.

& commodat. S. Ambr. *& fœnerat.* S. Aug. *& fœneratur.*

inhabita. imp. pro fut. ut versu 3. Favet, apud Eusebium, Symmachus qui vertit *quiesces in sæculum.*

judicium. idest justitiam ut rectè monet S. Cyrillus; & patet Psal. CXVIII. 121. Prov. I. 3. XXI. 3. Eccl. XXXVIII. 38. Jer. IX. 24. Matth. XXIII. 23.

injusti. deest in Hebræo prior hujus versus pars. Vide quæ dixi in Præf. pag. 42. Sixtina editio *immaculati vindicabuntur & semen impiorum peribit.* S. Cyrillus utramque lectionem habet. Omnes autem, quibus utor, Græci Codices cùm Regii tum Colbertini Vulgatæ lectioni consentiunt: præter Codicem Colb. 6158. qui non habet hæc ἄνομοι δὲ ἐκδιωχθήσονται, idest *injusti punientur*, sed tantùm ϗ &c. idest *& semen impiorum peribit.*

Justi autem hæreditabunt terram, & inhabitabunt in sæculum sæculi super eam.	31	Justi autem, *ut dixi*, terram obtinent, & in ea diutissimè degunt.
Os justi meditabitur sapientiam; & lingua ejus loquetur judicium.	32	*Ergo* justi, *qui à me stat, populi* os verba sapientiæ plena, *in calamitoso hoc tempore*, proferat; & lingua ejus rectos loquatur sermones, *dicendo impiorum hostium nostrorum prosperitatem non esse invidiâ dignam*:
Lex Dei ejus in corde ipsius; & non supplantabuntur gressus ejus.	33	Deique lex in corde ipsius sit exarata *ita ut ab eâ, in luctuoso isto bello, non deflectat*; *sic*que res ejus non malè se habebunt.
Considerat peccator justum, & quærit mortificare eum;	34	Improbus *quidem*, *qui nobiscum bellum gerit*, *cœtus* rationem init quemadmodum justo, *qui me sectatur*, populo noceat, illúmque intérimere studet;
Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus, nec damnabit eum quum judicabitur illi.	35	Sed Dominus eum potestati ejus non permittet; nec ipsum, unà cum ejus vexatoribus, affliget.
Exspecta Dominum, & custodi viam ejus: & exaltabit te, ut hæreditate capias terram; quum perierint peccatores videbis.	36	*Itaque, quisquis dicentem me attendis*, in Domino spera, & legem ejus custodi: *ipseque abjectum* te *atque humilem* eriget *sic* ut hæreditario, *adeòque firmo*, jure terram obtineas *Israeliticam*; *atque hoc demum* videbis quum improbi *hostes nostri* perierint.

hæreditabunt. &c. SS. Ambrosius & Augustinus, *hæreditate possidebunt.*

mortificare eum. S. Ambrosius, *perdere eum.*

quum judicabitur illi. Confer Psal. IX. 20. 27. XXXIV. 1. & Theodoritum heic lege. S. Augustinus legit *quum judicabitur illi*; asseritque quædam exemplaria habuisse, *&* *quum judicabit eum judicabitur illi.*

Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani:	37	Cerno *ego, ô socii*, impium, *qui nobis adversatur, cœtum* superexaltatum, & altitudine cedros Libani adæquantem:
Et transivi, & ecce non erat: & quæsivi eum; & non est inventus locus ejus.	38	Transibo, & ecce non erit: quæram eum; & locus, ubi degebat, non invenietur.
Custodi innocentiam & vide æquitatem: quoniam sunt reliquiæ homini pacifico;	39	*Hoc interim spatio*, innocentiam cole *quicunque mihi auscultas*, & æquitatem sectare: erit enim tempus quo insonti homini merces congruens rependetur;
Injusti autem disperibunt simul, reliquiæ impiorum interibunt.	40	Injusti verò, *qui nos opprimunt*, ad unum omnes peribunt, illísque *impiis* malitiæ suæ præmium *nempe interitus* tribuetur.
Salus autem justorum à Domino; & protector eorum in tempore tribulationis:	41	E contrario, justi *commilitones mei* salutem, *ut dixi*, à Domino consequentur; eósque Dominus, ærumnoso *hoc* tempore tuebitur:
Et adjuvabit eos Dominus; & liberabit eos: & eruet eos à peccatoribus; & salvabit eos quia speraverunt in eo.	42	Atque illos adjuvabit Dominus; eósque *ab iis, quibus premuntur, miseriis*, liberabit: & illos ex improborum faucibus eripiet; servabítque illos quia suam in eo spem collocant.

sicut cedros. S. Ambrosius, *ultrà cedros.* S. Augustinus, *super cedros.* Heb. *instar lauri viridis.* LXX. legerunt ארזי pro אזרח & לבנון pro רענן.

transivi. inepta est Hebraica lectio hodierna quæ habet יעביר *transibit.* In antiquis Codicibus legebatur אעביר: quod licet à LXX. Senibus non edoceremur, ipse satis doceret communis sensus, præter B. Hieronymum qui vertit *transivi.*

custodi innocentiam. Hujus & sequentis ut & 35. versuum intelligentiam uni ferè Theodorito acceptam refero.

æquitatem. S. Augustinus, *directionem.*

pacifico. epitethum viro probo apprimè conveniens: nam vir probus pacem, inprimis, cum suo colit proximo, utpote quem singulari amore complectatur.

disperibunt. idest evertentur cùm bonis tum vitâ: nam utraque res in hoc vocabulum comprehendi debet ex præcedentibus versibus, præsertim ex vers. 20. 23. S. Augustinus legit *dispereunt in idipsum.*

ARGUMENTUM.

PSALMI TRIGESIMI SEPTIMI.

POSTQUAM David ſtuprum Bethſabeæ intuliſſet & Uriam curaſſet occidendum, ex Nathane prophetâ intellexit duplex illud peccatum ſibi eſſe condonatum; ſed pœnam ſupereſſe luendam: quam domeſticis turbis contineri oſtendit ſecundus Regum liber; noſtérque hic Pſalmus morbum addit, quo Davidem laboraſſe diximus * intra quadriennium quod, ab inchoatâ Abſalomi conjuratione, ad eandem in apertum erumpentem interceſſit. Quum in hunc morbum delapſus eſſet David, nihil antiquiùs habuit quàm ut primariam tot malorum cauſſam tolleret: quúmque eam peccato ſuo adſcribendam eſſe ſciret, ſedulam dedit operam ut divinum Numen lacrymis expiaret, eíque ſuum de commiſſo peccato dolorem teſtificaretur. Noverat quidem pius Rex, ipsíque Nathan liquidò confirmaverat, remiſſum ſibi eſſe peccatum; ſed non propterea ſe ab eo deplorando liberum exiſtimavit: tum quia id in more inſtitutóque piorum poſitum eſt, ut dixi in argumento Pſalmi VI. tum quia, ut notavi in argumento Pſalmi XXIV. præfatum peccatum condonatum quoad pœnam non erat: unde cauſſa ſuberat cur David illud defleret; & animadverſioni, quæ ei affixa erat, obliterandæ curam poneret. Atque hoc egregiè præſtat in hoc Pſalmo, in quo præterea peccatum ſuum ac ortum ab eo morbum eleganter deſcribit; &, quæ conflabatur, conjurationem repræſentat: Deúmque, ut ſibi hoſtibus

* in argumento Pſalmi VI.

circumſepto & miſeriis circumcluſo opituletur, obſecrat: inſignem exempli imitationem nobis prodens, innuénſque debere nos, nedum in corporalibus ſed etiam ſpiritualibus morbis, unum, quod eos parit, peccatum gemere; & ſummo, illius cauſſâ, dolore affici. Hic nos dolor angat, hæc nos cura inprimis ſollicitet oportet: túmque divinam opem opportunè efflagitabimus; eámque, ſine dubio, conſequemur. Cæterùm ab eâ, quam conſtituimus, epochâ non longè abit Euthymius: ſiquidem Pſalmum putat compoſitum à Davide quum eum perſequebatur Abſalom.

TITULUS.

Pſalmus David in rememorationem de Sabbato.

Psalmus XXXVII.		Paraphrasis.
Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ corripias me:	1	Ne, *quæſo*, Domine, caſtiges me furore percitus, nec me irâ inflammatus corripias:
Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi; & confirmaſti ſuper me manum tuam.	2	*Jam* enim calamitates à te immiſſæ, ſagittarum inſtar infixæ ſunt mihi, & malis me obruiſti.
Non eſt ſanitas in carne meâ à facie iræ tuæ; non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum:	3	Non eſt ſani quicquam in carne meâ propter iram tuam, nihíl*que* eſt in oſſibus meis quietum propter mea, *quæ tuam hanc iram inflammarunt*, peccata.

ANNOTATIONES.

in rememorationem de Sabbato. Hæc verba in omnibus, quos verſo, Regiis & Colbertinis inſunt Codicibus Græcis præter Cod. Reg. 2653. in quo non leguntur. Cod. Reg. 138. habet, *Pſalmus David in rememoratione Sabbati. huic confeſſio inſipientia* Colb. 158. *Pſalmus David in rememoratione diei Sabbati. huic confeſſio inſapientia virtus ſalutis.* Colb. 1339. *ipſi David in recordatione Sabbati.* Memmianus 2. *in rememoratione die Sabbati.* S. Baſilius & Euſebius in Catenâ Barbari diſertè habent, *in rememorationem de Sabbato*, etſi in orationis contextu tantùm laudent *in rememorationem.* Theodoritus ſimiliter habet in textu εἰς &c, pag. 540. ideſt *in rememorationem de Sabbato*, etſi in textu non legat

Sabbatum : unde parum accuratè scripsisse videntur cùm Nobilius tum Corderius quando nullam Sabbati cùm apud Eusebium tum apud Theodoritum mentionem fieri absolutè dixerunt. S. Ambrosius legit, *in commemorationem diei Sabbati.* S. Augustinus, *in recordationem Sabbati.* Hebræus textus priorem inscriptionis nostræ partem duntaxat exhibet, nempe להזכיר : quâ voce nonnulli musicarum modulationum speciem denotari putant; alii eâ moneri homines censent ut Psalmum hunc in morbis usurpent. Grotius Psalmum ad inculcandam Davidi perpetuò & peccati sui, & indultæ veniæ memoriam pertinere docet : minùs, ut quidem mihi videtur, appositè quum nulla in Psalmo indultæ veniæ mentio fiat, quanquam eam jam impetrasset David. Rectiùs Sanctus Basilius dixerat videri sibi Davidem inter plures, in quibus delicta confitetur, egregios Psalmos hunc propriè seposuisse *in recordationem*, ut eum semper in ore ferret ac eodem uteretur pro quodam veluti animæ suæ pharmaco. Nihilominus verò mihi videtur similius ut vox להזכיר huic Latinorum respondeat loquutioni *ad perpetuam rei memoriam.* Quòd autem alteram tituli partem *de Sabbato* spectat, Nicephorus, præeunte S. Athanasio, ita de illâ loquitur. *Componitur ipsi David oranti pro Sabbato, hoc est pro quiete & cessatione à doloribus : remissionem enim à Deo postulat afflictionum, quæ illi multæ & graves ob peccatum inflictæ fuerant* ; sed Genebrardo subscribo docenti fluxisse hunc titulum ex usu Synagogæ quæ Psalmum hunc Sabbâtis caneret.

ne in furore &c. S. Ambrosius, *ne in irâ tuâ arguas me, neque in furore tuo corripias me.* S. Augustinus, *ne in indignatione tuâ arguas me, neque in irâ tuâ emendes me.*

sagittæ tuæ. mortem filii ex stupro suscepti, Ammonis cædem, aliáque hujusmodi mala domestica intelligit.

à facie iræ tuæ. S. Augustinus, *à vultu iræ tuæ.*

à facie peccatorum meorum. Eusebius & S. Basilius : *Symmachus habet, propter peccata mea.* Idem testatur Theodorus Heracleotes. Peccata autem quum hoc in versu & sequenti audis, intellige peccata quatenùs pœnam important : peccata enim hoc pacto considerata nondum erant condonata & Davidem onerabant.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me.	4	Hæc enim caput meum, *velut aquæ profundæ*, superant *adeòque me submergunt*, & tanquam *immane* pondus me premunt atque onerant.
Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ :	5	Vulnera, quæ mihi *hoc in morbo inflixisti*, putrida *jam sunt* & corrupta ob peccatorum meorum gravitatem :
Miser factus sum, & curvatus sum usque in finem; totâ die contristatus ingrediebar :	6	*Nimioque horum peccatorum pondere* distortus sum & suprà modum depressus; totámque, in mœrore, diem traduco :
Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus; & non est sanitas in carne meâ.	7	Mea namque ilia, *ob illa peccata*, ulceribus plena sunt; & nihil est in carne mea integrum.

supergressæ sunt &c. S. Ambrosius, *superposuerunt*; & explicat *supertransierunt caput meum & supereminent mihi ut sensus meos deprimant.* S. Augustinus, *sustulerunt caput meum sicut fascis gravis gravata sunt.*

putruerunt &c. S. Augustinus, *computruerunt & putruerunt livores mei.*

insipientia. pro peccato sumitur ut Psal. XXI. 2. vide annot. ibid. & Psal. XIII. 1. & Nicephorum hoc loco.

miser factus sum. Heb. *incurvatus sum.* Idem ubique sensus : nam qui malorum pondere incurvantur, miseri sunt. SS. Ambrosius & Augustinus legunt, *miseriis afflictus sum.*

usque in finem. idest valdè. Confer versum 8. infrà.

lumbi mei. Apollinaris, S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Cyrillus, Sixtina editio, & Psalteria Arabicum atque Æthiopicum legunt *anima mea.* S. Basilius Vulgatam (cui omnes, quos tero, Græci Codices Regii & Colbertini adhærent) lectionem habet, & deinde addit. *Aquila vertit quoniam impleta sunt ilia mea ignominiâ.* Sanctus autem Ambrosius testatur Symmachum vertisse *lumbos.*

impleti sunt. SS. Ambrosius & Augustinus, *completa est.*

illusionibus. Kimchio assentior interpretanti *vile* seu *fœdum*, scilicet ulcus : quod Noster illusiones vocat quia fœdi hujus ulceris causa David ab æmulis irridebatur & despiciebatur. Atque hinc non longè abit S. Cyrillus quum ait : *illusionem vocat subsannationem ab aliquibus factam vel risum ab inimicis perfictum.* Secundum versus hemistichium Kimchio favet potiùs quam iis qui *illusionem* exponunt de carnali concupiscentiâ.

8 *Afflictus sum & humiliatus sum nimis; rugiebam à gemitu cordis mei.*

Afflictus sum, & in summam depulsus miseriam; rugióque præ *vehementi, quam afflictio hæc* animo meo *affert*, acerbitate.

9 *Domine ante te omne desiderium meum; & gemitus meus à te non est absconditus.*

Nosti, Domine, quicquid cupio; nec te meus latet luctus : *unde rogo ut votis meis respondeas & mearum finem facias ærumnarum.*

10 *Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea; & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.*

Sunt eæ maximæ : siquidem cor meum conturbatum est, destituit me robur meum; & me vires defecerunt.

11 *Amici mei & proximi mei adversum me appropinquaverunt, & steterunt:*

Amici mei & familiares mei infensi sunt mihi; & *contra me* stant:

12 *Et qui juxta me erant, de longè steterunt; & vim faciebant qui quærebant animam meam.*

Et qui benevolentiâ mihi *anteà* erant conjuncti, eminùs *nunc* consistunt; quíque mihi vitam eripere cupiunt *prisci illi amici*, nihil non moliuntur ut propositum consequantur.

afflictus sum. S. Ambrosius, *incurvatus sum.* S. Augustinus, *infirmatus sum.*

& lumen oculorum meorum &c. est repetitio præcedentis loquutionis. Vide Psal. XII. 4. & annot. ibid. &, mihi opinor subscribes, eósque respues qui aiunt Vatem dicere se lumina præ lacrymis amisisse.

amici mei &c. Rabbini è regione plagæ meæ steterunt. LXX. Senes legerunt מנגדי נגשו ויעמדו *adversùm me appropinquaverunt & steterunt* pro מנגד נגעי יעמדו *è regione plaga mea steterunt.*

adversum me appropinquaverunt. Euthymius : *venerunt adversùm me* : hoc est infensi sunt mihi.

steterunt. sup. *adversum me* ἀπὸ τῦ κακῦ, hoc est mihi adversantur. Idem bis repetit.
& qui juxta me erant. S. Augustinus, *& proximi* : eodem sensu.

13 *Et qui inquirebant mala mihi, loquuti sunt vanitates; & dolos totâ die meditabantur.*

Et qui exitium mihi machinantur, commentitia crimina objiciunt *mihi*; & *mendacia adversùm me* jugiter excogitant.

14 *Ego autem, tanquam surdus, non audiebam; & sicut mutus non aperiens os suum.*

Ego autem, tanquam surdus, *impositis mihi calumniis* aurem non præbeo; nec os, *ad eas retundendas*, aperio non secùs ac si essem mutus.

15 *Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.*

Similísque sum homini qui ne *tenuissimè quidem* audit, & ei qui verba rependendi est ignarus.

16 *Quoniam in te speravi Domine, tu exaudies me Domine Deus meus:*

Verùm, Domine, quum meam in te spem ponam, me Domine Deus mi exaudi:

17 *Quia dixi nequando supergaudeant mihi inimici mihi; &, dum commoventur pedes mei, super me magna loquuti sunt.*

Rogantem scilicet ne inimici mei ansam habeant de pernicie meâ lætandi; & ne superbè mihi insultent, si succubuero.

18 *Quoniam ego in flagella paratus sum; & dolor meus in conspectu meo semper:*

Me sic orantem à te exauditum iri spero : nam, *licet perniciem mihi ab hostibus structam deprecer*, paratus *tamen* sum ad *omnia*, *quibus me cædere volueris*, flagella; & continuo, *ob peccatum meum*, dolore afficior:

vanitates. Confer Psal. II. 1.

quoniam in te Domine speravi. illud *quoniam* & alias, quæ sequuntur, hujusmodi voces nonnulli referunt ad versum 14. ut sint rationes propter quas taceat. Sed interpretatio hæc minùs recta videtur.

exaudies. fut. pro imp. ut Psal. XXX. 4. 5. alibíque sæpe.

nequando supergaudeant &c. Hoc ideò dictum quia dura & intolerabilis res est voluptatem inimicis creare & ab illis rideri, ut innuit *a* Euripides. Unde oraculum *b* Demostheni recitatum ait nos ita semper facere debere ne gaudeant inimici: quibus, ut inquit *c* Sophocles, dulcissimum est eos, quos oderint, ridere: quod quamvis damnet *d* Plato, usitatissimum tamen est inter homines.

in flagella. Rabbini: *ad claudicationem.* S. Hieronymus nobis consentit vertens *ad plagas.*

a Medeâ: Οὐ γὰρ &c.
b in Orat. περὶ παραπρεσβ.
c Ajace Lorario: Οὐκοῦν γέλως &c.
d in Philebo: Οὐκοῦν &c.

19 *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo; & cogitabo pro peccato meo.*

Illúdque peccatum confiteor; &, quâ ratione illud expiare possim, mecum ipse reputo.

20 *Inimici autem mei vivunt, & confirmati sunt super me; & multiplicati sunt qui oderunt me iniquè:*

Interea, *dum ego sic foris & intus affligor*, inimici mei florent, súntque me potentiores; &, qui me injustè odio habent, corroborati sunt:

21 *Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi quoniam sequebar bonitatem.*

Quí*que* malum pro bono reddunt, mihi obtrectant non aliam ob causam quàm quòd bonum sector, *& sum ab iis longè diversus.*

22 *Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me.*

Ne derelinquas me Domine Deus mi, nec à me discedas.

23 *Intende in adjutorium meum Domine, Deus salutis meæ.*

Animum ad opem mihi ferendam intende Domine, quo uno salus mea nititur.

annuntiabo. S. Augustinus, *pronuntiabo.*

cogitabo. S. Augustinus, *curam geram.*

vivunt. idest prosperos exitus consequuntur: & ratio est quia quæ sine prosperitate vivitur vita, censetur mors non vita.

detrahebant Rabbini *adversantur.* LXX. Senes rem, de quâ agitur attendentes, optimè verterunt *detrahebant*: sup. ,us à me non dici clamitantes, exemplo Absalomi qui ita de Davide detrahebat II. Reg. XV 3.

bonitatem. idest bonum, ut Hebræo apparet textu & lectionibus SS. Ambrosii & Augustini: quorum ille habet *subsequutus sum justitiam*; hic, *persequutus sum justitiam*, consentientibus Apollinario & Psalteriis Arabico Æthiopico & Romano. S. Ambrosius testatur hæc, in Græcis nonnullis Codicibus sed non in omnibus Latinis, post *subsequutus sum justitiam*. fuisse: *& projecerunt me sicut mortuum abominatum. sed tu ne derelinquas me.* Inepta non erat hæc additio; & vero est simile eam ex Psalmo LXXXVII. 4. 5 desumtam fuisse.

intende. Hebraicè *festina.* LXX. Senes legisse videntur הקשיבה ex Psal. LIV. 1. pro חישה. *festina.*

ARGUMENTUM.

PSALMI TRIGESIMI OCTAVI.

ABSALOMI persequutio & præsertim Semei maledictio Davidem de rerum humanarum inconstantiâ apprimè erudierunt. Eam regius Vates hoc in Psalmo egregiè depingit; & suum ita componit sermo-

nem ut ex eo probabiliter colligatur Absalomi rebellionem, potissimùm Semei maledictionem (ad quam David clausas aures habuit) in hoc attingi Psalmo; cúmque ad illud pertinere tempus quod Semei maledictionem immediatè excepit: quum scilicet David, paulò antequam Absalomus pugnam cum regio exercitu committeret, Deum orabat ut, habitâ patientiæ, fiduciæ, & miseriæ suæ ratione, sibi opitularetur. Nec verò beatum Davidem nobiscum aut secum pugnare putes dum in præcedenti, qui Absalomitica tempora spectat, Psalmo se ad flagella paratum dixit; in isto autem Deum precatur ut plagas suas à se removeat. Hæc sibi constant, & nobiscum ipsa consentiunt: qui enim, ante patefactam filii conjurationem, ad Dei arbitrium & nutum totum se finxerat & accommodaverat David non impediebatur quominùs, in bello Absalomitico, inflictas sibi pœnas deprecaretur, eas divinæ voluntati permittendo. Imò sic se gerere debebat David ut nostri rectiùs gereret personam Sospitatoris, quem sic orasse accepimus [a]: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.*

[a] Matth. XXVI. 39.

TITULUS.

In finem ipsi Idithun canticum David.

PSALMUS XXXVIII.	PARAPHRASIS.
1 *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in linguâ meâ.*	*Execrationibus à Semeio onustus ita apud me* statui. Meam agendi rationem sic observabo, ut linguâ non peccem meâ.

ANNOTATIONES.

ipsi Idithun. Theodoritus, τῷ &c. *Nonnulli auctores Psalmum Idithumo adscripserunt,*

& dixerunt ipsum hunc composuisse. Titulus autem contrarium docet : videlicet Psalmum esse Davidis. & Idithumo ad canendum datum fuisse. cui canentium chorus commissus erat. Hujus Cantoris mentio fit in lib. I. Paralip. cap. XVI. 38. 41. 42. Codex Memm. 2. habet *pro Idithum* cum SS. Ambrosio & Augustino Codex Reg. 138. titulum hunc præfert: *in finem pro Idithun Psalmus. Propheta increpat Judæos qui divitias habent & nesciunt cui dimittant.* Idem titulus in Cod. Colb. 158. legitur præter duas voces *divitia* (corruptè) pro *divitias*, & *dimittunt* pro *dimittant*.

2 *Posui ori meo custodiam, dum consisteret peccator adversum me:*

Itaque quum improbus *ille vir mihi infensus* è regione mei consisteret, *& maledictis me lacesseret*, frænum ori meo adhibui:

3 *Obmutui; & humiliatus sum: & silui à bonis, & dolor meus renovatus est:*

Obmutui; méque depressi: & à justâ defensione, etiamsi dolor meus, *his calumniis*, recruduerit, abstinui:

4 *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescit ignis;*

Túmque animus meus interiore zelo incensus est, & *circa miseriam humanam* ferventer sum meditatus;

5 *Loquutus sum in linguâ meâ: notum fac mihi, Domine, finem meum,*

Sicque linguâ meâ loquutus sum : notum fac mihi, Domine, finem vitæ meæ,

6 *Et numerum dierum meorum quis est, ut sciam quid desit mihi.*

Mihique dierum meorum numerum *indica*, ut sciam quanto tempore mihi sit adhuc *in his miseriis* vivendum.

7 *Ecce mensurabiles posuisti dies meos; & substantia mea, tanquam nihilum, ante te.*

Id, inquam, indica mihi : nam ecce *velut in digitis* numeratos habes dies meos; & meæ, *quæ* nihili *est reputanda*, vitæ spatium tibi cognitum est.

8 *Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens.*

Profectò omnis homo vivens, mera est & summa vanitas.

Verumtamen in imagine pertransit homo; sed & frustrà conturbatur:

Imaginariam sanè & umbratilem vitam ducit; sed & frustrà sollicitus est *de coacervandis divitiis*:

9 *Thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea.*

Siquidem thesauros congerit, & ignorat cui eos congreget.

adversum me. Heb. idem est ac *è regione stare*; sed, quum nocendi caussâ id fieret, LXX. Senes rectè verterunt *adversùm me.*

obmutui. S. Augustinus, *obsurdui.*

& dolor meus. illud & valet *esse* juxta Kimchium.

renovatus est. S. Hieronymus ex Hebræo נעכר vertit *conturbatus est.* Hujus lectionis depravationem improprius ei adjunctus sensus patefacit: præter versionem nostram, ex quâ conjicio LXX. Senes legisse נחדש pro נעכר.

quis est. S. Augustinus, *qui est.*

mensurabiles. S. Augustinus legit *veteres* ex depravatâ lectione παλαιάς: pro quâ Græci Patres communiter habent παλαιστάς idest *palmares* seu breves, aut *contentiosos* seu luctâ & certamine plenos ut interpretatur Theodorus Heracleotes. Didymus & S Ambrosius utriusque meminere lectionis; & posteriorem de certamine explicarunt. Eam Nicephorus ad palmum retulit; cujus etiam mentionem fecit S. Ambrosius. Euthymius ad palmum traxit & certamen, addito palæstræ etymo; quod etiam S. Ambrosius memorat, sed diverso doctóque modo: unde non longè abit S. Cyrillus Alexandrinus in Catenâ Corderianâ productus. Eos adi; & disces vatem docere *quòd cognitos dies omnium habeat Deus.*

substantia. substantiam dicit pro subsistentiâ sup. in mundo, hoc est vitâ: quomodo Symmachus, testibus Theodoro Heracleotâ & Theodorito, interpretatus est.

verumtamen. Nicephorus dictionem hanc, hoc in loco, pro *verè* seu *certè* positam esse meritò dicit. S. Ambrosius ita legit: *quanquam in imagine Dei ambulet homo.* S. Augustinus sic habet: *quanquam in imagine ambulet homo.*

universa vanitas. egregium horum verborum commentarium invenies apud Plinium in proœmio libri septimi.

in imagine Pindariana, quam & [a] Plutarchus adducit, sententia huc pertinet: σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος, idest: *umbra somnium* est *homo.*

[a] Consol. ad Appollon. p. 104.

10 *Et nunc quæ est exspectatio mea? nonne Dominus, & substantia mea apud te est.*

Hæc nuper dicebam, & hanc humanarum rerum vanitatem etiamnum experior. Unde, *Domine, quum tanta sit humanæ vitæ vanitas & miseria*, in quo meam nunc spem collocabo? Eam *certè* in te pono Domine, & fiducia mea in te uno est defixa.

11 *Ab omnibus iniquitatibus meis erue me. Opprobrium insipienti dedisti me;*

Quando autem in te spero, Domine, omnes meas iniquitates condona mihi, *atque ita ærumnis meis finem impone. Quod ut magis annuas meminisse te velim ista:* improbi *Semei* ludibrio objecisti me;

12 *Obmutui; & non aperui os meum, quoniam tu fecisti: amove à me plagas tuas.*

Et tamen obmutui, neque os meum aperui, *probè callens* quòd tu id faciendum jussisses. *Hujus meæ patientiæ rationem habe, obsecro, & eas*, quibus me frangis, calamitates à me amove.

nonne. interrogatio quæ affirmationi respondet. Vide Psal. XIII. 8. & adde I. Reg. XXIII. 19.

ſubſtantia. pro ſpe ſeu fiduciâ ſumit; idque optimè intellexit Aquila: quippe qui, referente Theodorito, *ſubſtantiam* dixerit *exſpectationem.* Vide Heb. III. 14. XI. 1.

opprobrium &c. Heb. *opprobrium* NE *tradas me inſipienti.* Eandem B. Hieronymus, in ſuâ verſione, retinet negationem; ſed eam Pſalmiſtæ menti contrariam eſſe ſuadet orationis contextus. S. Ambroſius prædictam negationem memorat; ſed non probat.

quoniam tu feciſti. S. Ambroſius, *quoniam tu feciſti me.* S. Auguſtinus, *quoniam tu es qui feciſti me.* Pſalteria Arabicum & Æthiopicum & Sixtina editio pronomen *me* etiam repræſentant; ſed illud à Regiis & Colbertinis, quos verſo, Codicibus Græcis, ut & ab Apolinario*, S. Athanaſio, Theodorito, Euthymio & textu Hebræo abeſt, & ſententiæ officit: unde abigendum eſſe nemo non videt.

* in Cat. Barb.

13 *A fortitudine manus tuæ ego defeci: in increpationibus, propter iniquitatem corripuiſti hominem*

Tam graves ſunt illæ ut ſim penè examinatus; & tantis me, propter iniquitatem meam, pœnis mulctas

14 *Et tabeſcere feciſti ſicut araneam animam ejus: verumtamen vanè conturbatur omnis homo.*

Ut animam meam tabeſcere feceris ſicut araneam *quæ in texendâ telâ exſiccatur & conſumitur*: adeò *vana res eſt* omnis homo *& curis* fruſtrà diſcruciatur, *quum ego ex ſublimi dignitatis gradu ad tantam miſeriam fuerim depulſus.*

15 *Exaudi orationem meam Domine & deprecationem meam; auribus percipe lacrymas meas.*

Mei ſic afflicti miſereat te Domine: *atque* orationem meam ac deprecationem meam exaudi; &, quas fuſis lacrymis adhibeo, preces auribus excipe.

16 *Ne ſileas quoniam advena ego ſum apud te, & peregrinus ſicut omnes patres mei.*

Ad eas, quæſo, ne obſurdeſcas: nam ego, inſtar omnium progenitorum meorum peregrinus & advena coram te ſum: *è mundo, ubi paucos dies vixero, diſceſſurus.*

17 *Remitte mihi, ut refrigerer priuſquàm abeam, & amplius non ero.*

Quapropter deſine me affligere, ut *paucos illos vitæ meæ dies* ſine dolore traducam priuſquam *è mundo* abeam, & *in vivis* non ſim amplius.

in increpationibus &c. S. Ambroſius ex Græco, *in increpationibus pro iniquitate erudiſti hominem.* Eodem modo legit S. Auguſtinus, niſi quod habet *in argutionibus.*

hominem. David de ſe loquitur in tertia perſona ut Pſal. CXLIII. 4.

ſicut araneam &c. Rabbini cum B Hieronymo, *quaſi tineam*; ſed verſio noſtra melior eſt: eámque Euſebius, Didymus, Theodoritus & veteres omnes Patres ſequuntur.

animam ejus. S Hieronymus ex Hebræo *desiderabilia ejus.* Idem ubique sensus. S. Augustinus, *animam meam.*

verumtamen vanè conturbatur omnis homo. Psalterium Romanum, *verumtamen universa vanitas omnis homo vivens.* Favet Hebræus textus. Ambæ lectiones bonæ sunt, & lucem mutuò sibi afferunt: unde eas, in paraphrasi, conjunxi. S. Augustinus post nomen *homo* addit *vivens.*

ne sileas. SS. Ambrosius & Augustinus, *ne sileas à me.* Ita Nicephorus.

peregrinus. Origenes: *causas narrat quibus Dei misericordiâ dignus homo censeri debeat: quis enim est qui incolam suum non misericordiâ prosequatur.* Meliùs Theodoritus: εἰσάκουσον &c. *exaudi me obsecrantem, & cum lacrymis deprecantem. Non enim habito terram ut propriam, sed tanquam peregrinus incolo; &, sicut omnes patres mei, ubi parum temporis vixero, mortem obibo. Igitur modicas inducias imperti, ut paucos dies sine laboribus vitâ fruar priusquam è vitâ avolem* Alexis *a* Tarentinus & *b* Plato vatem imitati, vitam humanam peregrinationi comparant. *a* apud Athen. lib. 2. *b* in Axiocho.

apud te. Ita nobiscum legunt S Augustinus & Græci, quibus utor, Codices Regii ac Colbertini. Sed Apollinarius, Sixtina editio, & Psalteria Arabicum atque Æthiopicum habent *in terrâ.* Utraque lectio apud S. Ambrosium & in Psalterio Romano comparet; neutram Eusebius & Theodoritus consectantur.

amplius non ero. Qui præcedentia verba eximiè explanavit Theodoritus, minùs benè textum nostrum interpretatus est, quum dixit: *egressus enim non revertar: hoc enim dixit ampliùs non ero hoc est in hanc corruptam vitam non revertar.* Doctissimo Præsuli lex Synonymica & Symmachus adversantur, cum Psalmi contextu: qui, quum vitam describat ærumnis plenam, Davidem ab hac prohibet oratione *exaudi me quia in mundum redituru amplius non sum.*

ARGUMENTUM.

PSALMI TRIGESIMI NONI.

QUidam, inquit Theodoritus, *in beatum Hieremiam hunc Psalmum acceperunt, aliqui in admirabilem Danielem quoniam is & ille in lacum conjecti sunt, exordium autem Psalmi de lacu mentionem facit; &, unum verbum attendentes, in illum sensum conversi sunt. Porro aliqui captivis Babylonem habitantibus Psalmum convenire dixerunt. Ego autem secundum typum in ea quidem quæ ipsi Davidi acciderunt hunc conscriptum esse opinor: referri verò ad omnem hominum naturam quæ spem resurgendi à Deo Salvatore nostro accepit.* Duplicem, cum Theodorito, sensum huic carmini tribuo; sed aliam à Cyrensi Episcopo viam ineo sic. Psalmus nonnullos habet versus qui in Psalmis XXXIV. & LXIX. reperiuntur: quúmque Psalmi isti ad

tempora Abſalomitica pertineant,in ea Pſalmus XXXIX. conferendus videtur: præſertim quum laudati (quem maxima Interpretum pars ad bellum Abſalomiticum trahit) Pſalmi LXIX. verſus cum poſtremis Pſalmi noſtri verſibus congruant, & verſus 19. 20. 21. 22. verſibus 24. 28. 29. 30. 31. Pſalmi XXXIV. bellum Abſalomiticum ſpectantis,conſonent. At, inquies, obſtat auctoritas beati [a] Pauli qui verſus 9. 10. 11. Chriſto aptat. Obſtat etiam videtur ipſa, de quâ, his in verſibus, agitur ſacrificii repudiatio quæ Chriſti non Davidis temporibus convenire videtur. Priori objectioni facio ſatis dicendo Pſalmum à B. Paulo in ſublimiorem accipi ſententiam, juxta quam prædictum Pſalmum de Chriſto eſſe exponendum confiteor. Sed hoc non impedit quominùs Pſalmus, ſecundùm literalem ſenſum, de Davide explanari poſſit: non ſolùm ob eas, quas attuli rationes; ſed ob collatos præfati Pſalmi verſus 9. 10. 11. cum I. Reg. XIII. 10. 11. 12. 13. XV. 12. 22. 23. Pſal. LXXXVIII. 20. Act. XIII. 22. Secundam objectionem excipio, dicens ſacrificii repudiationem in Davidica tempora optimè quadrare: quum ſcilicet Saul, eò quod holocauſtum contra Dei voluntatem obtuliſſet, reprobatus eſt; &, loco ejus, electus fuit David qui divinæ voluntati morem gereret & Deum obedientiâ, non ſacrificio, efficeret placatum ut habetur I. Reg. XIII. 10. 11. 13. 14. XV. 22. 33. ad quæ loca verſus 9. 10. 11. Pſalmi reſpicere credent, ni fallor, omnes qui verſus illos cum prædictis locis contulerint; inſupérque ad Pſal. LXXXVIII. 20. & Act. XIII. 22. intenderint animum. Urgebis. Pſalmus, prout ab Apoſtolo citatur,Davidis non eſt proprius: etenim de aptato corpore loquitur; & nemo neſcit Saulem v. g. non

[a] Heb. X. 5. 6. 7.

non. minùs quàm Davidem corpore fuisse prædirum; unde conficitur illam Psalmi partem, quæ ab Apostolo adducitur, Davidis non esse propriam, adeóque Psalmum ei nullatenus tribui debere. Objectioni huic ita occurro. Hæc, quam B. [a] Paulus usurpat, loquutio *corpus aptasti*, non significat simpliciter *corpus formasti*, sed *corpus ad obedientiam aptasti*, perfossis scilicet auribus ut fiebat in servis: quâ ratione Saul aptatum non habuit corpus, quippe qui divinæ voluntati nequaquam obedierit; contra atque David qui, quum totum se ad Dei nutum finxerit, corpus habuit aptatum eâ, cujus memini, notione: quam à beato Apostolo spectatam fuisse constat ex ejus auctoritate collatâ cum nono Psalmi nostri versu per quem Apostolica auctoritas, utpote ab illo versu desumta, explicanda est. Objicies denique cum Bellarmino verba hæc *in capite libri scriptum est de me*, & illa *ego autem mendicus sum & pauper* Davidi accommodari non posse. Priorem objectionis partem loca I. Reg. XIII. 14. II. Reg. III. 18. Psal. LXXXVIII. 19. elevant: ex iis enim Davidem, antequam in regiam dignitatem eveheretur, à Prophetis fuisse annuntiatum & vaticinationes, ipsum spectantes, in sacros libros relatas fuisse conjici potest. Quod verò secundam objectionis partem spectat, dico Davidem, quum ab Absalomo exagitaretur, in egestate fuisse: idque non solùm ex Psal XXIV. 18. atque ex præcipiti ejus fugâ II. Reg. XV. 14. quæ asportandorum thesaurorum copiam ei non fecerit, colligo; sed etiam ex II. Reg. XVII. 28. 29. ubi frumentum, hordeum, farinam, tapetia, fabam, lentem, butyrum, oves, aliáque id genus, quibus indigebat David, ei à Sobir Machir & Berzellaio oblata fuisse legimus. Dilutis, quæ fiunt fierive possunt, objectionibus, ad Psalterianum ve-

[a] Heb. X. 5.

nio ordinem ; atque obſervo commemorari primùm à Davide priora, quæ à Deo acceperat, beneficia : ſuam nempe è lacu miſeriæ atque è luto fæcis (in quo jacebat ſub Saule) eductionem & in regnum promotionem; deinde Davidem Deo ingerere ſe, periculis perfunctum & in ampliſſimo dignitatis gradu collocatum, Dei bonitatem ejúſque in ſervandis promiſſis conſtantiam palàm ceciniſſe : tum ad theſim ſibi propoſitam deſcendere verſ. 15. præmiſſis ſcilicet veteribus beneficiis ut nova impetraret, & factâ grati ſui animi mentione ut inſinuaret ſe, partâ in rebelles ſubditos victoriâ, gratias pariter ſolemnes Deo acturum ; Deo, inquam, miſericordi & veraci : quæ epitetha eo conſilio adhibuiſſe videtur Vates ut Deum ad miſericordiam, hoc in bello, iterum ſibi impertiendam & fidem ſuam rurſus liberandam adduceret. Totam Vatis orationem ſibi conſtare & ex omni parte ſecum ipſam conſentire ex iis, quæ dixi, perſpicis lector candide ; ſed in eâ te connexione hærere commoraríque nolim : alia, in Pſalmo noſtro, conſideranda eſt res quæ majus habet momentum, quæque à Pſalmographo præcipuè ſpectata fuit, videlicet geſtus Deo mos quem in beato Davide, auribus inſtar ſervorum perfoſſo ſeu corpus ad obtemperationem accommodatum habente & Deum obedientiâ non ſacrificiis placante, adumbratum Chriſtus Dominus eximiè geſſit, ſervi formam ſeu corpus obedientiæ aptatum accipiens & unam Dei voluntatem attendens : rejectis veteris legis ſacrificiis, quorum abrogationem in Davidico, quod in Pſalmo deſcribitur facto, intueri licet, etſi David, aliis in occaſionibus ſacrificia adhibuerit. Unde B. Paulus ex Pſalteriano textu abrogationem veterum ſacrificiorum optimè colligit, ut ii noſcent qui doctrinæ alibi tra-

a Heb. X. 5. 6. 7.

ditæ meminerint: nimirùm non omnia, sed aliqua tantùm, priscorum Patrum gesta inter figuras esse adscribenda.

TITULUS.

In finem Psalmus ipsi David.

PSALMUS XXXIX.	PARAPHRASIS.
1 *EXspectans exspectavi Dominum, & intendit mihi;*	*Cum essem à Saule vexatus* auxilium Domini constanter exspectavi, & *tandem* mihi adfuit *Dominus*;
2 *Et exaudivit preces meas: & eduxit me de lacu miseriæ; & de luto fæcis:*	Meásque preces exaudivit: & me è miseriâ, *in quâ tanquam in* lacu *demersus eram*, eduxit; atque ex ærumnâ, *in quâ tanquam* in luto *volutabar*, eripuit:
3 *Et statuit suprà petram pedes meos, & direxit gressus meos;*	Meósque pedes in tuto loco collocavit, & meos ita firmavit gressus ut securè consisterem;
4 *Et immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostrum.*	Atque *ita* novam mihi laudis ipsius celebrandæ materiam præbuit, & hymnum, quem Deo nostro canerem, suppeditavit.
5 *Videbunt multi & timebunt, & sperabunt in Domino.*	*Quod* quum vidissent multi reveriti sunt Dominum, & suam in eo spem posuerunt.
6 *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates & insanias falsas:*	*Profectò David*, qui suam in nomine Domini spem *tunc* posuerat, & vanis ac mendacibus insanorum *hariolorum* divinationibus non fuerat confisus, felix fuit:

ANNOTATIONES.

in finem &c. Codices Reg. 138. & Colb. 158. *in finem Psalmus David patientia populi.* Memm. 2. *in finem Psalmus David.*

exspectans exspectavi. verbi geminatio auxesim importat. S. Augustinus, *sustinens sustinui Dominum.*

de lacu miseriæ & de luto fæcis. Rabbini: *de fossâ strepitus*, hoc est in quam multæ aquæ

cum ſtrepitu influunt; & *de luto cœni,* hoc eſt luto multo ac profundo. Idem ubique ſenſus; ſed noſter planior eſt & Hebræis non repugnat verbis.

ſupra petram. Vates petram appoſitè memorat: nam, quando in lacu & luto paulò ante demergebatur, pedibus ibi conſiſtere non valebat; unde ex illo cœno & luto eductus, rectè dicit ſe in petrâ collocatum eſſe, ubi videlicet ſtare poſſet. Significat ſe maximâ calamitate liberatum eſſe, & tuto in loco collocatum. Vide annotata ad Pſal. XXVI. 10.

videbunt multi. S. Auguſtinus, *videbunt juſti.*

beatus vir. de ſe loquitur in tertia perſona ut Pſal. CXLIII. 4.

in vanitates &c. His, quæ ad Pſal. XXX. 7. dicta ſunt, addo ex Euthymio. *Inſania falſa, ex Græca dictionis ſignificatione, vaticinia ſunt. Vates enim illi debacchantes dementes fiebant; & furentium inſtar, ferebantur: verùm falſa erant quæ pronuntiabant.* Adi ad Virgilium lib. 6. Æneid.

7 *Multa feciſti tu Domine Deus meus mirabilia tua; & cogitationibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tibi.*

Tu *quippe* Domine Deus mi multa miracula *in mei gratiam* feciſti; & cogitationibus, quas *de me evehendo* ſuſcepiſti, par tibi *eſt* nemo.

8 *Annuntiavi & locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum.*

Ea dum enarrare & eloqui *volo, invenio* plura eſſe quàm quæ explicari queant.

9 *Sacrificium & oblationem noluiſti; aures autem perfeciſti mihi.*

Ad illa tamen aggredior; &, quando non poſſum omnia recenſere, nonnulla attingam. Sacrificium & oblationem *Saulis* noluiſti; aures autem perfodiſti mihi *ut me tibi perpetuo jure mancipatum teneres, atque ita tibi ſemper obedirem.*

10 *Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti: tunc dixi ecce venio.*

Acceptum non habuiſti holocauſtum *quod tibi Saul* pro *Iſraelitarum* peccatis *obtulit*: túncque *ego, à Samuele vocatus,* dixi ecce venio.

11 *In capite libri ſcriptum eſt de me ut facerem voluntatem tuam. Deus meus volui; & legem tuam in medio cordis mei.*

In ſacro libro de me dictum eſt quòd tuæ (*contra atque fecit Saul*) voluntati parebo. *Id* ego volo Deus mi; & tuum, toto cordis affectu, mandatum *adimplere cupio.*

multa feciſti &c. Euſebius: *Symmachus ita dicit. varia feciſti tu Domine Deus meus prodigia tua & cogitationes tuas quæ ſunt pro nobis, haud licet exponere de ſe.* Ita ferè Rabbini hodierni: à quibus (ſi Pſalmum LXXXVIII. 7. legeris) recedes: ex eo enim diſces verbum ערך comparativè heic ſumi debere: quomodo accepit Raſi: non multùm reluctante Kimchio, quanquam Rabbinus ille prædictum verbum in ſententiam accipiat Symmachianam, nimirùm pro *exponere* ſeu *ordinare.* LXX. Senes Hebræum, uti hodie ſcribitur, textum habuere præterquàm in voce אליכו quæ ab eorum codicibus abfuiſſe videtur, & in vocabulo מחשבתיך quod eos cum literâ ב præfixâ legiſſe veriſimile eſt. Theodorus Heracleotes: *τὰς ἀκαταλήπτους* &c. *incomprehenſibiles providentiæ rationes conſiderans, dicet & cogitatio-*

albus tuis non est &c. *cujusmodi erat qui dicebat à altitudo divitiarum.* Apostolicum illud in Saulis rejectione usurpari potest.

annuntiavi & loquutus sum &c. Eusebius: *Symmachus vertit, si renuntians renuntiavero plura sunt quàm ut numerari possint.*

aures &c. alludit ad morem de quo Exod. XXI. 6. Deut. XV. 17. neque B. Paulus, *corpus* prò *aures* legens, obstat: eadem enim ubique sententia est ut nostro apparet argumento. SS. Ambrosius, Augustinus, Theodoritus, Euthymius, Sixtina editio, & Regii ac Colbertini, quos habeo, Codices Græci cum Apostolo legunt *σῶμα corpus.*

perfecisti. Ita S. Augustinus; sed S. Ambrosius habet *praparasti.*

holocaustum & pro peccato. Respicere videtur ad holocaustum à Saule oblatum I. Reg. XIII. 12. quod pro peccatis oblatum dicit Vates quia eo consilio offerebatur ut populi peccata delerentur, atque ita ille felicem, in bello, exitum haberet.

in capite. Græcè ἐν κεφαλίδι. LXX. Senes nomen κεφαλὶς *caput* accipiunt pro volumine ut apparet collatis locis I. Esd. VI. 2. Jer. XXXVI. 2. Ezech. III. 1. dicitur autem *volumen* quia Hebræi divinas scripturas convolvebant ut Nicephoro atque Euthymio notatum est post Theodoritum: qui, quum Vatis textum adduxisset, subdit. *Olim in libris propheticis hac de me pradicta sunt. In capite. Aquila & Symmachus in involucro libri dixerunt. Sic autem Scripturas divinas usque in hodiernum diem Judai concinnare solent.* Symmacho *a* Eusebius tribuit *in volumine definitionis scriptum est de me*; Theodorus autem Heracleota eidem Symmacho adscribit *in libro definitionis tua scriptum est de me.* Ad Aquilæ interpretationem respexit Suidas quum dixit κεφαλὶς βιβλίου &c. *caput libri: quod quidam vocant involucrum.* Eximiè Eusebius: *universam divinitùs inspiratam Scripturam unum caput libri nominavit propterea quod ad scopum unum omnia intendit*: nempe dilectionem (hoc est mandatorum observationem, *qui diligit me sermonem meum servabit*) dicente B. Paulo: *plenitudo legis, dilectio est*: quò non incommodè traxeris Eccles. XII. 13. Cæterùm in hoc versu & sequentibus Davidica tangitur ad regnum electio: quæ, etsi Saulinam antecesserit vexationem, ei postponitur quia in actum, post illam vexationem, erupit.

a in Cat. Barb.

libri. volumen libri pro peculiari libro sumit Jeremias in loco superiùs laudato. In hunc modum liber à nostro accipitur Vate: qui intelligere videtur primum Regum librum, in quo scriptum erat quod etiamnum in eo legimus: *quæsivit Dominus sibi virum juxta cor suum.* quod in Psalmo LXXXVIII. 20. sic effertur: *inveni David servum meum,* & in Actis Apostolicis XIII. 22. ita explicatur, *inveni David filium Jesse virum secundùm cor meum qui faciet omnes voluntates meas*: quæ verba istis respondere videntur *scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam.* Hæc David sub finem vitæ scribebat: unde primus Regum liber publici juris tunc esse poterat.

ut. Græcè τοῦ. Hunc articulum superfluum esse immeritò dicit cum Nicephoro Euthymius: qui Psalterianum textum minùs benè ordinat hoc modo, *facere voluntatem tuam Deus meus volui.* S. Ambrosius, *Ecce venio ut faciam voluntatem tuam.*

legem tuam &c. sup. *volui* ἠθέλησα τὸν νόμον.

cordis mei. Eusebius, Theodoritus, Euthymius, Nicephorus, & Psalterium Romanum habent τῆς κοιλίας *ventris mei*: eodem sensu, ut ei planum erit qui laudatos adierit Patres, quorum lectio SS. *b* Hieronymo & Ambrosio ignota non fuit.

b Epist. 135.

Annuntiavi justitiam tuam in Ecclesiâ magnâ. Ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti.	12	*Postmodùm* tuam, *erga me,* bonitatem coram cœtu numeroso prædicavi. Ecce labiis meis non peperci, Domine tu nosti.

annuntiavi. SS. Ambrosius & Augustinus, *benè nuntiavi.* At S. Aug. in explanatione, habet *annuntiavi.*

justitiam. pro bonitate sumit, ut Psal. IV. 1. LXXXVIII. 14.

tuam. illud pronomen à Græco Theodori Heracleotæ & Theodoriti textu atque à codicibus Græcis Regiis ac Colbertinis, & Sixtinâ editione abest; sed à SS. Ambrosio & Augustino legitur.

13 *Justitiam tuam non abscondi in corde meo; veritatem tuam: & salutare tuum dixi.*

Benignitatem tuam in corde meo non abscondi; tuámque, *in promissis servandis*, constantiam: &, *exinde*, salutem *mihi*, *variis in occasionibus*, abs te præstitam celebravi.

14 *Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam à concilio multo.*

Misericordiam tuam, & promissorum tuorum fidem non celavi concilium multum.

15 *Tu autem Domine ne longè facias miserationes tuas à me; misericordia tua, & veritas tua semper susceperunt me:*

Quæ quum ita sint Domine, tuas *illas*, *quas mihi anteà impertitus es*, misericordias ne removeas *nunc* à me; *sed* bonitas tua, & tua, *in promissis exsolvendis*, constantia *(quas toties sum expertus)* me jugiter *in bello isto* tutentur:

16 *Quoniam circumdederunt me mala quorum non est numerus; comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem.*

Innumera enim mala circumdederunt me; tótque sum, ob meas iniquitates, calamitatibus vexatus, ut eas videre non possim *omnes*, *adeò multæ sunt illæ*.

17 *Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei; & cor meum dereliquit me.*

Capitis mei capillos *prædictæ calamitates* superant; unde animo deficio.

18 *Complaceat tibi Domine ut eruas me; Domine ad adjuvandum me respice.*

Velis, *quæso*, Domine *his* me *calamitatibus* explicare; *atque* ad opem mihi ferendam oculos adverte.

19 *Confundantur & revereantur simul, qui quærunt animam meam ut auferant eam:*

Pudefiant & dedecore afficiantur quotquot vitam mihi eripere student:

20 *Convertantur retrorsum, & revereantur qui volunt mihi mala.*

Spe frustrentur suâ, atque *ita* erubescant qui malum mihi optant.

justitiam tuam non abscondi. Sixtina editio cum Apollinario, & Psalterio Æthiopico, sic interpungit & legit. *Domine tu cognovisti justitiam meam: non abscondi in corde meo veritatem tuam.* S. Augustinus Vulgatæ omninò consentit. Similiter S. Ambrosius, nisi quòd pro *justitiam tuam* legit *justitiam meam*. Reg. ac Colb. Codices Græci habent *justitiam ey tuam.*

susceperunt me. Symmachus, in Scholio Sixtino productus, rectè vertit περιφρουρείτω με *circummuniat me.* Euthymius: *Quadam verò exemplaria habent adjuverunt: & intelligitur quod hucusque scilicet adjuverint; sed melior lectio videtur adjuvent.*

a Ep. 135. *respice.* Heb. *festina*: indéque in Codice Suniæ & Fretelæ σπεῦσον; sed S. a Hieronymus

testatur apud LXX. scriptum esse ωὀχις. Vide annot. ad Psal. XXXVII. 23.

Ferant confestim confusionem suam qui dicunt mihi: euge euge;	21	Pudore quamprimùm suffundantur qui de me loquentes *ita sibi gratulantur* : lætare lætare *anima nostra, actum est de hoste nostro Davide*;
Exultent & lætentur super te omnes quærentes te: & dicant semper, magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.	22	Exultent verò & lætentur in te omnes qui te colunt *socii mei*: & qui in te sperant *comites mei* dicant semper magnificetur Dominus.
Ego autem mendicus sum & pauper; Dominus sollicitus est mei:	23	*Ad me quod attinet*, sum in egestate & miseriis circumclusus; *unde* Domine curam mei gere:
Adjutor meus & protector meus tu es: Deus meus ne tardaveris.	24	*Ad hæc* adjutor meus & protector meus tu es: *quare* Deus mi opem mihi porrigere ne tardes.

euge euge. Eusebius. *Symmachus interpretatus est ab ab sicut se habet Hebraica lectio.* Idem testatur Theodorus Heracleota.

diligunt salutare tuum. Nicephorus: *qui amant abs te non ab hominibus salutem consequi*, hoc est qui in te sperant.

mendicus & pauper. accipiunt quidam pro *misero & afflicta fortuna homine*; notátque Jansenius *mendicum sicut & pauperem sæpiùs in Psalmis accipi non ut significat indigum rerum temporalium, sed afflictum ac destitutum ope humanâ.* Hoc ita sæpe se habet; sed egestas heic admittenda videtur ob locum II. Reg XVII. 28. 29.

sollicitus est mei. præs. pro futuro imperativi locum tenente ut patet ex Psal. LXIX. 6. cui etiam me accommodavi secundâ utens personâ, quæ heic mutatur pro Hebræo more alibi observato. S. Augustinus, *curam habebit mei.*

ARGUMENTUM.

PSALMI QUADRAGESIMI.

DAVID, filii ex Bethsabeâ suscepti morte afflictus, de stupro Thamari illato dolens, cæde Ammonis excruciatus, & præsertim turbis ab Absalomo factis commotus, non potuit tot molestiis resistere: unde in gravem delapsus est morbum de quo jam in Psalmis VI. & XXXVII. actum est; & cujus nonnullas ap-

pendices in Psalmis illis omissas suppeditat is, quem explicandum suscipimus, Psalmus; & quem Theodorus Heracleotes de Ezechiâ minùs benè exponit. Hujus porrò Psalmi versus 5. 6. 7. 8. 9. me quominùs morbum & vulnera, cùm in eo tum in Psalmis VI. & XXXVII. memorata, figuratè, ut alibi interdum fit, acciperem; & de maximis, quas David perferret, acerbitatibus; aut luctuoso, cui implicaretur, bello explanarem impediverunt: hi enim, quos laudavi, versus in literalem sententiam spectati, cum figuratâ hujusmodi explicatione congruere non posse videntur. Cæterùm, quando Christi ærumnæ in Davidicis præcipuè adumbratæ fuerunt, decimum Psalmi versum Judæ se prodenti divinus noster Sospitator rectè accommodavit apud S. Johannem XIII. 18. ex quo loco prædictum Psalmum sublimiore sensu ad Christum pertinere discimus: sic tamen ut peccatum, quod versu 4°. commemoratur, Christo humani generis personam sustinenti tantùm aptetur; &, qui in eodem versu narratur, morbus ad Dominicam trahatur passionem, quam summâ felicitate & gloriosâ resurrectione decoratum iri ostendit versus decimus tertius.

TITULUS.

In finem Psalmus ipsi David.

PSALMUS XL.

1 *BEatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die malâ liberabit eum Dominus.*

PARAPHRASIS.

ILle, qui inopi & attenuato *ægroto* prospicit, felix est: cum *enim* Dominus, tempore aspero, *ab iis, in quæ adductus fuerit, periculis* liberabit.

ANNOTATIONES.

in finem &c. Cod. Reg. 138. *Psalmus David vox Christi de passione suâ & de Judâ traditore.*

traditore. Colb. 158. *in finem Psalmus David. vox Christi de passione sua & de Juda traditore Psalmus XL. de communione cum omnibus hominibus ut pauperis.*

pauperem. Eusebius : *illud pauperem neque in Hebræo neque apud alias* (interpretes) *ponitur.* Theodoritus : τὸν &c. *Hoc & pauperem in quibusdam exemplaribus invenis ; non apud Hebræum neque apud Syrum neque apud alios interpretes.* Deest etiam in hodierno Hebræorum textu vox *pauperem* ; sed eam olim ibi exstitisse conjicio ex Psalmi præcedentis versu 23. & versione nostrâ.

die mala. Symmachus, testibus Eusebio, Didymo, Theodoro Heracleota, & Theodorito, *diem malam* dixit *diem afflictionis* seu *vexationis.*

Dominus conservet eum & vivificet eum ; & beatum faciat eum in terrâ, & non tradat eum in manus inimicorum ejus.	2	Dominus eum integrum incolumémque servabit ; illúmque in terrâ reddet fortunatum, nec eum hostium ipsius libidini permittet.
Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus ; universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.	3	Illi, in lecto, doloris caussâ, decumbenti, opem feret Dominus ; totúmque ejus cubile, in infirmitate ejus, versabis Domine *ut mollius cubet.*
Ego dixi, Domine miserere mei ; sana animam meam quia peccavi tibi.	4	*Hæc quum felicitas illis reposita sit qui ægrotis prospiciunt, ego, qui eorum curam hactenus gessi,* rogo *sic :* miserere mei Domine ; mihíque sanitatem restitue : nam in te peccavi ; *&, peccando, valetudinem amisi.*
Inimici mei dixerunt mala mihi : quando morietur & peribit nomen ejus ?	5	Inimici mei malum mihi apprecantur, dicentes : quando tandem morietur *David*, & nomen ejus peribit ?

conservet &c. optat. pro fut. ut præcedenti apparet futuro *liberabit*, & Symmachianâ, quam sic Eusebius refert, interpretatione : *conservabit eum, & salvum faciet eum : beatissimus erit. & non exponet eum in animas inimicorum ejus.*

& vivificet eum &c. S. Ambrosius cum Psalterio Romano : *& vivificet eum, & beatum faciat eum, & emundet in terra vitam ejus.*

in animam inimicorum ejus. SS. Ambrosius & Augustinus cum Sixtinâ editione *in manus inimici ejus.* Sed testatur S. Ambrosius alios (codices) Græcos sic habere, *& non tradat eum in animas inimicorum ejus.*

versasti. mutatio personæ Vati non infrequens ; & præteritum pro fut. ut patet ex verbo *liberabit* suprà ; & Eusebio qui, in Catenâ Barbarianâ, legit *versabit* ; ac Nicephoro qui, in eadem Catenâ, ait : *vertisti hoc est vertes & immutabis : ab agro nimirum atque infirmo ad sanum ac validum.* S. Aug. legit *vertisti* pro *versasti.*

ego dixi. Nexum nostrum firmant loca Deut. XV. 7 11. XXVIII. 1. 2. 3. 7. 8. ad quæ noster respicere videtur textus : qui, ut quidem ego sentio, Deum urget à promisso. qd. felicitatem, promisisti iis qui egenos & pauperes (adeóque ægrotos qui alienâ curâ maximè indigent) curant. Ego iis consului : unde promissam felicitatem tribue mihi, & miserere mei &c.

quia peccavi. Didymus & Theodoritus asserunt Symmachum vertisse *etsi peccavi* ; sed Theodorus Heracleota testatur eundem Symmachum interpretatum fuisse *quia peccavi.* Priorem interpretationem sequitur Rabbi Marinos.

6 *Et, si ingrediebatur ut videret ; vana loquebatur : cor ejus congregavit iniquitatem sibi.*

Et, si *quispiam illorum domum meam* ingrediatur ut *me* invisat, fucatè loquitur : *nam, dum blandis me sermonibus delinit*, perniciem animo complectitur ;

7 *Egrediebatur foras, & loquebatur in idipsum:*

Egressúsque foras, sua cum sociis consilia communicat :

8 *Adversum me susurrabant omnes inimici mei, adversum me cogitabant mala mihi ;*

Túmque omnes inimici mei clàm adversùm me consultant, atque exitium mihi machinantur ;

9 *Verbum iniquum constituerunt adversùm me : nunquid qui dormit non adjiciet ut resurgat?*

Et malum, *contra me*, rumorem spargunt, *dicentes* : qui in lecto jacet *David* ad salutem nunquam est reducendus, *atque adeò securam conjurationi operam navare possumus.*

& si ingrediebatur. illud *si* à Dydimo, & SS. Ambrosio abest, atque Augustino qui legit : *& ingrediebantur ut viderent, vana loquutum est cor eorum ; congregaverunt* &c. *egrediebantur foras & loquebantur.* Sed S. [a] Hieronymus auctor est præfatam particulam (quam etiam omittit Nicephorus) manifestissimè in Hebræo & in cunctis Interpretibus scriptam esse, & Septuaginta transtulisse.

[a] Epist. 135.

vana. idest falsa, simulata. Vide Psal. II. 1. & annot ibid.

cor ejus. in aliquibus Codicibus Græcis & Latinis jungitur cum præcedentibus ; in aliis, cùm subsequentibus : quomodo S. Ambrosius se in Græcis codicibus distinctum invenisse testatur. Nicephorus & Euthymius præcedentibus ; Didymus autem, Theodorus Heracleota, Hesychius vel Chrysostomus subsequentibus conjungunt.

verbum iniquum. accipio pro re malâ : quomodo Latini dicunt *tempora iniqua*, pro acerba seu mala In hanc sententiam secunda hemistichii pars me traduxit : quanquam scirem loquutionem istam, *verbum iniquum constituerunt adversum me*, explanari à Theodorito, *iniquam accusationem contra me fecerunt* ; à Jansenio, *contra me tanquam certè implendum statuerunt verbum istud quod ex iniquo eorum in me odio processit*, à Rabbinis, *res pessima* idest morbus gravissimus ; aut gravissimum, quod gravissimam pœnam mercatur, peccatum *adhæret ei*, seu *effusum est in eum.*

constituerunt adversum me. Heb. יציק בו *effusum est in eum.* Depravata lectio quod, ex parte, ostendit B. Hieronymus dum ex Hebræo vertit *infundebant* : hinc enim liquet S. Do-

ctorem legisse יצירק cum LXX. Senibus: qui, pro בי *in eum adversus eum*, vel *illi* (quod agnoscit doctissimus Presbyter) in suis codicibus habebant בי *adversum me*

nunquid. interrogatio quæ affirmationi respondet ut jam monui ad Psal. XIII. 8. cui adde I. Reg. XXIII. 19. Porrò verbum *putandum est* rectè subaudit Jansenius hoc modo: *Nonne putandum est, inquiebant inter se, quod is qui nunc dormit & decumbit in lecto ægritudinis suæ, non amplius valebit ex eo resumptis viribus, resurgere.* Heb. ואשר שכב &c. LXX. legisse videntur interrogantèr ut Psal. LV. 7.

Etenim homo pacis meæ, in quo speravi; qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.

10 Sed & *Achitophel*, homo ille quocum summa mihi intercedebat amicitia, quo fidebam; qui, *ne* panem meum edebat, strenuè contra me conjurat.

Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me; & retribuam eis.

11 Mei *sic afflicti* misereat te Domine, & morbo me leva; illisque, *quod merentur*, rependam.

In hoc cognovi quoniam voluisti me: quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

12 Isto sciam quòd me ames: *nimirum* si inimicus meus ansam de *morte mea* lætandi non habeat.

Me autem propter innocentiam suscepisti: & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

13 Me, *ut spero*, adjuvabis habitâ optimæ caussæ meæ ratione: & me, coram te, perpetuò constitues *sic ut nemo mihi unquam nocere possit.*

Benedictus Dominus Deus Israel à sæculo & usque in sæculum. Fiat, fiat.

14 Laudetur in æternum Deus Israelitarum. Fiat, fiat.

etenim &c. conjunctio hæc superflua non est ut vult Nicephorus; sed accipitur pro *etiam* quomodo Euthymius in decursu explanationis explicat, quanquam initio conjunctionem illam superfluam esse affirmet.

qui edebat panes meos. Hoc dicit ut crimen augeat: siquidem mensa testibus a Athenæo & b Plutarcho, sacra res erat & amicitiæ symbolum; unde flagitiosissimus ille censebatur qui in mensam alicujus admissus in eum conspirabat.

a lib. 8 cap. 16.
b in Sympos. sept. Sap. pag. 158. C D & in Quæst. Rom. q. 64. pag. 279. E & in Sympos. lib. 7. quæst. 4. pag. 703. E. 704. B. vide Alex. ab Alex. lib. V. c. 21. p. 62. edit. fol. Lug. 1586.

magnificavit. SS. Ambrosius & Augustinus, *ampliavit.*

supplantationem. Eusebius: *Hebraica lectio calcaneum habet; & Aquila. Hebraico inserviens, calcaneum vertit: unde Johannes Evangelista, tanquam Hebraus secundùm Hebraos dixisse Salvatorem tradit calcaneum non supplantationem.* Utraque tamen lectio eodem recidit: qui enim calcaneum levat seu magnificat adversus alterum, eum supplantat. S. Augustinus, *ampliavit super me calcaneum.* S. Amb. *supplantationem.*

innocentiam caussæ non personæ intelligit.

in conspectu tuo. Vide Psal. XXVI. 9. XXX. 26.

à sæculo & usque in sæculum fiat fiat. S. Ambrosius, *à sæculo & in sæculum: fiat, fiat.* S. Augustinus, *à sæculo & in sæculum & dicet omnis populus fiat fiat.* Eusebius testatur Aquilam pro, *fiat fiat*, vertisse *fidelìter*; Symmachum, *Amen, amen.*

ARGUMENTUM.

PSALMI QUADRAGESIMI PRIMI.

ETSI nonnullam ad Psalmos sexagesimum secundum & octuagesimum tertium, qui de Davide exponuntur, similitudinem habeat is, quem sumus explanaturi, Psalmus, ad Davidem tamen pertinere non videtur: sive enim illum à Saule vexatum spectemus; sive eum ab Absalomo exagitatum consideremus, versiculi tertius & decimus quintus in illum quadrare non possunt eò quod tunc à Saulinis remotus esset atque Absalomitis: qui proinde ei, per singulos dies, dicere non poterant illud Psalterianum *ubi est Deus tuus*; adde quod derisio illa prædictis hostibus, quantumvis flagitiosis, convenire non videtur. Hæc sanè derisio Ethnicos, qui divinam providentiam negarent, sapit ut ex Psalmi centesimi decimi tertii versu decimo colligitur. Unde Theodoro Heracleotæ, Theodorito, Nicephoro, atque Euthymio, Psalmum ad Judæos Babylonicam servitutem servientes accommodantibus, assentior; atque ex versibus quarto, & septimo Psalmum à vate aliquo Judæo, paulò post cœptam captivitatem, compositum fuisse conjicio: non officiente longævâ quæ in isto, qui primum templum viderat & secundum visurus erat, Vate supponi debet, ætate: ei enim versus secundus, tertius, & quartus capitis secundi Prophetæ Aggæi fidem faciunt. Noster

porrò Pſaltes, è ſanctâ civitate Hieruſalem abactus, mirum, quo tenetur, Templi deſiderium hoc in Pſalmo primùm deſcribit: deinde enarrat quantam, ex impiorum, divinum, cui addictus erat, cultum irridentium, contumelioſis vocibus, moleſtiam capiat; tum ſecum ipſe colloquitur: &, poſtquam varios mœroris & conſolationis motus explicavit, animum tandem erigit ſpe divinæ miſericordiæ; & canendarum, dum in exilio verſabitur, laudum Dei, ejuſque auxilii implorandi, & ſuarum ægritudinum ſpe reditus in Urbem ſanctam leniendarum conſilium init: ſuo nos exemplo docens debere nos, quamdiu à cœleſti Hieroſolymâ exulamus, ejus videndæ cupiditate ardere; ſimul & ingemiſcere quum impios in religionem debacchantes audimus; ac denique ærumnas noſtras cœleſtis patriæ ſpe levare.

TITULUS.

In finem intellectus filiis Core.

Psalmus XLI.

1 *Quemadmodum deſiderat Cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus:*

Paraphrasis.

Quemadmodum Cervus rivos aquarum appetit, ita cor meum, ô Deus, deſiderio tui tenetur:

ANNOTATIONES.

in finem &c. Cod Reg. 138. & Colb. 158. *in finem Pſalmus intellectus filiis Core. vox pœnitentium & deſiderantium ad fontem lacrymarum.*

intellectus. de illâ voce jam dictum eſt.

filiis Core Aquila & Symmachus interpretati ſunt *filiorum Core*, ut refert & immeritò probat Euſebius: qui, quum duos viros nomine Core diſtinxiſſet, unum qui Moſi æqualis fuit & pœnas dedit; alterum qui Davidis temporibus extitit, non deſinit uti ne Core filii hunc compoſuerint Pſalmum. Coritas, qui in deſerto cum Moſe fuerunt, in Pſalmo noſtrò memorari Chaldæus paraphraſtes, Heſychius, Genebrardus, aliique non pauci exiſtimant. Ego Coritas Davidi coævos, & Cantorum officio fungentes ex II. Paralip. XX. 19. in-

x titulo ejusque similibus significari

a homil. unica in lib. Reg. sub init.
b in Psal. 84.
c comment. in hunc Psalmum.
d lib. 1. de Vena.
e Hist. anima. IX. 5. p. 736. F.
f in Theriac.
g Hist. VIII. 27. & X. 31.
h lib. II. 9. VI. 1.
i in hunc Psal. in Cat. Barb.
k ibid.
l in hunc Psal. apud Corderium.
m Physiol. cap. 5.
n comment. in Psal. inscript. tract. 1.
o comment. in hunc Psal.
p in Cat. Barb.
q Hist. nat. VIII. 32. XXVIII.
r lib. 6. *Naribus alipedes* &c.
s lib. 1. Epigr. 19.
t de solert. animal. p. 6. C.
u H. ft. animal. VI. 29. p. 674. F.

tempo; atque arbitror[x] Psalmum nostrum, aliósque eorum nomine insignitos, prædictis Cantoribus datos à Davide fuisse ut ad musicos modos accommodarentur. *a* Origenes, *b* Hieronymus alter, & *c* Genebrardus scribunt Coritis peculiare fuisse ut de rebus lætis meditarentur; sed hoc exceptiones habere vel unus noster ostendit Psalmus: nam quæ in eo continentur dolentium & afflictorum verba sunt ut rectè observat Eusebius, qui neque Psalmum neque Canticum aut aliquid hujusmodi prænotari inde minus benè colligit, quum plura sint v. g. carmina Psalmi nomine donata quæ de rebus tristibus agunt.

Cervus &c. Hoc ideò dictum quia Cervus aquas quærit: non ut sibi à serpentibus aut phalangiis icto remedium comparet cancris fluviatilibus comestis (quod ab *d* Oppiano proditum, atque ab *e* Aristotele *f* Nicandro, & *g* Plinio confirmatum ac fortasse veritate fundatum, habere heic locum non potest) sed ut suam restinguat sitim ab haustis anguibus aliísque venenatis bestiis naturâ calidis ortam ut *h* Ælianus, *i* Didymus, *k* Eusebius, *l* Theodorus Heracleotes, S. *m* Epiphanius, S. *n* Gregorius Nyssenus, *o* Theodoritus, & *p* Hesychius, (quibus *q* Plinius, *r* Lucretius, *s* Martialis, & *t* Plutarchus favere videntur) scribunt, aut potius ab æstu atque anhelitu profectam ut tradit *u* Aristoteles.

desiderat. Theodorus Heracleotes: *Symmachus: sic festinat Cervus.* Eusebius, referente Nobilio, notat Symmachum usum esse verbo ἱμείρεσθαι quod item significat *desiderare & cupidum esse*; sed illud in Catenâ Barbarianâ non invenio. Ampliorem fortasse Eusebium habuit Nobilius heic, & suprà ad vers. 18. Psal. XXX.

2 *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum. Quando veniam; & apparebo ante faciem Dei!*

Meáque anima Deum fontem vitæ sitit, *dicens: Et* quando veniam *in Ædem Dominicam,* & coram Domino, *in sancto ejus templo*, apparebo!

3 *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus?*

Diu noctúque ploro & lacrymæ loco cibi mihi sunt: dum *scilicet* mihi indesinenter dicitur *à Babylonis* ubi est Deus ille tuus *quo tantopere niteris? surgat & opituletur tibi siquidem eâ, quam jactas, cultorum suorum cura tangitur.*

4 *Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei:*

Hæc quum recordor, mœrore conficitur anima mea *recolens* quòd *olim* locum tabernaculi admirabilis peterem, & domum Dei adirem:

a in Psal. 61.

b in edit. Parif. 1642. ubi noster enarratur Psalmus: qui ab editione Paris. 1530 quâ sæpiùs usus sum, abest.

fontem vivum. Ultimam tantùm vocem Eusebius, Appollinarius, S. *a* Hilarius, S. Ambrosius in libro de Isaac c. 1. S. Augustinus, Sixtina editio, & Psalterium Romanum. Æthiopicum, atque Arabicum legunt: sed S. *b* Ambrosius in commentario hujus Psalmi habet *fontem*: quam lectionem servabit; & alteri (nempe *forti*) quæ à Rabbinis probatur, & in omnibus, quos verso, Regiis ac Colbertinis Codicibus Græcis reperitur, præponet quisquis ad Psalmum XXXV. 10. (qui de Templo ut noster agit) attenderit, atque in primo Psalmi versu Cervum ad fontes aquarum anhelantem describi meminerit.

apparebo. Confer Deut XVI. 11. 15. 16. & videbis agi heic de templo, uti in sequentibus explicatur.

panes. Sixtina editio legit *panis*; sed S. Augustinus legit *panes* cum Vulgatâ.

recordatus sum. S Augustinus, *meditatus sum.*

effudi in me animam meam. Confer I. Reg. I. 15 & Genebrardum, Muisium, complure'que alios, textum de gaudio exponentes, hallucinari nosces.

quoniam. pro *quòd* passim in hoc opere.

transibo. fut. pro imperfecto. D lectione Rabbinicâ dixi in Præfatione, ad quam adeas velim. S. Augustinus legit *ingrediar.*

5 *In voce exultationis, & confessionis; sonus epulantis.*

Lætam *ibi* edens vocem, laudes *Dei* canens; & epulum, cum sono *festivo*, celebrans *ob divinam in nos providentiam & acceptos ab eâ favores.*

6 *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?*

Sed quare tristis es ô anima mea, & quare conturbas me?

7 *Spera in Deo: quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, & Deus meus.*

Spera in Deo: nam illum adhuc in *templo ejus* laudabo *tanquam* meum sospitatorem, & Deum mei studiosum.

8 *Ad meipsum anima mea conturbata est propterea memor ero tui de terra Jordanis, & Hermonium, à monte modico.*

Dolor, *inquit* anima mea, me opprimit recordantem *quàm benignè olim majores nostros* in terra Jordanis, atque Hermonæorum & parvi, *qui circum hæc loca erat,* montis habueris *qui me nunc deseris.*

9 *Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum;*

Ad hanc mœroris mei caussam alia accedit: nimirùm calamitatem calamitas excipit: perstrepentibus, *dum aperiuntur,* cataractis *malorum* quibus *homines* plectis.

in voce exultationis &c. Hic versus à quibusdam explanatur quasi Psaltes exultaret & caneret dum ad Templum iret, sed hæc in templo facta esse probabilius est.

sonus epulantis. Rabbini: *cum multitudine tripudiante.* Vulgata versio textui Hebræo; & rei, de quâ agitur, consonat: siquidem vox המון *sonum* (ut & *multitudinem*) significat; & moris erat Judæorum ut in templo simul epularentur in suis solemnitatibus uti apparet Deut. XII. 12. XVI. 14. XXVII 7. II. Esdr. VIII. 12. Psal. LXXVII 3. & a Theodorito in Deuteronomium scribente. Hujus Judæorum moris ab Ethnicis usurpati

a Quæst 10 p. 175.

vestigia exstant in Phiditiis Lacedæmoniorum, Mazonis Phigalensium, Andriis Cretensium, Grammatiis Syrorum; & Pandiis, Diasiis, ac Dionysiis ab *a* Aristotele, *b* Dicæarcho, *c* Sphæro, *d* Molpi, *e* Cicerone, *f* Harmodio Lepreate, *g* Dionysio Halicarnassensi, *h* Athenæo, *i* Plutarcho, & *k* Theodorito memoratis, præcipuè verò in Tithenidiis conviviis & cœnis Copitis ac Saliaribus ab *l* Athenæo & *m* Suetonio descriptis; ut & in Jud. XVI. 23, atque in laudatis à *n* Philone & *o* Cornuto epulis: quæ non solùm communia erant convivia (quemadmodum præcedentia) sed in templis celebrabantur. Verum hunc, de quo dixi, Judæorum morem veteres Christiani potissimùm imitati sunt in publicis suis conviviis seu Agapis primùm in Ecclesiâ, deinde extra eam celebratis; atque à Beato *p* Paulo, *q* Plinio, Sancto *r* Ignatio, *s* Tertulliano, *t* Minucio Felice, *u* Clemente Alexandrino, *x* Constitutore Apostolico, Conciliis *y* Laodiceno, *z* Gangrensi, & *&* Carthaginensi III. * Gregorio utroque, *a* Juliano Apostatâ, Beato *b* Chrysostomo, & *c* Theodorito commemoratis: quæ nomen accepisse videntur non ab epotato Christi sanguine sub finem illarum epularum, ferè ut mos erat apud Græcos qui, testibus Nicostrato Xenophonte & Scholiaste Aristophanis, mensam Scypho claudebant ut docet *d* Grotius; nec ab erogatâ pauperibus eleemosynâ aut exhibito iis convivio ut *e* Tertullianus & Patres *f* Gangrenses innuunt; sed à communione & amicitiâ (cujus ergo Lacedæmones *συσσίτια* sua appellabant *φιδίτια* quasi *φιλίτια* ut ait *g* Porphyrius) nomen traxisse videntur: quanquam Christi sanguis S. Ignatio dicatur *ἀγάπη*; & eodem nomine eleemosyna, in *h* Vitis Patrum nec non in *i* Concilio apud Saponarias habito, donetur; & pauperes Agapico refrigerio juvarentur. Plura de Agapis ex *k* Baronio disces: dum ego observabo SS. Ambrosium & Augustinum pro *sonus epulantis* legere *soni festivitatem celebrantis*. S. Hieronymum, *soni festa celebrantium*. Sixtinam editionem, *soni festum celebrantium*. Theodoritum, *soni festum celebrantis*.

quare tristis es &c. *l* Cicero, Vatem nostrum imitatus, tristitiam cum conturbatione junxit, dicens: *es tristis & conturbatus domum rediit*. Utroquè autem versus hemistichio res eadem significatur, ut ex eodem colligi potest *m* Cicerone qui conturbationem pro tristitiâ sumsit in his verbis: *invaletudo tua me valdè conturbat*.

Deus. benignitatis nomen Psal. LI. 10. LIII. 6. Vide annot. ad Psal. LV. 10.

ad meipsum anima mea &c. Ad illud *quare tristis es* &c. respondet, ut notat Aben Ezra; nec Deum Vates alloquitur ut putat Muisius ita in Paraphrasi explanans: *sed Eheu me Deus rursum me dolor opprimit cogitantem & recordantem, quàm benignè olim majores nostros apud Jordanem, & montes Hermonem & Sinam habueris* &c. Porrò Vates personam, pro more suo, mutat quod ego non sum sequutus perspicuitati consulens.

propterea. pro *propterea quod*. Confer Gen. XXXVIII. 26. Jud. VI. 22.

de terra Jordanis &c. Circa has regiones erat David quum Absalomum fugeret: undè ad Absalomitica tempora referendus videbatur Psalmus præsertim ob præpositionem *de*. Sed me de eâ opinatione deduxerunt laudati in Argumento versiculi; nec præpositionem *de* idoneum esse impedimentum putavi: maximè quum illa Theodorum Heracleotam, Theodoritum, atque Euthymium ab eâ, quam attuli, explicatione non averterit.

à monte modico. Hebræi putant fuisse montem nomine *Mitzar*; alii ad Hermonem referunt. Sed, quando Hermon mons non erat exiguus; & montem Mitzar scriptura non memoret, aliam viam tenui: non probans quod ex Borchardo affert *n* Bochius.

abyssus. pro *aqua* sumitur ut Psal. XXXV. 6. LXVII. 15. & aqua illa ærumnæ est Symbolum ut Psal. LXVIII. 1.

cataractarum. alludit ad diluvium Noachidum in quo cataractæ cœli apertæ sunt Gen. VII. 11.

Omnia excelsa tua, & fluctus tui super me transierunt. 10

Omnésque acerbitatum, *quibus mortales* castigas, nimbi, & *iracundiæ* tuæ fluctus me obruunt.

excelsa. Theodorus Heracleotes: *c excelsa Symmachus, procellam dixit* q. d. *ira tua, fluctuum instar, elevata sunt supra me & inundarunt*. S. Augustinus, *suspensiones tua*.

a Polit. II. 9. p. 148 A. H. 10. p. 140. G
b in Tripolitico apud Ath. IV. 8. p. 141. A
c lib. 3. de Lacon. Repub. apud Athen. IV. 8. p. 141. C.
d de Repub. Laced. apud Ath. IV. 8. pag. 141. D
e Tuscul. lib. 5
f apud Ath. IV. 12. p. 149. ubi etiam vide Arcadum epulas.
g lib. 2
h lib. V. 13. p. 210. F.
i in Lycurgo p. 45. B 46. B
k serm. 8. contra Græc. in fin. p. 607.
l lib. IV. c. 6. p. 138. F. 1... B
m in Claudio cap. 33.
n lib. de plantat. Noe.
o ad Persii Satyram 5.
p II. Cor. X. 21. 22.
q lib. X. Ep. 97.
r in Epist. interpol. ad Smyrnæos n. 8.
s Apol. cap. 39.
t in Octav.
u Pædag. II. 1. pag. 142
x lib. II. c. 28.
y can. 27. 28.
z can. XI. ex versf. Dionysii exigui.
& can. 30.
* Naz. de vitæ differenti Nyss. orat. de vitâ Greg. Thaumat.
a in fine fragm.
b in I. Cor. II. homil. 27. in princip.
c loc. cit.
d in Matth. XXVI. 25.
e loc. cit.
f loc. cit.
g de Abstin. IV.
h to. 1. Monum. Eccl. Gr. p. 3 7.
i can. 14.
k ad ann. 57. n. 132. & seq. 137. & seq.
l 6. Verr. 31.
m 7. ad Att. 2.
n in Psal. 41. p. 210.

In

In die mandavit Dominus misericordiam suam. Et nocte canticum ejus:	11	*Verùm tristitiam mitiga & relaxa ô anima mea : nam* Dominus, illucescente *favoris sui* die, suam *mihi* misericordiam impertietur. *Hac spe fretus*, præconium ei, *dum in hac ærumnarum* nocte *versabor*, tribuam:
Apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo: susceptor meus es,	12	Deúm*que* vitæ meæ auctorem orabo apud me, & dicam Deo: adjutor meus es,
Quare oblitus es mei, & quare contristatus incedo dum affligit me inimicus;	13	Quare oblitus es mei, & quare mœrens incedo dum me hostes mei affligunt;
Dum confringuntur ossa mea? exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei:	14	*Et* dum ossa mea *dolore* franguntur? *Babyloniis*, qui me vexant, inimicis meis illudentibus mihi:
Dum dicunt mihi per singulos dies ubi est Deus tuus? Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?	15	Quando *scilicet* mihi quotidie *per ludibrium* dicunt, ubi est Deus *ille* tuus, *cui cultores suos curæ esse jactas? Tùm ad animam meam conversus, eam sic affabor.* Quare tristis es ô anima mea, & quare conturbas me?
Spera in Deo: quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, & Deus meus.	16	Spem in Deo defige: nam illum, *in templo ejus*, adhuc celebrabo tanquam sospitatorem meum, & Deum mei studiosum.

die. Ut *nocte* calamitas, hoc in versu, juxta Euthymium, designatur, ita dies pro favore seu gaudio accipitur. Confer Psal. XCVI. 12. & vide S. Augustinum hoc loco

mandavit. Theodoritus, Psalt. Compl. & Sixtina editio ἐντελεῖται *mandabit.*

& nocte canticum ejus. S. Augustinus, *& nocte declaravit.* Sixtina editio, *& nocte declarabit.*

quare oblitus es mei. S. Augustinus addit, *ut quid me repulisti?*

dum confringuntur &c. Rabbini, Aquilam sequuti, legunt בְּרֶצַח בְּעַצְמוֹתַי *in occisione in ossibus meis*, seu *dum interficiunt in ossibus*, ineptè: nam ossa frangi non interfici dicuntur. LXX. legisse videntur ברצץ עצמותי *in fractione ossium meorum*, seu *dum franguntur ossa mea.* Senibus nostris apud Theodorum Heracleotam assentitur Symmachus. S. Augustinus, *dum confringit.*

inimici mei. Hæ voces à S. Augustino & Sixtinâ editione absunt ubi tantùm legitur *qui tribulant me.* Hanc lectionem S. [a] Hieronymus LXX. Senibus adscribit; &, pro eâ, Græci codices cùm Regii tum Colbertini habent οἱ ἐχθροί μου *inimici mei.* [a] Epist. 135.

spera in Deo &c. Una videndi templi spes Vatem solatur: quod si benè attenderimus, versui 5. fidem faciliùs adjungemus; atque existimabimus veri non esse dissimile ut Vates, aliique nonnulli Judæi Dei metuentes, templum, ante captivitatem, adirent; ibique lætam

ederent vocem, laudes divinas canerent, & epulum cum sono festivo celebrarent, etsi cæteri Judæi tunc temporis omni affluerent scelere, & ad studia pietatis nequaquam incumberent.

ARGUMENTUM.

PSALMI QUADRAGESIMI SECUNDI.

THEODORUS Heracleotes, Theodoritus, & Euthymius hunc Psalmum ad Babylonica tempora trahunt; iisque, ob versus 2. 5. 6. cum Psal. XLI. 6. 7. 13. 14. 15. collatos, assentior. Sed, quamvis versus illi magnam inter se similitudinem habeant, existimo ex versu 4. Psalmum XLII. circa finem captivitatis Babylonicæ editum fuisse.

TITULUS.

Psalmus David.

PSALMUS XLII.		PARAPHRASIS.
JUdica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta; ab homine iniquo & doloso erue me:	1	DEfende me Deus, & caussæ meæ patrocinium, *adversus Babylonios* gentem non sanctam, suscipe; méque ab iniquis & fraudulentis *hujusmodi* hominibus eripe:
Quia tu es Deus fortitudo meo. Quare me repulisti, & quare tristis incedo dum affligit me inimicus?	2	Tu enim, ô Deus, fortitudo mea es. *Sed* quare me deseruisti, & cur tristis incedo dum hostes mei *Babylonii* affligunt me?

ANNOTATIONES.

Psalmus &c. nullum hic Psalmus titulum apud Hebræos habet ut monent Eusebius, Theodoritus, atque Euthymius. Codex Reg. 138. *Psalmus David vox Ecclesiæ orantis ut dividatur ab infidelibus.* Colb. 158. *Psalmus David qui sequuntur vox Ecclesiæ orantis ut dividatur ab infidelibus.*

judica. pro defende : quia judicum proprium est defendere innocentes. Theodoritus & Nicephorus legunt *judica mihi*, eodem sensu.

Deus fortitudo mea. S. Augustinus, *Deus meus fortitudo mea.*

dum affligit me. illud pronomen *me* heic, & Psal. XLI. 13. ab Hebræo textu ac Theodorito abest ut & ab omnibus, quos verso, Codicibus Græcis Regiis & Colbertinis: sed Eusebius in Catenâ Barbari illud in isto profert loco ; & in utroque prælatum pronomen sensui lucem affert.

3 *Emitte lucem tuam ; & veritatem tuam. Ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum & in tabernacula tua :*

Misericordiam tuam emitte, *obsecro* ; & promissorum tuorum fidem *exhibe*. Ipsæ, *ut spero*, me in montem sanctum tuum atque in tabernaculum tuum ducent atque adducent :

4 *Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam :*

*Earúm*que *beneficio* introibo ad altare Dei ; & Deum, qui meam, *angoribus implicatam*, juventutem exhilaraturus sit, *invisam in sancto ejus templo* :

5 *Confitebor tibi in citharâ Deus Deus meus. Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me ?*

Té*que* Deus Deus mi citharâ *ibidem* celebrabo. Cur *ergo* tristis es ô anima mea, & quare conturbas me ?

6 *Spera in Deo : quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei & Deus meus.*

Spem in Deo colloca : cum enim *in templo ejus* adhuc canam *tanquam* sospitatorem meum & Deum mei studiosum.

lucem. Confer Psal. IV. 4. LXVI. 1. LXXXIII. 12.

ipsa me deduxerunt. Theodorus Heracleota & Theodoritus : [illegible] &c. *hoc in loco Septuaginta tempus mutarunt, & futura tanquam præterita dixerunt. Porrò alii magis dilucidè interpretati sunt : emitte lucem tuam & veritatem tuam: quæ deducent me & adducent in montem* &c. prædictam temporis mutationem S. Cyrillus etiam memorat.

montem. Moria intelligit, etsi templum tunc esset destructum. Vide Psal. LXIV. 6.

tabernacula. plurale pro sing. ut alibi non rarò fit ; idque ex beato intelligimus Hieronymo, qui vertit *tabernaculum.* Quidam plurale sumi putant ob tres, quibus tabernaculum constabat, partibus ; sed hanc non probo explanationem.

ad Deum &c. Rabbini Symmachianis, quæ apud Theodoritum comparent, vestigiis insistentes vertunt : *ad Deum lætitia exultationis meæ.* LXX. Senes sensum optimè reddiderunt : siquidem juventus est flos & quasi lætitia humanæ ætatis ; &, qui hoc non vident, Rabbini in ipso meridie cæcutiunt : quis enim, nisi barbarus, aliquem vocaverit lætitiam lætitiæ suæ ? Scio à quibusdam responderi *lætitiam exultationis* heic, per auxesim, poni pro ingenti lætitia ; sed non advertunt auxesim illam locum non habere quum duorum Synonymorum alterum in genitivo casu effertur.

ARGUMENTUM.

PSALMI QUADRAGESIMI TERTII.

HIC Psalmus à quibusdam revocatur ad Judicum tempora in quibus Deus Judæos in servitutem tradidit modò Moabitis modò Chananæis, modò Philistinis. S. Ambrosius, S. Augustinus, Hieronymiaster, atque Hesychius Apostolis & Martyribus Psalmum accommodant. Theodorus autem (Antiochenus, ut puto) S. Chrysostomus, Theodoritus, atque Euthymius eum de Macchabæis exponunt. Prima opinio cum versibus 19. 20. 22. constare non potest. Secundam ut mysticus, (qui non petit ut versus omnes figuratæ rei conveniant) sensus, assentiente B. [a] Paulo, probat; ita ei literalis (qui versus omnes sibi vendicat) sensus non favet ut ex versibus 11. 12. 13. 14. 15. colligere est. Tertiam versus 19. 20. cum II. Macchab. VII. 32. 33. collati explodunt. Crediderim ego scriptum fuisse Psalmum circa finem captivitatis Babylonicæ : quo tempore ii fermè omnes, quorum peccata ingentem hanc ærumnam attraxerant, è vivis excesserant, & superstites ferè erant eorum filii : qui, quum paternis criminibus obstricti non essent, versus 19. 20. 21. 22. usurpare potuerunt, quod facilè concedent omnes qui ad Jeremiæ Threnos V. 7. adierint.

[a] Rom. VIII. 36.



TITULUS.

In finem filiis Core ad intellectum.

PSALMUS XLIII.		PARAPHRASIS.
DEus auribus nostris audivimus; patres nostri annuntiaverunt nobis	1	AUribus nostris audivimus ô Deus; nostrí*que* patres narraverunt nobis
Opus quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.	2	Opus quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.
Manus tua Gentes disperdidit; & plantasti eos: afflixisti populos, & expulisti eos.	3	Manus tua Gentes, *quæ terram promissionis olim incolebant,*disperdidit; atque, *in earum locum, patres* illos *nostros* suffecisti: *& prædictas* Gentes *multis* afflixisti *calamitatibus*, eosque *tandem populos è terrâ ipsorum* expulisti.
Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non salvavit eos;	4	*Hæc omnia tu præstitisti:* nostri namque Majores terram *populorum illorum* gladio suo non subegerunt, nec victoriam illis peperit brachii eorum fortitudo;
Sed dextera tua & brachium tuum; & illuminatio vultus tui: quoniam complacuisti in eis.	5	Sed *eam attulere* dextera tua ac brachium tuum; necnon benignus vultus tui aspectus: nam eos diligebas.
Tu es ipse rex meus & Deus meus, qui mandas salutes Jacob:	6	Tu, qui *priscos, quorum memini*, Jacobæos victores *sic* effecisti, rex meus es ac Deus meus *ut eras illorum: potens nimirùm ac fortis:*

ANNOTATIONES.

in finem &c. hujus tituli verba explanavimus in Psalmis 31. & 41. quos vide. Cod. Reg. 138. *filiis Core ad intellectum Propheta pœnitentiam agens.* Colb. 158. *in finem filiis Core ad intellectum David prophetæ* (legendum *propheta*) *pœnitentiam agens pro populo Judaico.* Cod. Reg 928. 2653. εἰς τὸ &c. *in finem filiis Core ad intellectum Psalmus Davidi.* 2225. 2723. & Colb. 6158. εἰς τὸ &c. *in finem filiis Core Psalmus* &c. Reg. 1532. εἰς &c. *in finem ad intellectum filiis Core.* Colb. 1439. εἰς &c. *in finem ad intellectum filiis Core Psalmus.*

60, 1. 6510. eis &c. *in finem filiis Core ad intellectum.* SS Ambrosius & Augustinus legunt *intellectus*; additque S. Ambrosius Aquilam posuisse *Psalmum disciplina*.

audivimus: per illa quæ nobis scripta reliquerunt. inquit Euthymius; sed, quando scriptis oculos non aures accommodamus, malo verbum *audivimus* interpretari de auditione non immediatâ sed mediatâ, nempe per successores eorum ut dicitur Psal. LXXVII. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

manus tua gentes. Euthymius: *per gentes Chananæos intelligit & alios populos qui olim in terra promissionis habitaverant; &, per manum ejus, divinam potentiam.*

illuminatio. Confer Psal. XLIII. 3 & annot. ibid.

rex. habitu, non actu: nam, quando Judæi servitutem, inter Gentes exteras, serviebant Deus eis præsidere non videbatur. Confer Psal. XCV. 9. XCVI. 1. Is. XXIV. 23. LII, 7.

qui mandas salutes Jacob. Theodoritus, cum Symmacho & Rabbinis, in imperativo legit *manda*: sed melior est versio nostrorum Senum, qui verbo præsenti utuntur quia in Deo omnia sunt præsentia.

7 *In te inimicos nostros ventilabimus cornu; &, in nomine tuo, spernemus insurgentes in nos.*

Et, te duce, nostros (*quoties volueris*) inimicos prosternemus *ut illi suos dejecerunt*; nostrósque hostes obteremus tuo freti auxilio.

8 *Non enim in arcu meo sperabo; & gladius meus non salvabit me.*

Tuo dico auxilio: non enim in arcu meo spem pono; nec me gladius meus servabit.

9 *Salvasti enim nos de affligentibus nos; & odientes nos confudisti.*

Tu quippe *unus* nos à *Babyloniis* afflictoribus nostris liberabis *quando tibi libebit*; *eosdémque*, qui nos odio habent, *Babylonios* pudore suffundes *cùm tibi placuerit.*

10 *In Deo laudabimur totâ die; & in nomine tuo confitebimur in sæculum.*

Unde in Deo *tam potente* gloriamur semper, & nomen ejus jugiter celebramus.

11 *Nunc autem repulisti; & confudisti nos: & non egredieris Deus in virtutibus nostris.*

Verùm, *etsi rex & Deus noster sis, non minùs quam anteà potens; & te indesinenter laudemus*, nunc deseris nos, & ignominiâ nos afficis; neque nobiscum, *uti prisco tempore solebas*, ad prælium prodis ô Deus.

12 *Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros, & qui oderunt nos diripiebant sibi.*

Sub potestatem inimicorum nostrorum subjecisti nos, & nostri nos osores expilant.

ventilabimus cornu. vox *cornu* in textibus SS. Ambrosii & Augustini desideratur; sed eam S. Ambrosius in commentario agnoscit. Tracta autem est Psalteriana loquutio ex metaphorâ animalium quæ cornibus certant, ut ait Euthymius. Symmachus, apud Theodorum Heracleotam, ponit *conculcabimus* pro *ventilabimus cornu.*

salvasti. præt. pro fut. quod, apud Theodorum Heracleotam, optimè notavit Anonymus p. 805.

laudabimur. id est gloriabimur, ut interpretatur, apud Eusebium, Aquila.

non egredieris &c. S. Ambrosius: *quia non progredieris Deus in virtutibus nostris.* Ad exitum ex Ægypto, à quo Psalmum inchoavit, alludit; innuitque Deum sibi non favere ut priſco tempore quum ducem se præbebat Iſraelitis qui auſpiciis ejus victores evadebant. Confer Psal. LXVII 8. LXXXIX 10. & lege Theodoretum.

avertiſti &c. Rabbini, cum S. Hieronymo, *vertiſti terga noſtra hoſti.* Idem ubique ſenſus.

poſt inimicos noſtros. S. Auguſtinus, *præ inimicis noſtris*: & ita S. Ambroſius, qui plura affert ex Theodotione, Aquila, & Symmacho quæ apud eum legas velim.

13 *Dediſti nos tanquam oves eſcarum, & in Gentibus diſperſiſti nos.* — Similes nos feciſti ovibus eſui deſtinatis, & nos inter Gentes ethnicas diſperſiſti.

14 *Vendidiſti populum tuum ſine precio, & non fuit multitudo in commutationibus eorum.* — Populum tuum gratis vendidiſti, nec ulla fuit data tibi pecunia in venditione eorum.

15 *Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris, ſubſannationem & deriſum his qui ſunt in circuitu noſtro.* — Poſuiſti nos ad ludibrium vicinorum noſtrorum, & ad deſpectum atque irriſionem eorum qui circum nos habitant.

16 *Poſuiſti nos in ſimilitudinem Gentibus, commotionem capitis in populis.* — Præbuiſti nos Ethnicis deridendos, exteríſque ſubſannandos populis qui, moto capite, *illudunt nobis.*

17 *Totâ die verecundia mea contra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me* — Contumelia ante oculos meos jugiter verſatur, & vultus meus pudore ſuffunditur

18 *A voce exprobrantis & obloquentis, à facie inimici & perſequentis.* — Ob probra & convitia quibus afficior, & propter inimicum ac vexatorem *qui mihi inſultat.*

19 *Hæc omnia venerunt ſuper nos; nec obliti ſumus te, & iniquè non egimus in teſtamento tuo.* — Hæc omnia contigerunt nobis; nec *tamen* tui ſumus obliti, neque legem tuam violavimus.

vendidiſti ſine precio. Nicephorus, præeunte Theodoro Heracleota & ſequente Euthymio, *tanquam inutiles & viles ſervos*: *pravos enim ac mancos ſervos ſolemus ſine precio tradere, atque eorum emiſſionem lucro putare.*

multitudo ſup. precii, multum precium: hoc eſt *nullius precii pro nobis commutationem feciſti*, ut explicat Theodorus Heracleotes.

commutationibus. id eſt venditionibus: nam venditio nihil aliud eſt quàm commutatio rei unius pro alterâ. Sixtina editio cum S. Auguſtino ἐν τοῖς ἀλαλαγμοῖς *in jubilationibus.* Noſtræ lectioni Codices Græcii Regii ac Colbertini adhærent, alteram ſequitur Heſychius. Utramque Theodorus Heracleotes, Diodorus, & S. Cyrillus Alexandrinus agnoſcunt.

commotionem capitis. motio capitis irrisionem notat, Vide Psal. XXI. 7.

similitudinem. derisionem etiam hæc dictio importat qd. facis ut vilem quamque rem nobis assimilent, de ea dicentes : tam vilis est quàm Judæus.

mea. Vates mox suo nomine, mox nomine Israelitarum loquitur. Unde pluralem numerum singulari permixtum heic vides. Utroque autem modo totus intelligendus est populus : nam personam ejus sustinet, sive suo sive aliorum nomine verba faciat. Suo nomine heic loquitur.

Et non recessit retrò cor nostrum ; & declinasti semitas nostras à viâ tuâ.	20	Cot nostrum à te non deflexit; & *nihilominùs* gressus nostros à viâ misericordiæ tuæ *(eam nobis subtrahendo)* declinasti :
Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis , & cooperuit nos umbra mortis.	21	Nos enim in *hoc* afflictionis , ***ubi versamur***, loco ad summam depulisti calamitatem ; & nos densa miseriarum caligo , mortem undique minitans , cooperuit.
Si obliti sumus nomen Dei nostri ; & si expandimus manus nostras ad Deum alienum ,	22	Si nomen Dei nostri obliti essemus ; & Idolorum auxilium , expansis ad ea manibus , implorassemus ,
Nonne Deus requiret ? ipse enim novit abscondita cordis.	23	Deus utique *ista* cognosceret *crimina* : ille enim *vel* ipsa cordis arcana novit.
Quoniam propter te mortificamur totâ die , æstimati sumus sicut oves occisionis,	24	*Quum autem talia crimina in nobis non videas Domine* ; sed , propter tui nominis confessionem , jugiter occidamur , & sicut oves cædi destinatæ æstimemur,
Exsurge. Quare obdormis Domine ? Exsurge ; & ne repellas in finem.	25	Exsurge *opem nobis laturus*. Quare obdormis Domine ? Exsurge ; & ne perpetuò deseras nos.

à via. Templi , inquit, post Theodorum Heracleotam , Euthymius , ***ut ad illud amplius pergere nequeamus. Viam*** tu intellige misericordiam ex Psal. XXIV. 10. S. Hieronymus, particulam negativam ex priore membro ad posterius trahens , interpretatur ***nec declinaverunt gressus nostri à semitâ tuâ.*** Aben Ezra , Kimchius , Genebrardus, Bellarminus, & Muisius hanc particulæ negativæ repetitionem probant. Verùm, etsi hujusmodi repetitio locum alibi habeat , recipienda heic non videtur ob seriem quæ cum eâ non cohæret.

afflictionis. Rabbini , cum S. Hieronymo , ***draconum.*** Utraque versio eodem redit , & significatur afflictio importata à Babyloniis qui tam sævi essent ac dracones. Aquila apud Eusebium, ***in loco deserto*** ; apud S. Ambrosium , ***in loco Sirenum*** : S. Augustinus , ***de loco infirmitatis.*** S. Ambrosius Symmacho tribuit ***in loco deserto.***

umbra mortis. Nicephorus : ***umbra modo quodam exemplar imitatur : umbram igitur mortis , morti similes afflictiones vocavit.***

requiret.

requiret. ideft cognofcet, ut patet ex .e ie & Pal. CXXXVIII. 1. ac Jerem. XVII. 10. cum P.al. VII. 10. collatis.
propter te mortificamur. Hoc ideò dictum puto quòd Babylonii à Judæis captivis contenderent de dimittendâ religione & Paganicâ fufcipiendâ fi vinculis folvi vellent; illifque morem non gerentibus necem inferrent ut patrum & noftrâ etiam memoriâ non femel fecere Turci; quum Chriftianos, quos in fuâ poteftate haberent quique à fide defcifcere nollent, morti addicebant; eóque libertate donabant quum religioni fuæ nuntium remittebant.

26 *Quare faciem tuam avertis; oblivifceris inopiæ noftræ, & tribulationis noftræ.* Cur tuam, à nobis, faciem avertis; noftræ*que* inopiæ, atque ærumnæ noftræ oblivifceris?

27 *Quoniam humiliata eft in pulvere anima noftra, conglutinatus eft in terrâ venter nofter.* *Hæc, quæfo, oblivio non te capiat:* nam tot malis premimur ut ad *fepulchri* pulverem *penè* depreffi fimus, & venter nofter tumulo *jam ferè* fit adglutinatus.

28 *Exfurge Domine: adjuva nos; & redime nos propter nomen tuum.* *Quando igitur in tantas anguftias adducti fumus,* exfurge Domine: adjuva nos; &, pro tuâ mifericordiâ, libera nos ex hac, *in quâ jacemus,* miferiâ.

pulvere. Confer Pfal. VII. 5. Vates ob maximas, quibus vexabatur, calamitates mortuo fe affimilat. Sed hoc ita eft accipiendum quafi diceret fe non procul à fepulchro abeffe.
nomen tuum. ideft mifericordiam ut ex Pfal. LI. 10. LIII. 6. liquet; atque ex anonymo, cujus S. Johannes Chryfoftomus meminit, interprete.

ARGUMENTUM.

PSALMI QUADRAGESIMI QUARTI.

SALOMONIS, cum Regis Ægypti filiâ, connubium hoc carmine celebrari putant nonnulli; eámque opinionem firmari credunt verfionis noftræ titulo in quo legitur *Canticum pro dilecto*: quâ ultimâ voce Salomonem defignari exiftimant, quippe qui II. Reg. XII. 25. appelletur *amabilis Domino*, hoc eft dilectus Domini. Verùm hæc fententia B.[a] Paulo ad Hebræos fcribenti, Chaldæo Paraphrafti, Kimchio, Kabvenakio, [a] I. 8. 9.

Meiro Arama, & cæteris ferè Rabbinis, Psalmum de uno Messiâ interpretantibus, repugnat; ut & octavo ac decimo octavò ejusdem Psalmi versibus: in quorum priore Rex, quem Psalmus canit, Dei nomine insignitur, quod soli Messiæ convenit; in altero autem Reginæ promittuntur filii qui toti terræ sint præficiendi, quod iis, quos Salomon ex uxore suâ suscepit, filiis non convenit: nequidem si nomen *terram* de solâ Israelitarum regione intelligatur, quum Roboam Salomonis filius maximam hujus terræ partem amiserit, & duabus tantùm tribubus jura descripserit. Ad hæc versus 4. & 7. qui bellatorem describunt & bella canunt, in Salomonem non quadrant: ille enim bellorum expers réque ac nomine pacificus, pacem, quandiu in vivis fuit, coluit. Præterea versus 15. qui *internam gloriam* prædicat, spirituale connubium innuit, non materiale: præsertim quum carmina, materialibus epithalamiis inservientia, externas potissimùm, & quæ omnibus notæ sint, dotes extollant. Versus quoque decimus quartus Salomonicis nuptiis aptari nequit: quum enim Tyri incolæ Salomoni (etsi aliquâ amicitiæ societate cum eo devincti essent) nullatenùs subjicerentur, caussa non subest idonea cur Vates *filias Tyri in muneribus vultum Salomonicæ uxoris deprecaturas*, hoc est suppliciter eam cum muneribus veneraturas esse dixerit. Denique versus 16. qui Virgines memorat, spirituali connubio congruit potiùs quam carnali ut fusiùs in annotationibus explicabitur. Nec verò adversariorum opinioni Vulgatus favet titulus: quippe qui, voce *dilecto*, Christum denotet quem Pater æternus non semel dilectum suum filium appellavit. Atque hæc est vera explicatio hujus vocabuli, quod Grotius ad lectas, quæ novam nuptam cingerent, vir-

gines frustra trahit : vel ipso teste Judæorum magistro Kimchio qui ait Psalmum hunc dici canticum ידידות *amorum* ac si diceretur *dilectionis Dei erga Messiam* ; cui certè explanationi alia tituli vox משכיל non parùm favet : ea enim sonat *erudiens* hoc est Carmen eximiâ eruditione eximiísque rebus refertum. Unde intelligimus non agi heic de carnalibus nuptiis (utpote quæ, etsi regiæ sint, hoc titulo prorsus indignæ censeri debent) sed de eximio atque spirituali connubio, quale est illud quod divinum Verbum caro factum Rex Messias Dominus noster Jesus cum Ecclesiâ contraxit, quódque in hoc celebratur Psalmo, cujus mysteria patefacere cùm in Paraphrasi tum in Annotationibus conabor. Sed, in antecessum, rem (cujus non ea, quæ par esset, ratio habetur) attendi velim : nimirùm spirituale, quod in Psalmo decantatur, connubium ad nuptiales (qui priscis, præcipuè Davidicis, temporibus obtinerent) ritus alludere ; atque adeò permagni nostra interesse ritus illos habere perspectos. Id mecum ipse reputans existimavi meas esse partes ut prædictos ritus accuratè investigarem : unde magnum, in iis eruendis, studium consumsi. Cæterùm Psalmus noster superiori rectè connectitur : quum enim Babylonica, quæ in eo describitur, captivitas eam, cui humanum genus ante salutiferam Christi incarnationem addictum erat, adumbret servitutem, huic accommodata succurrit mentio Regis Messiæ, qui servitutis hujus finem facturus esset humanam carnem assumendo, & conjugium cum Ecclesiâ ineundo.

TITULUS.

In finem pro iis qui commutabuntur filiis Core ad intellectum Canticum pro dilecto.

PSALMUS XLIV.

1 *ERuctavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi:*

2 *Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis.*

3 *Speciosus formâ præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis. Propterea benedixit te Deus in æternum.*

PARAPHRASIS.

OPtimum *Dei* Verbum in corde volvo, meâ*que hæc* carmina Regi *Messiæ* cano:

Lingua *autem* mea, calamum periti scriptoris imitata, *sancto inserviet Spiritui qui eximia, per eam, declarabit mysteria.*

Ad ea sic aggredior. Omnibus hominibus pulchritudine *virtutis* præstas *ò rex Messias, utpote qui, solus ex natis de fœminâ, omne à te peccatum* * *cœlesti tuâ majestate depuleris: & summa*, in labiis tuis, venustas diffusa est, *quippe quæ nihil loquantur nisi sanctum & ardentissimo, in homines, amore plenum.* Unde Deus, *qui te hac ornavit pulchritudine*, existimationem perpetuò duraturam tibi pariet.

* *cœlesti* dixi *majestate*: nam alioquin sancta Virgo Maria *per gratiam ab omni integra labe peccati fuit*, ut ait S Ambrosius serm. 22. in Psal. CXVIII. cui B. Augustinus, lib. de Nat & Grat. c. 36, succinens, ait. *Exceptâ itaque sanctâ Virgine Mariâ de quâ, propter honorem Domini, nullam prorsùs, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem: inde enim scimus quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum quem constat nullum habuisse peccatum.*

a in Cat. Cord.

ANNOTATIONES.

in finem &c. Cod. Reg. 138 *in finem pro his qui commutabuntur filiis Chore cantici.* Colb. 158. *in finem Psalmus David, pro iis qui commutabuntur filiis Chore ad intellectum canticum pro dilecto filio legendis ad... matutini.*

his qui commutabuntur. quominiis hæc verba de mutatione ab Idololatriâ ad Dei cultum, aut à mœrore ad gaudium exponam impediunt tituli Psalmorum 59. & 79. in quibus prædictæ explicationes locum vix habere possunt. Laudatis tituli verbis respondet in Hebræo textu vox ששנים quæ Aquilæ est *lilia*. Symmacho *flores*, nonnullis hexachordum; mihi initium carminis ad cujus modos nostrum esset decantandum.

ad intellectum canticum pro dilecto. verba hæc in argumento explicata sunt; nihilque habeo addendum nisi quod totius tituli sententia hæc est: Psalmum dignum esse qui perpetuò canatur, datum fuisse filiis Core decantandum ad ejus modos carminis quod à dictione ששנים *commutandi* inciperet, cùmque Psalmum eximiis rebus esse refertum, atque in Regis Messiæ à Deo dilecti laudem compositum esse.

eructavit. Quandoquidem non eructamus quando volumus, B. Chrysostomus ait verbo *eructavit* ostendi ea, quæ dicuntur, non esse humani studii sed divinæ inspirationis Subtilis observatio; sed verior, opinor, ista a Origenis. *Verbum eructavit posuit pro dixit: non quod filium eructationem vocet; sed illam, quæ de ipso est, narrationem.* Origeni favent Psalmi CXVIII. 171. CXLIV. 7 Hæc porrò narratio ad animum translata huic Latinorum loquutioni *animo volvo* seu *verso* (hoc est mihi est in animo loqui de Verbo divino) propriè

respondet : nam verbum רחש significat *ebullire* ; & nemo nescit ea, quæ in ollâ ebulliunt, volvi & revolvi.

verbum. *a* Tertullianus legit *Sermonem*, & substantiali Verbo nempe Christo accommodat, non malè : siquidem huic nomini respondet in secundo hemistichio vox *regi* : quæ, quum personam denotet, innuit *verbum*, in priore hemistichio usurpatum, personam quoque esse ; non autem prolatitiam vocem, præsertim quum animus vocem ejusmodi non emittat. Posset quidem *verbum* verti *res* in hanc sententiam. Rem cano præstantissimam, nempe Regem Messiam in cujus laudem Psalmum hunc compono ? Sed mihi, salutiferum incarnationis mysterium hoc Psalmo celebrari attendenti, adhibendum videtur Verbum substantiale.

a adv. Marc. II 5. & IV. 14 adv. Prax 7. & 11; & ita S. Cypr. II. Test. p. 259.

bonum. *b* Tertullianus : *optimum.* idonea vox : nam, quod in Psalmo canitur, divinum Verbum maximâ erga Ecclesiam bonitate usum fuit, quando se ad humanæ naturæ infirmitates demisit, & nuptias cum præfatâ contraxit Ecclesiâ.

b loc. cit.

velociter scribentis. idest periti, ut apparet collato loco I. Esdr. VII. 6. & S. *c* Cypriano qui legit *scriptoris acutè scribentis.* Ratio est quia antiquitus (ut ex *d* Manilio cognoscimus) ii censebantur in scribendo exercitati qui dictata celeriter exciperent : præpetibus nimirùm utentes notis de quibus *e* Ausonius & *f* Cujacius loquuntur: & quas Tiro Ciceronis libertus, narrante *g* Eusebio, aut Mecœnas ut tradit *h* Dio, vel potius Hebræi, ut quidem ego arbitror, excogitarunt. Celeritatem scribendi commendat *i* Cicero, & velocem scriptorem eleganter describit *k* Martialis.

c Test. II. p. 259.
d lib 4 *Hic & scriptor erit felix.*
e epigr. 117
f lib III. Observat. cap. 3.
g in Chron. Olymp. 1.. an 4.
h lib. 55. ἢ σημεῖα &c
i pro P. Sylla. *Itaque introductis* &c.
k lib. XIV. epigr. 208.

speciosus forma &c. Tertullianus adv. Jud. c. 9. *tempestivus decore super filios hominum.* ibid. c. 14. & III. adv. Marc. 7. *citra filios.* sed cap. 17. *suprà filios.* S. Cyp. Test. II. p. 259. *decorus specie super filios hominum.*

diffusa est gratia. Hæc verba ad pulcbritudinem spectant ut notat Theodorus Heracleotes & docet lex Synonymica. Unde mihi non probantur qui *gratiam* ad eloquentiam heic trahunt, & locum B. Luc. IV. 22. adducunt. Gratia roseis affusa labellis pars est pulchritudinis.

propterea benedixit. Nota, ait S. *l* Hieronymus, *quòd omnium quæ dicuntur intelligentiam ad personam ejus referat qui assumtus ex Mariâ est, quod propter gratiam labiorum in æternùm benedictus esse dicatur: tale quid &* m *Apostolo prædicante, humiliavit se* &c. *Sicut enim ibi forma servi, passionis injuria est & exaltatio nominisque donatio ad Patrem redit ; ita heic effusio gratiæ & benedictionis in æternum ad eum referenda est qui potest humiliari & crescere.*

l Epist. 140. ad Principiam
m Philip. II 8 & seq. ubi hæc verba, *exaltavit eum & donavit illi nomen*, cum nostris, *benedixit te*, confer. & Euthymium lege.

Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime	4	*Efficacissimam sermonis* tui *vim, quâ tanquam* gladio *utaris*, assumtæ humanitati tuæ liga ô tu qui polles
Specie tuâ & pulchritudine tua ; intende : prosperè procede ; & regna,	5	*Illâ, quam tibi inesse dixi, virtutis ac sanctitatis* formositate & pulchritudine ; *validúmque ejusdem sermonis arcum* intende : *sicque* prosperos habebis exitus ; & regnum,
Propter veritatem & mansuetudinem & justitiam ; & deducet te mirabiliter dextera tua :	6	*Tibi* propter veritatem, mansuetudinem, & justitiam *quas colis debitum*, capesses ; & tua dextera facinora patrabit admiranda :

gladio tuo &c. Tertullianus adv. Jud. c. 9. *ensem suprà femur.* cap. 14. *ensem tuum circa femur tuum* III. adv. Marc. 7. *ensem super femur suum.* S. Cyp. loc. cit. *ense tuo ad femur potentissime. Decori & species tua & intende & dirige & regna.*

super femur suum. Veteres Israelitæ gladium femori accingebant ut apparet Exod. XXXII. 27. Jud. III. 16. Cant. III. 8. atque ex hoc more consuetudo jurandi, positâ

subter femur manu Gen. XXIV. 2. fluxit : quia enim in femore gestabatur ensis, idem erat ac si jurans diceret : ense tuo peream, nisi veritatem tester. Hunc, de quo *a* plura Lipsius, morem Vates respicit ; simúlque carnem, seu humanitatem (totum nempe à parte denominans) denotat ut doctè observant S. Basilius atque Hesychius. Annotato mori locus II. Reg. XX. 8. non obstat : est enim heic peculiaris actio consilio agentis accommodata.

potentissime. Confer Psal. LI. 1. *b* Tertullianus : *potens tempestivitate tuâ & pulchritudine tuâ.*

intende. sup. àrcum, ut S. Athanasio, Didymo, & B. Chrysostomo notatum est. *c* Tertullianus : *extende & prospera.*

procede imperat. pro fut. ut Psal XXXVI. 3. L. 8. CIX. 3.

regna. Heb. *equita.* LXX. Senes, ad Judaicam (in quâ positum erat ut filii ad principalem dignitatem à patre evecti regiâ mulâ veherentur III. Reg I. 38.) consuetudinem attendentes, doctè verterunt *regna.* Hoc autem regnum intelligi debet non de regno illo quod divinum Verbum in creaturas habuit ex quo productæ fuerunt, sed de spirituali illo regno quod divinum Verbum in homines fideles, post suam adeptum est incarnationem : quæ, hoc in Carmine, semper supponi debet quia Verbum cum Ecclesiâ conjugium tantùm iniit & oleo v. g. lætitiæ præ consortibus suis unctum fuit postquam caro factum est.

propter veritatem, mansuetudinem, & justitiam. Vide I. Joh. V. 6 Matth. XI. 29. III. 25. *d* Tertullianus : *propter lenitatem & justitiam tuam.*

deduces te. Heb. *& docebit te.* LXX. pro ותורך *& docebit te*, legisse videntur ותנחך *& deducet te.* Confer Psal. CXXXVIII. 9.

mirabiliter dextera tua. Tertullianus adv. Jud. c. 9. *magnitudo dextera tua.*

a de Militia Romana lib. 3. Dial. 3.
b adv. Marc. III. cap. 7. vide & cap 14. adv. Jud.
c adv. Jud. c. 9.
d adv. Jud. c. 9.

7 *Sagittæ tuæ acutæ (populi sub te cadent) in corda inimicorum regis :*

Tuæque, *per prædicationem emissæ*, sagittæ regiorum inimicorum, *nempe hominum vitiis omnibus deditorum*, corda penetrabunt ; *& populi, vitiis illis mancipati*, sub tuam ditionem cadent :

8 *Sedes tua Deus in sæculum sæculi. Virga directionis virga regni tui.*

Tuúmque solium, ô Deus *homo facte*, sempiternis sæculorum ætatibus *manebit. Nimirùm* sceptrum regni tui sceptrum est æquitatis,

9 *Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem. Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.*

Justitiam diligis & iniquitatem odio habes. Propterea ô Deus, *humanam carnem indute*, regnum cæteris mundi imperiis splendidius, *utpote semper mansurum*, Deus tuus *Pater æternus* tibi concedet.

acutæ. e Constitutor dictus Apostolicus, S. Athanasius, S. Basilius, Theodorus Heracleotes, S. Chrysostomus, *f* Auctor paraphrasis à Corderio pervulgatæ, & Nicephorus cum Sixtinâ editione & Regiis ac Colbertinis Codicibus Græcis, addunt *Δυνατὲ ὁ potens* Didymus legisse videtur *δυνατέ* cum Eusebio in Demonstrat. *g* Evangelicâ, Apollinari, & *h* Arnobio Eusebius in Catenâ Barbari neutrum legit ; optiméque notat S. *i* Hieronymus illud *Δυνατὲ* redundare, atque ex superiore * tertio versiculo additum esse. S. Augustinus in textu habet, *sagitta tua acuta potentissime* ; sed in explanatione legit, *ô sagittam acutam potentis-*

e lib. V c. 20.
f to 1 p. 835.
g lib. V. c. 1.
h Comment. in hunc Psal.
i Epist 135
* *quarto* juxta nos.

fimam: unde non longè abit *a* Firmicus: *sagitta acuta potentissima.*

populi sub te cadent &c. Eusebius, S. Chrysostomus, Theodoritus, Nicephorus, Euthymius, aliique verborum transpositionem heic agnoscunt sic ordinandam: sagittæ tuæ acutæ infixæ sunt in corde (aut corda) inimicorum regis. Populi sub te cadent. Hanc transpositionem Tertulliano posteriorem esse colligo ex his verbis adv. Jud. c. 9. *sagitta tua, inquit, acuta, per volantia utique Dei præcepta, minantes traductionem uniuscujusque cordis, compungentes & transfigentes conscientiam quamque. Populi sub te cadent utique adorantes.*

sedes tua &c pergit describere spirituale divini Verbi regnum; atque illud sempiternis sæculorum ætatibus duraturum: quâ cum vaticinatione congruit Daniel. II 44 VII. 13. 14. 15. *b* Tertullianus: *Thronus tuus Deus in ævum. virga regni tui* &c. S. *c* Cyp. *Thronus tuus Deus in sæcula sæculorum, virga æquitatis virga regni tui.*

dilexisti justitiam. S. *d* Basilius: *sic* ὅ &c. *in humanitatem à Deo assumtam respiciens, ait; dilexisti justitiam* &c. Unde quidam, à B. *e* Hieronymo laudati, *hominem. qui est assumtus,* rectè intelligunt, *cui & deferatur imperium; & qui. propter dilectam justitiam & exosam iniquitatem. regnare dicatur, & unctus esse oleo exultationis præ participibus suis, quasi præmium caritatis & odii iniquitatis in unctione sumturus.* Confer S. Lucam II. 52.

propterea unxit. Id quoque, ut ex dictis patet ac *f* Theodorito, ad humanitatem pertinet; respicitque ad Judaicum, de quo ad Psal. II. 2. dixi, morem ungendorum Regum. *Miror,* inquit S. *g* Hieronymus, *cur Arius solum Deum Dei ad calumniam vocet. quasi universa quæ dicta sunt divinitati Verbi & non humilitati hominis conveniant. Audiat Actus Apost. X. 38. Luc I. 35. Is. LXI. 1.* Arium & Eusebium, Psalteriano versu abutentes, fusius confutat S. *h* Athanasius.

oleo lætitiæ. oleum, quo novi reges ungebantur, vocat *oleum lætitiæ* quia lætitiâ ex adepto regno percipi solet. S. *i* Cyp. *oleo exultationis super participes tuos.*

præ consortibus tuis terrenos intelligit reges qui regiæ, quâ Christus gaudet, dignitatis participes ac consortes sunt. Sed hoc, inter terrenos reges & Christum, est discrimen ut terrenorum regum imperium ad paucos annos duret; imperium autem Christi perpetuò (ut paulò ante dictum est) perseveraturum sit, adeòque cæteris mundi imperiis longè præstiturum Atque hoc est quòd istis declaratur verbis: *unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.*

a de errore profan. relig.
b adv. Prax. c. 5.
c II. Test. p. 251.
d in hunc Psalmum p. 259.
e Epist. 140. ad Principiam.
f in hunc Psalmum p. 570.
g Epist. cit.
h Orat. 2 contr. Ario 1. edit. Gr. Lat. Commelin p 164 A. 165. A. 170. E. 171. B. C. 176. B. D. 178. A B. D. 179. A C. D. 182. A. 183 D. E.
i Test. II. p. 256.

10 *Myrrha & gutta & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis: ex quibus delectaverunt te filiæ Regum in honore tuo.*

Sed & fragrans humilitatis myrrha, *suavissima charitatis* aloes, & *jucunda castitatis* casia è tuis (*qui tibi per fidem, non secùs ac* vestimenta *corpori, adhærescent*) *electis*; *atque* è *sanctis* (*quos tanquam* domos puras *incoles*) *hominibus afflabuntur*: quibus *virtutum odoribus sanctæ illæ* animæ *ab Apostolis, mundi* principibus, *per Evangelium* gignendæ, in *splendidissimo illo*, quod obtinebis, regno te oblectabunt.

myrrha. *k* Theophrastus myrrham describit humilem & caudice juxta terram contorto. Unde per myrrham intelligo illam animi demissionem, quæ vulgò dicitur humilitas.

gutta. idem est quod aloes ut apparet collato loco Cant. IV. 14. Quando autem aloes, secundùm *l* Dioscoridem & *m* Plinium, vulneribus conglutinandis adeòque curandis inservit, eam cum charitate confero, quippe quæ vulnera animæ hoc est peccata operiat ut ait B. Petrus I Ep. cap. IV. 8.

casia. Hanc arborem nullo pacto decorticari posse *n* Theophrastus affirmat: unde eam comparo castitati quæ Virgineum non deponit corticem. Tres autem illas arbores in odo-

k lib. IX c. 4.
l lib. III c. 25.
m lib XXVII. c. 4.
n lib. IX c. 5.

a Cant. IV. 14.
b lib. V. cap. 6 initio.
c lib. de quod me ius est fuccutrinum &c.
d Etymolog. lib. XVI. c. 8
e in voce Α'λόη.
f sect. 35. conf. prima.

ratarum numerum cum Vate adhibent *a* Salomon, *b* Theophrastus, *c* Avicenna, *d* Isidorus, *e* Suidas, & *f* Mirepsus.

à vestimentis tuis. de animâ & carne quibus divinum Verbum indutum fuit Theodoritus, Nicephorus, Euthymius aliique explicant ex Heb. X. 19. nostrumque versum ad passionem, mortem, & sepulturam Christi trahunt SS. Augustinus & Cyrillus Alexandrinus ad fideles atque electos referunt. Theodorus Heracleotes utramque adducit explicationem. Secundam ego elegi; eámque à laudato hausi Theodoro.

à domibus eburneis. repetitio est. Nec audiendi sunt qui vestimenta interpretantur à domibus eburneis depromta. Per *domos* autem (seu *templa* ut, apud Theodoritum, Aquila & Symmachus vertunt) fideles rectè intelliguntur ex I. Cor. III. 17. *eburnea* autem *domus* de corpore casto optimè ab Arnobio explicatur, præsertim quum castitatem Christus in mundum invexerit, eamque in primis diligat. *Domum* porrò *eburneam* habes III. Reg. XXII. 39. unde & enium mysticum solido fundamento niti discimus.

regum. sic vocat Apostolos, nec mirum: quum morbis, ventis, & cæteris hujusmodi imperarent; eorúmque successores intrà versu 19. dicantur *principes.*

in honore tuo. Hieronymiaster cum anonymo, cujus aureus Doctor meminit, auctore explicat *dum te honorant.* Ab iis ego recedo his fretus locis Dan. IV. 33. VII. 14. I. Tim. VI. 16 quæ qui accuratè expenderit; & Psalterianæ orationis contextum suo ponderaverit momento, Rabbinicam, ni fallor, etiam explodet interpretationem *filiæ regum inter honorabiles tuas (erunt.)*

Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato; circumdata varietate.	11	*Scilicet* Ecclesia tibi à dextris assidet auream *charitatis* vestem habens; *eámque cæteris, quarum memini,* variegatam *virtutibus quas tuis illis electis largietur.*
Audi filia, & vide; & inclina aurem tuam. Et obliviscere populum tuum, & domum patris tui:	12	*Verùm, ô* Ecclesia, audi *quæ dicturus sum,* & *ea* perpende; atque *his, quos tecum conferre volo, sermonibus* aurem accommoda. Populi tui, *typicis cæremoniis dediti* domum obliviscere, *uni regis Messiæ legi adhærens:*
Et concupiscet rex decorem tuum. Quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.	13	*Sicque* Rex *ille* venustatem tuam amabit. *Obliviscere, inquam, populi tui, atque uni te Christo dede:* nam ipse est Dominus Deus tuus, dignúsque quem *mortales omnes* summâ observantiâ venerentur.

g II. Test. p. 259.

regina. S. Athanasius: *regina est Ecclesia tanquam facta regis magni sponsa.* S. *g* Cyp. *adstitit regina ad dexteram tuam in veste inaurata amicta est varietate.*

à dextris tuis. B. Athanasius: *collocatio à dextris honorem significat.* Hanc observationem textus noster dubiam mihi facit: siquidem Christo non Ecclesiæ honoratior tribui debet locus, quem proinde dextrum apud veteres Judæos non fuisse credo: cui, ni fallor, opinioni textus III. Reg. II. 19. favet. Neque ei auctoritas B. Pauli Heb. I. 13. obstat: etenim honor, de quo heic agitur, non cadit in *dextera* sed in *sedendi* mentionem. Fuerit ergo apud priscos Israelitas locus sinister dextro honoratior, quemadmodum apud *h* Persas,

h Xenoph. Cyrop. lib. 8.

[illegible], & nonnullas alias Gent. s . e quibus legendi sunt *a* Alexander ab Alexandro & Sir-*[illegible]*ndus, qui tamen aliqua contrariæ consuetudinis exempla adducunt.

In vestitu deaurato. Hoc ideò dictum quia novæ nuptæ vestium *[illegible]*tis, iisque interdum aureis, *[illegible]* lautæ: cujus rei vestigia exstant apud If. LXI. 10. Ezech. XVI. 13. Apoc. XXI. 2. *[illegible]* Dionysium Halicarnasseum, & Rabbinum Levi *c* Gersonidem.

Circumdata varietate. Hinc Latinorum usus *d* Alexandro ab Alexandro observatus *ut [illegible] versicolori nova nupta sponsúsque amiciantur.* Confer Ezech. XVI. 10; atque hinc, *[illegible]* & ex versione nostrâ & versu 15. infrà, collige Psalteriana, quæ ab hodierno Hebræo *[illegible]* textu absunt, verba in eo olim exstitisse, quanquam ea apud cæteros interpretes de*[illegible]*derari testentur Eusebius & S. *e* Hieronymus, S. Augustinus: *circumamicta varietate.*

Filia. Vates filiam dicit Ecclesiam quia per baptismum genita est, ut docent Theodorus Heracleotes, Theodoritus, Nicephorus, Euthymius, aliique.

Populum tuum. Judaicum intelligo quia Apostoli, qui primi in Ecclesiam adlecti fuerunt, *[illegible]*nt Judæi ut impleretur vaticinium If. II. 3.

& concupiscet &c. S. *f* Cyprianus: *quoniam desideravit rex speciem tuam quia ipse est Dominus Deus tuus.* S. Augustinus: *quoniam concupivit* &c.

Deus. in Hebræo & Græco deest hæc vox; sed eam retineri jubent versio nostra & ver-*[illegible]* 8. suprà.

Adorabunt &c. Sixtina editio, cum S. Augustino, *adorabunt eum filiæ Tyri in muneribus.* Regii ac Colb. Codices Græci: *adorabis eum.* Rabbini: *adora.* cum Aquila, Theodotione, & Symmacho, quos imperativo usos fuisse testatur Theodoritus: cui, quantum ad Aquilam, repugnat Eusebius asserens Aquilam vertisse *adoravit eum.* Vulgatæ versioni consentit sen-*[illegible]*. Consentit & S. Basilius dicens, *adorabunt verò ipsum omnes creaturæ.* LXX. Senum sen-*[illegible]* iste est teste S. Hier. ep. 140. *qui te amaturus est, Deus est, & adorandus ab omnibus.*

a lib. III c. 7. pag. 468. 469. cum Not. Tiraq.
b in Notis ad Sidon. pag. 22. 23. 165. edit. an. 1 *[illegible]*
b μετὰ τῶν τῆς γυναικὸς &c. lib. 4.
c ad Jud. XIV. 7.
d lib. cit.
e Ep. 140. ad Princip.
f II. Test p. 259.

14 *Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis.*

Meis si consiliis utaris, Ethnicæ gentes earúmque ditissimæ quæque reverentiam, muneribus, adversus te supplices adhibebunt.

15 *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.*

Sed te adhuc monitam velim quòd omnis *ille* tuus, *quem descripsi*, ornatus; *&* vestis *illa* aurea *ac* variegata, *quâ te indutam esse dixi, debet* in intimis animi sensibus *locum habere: sic ut virtutes, quæ in prædicto ornatu adumbrantur, in interiore animi parte resideant.*

Filia. S. Basilius, S. Chrysostomus, Theodoritus, Nicephorus, Euthymius, & Regii ac Colbertini Codices Græci habent θυγατρὸς *filia* in singulari numero: quo etiam Hebræus textus utitur; quique multis Scripturæ locis (ubi legitur *filia Sion*, *filia Babylonis* &c.) confirmatur. Sed, quia verbum plurale *deprecabuntur* heic adhibetur, LXX Senes, perspicuitati consulentes, plurale usurparunt nomen, quod-tamen (instar Psal. XXVI 3.) stat pro singulari *filia.* Quâ de loquutione dixi in annotatione ad Psal. IX. 14. quam si legeris, Euthymio fortasse non assentieris dicenti *filiam hoc civitatem appellari ad totius provinciæ comparationem, cujus ipsa Tyrus est pars.* Theodoritus habet *filia* in textu, sed in explanatione *filias* legit.

Tyri. per Tyrum gentes Ethnicas intelligit: nam, ut ait Euthymius, *Idola colebat Tyrus, & impiissima inter omnes alias erat civitas.* Unde, addunt Theodorus Heracleotes & S. Chrysostomus, *omittens dicere orbem terrarum, dicit propinquam civitatem quæ impietate laborabat, totum ex parte significans.* Vide annotationem in Psal. CV. 36. nec mira-

beris laudatos Patres, ut & S. Athanasium, S. Basilium, S. Augustinum, Theodoritum, Nicephorum, aliósque per *Tyrum*, primariam Phœnicum urbem, intelligere cæteras Ethnicorum civitates.

vultum tuum. ad Ecclesiam refero cum B. Chrysostomo: à quo abeunt S. Basilius, Theodoritus, Nicephorus, atque Euthymius qui de Christo exponunt.

deprecabuntur. Confer Job. XI. 19. Zach. VII. 2. Malach. I. 9. VIII. 22. & complementum vide non solùm in Magis ab Hieronymiastro prolatis; sed in Constantino, aliisque.

ejus. redundat more Hebræo ut Psal. XVIII. 3. unde colligi meritò potest pronomen illud in Hebræâ scripturâ olim fuisse, etsi nunc ab eâ absit ut & à S. Athanasio, Theodoro Heracleota, S. Basilio, S. Chrysostomo, Theodorito, Nicephoro, atque Euthymio: præter Didymum qui legit *omnis gloria filia Esebon, idest cogitationis.*

filia regis. Ecclesiam per baptismum à Christo regeneratam intelligit, eámque *Regis filiam* rectè appellat: siquidem Christus, à quo regenerata fuit, rex est ut pluribus Psalmi textibus liquet. Eadem Ecclesia vocatur *sponsa* quum Christo nubit. Unde *filia* est atque *sponsa* diverso respectu.

a Annot. in hunc Psal.

ab intus. Id a Grotius de nativâ explicat pulchritudine: quæ vel hinc refellitur quòd sit extrinseca, & humanis pateat oculis. Confer S. Joh. IV. 23.

fimbriis. Vates ex parte totum, nempe vestes, significat; eásque utroque numero expressit, more nostro: dicimus enim, *mon habit, & mes habits.* Rabbini ferè sic vertunt, *ex vestibus auro intertextis vestimentum ejus in vestibus acupictis adducetur Regi.*

Adducentur Regi virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi.	16	*Hoc quum ita se habebit*, virgines eam, *cujus mentionem feci, Ecclesiam* comitabuntur *in Regis Messiæ domum*; *illæque hujus Ecclesiæ* amicæ ad te, *ô Rex Messias, cum eâ* adducentur.
Afferentur in lætitiâ & exultatione, adducentur in templum Regis.	17	Adducentur, *inquam*, cum lætitiâ & exultatione, adducentur in palatium Regis *Messiæ*.
Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram:	18	Tibi *autem*, *ô Ecclesia*, pro tuis, *in quorum oblivionem veneris*, parentibus nascentur filii *Episcopali dignitate fulgentes*, eósque toti orbi præficies:
Memores erunt nominis tui in omni generatione & generationem;	19	Illi verò filii, *ô rex Messias*, memoriam nominis tui perpetuò celebrabunt;
Propterea populi confitebuntur in æternum & in sæculum sæculi.	20	Eóque *præconio* adducti populi perpetuas *etiam* laudes tibi concinent.

b l. 32. ea quæ ff. ad Municip.

adducentur. alluditur ad solemnem morem deducendi nuptas in domum mariti. Quod ut intelligatur, notandum est, ex Deut. XX. 7. Jud. XIV. 8. 10. 15. & b Modestino, moris fuisse, cùm apud Hebræos tum alios populos, ut nuptiarum solemnia in paternâ sponsæ domo celebrarentur; & ea, quæ desponsata erat, ante contractas nuptias domicilium non mutaret. Peractis nuptiarum solemnibus, uxor in domum mariti ducebatur: unde manavit

concisa Latinorum loquutio *uxorem ducere* pro *uxorem domum ducere* ut *a* Plauto apparet atque *b* Terentio; atque hinc variarum legum & rerum ratio repetenda est ut binis in locis eruditè docet *c* Brissonius: qui *d* prædictam deductionem ex multis Digestorum legibus, Tacito, Sidonio Apollinari, S. Augustino, Marriano Capella, Lysia, & Polluce adstruit; quibus addi velim *e* Misnam, *f* Ghemaram Babylonicam, *g* Maimonidem, & *h* Sulcan Aruch. Laudatus *i* Brissonius ex Catullo, Sexto Pompeio, Plinio, Donato, Servio, Martiano Felice, Lucano, Claudiano, Plutarcho, Tertulliano, Arnobio, & Isidoro ostendit novas nuptas noctu, & quidem velatas, in domum mariti à pueris patrimis & matrimis duobus manu ductas fuisse; ingredientésque, domus postes inunxisse, indéque fluxisse nomen uxoris. Has ego consuetudines non persequar quia in Psalmo non comparent (credo quod Davidis ætate nondum inductæ erant) nihilque ad dilucidandum Psalmum afferunt. Heb. תובל *adducetur*; sed ex plurali, quæ sequitur, voce בתולות *virgines* cognoscimus LXX. legisse תובלו *adducentur*: nisi malimus dicere adhiberi heic constructionem quæ alibi cernitur nimirùm verbum singulare plurali nomini connecti, quod Vulgatæ versionis sensum non tollit sed probat.

virgines. Vates in describendâ deductione pergit; respicítque ad *pronubas*, quarum mentio in *k* Donato, *l* Lampridio, S. *m* Hieronymo, & Ghemaris *n* Babylonicâ ac *o* Hierosolymitanâ occurrit; & vestigia in *p* Virgilio & *q* Claudiano exstant. *Pronubæ* illæ, docente *r* Donato, *in obsequio nubentium erant*: idque obsequii tribus rebus continebatur: deductione puellæ in mariti domum, ejusdem puellæ in lecto collocatione, & ipsarum pronubarum juxta thalamum statione. Primum officium Psalteriano apparet textu, & *s* Tiraquello qui, quum Donatum adduxisset affirmantem *pronubas dici quæ in obsequio nubentis sunt*, doctè addidit, *quæ scilicet nubentes domum mariti deducunt & comitantur*. Alterum officium *t* Catullus & *u* Claudianus memorant, illéque, ut infrà dicemus, univiris tribuit quæ *x* Tertullianum & B. *y* Hieronymum habuere laudatores. Tertium officium in utrâque, cujus memini, *z* Ghemarâ tangitur; & binis tribuitur paranymphis seu pronubis aut amicis, amico nempe sponsi & amicæ nubentis: qui scilicet paranymphi (ut explicatur in glossâ Ghemaræ Babylonicæ) illa, de quibus in Deut. XXII, 17. agitur, *virginitatis signa* observarent & asservarent. Collocationis & Stationis Psalmus non meminit; neque facilè dixerim utrum Collocatio apud Hebræos Davidis æquales obtineret: sed ex prædicto Deuteronomii loco veri mihi fit simile ut Statio in Judæâ jam Davidicis temporibus in consuetudinem venisset: quomodo enim pater & mater virginitatis signa ad seniores urbis tulissent, nisi pronubi & pronubæ, juxta thalamum (nocte deductionis) stantes, incubuissent לפשפש ולמשמש במעשיהן באותו הלילה שלא יקלקלו זה את זה במעשיהם בתרמית שלא יראה דם בתולים ויאבד וזו לא תביא מפה שיש עליה טיפי דמים, idest *ad scrutandum & officiosè observandum ea quæ sponsi illâ nocte fecissent: ne scilicet alter alteri dolo inferret damnum. Ne sponsus, etiamsi agnosceret sanguinem virginitatis, illum celaret aut tolleret; & ne sponsa inferret secum pannum seu sindonem sanguine intinctum*, ut ait glossa * Ghemaræ Babylonicæ, quum explicat quid sit illa *officii præstatio* למשמש quam Ghemara paranymphis tribuit. Præfata statio ex loco S. Johan. III. 29. etiam colligitur. Ad secundum officium mulieres ætate provectas, easque bonas, & univiras adhibitas fuisse *a* Catullus asserit: idémque de primo & tertio officio dicendum jubent cùm rei gravitas tum verecundiæ leges. Unde mihi, *virgines* in Psalteriano textu cernenti, nulla relinquitur dubitatio quin Vates, ad corporei matrimonii ritus alludens, spirituale connubium describat. Nec *virgines* B. Matthæo XXV. 1. 10. memoratæ obstant: eæ enim, etsi ad deductionem spectent, non erant pronubæ; sed in numerum veniebant cæterorum amicorum qui, narrante *b* Josepho, sponsum & sponsam frequenti comitatu domum deducere solebant. Alii erant amici pronubi quorum mentio fit in Jud. XIV. 20. Matth. IX. 15. Joh. III. 29. & Ghemarâ utraque; & de istis versus noster loquitur. Duplex, quod distinxi, amicorum deducentium genus laudatis Josephi & Ghemararum locis nititur: quorum ille quum magnum amicorum deducentium numerum statuat: hæ verò binos tantùm amicos seu paranymphos & socios sponsis deputent, ad eam nos ducunt distinctionem, quam vel ipsa ratio suadet: quis enim credat magnam fuisse turbam amicorum & amicarum (utrique enim aderant ut suprà tetigi, & ex præfatis Judicum, Psalmi, SS. Matthæi, & Johannis, ac Ghemararum locis invicem collatis dignoscitur) qui nuptam in domum mariti ducerent; eique reliqua,

a Aulul. *Quod sempiternum* &c. Trin. *Nunc quid causa est* &c. Epid. *Genere natam* &c. Cist. *Illam extrudet* &c.
b Hecyr. *Ut ad pauca redeam* &c. Phorm. *Dotem si accipiet* &c.
c Select. Antiq. lib. 1. p. 37 & de ritu Nupt. p. 180 181. edit. Paris. 1607. in 4°.
d loc. cit.
e tit. *Chetuboth*. cap. 5.
f ad prædictum tituli *Chetuboth* caput fol. 56. 57.
g hal. *Ischoth* cap. 10.
h lib. *Aben haezer* cap. 54 paragr. 1.
i select. Antiq pag 37. 38. & de ritu nupt. p. 181. & seq.
k in Terent. Eunuch. ad illa verba: *deinde eam in lecto collocarunt*. Et in 7. Æneid ad hæc verba: *& Bellona manet te pronuba*
l de Heliogabalo.
m Epist. 8. ad Demetr. de virg. serv. p. 66 D.
n ad tit. *Chetuboth* c. 1. fol. 12.
o ad tit. *Chetuboth* c. 1. fol 25. col. 1.
p Æneid. lib. 4 *Juno pronuba*, & lib 7. *Bellona pronuba*.
q de raptu Proserp. lib 2. *Ducitur in thalamum* &c.
r ad cit. loc. Æneid. 7.
s annot. in cap. V. Alex. ab Alex. p 133.
t in Carm. de Nupt. Jul. & Manl. *Vos unis* &c.
u loc. cit.
x de exhort. Castit. c. 11. p. 514. C & de Monog. c. 17. p. 535. C.
y lib. 1. adv. Jovin. in fin. p. 75. B.
z loc. cit.
* ad tit. *Chetuboth* cap. 1. fol. 12.
a loc. cit.
b lib. XIII. c. 1.

quæ attigi, officia præstarent? Pauci fuerint illi necesse est; sed plusquam binos fuisse ex Psalmo nostro, contra Ghemaristas, conjicio.

proxima. idest amicæ ut patet ex Psal. XXXVII. 11. Ea porrò vox præcedentem, nempe *virgines*, explicat; ostenditque novam nuptam à virginibus ipsius amicis in domum mariti deductam fuisse. Atque hinc eximium Virginum ordinem ab ipsis Ecclesiæ incunabulis repetas velim; nec, cum multis interpretibus, adverbio *post* deceptis, dicas virginitatis decus non statim quum primùm constituta est Ecclesia, sed post tempus aliquod floruisse; hoc, inquam, non dicas tum quia *adduci post aliquem* idem sæpe sonat ac cum comitari, incedendo nimirùm post illum ut solent pedissequi, quod optimè intellexit anonymus, apud B. Chrysostomum, interpres qui vertit *sequentur*; tum quia veteres omnes Scriptores S. Johannem Apostolum atque Evangelistam inter virgines recensent, & in eundem numerum adscribuntur à *a* Proclo filii Zebedæi Jacobus ac Johannes, à S. *b* Epiphanio S. Jacobus B. Johannis frater, ab *c* Hegesippo & S. *d* Hieronymo Jacobus alter Domini frater, à *e* Metaphraste S. Andreas, & à *f* Tertulliano atque *g* Hieronymo omnes Apostoli demto S. Petro.

templum. sic Regis *palatium* vocat, alludens ad vetus institutum, in quo positum erat ut maritalis, ad quam nova nupta deducenda erat domus fores floribus & frondibus ornarentur: quomodo templa, in diebus solemnibus, ornata fuisse discimus ex Psal. CXVII. 26. Veteris, quod indicavi, instituti testimonia apud *h* Catullum, *i* Juvenalem, *k* Statium Papinium, & *l* Claudianum invenies; sed inprimis notatu digna sunt hæc *m* Virgilii carmina.

Præterea fuit in tectis de marmore templum
Conjugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niveis & festa fronde revinctum.

memores erunt. Omnes, quibus utor, Regii Colbertini & Memmiani Codices sive Græci sive Latini habent *μνησθήσομαι memor ero*, eámque lectionem Eusebius, S. Hieronymus, S. Basilius, S Chrysostomus, Theodoritus, atque Euthymius retinent; sed S. Augustinus, Hieronymiaster, Sixtina editio, & Psalteria Romanum Æthiopicum atque Arabicum Vulgatæ adhærent lectioni, quæ salutifero, quòd Psalmus canit, Dominicæ incarnationis mysterio magis congruit: siquidem populi, per Episcopos Apostolorum successores edocti, Christo nomen dederunt, & daturi perpetuò sunt; quum Psaltes, etsi carmina per omnes ætates duratura ediderit, *memor* ipsemet non *fuerit nominis* Messiæ *in omnem generationem & generationem.* Didymus utramque lectionem affert & explanat.

a Orat. 6.
b Hær. 58. n. 4. Hær. 78. n 11.
c apud Euseb Hist. Eccl. lib II. c. 23.
d in Catal cap 2.
e apud Surium 29. Jun.
f de Monog. c. 8
g lib. 1. contr. Jovin. cap. 14.
h in Carm. de nupt. Pelei & Thet. *Vestibulum* &c.
i Satyr. 2. vers 227. *Ornatas paulò* &c. vide & versus 78 79.
k lib. 1 Sylv. *Frondes virent* &c.
l lib. 2 de sapt. Proserp. *Pars aulæi* &c.
m Æneid. lib. 4.

ARGUMENTUM.

PSALMI QUADRAGESIMI QUINTI.

SCiendum est, inquit Theodoritus, *nonnullos existimasse præsentem Psalmum in Gog & Magog compositum esse, alios verò in Achaz & Phacee, alios in Ezechiam & Assyrium.* Primam opinionem sequitur Kimchius, secundæ adhæret Theodorus in Catenâ Barbarianâ productus, tertiam assensu suo comprobat Theodorus Heracleotes à Corderio vulgatus. Ab his ego sententiis dif-

cedo : & gratulationem, pro latâ Hierosolymis tempore Josaphati ope, factam celebrari hoc in Psalmo existimo : quæ quidem gratulatio hoc ordine procedit. Auxilium à Deo porrectum Vates primò canit ; indéque concludit Israelitas, etiamsi in summas angustias deinceps adducantur, nullo timore correptum iri. Quod ut suadeat, magnum, in quod venerant, discrimen edisserit, tum concessam à Deo victoriam describit. Hinc Judæis Deum favere colligit ; veritúsque ne eorum nonnulli dictis fidem non haberent, eos ut accedant & patrata à Deo miracula suis ipsi oculis videant hortatur. Deinde ut, quam spopondit, constantia altiores in suorum animis radices agat, Deum inimicos Hierosolymis bellum ulteriùs inferre prohibentem, eósque de suâ fortitudine admonentem inducit. Tum Vates ipsemet Deum Israelitis favere rursum affirmat. Explicato Psalmi ordine, probanda superest ejus epocha. Eam ego ex verbis II. Paralip. XX. 8. 9. 10. 11. 27. 29. cum Psalmi nostri versibus 4. 5. 6. 8. collatis peto ; & dico Ammonitas, Moabitas, & Syros Psalterianis *aquis* significari : pro more Scripturæ, quæ populos appellat aquas Apoc. XVII. 15. quam ad consuetudinem Isaias, VIII. 7. se accommodans, *aquas fluminis fortes & multas* vocat regem Assyriorum, Jeremias autem LI. 42. Medos per *mare & multitudinem fluctuum designat*. Quum verò urbs Hierosolyma Ecclesiæ typus esset, non dubito quin in hujus Urbis liberatione sub Josaphati imperio procuratâ, liberatio Ecclesiæ à persequutionibus infidelium, juxta sublimem sensum, adumbretur. Unde Theodorito, insultus contra Ecclesiam factos & auxilium è cœlo post hæc exhibitum & eàm quâ nunc fruimur, pacem prædici affirmanti, consentio : eúmque sensum

caussæ fuisse puto cur iste Psalmus præcedentem excipiat, ut scilicet notum omnibus fieret Ecclesiam, à Verbo divino fundatam, à multis quidem hostibus appetitum iri, sed eam de illis triumphaturam esse.

TITULUS.

In finem filiis Core pro arcanis.

PSALMUS XLV.		PARAPHRASIS.
DEus noster refugium & virtus; adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis:	1	*VATES.* Deus nostrum *fuit* munimentum ac robur; nós*que* maximis ærumnis implicatos adjuvit:
Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris.	2	Icircò non timebimus *imposterum* etiamsi terra *Israelitica hostilibus armis* perturbetur, & montes *ejus* in medium mare devolvantur.
Sonuerunt & turbatæ sunt aquæ eorum, conturbati sunt montes in fortitudine ejus.	3	Eorum, *qui nos adorti sunt hostium, copiæ non secùs ac turgescentes* aquæ tantum ediderunt strepitum & turbas fecere tantas ut, præ violento *aquarum* illarum impetu, montes *Hierosolymitani* contremuerint.
Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus,	4	*Sed, ingentibus illis aquis delapsis*, fluvius *Siloe qui* urbem Deo dicatam *Hierosolymam decurrit*, eam *nunc* exhilarat. *Nimirùm* Altissimus *prædictam Urbem* sibi in tabernaculum sacravit,

ANNOTATIONES.

in finem &c. Codex Regius 138. *Psalmus filiis Chore pro archanis Psalmus David.* Colb. 158. *in finem Psalmus filiis Chore pro Arrianis* (reponendum *Arcanis* ex regio Codice 138.) *lege ad lectionem actus Apostolorum & ad lectionem Marci Evangelistæ.*

pro arcanis. SS. Ambrosius & Augustinus legunt *occultis*: per *arcana* autem, nomen in-

ſtrumenti muſici Kimchius & Raſi intelligunt ; ſed iis locus I. Paral. XV. 20. adverſatur. Ego voce illâ deſignari puto initium cantilenæ ad reconditam numerorum modulationem effictæ : cui Pſalmus iſte eſſet accommodandus.

invenerunt. hodierna Hebræorum lectio habet נמצא *inventus eſt* : ſenſu non malo ; ſed inuſitatâ (quod ſciam) in totis Bibliis loquutione : ibi enim non memini de Deo dici quòd auxilium aut adjutor inventus fuerit. LXX. Senes ellipſim ſuppleverunt ; &, pro נמצא *inventus eſt*, legerunt מצאוני *invenerunt nos*.

eorum. Heb *ejus* : quæ lectio multos habet laudatores , ſed immeritò : Pſalterianum quippe pronomen non refertur ad *mare* quod præceſſit, ſed ad inimicos qui ſubaudiuntur ; quique, quum apud Hebræos, modò in plurali modò in ſingulari numero efferantur ut patet Pſal. XXXVI. utroque numero heic enuntiantur , plurali heic , & ſingulari infrà in his verbis *in fortitudine ejus*. Quòd autem ſubſtantivum nomen aliquando ſubaudiatur ; & ſolum apponatur pronomen liquet ex Pſal. XXXIV. 9. LXII. 9. & LXXXVI. 1. SS. Ambroſius & Auguſtinus legunt *aqua ejus*.

impetus. impetum ſumit pro decurſu. Confer Pſal. I. 3. & Iſaiam VIII. 6. 7. huc alludentem vide. Hebræus textus plurali utitur.

Deus in medio ejus : non commovebitur ; adjuvabit eam Deus manè diluculo :

5 Deúſ*que* in medio ejus *ſuum collocavit domicilium* : *unde* everſa *ab hoſtibus* non fuit ; *ſed* ei Deus diligenter opitulatus eſt , *ac gaudio complevit totam :*

Conturbatæ ſunt gentes , & inclinata ſunt regna : dedit vocem ſuam , mota eſt terra.

6 *Et qui illam ſubvertere cupiebant* populi conturbati ſunt , regéſque *nobis infenſi* concidere animo : intonuit *quippe* Dominus *contra adverſarios noſtros* , *& terræ hoſtilis* incolæ metu *ſtatim* perculſi ſunt.

Dominus virtutum nobiſcum : ſuſceptor noſter Deus Jacob.

7 *Profectò ò Iſraelitæ* Deus exercituum à nobis *ſtat* : *&* Jacobi Deus *eſt* protector noſter.

Venite ; & videte opera Domini quæ poſuit prodigia ſuper terram , auferens bella uſque ad finem terræ.

8 Venite (*ſi dubitetis* ;) & videte opera Domini : *nimirùm* prodigia quæ in terrâ *noſtrâ* patravit , auferens bella ; & terram pacans *Iſraeliticam* ad extremos uſque ejus fines.

Arcum conteret, & confringet arma , & ſcuta comburet igni.

9 Arcum contrivit *inimicorum*, & confregit arma *eorum* , & ſcuta *illorum* igne combuſſit.

mane diluculo. loquutio hæc à more oppugnandarum , matutino tempore, urbium petenda non eſt ; ſed à conſuetudine linguæ Hebraicæ quæ quod accuratè diligentérque fit ſummo mane factum dicit. Confer Jer. XXV. 3. 4. XXVI. 5. XXIX 19. XLIV. 4 ; &, ſi velis , ad matutinam trahe precem quæ exaudita fuiſſet.

dedit vocem ſuam. ideſt intonuit, ut apparet Pſal. XVII. 16. & LXXVI. 16. 17. ſed tonitru metaphoricè in noſtro Pſalmo ſumitur ut in Pſal. XVII. 16.

prodigia. Rabbini : *desolationes, solitudines*; sensus idem : Deus enim, vastitatem hostibus inferendo, *prodigia fecit.*

scuta. Rabbini : *plaustra* aut *currus.* Sed nostris Senibus potiùs quàm illis credendum est, præsertim quum scuta lanceis & arcubus quàm curribus meliùs conjungantur; & incensa à victoribus scuta cùm apud *a* Virgilium, tum apud *b* Appianum habeamus.

a Æneid 8. *O mihi præteritos* &c.
b de Bellis Punicis: Ἀ[illegible] &c.

Vacate; & videte quoniam ego sum Deus, exaltabor in Gentibus & exaltabor in terrâ. 10 *DEUS.* Vos *autem b Ethnici* desistite *ab oppugnandis deinceps Israelitis*; & considerate me esse Deum Gentibus & omnibus terræ incolis superiorem.

Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob. 11 *VATES. Profectò* Dominus exercituum à nobis *stat*, & Deus Jacobi noster *est* protector.

exaltabor &c. Aliqui, loco III. Reg. XX. 25. 28. nixi, subtiliùs quàm veriùs interpretantur *virtus mea non est inclusa in montibus Judeæ; sed sese in vallibus ac planitie etiam exserit.* Confer Psal. LVI. 8. 15. CVII. 5.

ARGUMENTUM.

PSALMI QUADRAGESIMI SEXTI.

THEODORUS in Catenâ Barbarianâ laudatus Psalmum hunc tanquam triumphalem hymnum pro Macchabæis dictum putat. Verùm hanc opinionem sola Psalmi lectio abundè refellit. Muisius ex sexto Psalmi versu cum II. Sam. VI. 15. & I. Paralip. XIII. 8. collato infert hunc Psalmum fuisse publicè decantatum in solemni illa pompâ cùm Arca fœderis ex Cariathiarim vel ex domo Obededom Hierosolymam transferretur; sed huic sententiæ versus 3. & 9. repugnare videntur. Nam versus illi gentes Judæis subjectas & principes populorum cum Deo Abrahami congregatos canunt: quo autem tempore Arca à Davide Hierosolymam transferretur, soli Philisthæi in Baal Pharasim & in

& in valle Raphaim percussi leguntur, nec illic alienigenæ cum Deo Abrahami congregati memorantur. Unde prædicti versus notato tempori congruere non videntur: præsertim quum David, arcam I. Paral. XVI. 35. reducens, Judæos Gentibus subjectos potiùs quam Gentes Judæis subjectas supponat his verbis, *& dicite: salva nos Deus Salvator noster; & congrega nos, & erue de Gentibus ut confiteamur nomini sancto tuo & exultemus in carminibus tuis.* Mihi Psalterianos versus 3. 5. cum locis II. Paral. V. 2. 12. 13. VII. 6. IX. 26. comparanti; & Salomonem paternis II. Reg. VI. 15. I. Paral. XV. 28. vestigiis institisse vero esse simile cogitanti dicendum videtur hunc Psalmum à Judæis decantatum fuisse quum Salomon Arcam è monte Sion in templum à se exstructum adduceret. Neque huic sententiæ ultimus Psalmi versus refragatur: quum enim Salomonis tempore *centum quinquaginta millia & tria millia sexcenti proselyti in terrâ Israel* essent II. Paralip. II. 17. probabile est complures in horum proselytorum numero fuisse homines nobili genere natos, & qui, suos inter populares, dignitate, honore, ac nomine illustres exstitissent, aut magnis referti fuissent divitiis (maximè quum ex laudatis proselytis *tria millia & sexcentos præpositos operum populi* fecisse dicatur Salomon II. Paral. II. 18.); atque adeò in solemni, cujus memini, translatæ Arcæ pompâ ultimum Psalmi versum verè usurpari potuisse. Cæterùm in hac, Arcæ in templum Hierosolymitanum translatione; divini, (qui vera est arca fœderis, verum propitiatorium, vera divinitatis sedes, & mediator Dei ac hominum,) Sospitatoris admiranda in cœlum ascensio adumbrabatur: unde Psalmus in sublimiorem, quæ à sancto Spiritu spectata præcipuè fuit,

ſententiam acceptus, in Chriſtianum quadrat populum, qui omnes gentes ad gaudium & divinam laudem hortatur ob omnes mundi populos, eorúmque principes Deo, poſt Chriſti in cœlum aſcenſionem, ſubjectos.

TITULUS.

In finem pro filiis Core Pſalmus.

PSALMUS XLVI.		PARAPHRASIS.
OMnes Gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis:	1	MAnibus plaudite omnes telluris incolæ, & Deum lætâ voce celebrate:
Quoniam Dominus excelſus, terribilis: rex magnus ſuper omnem terram;	2	Quoniam Dominus excelſum dignitatis atque honoris gradum *apud homines* adeptus eſt: & magnus totius orbis rex evaſit;
Subjecit populos nobis, & gentes ſub pedibus noſtris:	3	*Atque Ethnicos* populos nobis ſubjecit, & Gentes *exteras* pedibus noſtris ſuppoſuit:
Elegit nobis hæreditatem ſuam; ſpeciem Jacob, quam dilexit.	4	Nóſ*que* in ſuos elegit hæredes; *voluitque ut* Jacobi, quem dilexit, illuſtrior eſſemus ſoboles.
Aſcendit Deus in jubilo: & Dominus in voce tubæ.	5	*Noſtrâ enim ætate* Deus, *in Arcâ ſedens*, aſcendit cum clangore buccinæ: aſcendit, *inquam*, Dominus cum tubæ ſono *in templum ſibi dicatum.*
Pſallite Deo noſtro, pſallite: pſallite regi noſtro, pſallite:	6	Canite *igitur* Deum noſtrum, canite: canite regem noſtrum, canite:

ANNOTATIONES.

in finem &c. Codex Reg. 718. *in finem pro filiis Chore Pſalmus poſtquam aſcendit Chriſtus ad Patrem.* Colb. 158. *pro filiis Chore Pſalmus Chriſtus aſcendens ad Patrem.... vox Apoſtolorum eſt.* Colb. 1339. *in finem pro filiis Chore Pſalmus ipſi David*, Memm. 2. *in finem filiis Core Pſalmus.*

terribilis. ideſt ſuſpiciendus. Confer Exod. XV. 11. Pſal. XLVI. 2. LXV. 4. LXXXVIII. 8. XCV. 4.

Rex. Deus terræ rex semper exstitit & perpetuò erit. Sed quum eum non colunt populi, ipsis imperare non videtur: unde eorum rex fieri quodammodo censetur quum ab illis colitur qui eum antea non venerabantur.

omnem. pro multam ut Gen. VI. 12. & alibi sæpe.

nobis. subaudio *in* cum Euthymio: quanquam paulò diversè.

hæreditatem suam. Heb. *nostram.* Sed lectio illa sensu refellitur; & innumeris Scripturæ locis ubi Israelitæ vocantur Dei hæreditas. Confer Deut. IX. 26. 29. I. Reg. X. 1. II. Reg. XXI. 3. III. Reg. VIII. 51. Esth. XIII. 15. XIV. 9. Psal. XXVII. 12. XXXII. 12. LXVII. 10. LXXVII. 68. 77. XCIII. 14. CV. 39. Legerunt ergo LXX. Senes נחלתו *hæreditatem suam* pro נחלתנו *hæreditatem nostram.*

speciem. idest gloriam & decus, ut patet ex Hebræo textu. Verè autem hoc dictum: nam majore nunquam gloriâ affectus est populus Israeliticus quàm sub imperio Salomonis præsertim ineunte, ad quod Psalmus iste pertinet.

ascendit Deus. hoc est, inquit Muisius, *arca testamenti seu fœderis: quæ, quod symbolum ac testimonium esset divinæ præsentiæ in populo Judaico, Dei nomine interdum appellatur ut Num. X. 35. 36. II. Sam. VI. 2.* Addidisset locum I. Reg. IV. 7. nec me in suam traduxisset sententiam: quippe qui, prædictis in locis, Deum in arcâ sedentem intelligere malim quàm arcam Dei nomine donatam. Vide Psal. XXIII. 8. CXXXI. 8. II. Paral. VI. 41.

Quoniam rex omnis terræ Deus; psallite sapienter:	7	Deus namque *constitutus est* totius orbis rex; canite concinnè:
Regnabit Deus super Gentes; Deus sedet super sedem sanctam suam,	8	Siquidem Deus imperium in Gentes *exteras* tenet; Deúsque in sanctâ sede suâ *nempe Arca* consedet;
Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham: quoniam Dii fortes terræ vehementer elevati sunt.	9	*Et* populorum *Ethnicorum* primores, Dei, quem Abrahamus coluit, religionem susceperunt: quoniam validi terræ *Israeliticæ* reges, amplissimum gloriæ gradum, *per partas in varios populos victorias*, assequuti, *eorum optimates in Judaicam religionem traxerunt.*

rex omnis terræ. hoc ideò dictum tum quia multi proselyti Judaicæ religioni nomen dederant ut liquet ex II. Paralip. II. 17. tum quia plurimi populi Judaicæ Gentis stipendiarii erant ut patet II. Reg. VIII. 1. 6. 14. X. 19. II. Paral. IX. 26. atque ita eis Deus præsidere existimabatur, utpote qui victori populo jura daret.

sedem. Arcam intelligo ex Exod. XXV. 22. II. Reg. VI. 2. I. Paral. XIII. 6. & versu 5. suprà, ad quem præsens versus refertur.

cum. Rabbini ineptè legunt עַם *populus.* Legendum עִם *cum.*

Abraham. Quandoquidem Deus Gen. XXII. 18. Abrahamo dixerat *benedicentur in nomine suo omnes gentes terræ*; &, in versu nostro, de gentium conversione sermo fit, Abrahami nomen rectè usurpatur. Sed id, in sublimiore sensu, luculentiores ac nobiliores habet explicatus, quos B. Paulus persequitur capite tertio Epistolæ ad Galatas.

Dii. hoc nomine judices, adeóque reges (quorum primarium officium est ut subditis jura dicant) aliquando insigniuntur ut Exod. XXII. 28. Psal. XLIX. 1. LXXXI. 1.

terræ. Athanaricus rex, [a] Jornandi memoratus, Theodosium majorem appellat *Deum ter-*

[a] de rebus Geticis cap. 28

renum : & ne similis titulus allegoricis, qui Apostolos per *fortes terræ Deos* meritò intelligunt, Interpretibus desit, adeant illi ad Concilium VII. generale; & in primâ Gregorii secundi ad Leonem Isaurum Epistolâ, huic Concilio præpositâ, invenient B. Petrum *terreni Dei* nomine ornatum : jure sanè optimo quum Episcopi eodem nomine insigniantur ab [a] Auctore Constitutionum Apostolicarum, unde non longè abit interpolata S. Ignatii ad Trallianos epistola n. 7. Vide B. [b] Chrysostomum & S. [c] Gregorium Magnum.

[a] lib. II. cap. 26.
[b] in Psalm. 117. pag 449. B. C.
[c] lib. IV. Epist. 31.

ARGUMENTUM.

PSALMI QUADRAGESIMI SEPTIMI.

COMPOSITUS videtur hic Psalmus ob magnum aliquod periculum ab urbe Hierosolymâ propulsatum; sed dictu facile non est quodnam fuerit illud periculum. Tria sunt potissimùm tempora in quæ præfatum periculum conferri potest, nempe in regna Josaphati, Achazi, & Ezechiæ Regum Juda: tunc enim Deus urbem Hierosolymam magnis undique cinctam periculis explicavit, ut apparet IV. Reg. XVI. 5. XVIII. 17. 30. XIX. 1. & seq. II. Paral. XX. 5. 11. 15. 17. 18. 20. Is. VII. 1. & seq. XXXVI. & XXXVII. Temporum à me notatorum secundum cum Psalmo constare nequit : nullum enim in eo confractarum navium Tharsensium vestigium reperias, quod tamen in sexto Psalmi versu enarratur. Scio quidem id à plerisque explicari non de fractis navibus, sed de fractis hostibus, quomodo Orientali vento confringi solent naves Tharsis : sed illa interpretatio Psalterianis, quæ comparativum sensum excludunt, verbis consentanea non est, unde difficultatem à me propositam non tollit. Tertium pariter tempus cum Psalmo constare non potest ob eam, cujus memini, navium Tharsensium mentionem: hæ enim naves in Sennacheribianâ (dum Ezechias Judaicum regnum administraret) contra Hierosolymas

expeditione locum habere non possunt, ne quidem textu Isaiæ XXXIII. 21. adhibito: nisi cum Muisio dicas, quod mihi nullatenùs heic probatur, navibus Tharsis per Synecdochem omnes alias significari. Reliquum est ut primum tempus exploremus, & disquiramus an ei Psalmus congruere possit. Ad quod priusquam aggredior, observo primùm cum B. [a] Hieronymo תרשיש *Tharsis* esse nomen lapidis preciosi Chrysoliti videlicet aut Hyacinthi Ezech. X. 9. Dan. X. 6. Secundò ipsum mare prædicto nomine interdum significari quia cæruleum sit; &, sæpe Solis radiis percussum, colorem supradictorum lapidum trahat & à colore nomen acceperit ut ait laudatus [b] Hieronymus, atque ex textibus If. XXIII. 1. 6. 10. 14. cum Ezech. XXVI. 15. 16. 17. 18. collatis apparet. 3°. dictione *Tharsis* Carthaginem aliquando denotari ut liquet ex Ezech. XXVII. 12. ubi cæteri interpretes, teste [c] B. Hieronymo, Hebraicum תרשיש transtulerunt *Carthaginem*, quomodo [d] Theodoritus in vigesimo quinto ejusdem capitis versu legit: ubi, pro *naves maris*, habet *πλοῖα Καρχηδονίων naves Carthaginensium*. 4°. *Tharsis* nonnunquam dici locum Indiæ: quod sequutus in Antiq. VIII. 6. [e] Josephus asserit *Ophir*; aut, ut ipse legit, *Sophiran* esse regionem Indiæ dictam *τὴν χρυσῆν γῆν*; etsi [f] alibi, de eâdem regione loquens, Pontum & Thraciæ emporia intrudat inconstanter & non rectè. Hæc præfatus ad rem venio: & statim observo duo illa quæ in Psalmo animadvertuntur, nimirùm Regum societatem adversùs Hierosolymas initam & navium Tharsensium conquassationem in historiâ Josaphati deprehendi posse; atque adeò historiam illam in Psalmo repræsentari. Reges consociati memorantur II. Paral. XX. 1. 2. ubi Moabitas, Ammonitas, ac Syros conspicimus in Josaphatum insurgentes: &,

[a] Epist. 13 ad Marcellam to. 3. pag.

[b] loc. cit.

[c] ad Ezech. XXVII. 12.

[d] 2. to. pag 448. A.

[e] pag. 269 F. G. vide etiam cap. 7. pag. 271. A.

[f] Antiq. IX. 1 pag. 299. A.

quamvis ibi nulla Regum mentio fiat, certum tamen est atque ex Num. XXIII. 7. Jos. XXIV. 9. II. Reg. X. 1. III. Reg. XX. 1. V. Reg. III. 4. V. 5. VI. 8. VIII. 7. XII. 17. XXVI. 5. I. Paral. XIX. 1. II. Paral. XVIII. 30. Is. VII. 1. Mich. 5. constat prædictis populis Reges præfuisse : unde illi, per populorum sibi subditorum mentionem, satis designantur. Major est de navibus Tharsensibus difficultas; sed eam solvisse videor non illâ navium in Tharsim seu Ophir, imperante Josaphato, euntium & in Asiongaber contritarum mentione III. Reg. XXII. 49. II. Paral. XX. 36. 37. aut Janseniana, ex Josepho & Solino ac Ezech. XXVII. 25. observatione (quâ per *Tharsim* Cilicia: &, per *naves Tharsis*, omnes quibus in mari Mediterraneo navigatur, naves intelliguntur eò quod Tharsenses naves & celeberrimæ & maximæ essent inter eas quibus in illo mari navigabatur;) sed præfatam difficultatem solvisse videor annotatione quam ex III. Reg. IX. 27. X. 22. [a] Psal. LXXXII. 6. depromo. His locis edocemur classem Hirami Tyriorum regis in Tharsis ire solitam olim fuisse; Tyriosque inimicitias cum Josaphato gessisse. Hoc ego perpendens, conjicio naves Tyrias à [b] loco, quem auri comparandi gratiâ petere solebant, Tharsenses dictas, vento Orientali seu vehementi (dum ex Judæâ in patriam remearent) confractas fuisse; adeòque Psalmum nostrum cum historiâ Josaphati componi rectè posse. Rationibus, quæ Psalmum Josaphati temporibus addicere videntur, addi

[a] Objicies Psalmum 82. perperam à me heic citari : quippe qui ad Josaphatum non pertineat eò quod Idumæos proferat ut hostes; quos tamen Josaphato amicos, imò subditos fuisse ostendunt loca IV. Reg. III. 9. VIII 20. II. Paral. XXI. 8. Respondeo Idumæos, tempore à nobis lecto II. Paral. XX. Josaphato hostes fuisse: ibi enim ℣. 10. inter inimicos Josaphati memoratur mons Seir: qui sunt Idumæi, quemadmodum S. Hieronymus comment. in Ezech. XXV. 12. 15. XXVI. 1. docet, atque ex Deut. II. 4. 5. colligitur. Ad ea verò quod attinet loca ubi *Edom in diebus* Iorami filii Josaphat *recessisse dicitur ne esset sub Juda*, dico iis verbis tantùm effici Idumæos, regnante Joramo, à Juda primùm defecisse Regem sibi constituendo ut ex serie liquet, non bellum ipsi inferendo : bellum namque cum Iosaphato susceperunt ducibus Ammonitis & Moabitis ut ex II. Paral. XX. 10. & Psal. LXXXII. 5. discimus. Tunc verò regem non habebant; nec locus IV. Reg. III. 9. obstat : heic enim *rex* accipitur pro Iosaphati prorege. Quo mortuo Idumæi videntur primùm à Iuda defecisse bellum cum Iosaphato gerentes; seque ad partes inimicorum ipsius adjungentes.

[b] Hoc est Indiâ, non Hispaniâ ut Grotio placet. Etsi enim in Hispaniâ aurum, argentum, & gemmæ (Plinio teste Hist. XXXIII. 4. 6 XXXVII. 9. 10.) nascantur, tanta tamen ibi non invenitur auri, argenti, & gemmarum copia, quantam ex Tharsis asportatam fuisse tradunt textus III. Reg. X. 11. 22. 27. II. Paral. IX. 10. 20. 21. Præterea textus Is. XXIII. 1. 10. 14 Ezech XXVII. 12. Psal LXXI. 10. Grotio non favent.

[c] locus II Paral. XX. 24. non officit : siquidem nautæ in navibus remanere solent, dum milites, in eas impositi, ex illis egrediuntur ut ad pugnæ campum veniant.

possunt duæ: quarum prior ex quinto Psalmi nostri versu cum Psal. XLV. 6. collatione petitur; altera autem desumitur ex Psalteriano templi Hierosolymitani præconio quod cum Josaphati oratione, in II. Paral. XX. 8. 9. recitatâ, mirè congruit. His ego rationibus adductus, partam à Josaphato victoriam nostro carmine celebrari arbitror: neque B. Chrysostomo, Nicephoro, atque Euthymio (quibus doctissimus Bellarminus, memoriâ lapsus, Theodoritum perperàm conjungit) Psalmum Judæis, è Babylonicâ servitute reversis, tribuentibus assentior. Quando autem terrena Hierusalem Ecclesiæ typus erat, sublimis, sub literali, quem explanavi, latet sensus: videlicet Ecclesiam nefariis hostium conatibus eversum non iri; sed eam æternùm mansuram: quod de terrestri Hierosolymâ crassè atque imperfectè (ut est typi natura) dictum, in Ecclesiâ egregiè mirificéque impleri quotidie videmus.

TITULUS.

Psalmus Cantici filiis Core secundâ Sabbati.

PSALMUS XLVII.

1 *MAgnus Dominus, & laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus:*

PARAPHRASIS.

MAgnus *apparuit* Dominus, & summam sibi gloriam comparavit in civitate Dei nostri, in suo sancto monte:

ANNOTATIONES.

Psalmus Cantici. de hac loquutione diximus ad tit. Psal. XXIX. Eusebius heic legit *Canticum Psalmi*: eique favent Hebræus textus hodiernus, & Codex Memm. 2. in quo ita legitur: *Canticum Psalmi filiis Core secundi Sabbati.* Codex Reg. 138. *Psalmus Cantici filiis Chore secunda Sabbati: figura Ecclesiæ Hierusalem futura.* Colb. 158 *Psalmus filiis Chore. Psalmus legendus ad Apocalypsim: figura Ecclesiæ Hierusalem futura.* Colb 1339. *laus Cantici filiis Chore secunda Sabbati*: quomodò legit B. Augustinus, cui S. Ambrosius consonat exceptâ voce *laus*, pro qua habet *Psalmus*.

secunda Sabbati. desunt hæc in Hebræo textu, nec non apud Eusebium ac B. Chrysosto-

mum ; additàque videntur ex usu Synagogæ quæ Psalmum hunc secundâ, post Sabbatum, die, hoc est die Lunæ canebat.

2 *Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion; latera Aquilonis civitas Regis magni.*

In monte , *inquam*, Sione quo universæ terræ *Israeliticæ* gaudium fundatur ; *& in Hierusalem quæ* latus Septentrionale spectat, & regis magni , *nempe Dei*, civitas est.

3 *Deus in domibus ejus cognoscetur , quum suscipiet eam:*

Deus in domibus ejus cognoscendum se præbuit , quum eam tutatus est :

4 *Quoniam ecce reges terræ congregati sunt; convenerunt in unum.*

Nam ecce reges terræ *Ammonitarum , Moabitarum , & Syrorum* societatem inierant ; *& ad evertendas Hierosolymas* conspiraverant.

5 *Ipsi videntes sic admirati sunt , conturbati sunt ; commoti sunt , tremor apprehendit eos:*

Sed , quamprimùm *urbem hanc viderunt*, stupefacti sunt, ac conturbati ; *&* commoti fuerunt, tremór*que* eos invasit:

6 *Ibi dolores ut parturientis; in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.*

Et dolorem in eo , *ubi præfata urbs sub aspectum eorum cecidit*, loco experti sunt similem ei quem sentit *mulier* parturiens ; *& deinde* vento vehementi naves Tharsenses contrivisti.

fundatur. S. Chrysostomus , Theodoritus , & Cod. Regii 928. 2606. 2653. ac Colb. 6158. εὐῤῥίζων *benè radicans* sup. (in exultatione &c.) Psalterium Complutense cum Cod. Reg. 1532. 1775. 2225. 2606. 2723. Colb. 4439. 6051. 6510. εὐῤῥίζῳ *benè fundate*. S. Hieronymus , *speciose germine*. Joseph Kimchius , *pulcher climate*. Josephi filius , *pulcher regione*. Alii , *sponsa pulchra*. aut *pulchra nympha*. Nonnulli , *pulcher situ*. LXX. pro hodiernis vocibus יפה נוף legisse videntur ניסד ; corùmque lectio magnam , ex SS. Ambrosio & Augustino , lucem accipit : quorum ille , *dilatans exultationem universæ terræ* : hic autem , *dilatans exultationes universæ terræ*.

mons Sion. S. Chrysostomus , S. Augustinus , Theodoritus , Græci omnes, quibus utor, Codices cùm Regii tum Colbertini : Codices item Latini Regii 138. 222. Colb. 1. 1339. exhibent ὄρη *montes*. Codex Memm. 2. *montis Sion* , quemadmodum vertit B. Hieronymus. His versionibus nostra præstat , quam ut intelligas , nota Hierosolymas duabus constitisse partibus. Alia vocabatur *Sion* , erátque civitas superior. Altera *Hierusalem* propriè dicebatur , & civitas inferior erat. Illa meridiem spectabat , atque in priore versus hemistichio memoratur ; hæc in Septentrionem distendebatur, & in secundo laudatur hemistichio.

cognoscetur. fut. pro præt. ut ex sensu liquet; & confirmatur auctoritate anonymi , quem B. Chrysostomus memorat , interpretis qui sic vertit ὁ Θεὸς &c. *Deus in palatiis ejus cognitus est in eruendo eam.*

terræ in hodierno Hebræorum textu desideratur ; sed in antiquo aderat. Sunia & Fretela in suo codice habebant *reges ejus*.

conturbati. de illâ conturbatione dixi ad Psal. XLV. 6. addo locum *a* Ciceronis nostro germanum : *nihil me clamor iste commovet , nihil perturbat.*

a Pro Rabit. 58.

dolores ut parturientis. Eandem comparationem habes apud a Homerum : Ὡς δ' ὅτε a Iliad. X. &c.

vehementi. Rabb orientali. Idem ubique sensus: nam ventus orientalis fortis est ac vehemens. Confer Exod. XIV. 21. Os. XIII. ult.

Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum: in civitate Dei nostri, Deus fundavit eam in æternum:	7	Sicut à *patribus nostris* accepimus *Deum fusas, in sacro loco, preces auditurum*, ita id in *Hierosolymâ* Domini exercitum civitate : in hac, *inquam*, Dei nostri civitate, quàm Deus æternùm est firmaturus, adimpletum vidimus:
Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.	8	*Etenim*, ô Deus, misericordiam tuam, in medio templi tui, *(ubi pro victoriâ orabamus,)* consequuti sumus.
Secundum nomen tuum Deus; sic & laus tua in fines terræ : justitia plena est dextera tua.	9	Ut *ergo* nomen tuum in extremas terræ oras *jam* permanavit; ita & laus tua eodem *nunc* pervadat : *siquidem* æquitate plena est dextera tua *efficiens quod promisisti.*
Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Judæ, propter judicia tua Domine.	10	Lætetur *autem* mons Sion, & exultent Judæi propter tuam *hanc*, in promissis servandis, fidem.
Circumdate Sion, & complectimini eam; narrate in turribus ejus.	11	Circumite, *ô populares mei*, Sionem *urbem*, & contemplamini eam; numerate turres ejus.
Ponite corda vestra in virtute ejus, & distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie alterà	12	Animum advertite ad murum illius, & domos ejus distributim considerate *illæsas*, ut posteris vestris narretis
Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, & in sæculum sæculi, ipse reget nos in sæcula.	13	Quòd hic, *qui tantum nobis beneficium præstitit*, Deus, Deus noster est, *qui rationibus nostris prospexit* semper, & prospiciet perpetuò.

audivimus. ex II. Paral. XX. 14. dici posset *audivimus à Jahaziele.* Sed versum ad priscos Patres Moisem & Salomonem referre malim ex Leut. XII. 11. III Reg. VI. 13. VIII. 29. & seq. II Paral. VI. 21. & seq. XX. 9.

in æternum. pro diuturno tempore accipitur in sensu literali, Vide Psal. XX. 6. & annot. ibid.

ſuſcepimus. Rabb. *exſpectavimus* : & ita hoc verbum, cum Theodoro Antiocheno interpretati ſumus in Pſal. XLI. 13. Eodem modo heic ſumitur ; ſed ex præcedentibus & ſenſu ſupplendum eſt cum Muſio *neque nos fruſtratus es*. Optimè B. Chryſoſtomus τί ἐστιν &c. *quid eſt ſuſcepimus. Speravimus, exſpectavimus, cognovimus tuam humanitatem, & clementiam.*

templi tui. Ita habet in textu S. Auguſtinus, ſed explanatio ſupponit *populi tui* : quomodo habetur apud Apollinarium & Theodoritum nec non in Reg. ac Colb. Codicibus Græcis.

juſtitia Nomen hoc, ut & ſequens *judicia*, Nicephorus, ejuſque exſcriptor Euthymius, aliíque de pœnis, quas Deus ab iniquis Judæorum hoſtibus expetiit, interpretantur me non aſſentiente ; & prædicta nomina uti in Pſalmis XXXII. 5 XXXV. 6. CX. 6. accipiente ob promiſſa à Deo facta iis qui in loco ſacro ipſum precarentur Deut. XII. 11. II. Reg. VIII. 29. & ſeq. II. Paralip. VI. 19. 20. & ſeq. XX. 8. 9.

filia Juda. vide Pſal. IX. 14. XLIV. 14. S. Amb. *filia Judea*.

turribus ejus. Hoc ideò dictum quia Hieruſalem turribus erat inſtructa ut ex Pſal. CXXI. 7. conjicere licet, & liquidò teſtatur *a* Ariſteas.

a lib. de LXX. Interpret. verſ.

ARGUMENTUM.

PSALMI QUADRAGESIMI OCTAVI.

PSALMIS IV. 6. 8. XXIV. 18. XXXVI. 17. 18. XXXIX. 23. apparet Abſalomi ſectatores divitiarum fuiſſe appetentes, multáſque coacervaſſe pecunias quæ eos nimis extulerant, illíſque altos attulerant ſpiritus ; è contrario Davidem ejúſque ſocios in ſummâ difficultate nummariâ fuiſſe & ad egeſtatem compulſos. Hæc Abſalomitarum opulentia ; illa Davidicorum inopia horum animos frangere ac debilitare poterant : undè ſapientiſſimus imperator David operæ precium ſe facturum exiſtimavit ſi ſocios ſuos excitaret abjectos ac recrearet, divitias atque honores elevando, & divinum prædicando auxilium : idque iſto exequitur Pſalmo, quem Abſalomiticis temporibus, non futuro judicio, mecum, ni fallor, adſcribent qui laudatos Pſalmos expenderint. Nec dicere juvat Davidem ad Commilitones ſuos verba non facere quum initio Pſalmi populos omnes alloquatur ; nullúmque bellum carmi-

nis hujus scribendi ansam dedisse quum moralia duntaxat documenta in eo reperiantur. Hæc, inquam, dicere nihil juvat: etenim, quòd ad priorem objectionis partem attinet, nemo nescit [a] Mosem cœlum & terram compellasse quum sermonem ad unos Hebræos habiturus esset. Quidni ergo ad ejus exemplum regius Vates sese accommodaverit; &, solos alloquuturus socios, terræ omnes incolas compellaverit ut dictis suis robur adderet? Quòd autem secundam objectionis partem spectat, considerari versus 5. & 16. non possunt quin dicatur conscriptum fuisse Psalmum occasione alicujus belli; & quidem belli in quo David vitæ periculum adierit: cujusmodi quum fuerit Absalomiticum, mirari nemo debet si isto dicatur repræsentatum Psalmo: qui Judæos non solùm, sed & omnes homines de divitiarum atque honorum vanitate apprimè erudit.

[a] Deut. XXXII. 1.

TITULUS.

In finem filiis Core.

PSALMUS XLVIII.		PARAPHRASIS.
AUdite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem.	1	QUæ *dicturus sum* audite populi omnes, *illaque* auribus percipite quotquot orbem habitatis.
Quique terrigenæ & filii hominum, simul in unum dives & pauper:	2	Audite plebeii & nobiles, divites & pauperes:

ANNOTATIONES.

in finem &c. Cod. Reg 138. & Colb. 158. *in finem filiis Chore Psalmus divites increpat qui mortui ad inferna descendunt.*

terrigena. sunt plebeii homines quos similiter γηγενεῖς vocat [a] Plato, cui consentit [b] Cicero: à quibus non abest [c] Persius quum Manium appellat *progeniem terra.*

[a] in Sophista.
[b] lib. 1 ad Attic. Ep. 10.
[c] Satyr. 6.

Os meum loquetur sapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam.

3 Verba *namque* sapientiæ plena loquetur os meum, & res prudentiâ refertas animo agitabo.

Inclinabo ad parabolam aurem meam; aperiam in Psalterio propositionem meam.

4 *Sed, de rebus dicturus sublimibus, eas primùm à sancto Spiritu discam: unde* aurem meam admirabilibus, *quas divinus ille Spiritus suggeret*, sententiis *primùm* accommodabo; *tùm ea, quæ ejus nomine habebo proponenda*, paradoxa declarabo adhibito Psalterio.

Cur timebo in die malâ, iniquitas calcanei mei circumdabit me

5 Cur timebo aspero *hoc* tempore *quo undique* me circumdant ac premunt iniqui *hostes mei*

Qui confidunt in virtute suâ, & in multitudine divitiarum suarum gloriantur?

6 Qui suis confidunt viribus, & de divitiarum suarum copiâ gloriantur?

Frater non redimit, redimet homo? Non dabit Deo placationem suam,

7 *Nullus sanè timor ab his inimicorum præsidiis mihi impendet: quum enim* frater, *etsi amore, qui divitiis non parcit & omnia tentat, plenus, fratrem à morte* liberare non possit, poterit ne *alius* homo *alterum minùs sibi charum ab interitu* vindicare? *Ille certè* Deo nihil dare poterit quo eum placare valeat,

os meum. præposterus ordo ut Psal. XVIII. 15. rectum habes in Psal. XLIV. 1. 2.

inclinabo. Theodori Heracleotæ; &, qui eumheic exscripsit, B. Chrysostomi explanationem [illegible]m sequutus: iis rejectis qui aiunt significare Vatem se illi ipsi, quod est loquuturus, diligenter aures præbiturum, hoc est perpensurum accuratè: quò intelligatur ipsum de rebus seriis loquuturum & quæ ipsi vehementer sint cordi.

* *parabolam.* huic nomini multæ subjiciuntur sententiæ quas B. a Chrysostomus persequitur. Illud ego heic accipio pro rebus quæ sunt admirabiles contráque opinionem vulgi quæque paradoxa à Græcis nominantur: quomodo id nominis sumitur à beato Job XXVII. 1. ut notat Theodorus Heracleotes, cui parabola heic est sermo sapiens & minimè similitudinarius. Hanc sapientis, adeóque à vulgi (qui stultis plerunque erroribus ducitur) opinione abhorrentis, sermonis sententiam Psalterianus petit contextus, qui de contemtu agit divitiarum quibus, tanquam firmissimis & belli & aliorum cœptorum præsidiis, plerique homines, Absalomitas imitati, confidunt: quos qui de harum divitiarum vanitate monent, paradoxum eis verè proponunt.

a in Psal. 48. pag. 219. D. E, edit. Græc. Lat.

propositionem. Heb. *ænigma*, est repetitio.

iniquitas. abstractum pro concreto ut Job. V. 16 & Psal. I. 1 hoc est *iniquus* (sup hostis) *calcanei mei*, Gallicè *l'injuste* (ennemi) *de mon talon: qui me poursuit aux talons, qui me talonne de prés.* Id non latuit Vatablum, cui acceptam refero hujus versiculi intelligentiam:

quam assequuti non videntur cùm ii qui Psaltem inducunt dicentem solum peccatum esse timendum, tum ii qui Vati hunc affingunt sensum: cur, in asperis hujus vitæ diebus, sollicitus ero de coacervandis pecuniis quum, ad extremum, deprehensurus sim me in illis congerendis peccasse; aut ii qui ita explicant: cur committam in judicio universali ut timeam, seu, cur ob divitias coacervandas sinam ut iniquitas, quâ alios supplantavero, circumdet me in formidando judicii die.

qui confidunt. videre mihi videor Persas cum Macedonibus dimicaturos atque spem in opulentiâ, atque acie, quæ auro purpuraque fulgebat, ponentes; & Alexandrum militum suorum animos erigentem ac monentem ne tali perterrerentur acie: quippe quæ prædam non arma gestaret, adeóque impeditura non esset quominùs Persæ vincerentur & mortem occumberent. * Alexandro David hoc in Psalmo præivit: sed, quum eo esset sapientior, suos hortabatur commilitones non ut in famâ aut robore, sed in Deo inniterentur.

* *aciem hostium auro purpurâque fulgentem intueri jubebat, prædam non arma gestantem: irent, & imbellibus feminis aurum viri eriperent.* Quibus adde ista Charidemi Darium alloquentis de ejus acie: *nitet purpurâ, auróque fulget, armis & opulentiâ. Sed Macedonum acies torva sanè & inculta, clypeis hastisque immobiles cuneos & conferta robora virorum tegit.* Q. Curtius lib. 3.

frater non redimit Quandoquidem pecunia est belli nervus, eâ Absalomitæ potissimùm nitebantur ut versu præcedenti apparet: quumque Davidis valde interesset spei hujus inanitatem ostendere, ad paradoxum illud in isto aggreditur versu, ubi observat nihil juvare opes ad mortem vitandam, quam nemo possit ab alio, nequidem frater à fratre, depellere.

placationem suam. accipit *suam* pro *ejus* heic & versu sequenti.

8 *Et precium redemtionis animæ suæ: & laborabit in æternùm, & vivet adhuc in finem;*

Et precium offeret nullum quo vitam alterius *à morte* redimat: sic ut civilibus muneribus æternùm fungatur *ille*, & perpetuò vivat;

9 *Non videbit interitum, quum viderit sapientes morientes, simul insipiens & stultus peribunt;*

Nec interitum experiatur *unquam. Id profectò non consequetur,* quum visurus sit quòd sapientes, æque ac insipientes & stulti, moriantur;

10 *Et relinquent alienis divitias suas, & sepulchra eorum domus illorum in æternum;*

Suásque alienis divitias relinquent, atque in sepulchris condentur *tanquam* in domibus ubi sempiternis sæculorum ætatibus degent;

11 *Tabernacula eorum in progenie & progenie. Vocaverunt nomina sua in terris suis;*

Et tanquam in tabernaculis, ubi per omnes generationes manebunt. Sua *quidem* nomina *divites homines* in mundo personare faciunt, & *gloria clari sunt;*

laborabit. S. Augustinus, cum Sixtinâ editione, minùs bene habet *laboravit* ut ex sequenti futuro patet. Verbum porro *laborabit* idem sonat ac vitæ fungi muneribus: quippe quæ veri sint labores ut ait Ecclesiastes 1. 3. II. 11. Rabbini: *desinat*, pro *laborabit.* Versionem nostram probant Psal. XXXVIII. 6. LXXXVIII. 46. & Is. XXXVIII. 11.

adhuc. à S. Augustino, S. Chrysostomo, Theodorito, & Sixtinâ editione rectè abest.

sepulchra eorum. Rabbini: *intimum eorum.* ineptè. Vide quæ de hoc textu dixi in Præfatione pag. 44. & *æternum* accipe pro diuturno ut Psal. XLVII. 7. Idem dic de *progenie & progenie.*

vocaverunt &c. S. Ambrosius : *invocaverunt nomina eorum in terris ipsorum*. S. Augustinus , *invocabunt nomina eorum in terris ipsorum.* Explicari id solet de prædiis quibus divites sua indunt nomina quæ post mortem ipsorum mutentur. Sed , præterquam quod hæc explicatio Psalterianæ loquutioni parùm congruit , rei , de quâ agitur , consentanea esse non videtur : siquidem Absalomitæ bona quidem mobilia coacervaverant , sed spatium eis non fuerat prædia comparandi. Unde hæc phrasis *vocaverunt* &c. significare videtur *nomina sua in terris personare faciunt*, hoc est amplissimis honoribus decorantur , gloriâ clari sunt, & nunm corum nomen in ore atque sermone omnium est. Favent sequens versus , & Psalmus XXXVI. 21.

12 *Et homo quum, in honore esset, non intellexit ; comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.*

Sed homines *isti*, quum honore florent , non intelligunt *omnem hunc honorem arbiturum ; & in tantam incidunt stultitiam* , ut jumentis ratione carentibus comparandi sint , & similes illis fiant.

13 *Hæc via illorum. Scandalum ipsis ; & postea in ore suo complacebunt.*

Ita se habent illi *qui nos oppugnant.* Ipsis *equidem , ob miseriam nostram*, opprobrio *sumus* ; postcàque *mirè sibi , ob suam opulentiam* , placent.

14 *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos:*

At in sepulchrum detrudentur, ut oves morti pabulum futuræ:

15 *Et dominabuntur eorum justi in matutino ; & auxilium eorum veterascet in inferno à gloriâ eorum.*

Et justi *commilitones mei* eos quamprimùm superabunt ; *tùm*que pecunia , *quâ ceu valido auxilio nituntur* , illis , in sepulchro positis , inutilis erit postquam *eâ immensùm* gloriati fuerint.

16 *Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, quum acceperit me.*

Verùm *de me ita non erit :* Deus *enim* me è manu sepulchri , *hoc in bello* , eruet : quippo qui me *in suam tutelam* receperit.

non intellexit. Rabbini : *non pernoctabit* : sensu non recto , & qui ex consimili loco nempe versu 21. infrà refellitur. Vide quæ dixi in Præfatione pag. 44.

via. pro instituto , consuetudine. Vide Psal. I. vers. 6. & annot. ibid.

illorum. adjectivum sine substantivo ut Psal. XXXIV. 9. LXXXVI. 1. quod nemo mirari debet quum res, de quâ David sermonem habebat, nota cuilibet tunc esset : sic ut nulla exprimendi substantivi necessitas foret.

scandalum. idest opprobrium, ut apparet collato loco Psal. XLIX. 21. ubi Nostri *scandalum* dicunt quod Hebraicè est *opprobrium* ut vertit S. Hieronymus. Rabbini heic interpretantur *stultitiam* : quæ versio ad nostram revocari potest , dicendo : stulti habemur ab ipsis , irrident nos. S. Ambrosius legit *in offendiculum.*

posteà &c. Rabbini , Symmachum , S. a Athanasio prolatum, sequuti , ineptè vertunt : *posteri sermonem illorum probabunt.*

a in Cat. Bath.

complacebunt. S. Augustinus , Psalterium Romanum , & Sixtina editio legunt εὐλογήσουσι *benedicent* : cum quâ lectione metaphrasis Apollinarii congruit ; sed

Theodorus Heracleotes, S. Ambrosius, S. Chrysostomus, Theodoritus, & Codices Græci Regii ac Colbertini habent *εὐδοκήσουσιν complacebunt*. Utramque lectionem referunt in Catenâ Barbari Gregorius & Cyrillus p. 507. refert & S. Ambrosius in commentario suo.

in matutino. S. Ambrosius, *in matutinum*. idest *celeriter, continuò* ut explicat B. Chrysostomus. Eos tamen non damnarem qui textum exponerent quasi David victoriam in Absalomitas, matutino insequente, partum iri prophetice diceret.

veterascet. pro *inutile* erit, ut solet esse vetus vestimentum.

à gloriâ. idest post gloriam, ut ex beato colligi potest Hieronymo ita vertente, *& figura eorum conteretur in inferno post habitaculum suum*: ferè juxta Hebræorum textum hodiernum וצירם לבלות שאול מזבל לו, pro quo Nostri legisse videntur ועזרם לבלות בשאול מכבודם *& auxilium eorum* (erit) *ad veterascendum*, hoc est veterascet *in inferno à gloria eorum*. S. Augustinus legit *& à gloria eorum*. S. Chrysostomus, Theodoritus, & Psalteria Arabicum ac Romanum *à gloria eorum expulsi sunt*. Theodorus Heracleotes additamentum hoc, nec non Hebræorum *habitaculum*, ita explanat: *ab habitatione honorificâ antiquabitur idest abolebitur; & à gloriâ, quam habebant in hoc mundo, migrabunt ad ignominiam. Excident itaque ab eo quod maximè concupiverant, & propter quod omnia moliti fuerant ut nimirùm, post obitum, gloriam adipiscerentur per sepulchra & ædificia*. Non longè hinc abit S. Chrysostomus cujus hæc est sententia: *nullam in inferno opem consequentur. nemo eos adjuvabit, nemo eorum supplicium consolabitur; &, quod maximè desiderabant, nempe ut post mortem magnam sibi pararent gloriam per pecunias, per ædificia, per sepulchra, per nomina inscripta in sepulchris: ab eo, inquit, excident.*

quum acceperit me. S. Ambrosius, *quum acceperit eam*, eodem sensu. Adverbium autem *quum* Heb. כי sumitur heic pro *quia*.

17 *Ne timueris quum dives factus fuerit homo, & quum multiplicata fuerit gloria domus ejus.*

Igitur, quisquis me audis, ne homines, *nobis infensos*, timeas quòd divites sint, & quòd domus eorum gloriâ undique circumfluat:

18 *Quoniam quum interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus:*

Nam, quum interierint, nihil eorum secum auferent; neque gloria illorum sequetur ipsos.

19 *Quia anima ejus in vitâ ipsius benedicetur, confitebitur tibi quum benefeceris ei,*

Quia *verò* illis ob *eam*, quâ *fruuntur*, prosperitatem applauditur; *téque ii, à quibus nunc rideris*, laudabant *olim* quum illis benefaciebas,

20 *Introibit usque in progenies patrum suorum; & usque in æternum non videbit lumen:*

Mortem *quamprimùm* oppetent; & lucis usurâ perpetuò privabuntur:

21 *Homo, quum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.*

Miserabiles homines qui, quum honore decorantur, non intelligunt *totum hunc honorem abiturum*; dignique sunt qui jumentis, ratione expertibus, æquiparentur, illísque prorsus similes existunt.

ne timueris. eadem ferè habes in Psal. XXXVI. ad quem Psalmum noster non parvam habet similitudinem: quum in utroque videas divitiarum & honorum elevationem.

homo. sing. pro plur. ut alibi sæpe. Hoc autem nomine innui videntur illi homines qui, Absalomo adhærentes, Davidem vexabant. Favet, præter Psalterianam seriem, Psalmus LV. v. 11. ubi homo sumitur pro adversario.

vita. pro prosperitate ut Job. XXI. 7. Psal. XVI. 15. XXXIII. 12. XXXVII. 20. Prov. XVI. 15.

tibi. De hoc textu dixi in Præf. p. 44. in quâ Rabbinicam oppugnavi lectionem, quæ ex Symmachianâ, quam Theodoritus memorat, versione *αὐτῷς εἰς* magnum detrimentum accipit: præsertim si ad eam, quam in Paraphrasi aperui, exigatur historiam, quæ Jansenianæ quoque non favet explanationi: *nam anima quidem ejus in vitâ ipsius beata felixque prædicabitur,.. tunc laudabis quemque quum ipsi benefecerit.,. verùm, post terminum vitæ hujus, perveniet ad generationes patrum suorum* &c.

ARGUMENTUM.

PSALMI QUADRAGESIMI NONI.

COMPLURES interpretes in eâ sunt sententiâ ultimum judicium in Valle Josaphati habendum heic repræsentari. Mirari satis ego non possum sententiam hanc animos illorum Interpretum insedisse quum ex Psalmo perspicuum sit verba in eo de solis Judæis fieri. Vidit hoc, in Catenâ Corderianâ, Theodorus: qui optimè addit judicem judicantem & ipsos reos figuratè describi. Vidit & Grotius; sed opinionem à Psalteriano contextu abhorrentem amplexus est quum Psalmum tempori, de quo II. Sam. XXI. accommodavit. Suspicabar ego aliquando unum, hoc carmine, Saulem respici; & divinæ caussæ patrocinium à Psalmographo susceptum fuisse contra Saulis fautores, qui Principis hujus peccatum non grave adeò fuisse contenderent ut regni & vitæ jacturâ plectendum foret. In eam me suspicionem adducebant versus 9. & 16. in quibus quum viderem sacrificia à Deo improbari, ipsíque in die tribulationis preces esse offerendas animadverterem, hæc dicta putabam contra Saulem qui, quum sacrificium tempore belli fecisset, in offensionem Dei ceciderat ut habetur I.

Reg.

Reg.XIII.12.13.XV.22. Sed,ubi totam Pſalmi ſeriem & præcipuè verſus 5.8.19.21.23. expendiſſem, meæ incepi diffidere opinationi; eámque tandem abjeci: viſúmque eſt mihi temporis, de quo Jeremias in ſeptimo capite loquitur, memoriam in noſtro recoli Pſalmo; cúmque à laudato Prophetâ compoſitum fuiſſe ut ſuæ ætatis Judæos ſacrificiis, dum infinita ſcelera ederent, confiſos ad pœnitentiam & veram pietatem revocaret: monitos, ni reſipiſcerent, fore ut pœnas darent & in ſervitutem Babylonicam abducerentur. Exigatur Pſalmus ad hoc Jeremiæ caput: &, licet quæ in eo exſtat Idololatriæ mentio, à Pſalmo abſit, mea, ni fallor, probabitur ſententia: maximè quum Idololatriæ peccatum generalibus verſus 18. verbis contineri poſſit. Sed quorſum, inquies, elaboratus hic Pſalmus fuerit ſi ea, de quibus agit, præfato Jeremiæ capiti mandata ſint? Eâ id mente factum crediderim ut prophetica monita, numeris, iiſque exquiſitiſſimis, adſtricta, in coronas faciliùs effunderentur, & in civium omnium animis promtiùs inſcriberentur, ac diutiùs perſeverarent.

TITULUS.

Pſalmus Aſaph.

PSALMUS XLIX.		PARAPHRASIS.
DEus Deorum Dominus loquutus eſt, & vocavit terram,	1	DEus, Judicum Dominus, vocem emittet *propediem*, & terræ *Iſraeliticæ* incolas,

ANNOTATIONES.

Pſalmus. Hic, quem non probo, titulus ita ſe habet in Cod. Reg. 138. *Pſalmus Aſaph de adventu Chriſti judicii futuro*, in Colb, 158. *in finem Pſalmus filiis Core pro Arria-*

nis (reponendum *arcanis*) *lege ad lectionem Actus Apostolorum & ad lectionem Marci Evangelistæ.*

Asaph. nobilis cantor cujus mentio exstat in I. Paral. XVI 5. Ei Psalmum Muisius tribuit ex textu II. Paral. XXIX. 30. qui me ab eâ, quam in præfatione declaravi, sententiâ non deducit existimantem prædicto Paralipomenων textu indicari carmina Davidi & Asapho inscripta: Davidi ut auctori, Asapho ut cantori.

Deorum. idest judicum: ita dictorum quia Dei, cujus est judicare, vices gerunt. Confer Psal. XLVI. 9. & annot. ibid.

loquutus est. præt. pro fut. ut apparet versu 3.

A Solis ortu usque ad occasum, ex Sion species decoris ejus.

2 *Ubicumque fuerint*, ad judicium vocabit ex Sione perfecti decoris loco *quem habitat.*

Deus manifestè veniet: Deus noster; & non silebit.

3 Deus splendidè veniet *ad illud judicium*: Deus, *inquam*, noster *veniet*; & non erit perindulgens *ut anteà, sed improbos graviter puniet.*

Ignis in conspectu ejus exardescet; & in circuitu ejus tempestas valida.

4 Ignis coram eo ardescet; & circum eum acerba erunt supplicia, *quibus sontes plectat.*

Advocabit cœlum desursum, & terram discernere populum suum:

5 Advocabit Angelos desuper, & mortales omnes *ut adsint ad judicium* quod de populo suo laturus est:

Congregate illi Sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia:

6 *Præcipiétque Angelis, dicens:* Exhibete Deo Sanctos ejus, qui pactum cum ipso inierunt de sacrificiis:

Et annuntiabunt cœli justitiam ejus, quoniam Deus judex est.

7 *Túmque* Angeli judicium Dei annuntiabunt, *admonebúntque* quòd Deus pro tribunali sessurus sit.

Audi popule meus, & loquar: Israel, & testificabor tibi. Deus Deus tuus ego sum.

8 *Hoc ubi factum fuerit, Deus populum suum ita affabitur.* Audi popule mi, & loquar: *audi* ô Israel, & tecum sermonem habebo. Deus Deus tuus ego sum.

ab ortu Solis &c. Confer If. XLIII. 5. 6. XLV. 6. & verum loquutionis hujus sensum deprehendes.

manifestè. idest splendidè: nam ea præcipuè manifestantur quæ splendescunt. Hoc si notaverimus, versio nostro non longè à Rabbinicâ aberit interpretatione, quæ habet *splenduit. Veniet Deus noster* &c.

silebit. sup. à supplicio ut sequenti apparet versu & versiculis 21. 22. infrà.

ignis &c. alludit ad adventum in montem Sinai Exod. XIX. 16. Confer Psal. XCVI. 3.

advocabit &c. dictum id pro more sacrorum Scriptorum: qui, quum de magnâ aliquâ &

gravi re acturi sunt, cœlum & terram hoc est cœlites ac mortales adhibent testes Deut. IV. 26. XXXII. 1. Is. I. 2.

congregate. Etsi cœli & terræ mentio facta fuerit, verbum *congregate ad* solum *cœlum* (seu *cœlos* Heb. hoc est Angelos) refertur, ut patet ex versu 7. infrà. Neque id mirere: nam, ut eximiè observat *a* Pererius, *solet Scriptura plurali numero aliquid de multis dicere quod non illis omnibus, sed aliquibus tantùm aut etiam uni duntaxat conveniat.* Exempla affert ex Act. VII. 16. Matth. XXVI. 8.

sanctos ejus. Hebræos veluti Deo sanctificatos intelligit Nicephorus; ego ad priscos tantùm refero Patres de quibus Jerem. VII. 22. Heb. *sanctos meos*: eodem sensu, si personarum mutationis meminerimus.

qui ordinant &c. S. Chrysostomus, præeunte Theodoro Heracleota & assentiente Hesychio, τυτέςι &c. *hoc est qui ad salutem sufficere existimant si animalia brutorum sacrificent.* Laudatus Jeremiæ locus aliò me trahit; suadétque priscos Patres congregari ut testificarentur Deum, sacrificia ipsis mandantem, sibi, primariò & per se, *de verbo holocautomatum & victimarum* non præcepisse. Hæc enim illis secundariò tantùm & tanquam res medias injunxit: habità nimirum ratione indolis Hebræorum qui, quum in Ægypto educati essent, multorum rituum erant appetentes ut docet *b* Maimonides, & innuit *c* Tertullianus. *d* Isaias porrò, *e* Oseas, & *f* Michæas versum nostrum confirmant: eámque in rem, præter *g* Philonem, *h* Plutarchum, *i* Pseudo-Justinum, & S. *k* Chrysostomum, legendus est Plato Alcibiade secundo: ubi ait Athenienses, quum quærerent quamobrem sua gens magnificentissima sacrificia Diis offerre solita, à Lacedæmoniis circa Deorum cultum perparcis ac socordibus tam sæpe vincerentur, hoc à Jove Ammone responsum accepisse malle se Lacedæmoniorum sinceras & pias precationes quàm omnia Græcorum sacrificia. Quod spectat verbum *ordinant*, vide I. Macch. 1. 12. juxta quem locum, S. Augustinus legit *disponunt* pro *ordinant*.

cœli. Angelos Chaldæus & Aben-Ezra rectè intelligunt. Confer Job. XV. 15. ad quem locum doctissimus Pineda hæc notat. ET COELI. *Chaldæus legit, intelligitque Angelos; tum etiam Augustinus, quia propter spiritualitatem, incorruptibilitatem, ordinem, subordinationem, lucem, gubernationem corporum, similes sunt cœlis; vel per synecdochem, quia sunt in cœlo..... vel per metonymiam quia Angeli moderantur & movent cœlos.*

a in Gen XXIII. 19. p. 702. post med.
b in Moré Neb. lib. III. c. 32.
c adv. Marc. II. 18. p. 391. A B.
d I. 11. & seq.
e VI. 6.
f VI. 7. 8.
g lib. de Plant. Noë post med. lib. 3. de vita Mosis ante med lib. de special. legib. ad cap. 3. 4. 5. Decal. in fin. lib. de victimas offerentibus post princip.
h de superstit. pag. 166. B.
i Resp. ad interrog. 83.
k de Statuis XII, pag. 143. A.

Non in sacrificiis tuis arguam te; holocausta autem tua in conspectu meo semper.	9	Litem tibi, sacrificiorum tuorum caussâ, non inferam; & *nihilominus* holocausta mihi jugiter offers *quasi de his, quæstio esset habenda, eáve curarem.*
Non accipiam de domo tuâ vitulos, neque de gregibus tuis hircos:	10	Non accipiam è domo tuâ vitulos, neque è septis tuis hircos:
Quoniam meæ sunt omnes feræ sylvarum, jumenta in montibus, & boves.	11	Meæ enim sunt omnes sylvarum bestiæ, pecudes *pariter quæ* in montibus *errant*, nec non boves *ad me pertinent.*
Cognovi omnia volatilia cœli; & pulchritudo agri mecum est.	12	Dominus sum omnium, quæ in aere volant, avium; & quicquid *animantium* campos ornat in meâ ditione est.

in montibus &c. Rabbini ineptè: *in montibus mille.*

13 *Si esuriero non dicam tibi: meus est enim orbis terræ, & plenitudo ejus.*

Si esuriero non dicam tibi; *nec te, ut victum mihi suppedites, rogabo: siquidem* meus est orbis terræ, & quicquid eo continetur in meâ est potestate.

14 *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?*

Num carnes taurorum manducabo, aut sanguinem hircorum bibam?

15 *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua;*

Immola Deo sacrificium laudis, & vota tua Altissimo solve;

16 *Et invoca me in die tribulationis: eruam te; & honorificabis me.*

Et me, duro tempore, invoca: *sicque* te *ex iis, in quibus versaberis, miseriis* eruam; & *eum, quem cupio*, honorem mihi tribues.

17 *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?*

His ad omnem populum Judæum verbis generatim factis, impios *privatim sic* alloquetur Deus: cur de meis sermonem habetis præceptis *quasi ea summopere vobis placerent*; & quare de meâ, *quasi ejus essetis studiosi*, lege loquimini?

18 *Tu verò odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum.*

Quum legem odio habeatis, & mea abjiciatis mandata.

19 *Si videbas furem, currebas cum eo; & cum adulteris portionem tuam ponebas.*

Etenim si videritis furem, curritis cum eo; & societatem cum adulteris initis.

20 *Os tuum abundavit malitiâ, & lingua tua concinnabat dolos.*

Os vestrum fraude plenum est, & lingua vestra dolos concinnat: *occultè enim ponitis insidias, quando in ore pacem cum amicis loquimini.*

21 *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, & adversus filium matris tuæ ponebas scandalum. Hæc fecisti; & tacui:*

Adhæc quum *in compitis* sedetis, fratrem vestrum contumeliis verborum laceratis, & matris vestræ filium probro afficitis. Hæc fecistis; & pœnas *de vobis* non sumsi:

taurorum &c usitata in sacrificiis recenset animalia de quibus Philo in lib. de *victimis.* ***vota tua.*** S. Aug. ***preces tuas.*** Vide B. Hieronymum in Ep. 135. ubi de Psal 131.

peccatori. sing. pro plur. ut patet ex versu 23. infrà.

furem. de furto ejusque, cùm apud Hebræos tum apud alias Gentes, pœnis consule *a* Petrum Gregorium.

adulteris. de adulterio ejusque pœnis lege *b* Tiraquellum, *c* Brissonium, *d* Pererium, *e* Baronium, *f* Petrum Gregorium, *g* Seldenum, aliósque passim obvios auctores.

concinnabat dolos. S. *h* Cyprianus, *complectebatur insidias.* S. Augustinus, *amplexa est dolositatem.*

loquebaris. S Augustinus, *detrahebas.*

scandalum. Heb *probrum.* Sed utraque lectio eodem redit: qui enim alium probro afficit, scandalum ei infert.

tacui. S. Augustinus in Psal. C. *tacuit à supplicio non tacuit à verbo.*

a Syntagm Jur. lib. 37 cap. 1 2 & seq
b ad leg 1. Connub. num 6. & seq. usque ad num. 26
c ad leg Jul. de adult.
d lib. 16. in Daniel.
e to. 9. ad an. 745.
f Syntagm. Jur. lib. 35. cap. 6.
g de Syned. to. 3.
h Ep 42 p. 57.

22 *Existimasti inique quòd ero tui similis; arguam te, & statuam contra faciem tuam.*

Ideòque arbitrati estis, ô iniqui, me esse vestri similem *& sceleribus delectari; sed* castigabo vos, & meam in vos iracundiam, *ni resipueritis*, exercebo.

23 *Intelligite hæc qui obliviscimini Deum nequando rapiat; & non sit qui eripiat.*

Hæc *vos*, qui Deum obliti estis, perpendite ne fortè supplicio in vos utatur; & nemo sit qui vos è *manibus ejus* eripiat.

24 *Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter quo ostendam illi salutare Dei.*

Honorat me qui laudis sacrificium mihi facit: atque hæc est via quâ meam ei opem porrigam.

arguam. idest castigabo ut Psal. VI. 1. XXXVII. 1.

statuam contra faciem tuam. S. *i* Clemens, S. *k* Augustinus, & S. *l* Eligius addunt *os te* post *statuam*, seu *constituam* ut habet heic S. Augustinus: qui, in Psal C. legit *statuam te ante faciem tuam*, quod præpostero ordine habes apud Apollinarium in Cat Barb. productum. S. Chrysostomus & Theodoritus, *statuam contra faciem tuam peccata tua.* *m* Faustus: *arguam te & statuam illam* (lego *illa* ex Regulâ S. Basilii in princip.) *ante faciem tuam.* Hebræus textus & Sixtina editio nobis consentiunt: eáque lectio est optima; & *supplicia*, post verbum *statuam*, subaudit ex priore hemistichio & sensu.

salutare Dei. personæ mutatio: quam, cum S. Cypriano, S. Chrysostomo, S. Augustino, & Vulgatâ, ac Sixtina editione, Symmachus à Theodoro Heracleota & Theodorito laudatus agnoscit; sed ea à Nicephoro, Euthymio, & Regiis ac Colbertinis Codicibus Græcis abest: in iis enim legitur salutare *μυ meum.* Theodoritus in textu habet *salutare μυ meum*; sed in explanatione legit *salutare τῦ θεῦ Dei.*

i ad Cor. Epist. 1. c. 35. p 108 C.
k Comment. in huno Psal.
l Homil. 8.
m apud Canisium 10. 5. P. 2 p. 411.

ARGUMENTUM.

PSALMI QUINQUAGESIMI.

Theodorus Heracleotes & Theodoritus Psalmum & Davidi, & populo Judæo Babylonicæ servituti

addicto aptant. Nonnulli, decimo nono versu potissimùm adducti, Psalmum solis Captivis tribuunt: alii autem eodem freti versu; cúmque versum nec non versum 15. cum IV. Reg. XXI. 16. II. Paralip. XXXIII. 14. comparantes, existimant Psalmum Manassi Babylonicam servitutem servienti adscribendum esse. In eâ ego sum sententiâ versus 5. 7. & 12. neque Judæis in servitutem Babylonicam datis; neque Manassi, Babylonicâ etiam captivitate oppresso, congruere; eósque in Davidem mirificè quadrare; unde Psalmum de eo, juxta titulum, esse exponendum concludo. Nec me ab eâ sententiâ versiculus decimus nonus avertit scientem ex III. Reg. III. 1. IX. 15. mœnia Hierosolymæ à Salomone ædificata fuisse; atque existimantem murorum constructionem à Davide, post stupratam Bethsabeam & occisum Uriam, rectè non solùm efflagitari potuisse, sed hanc petitionem ad Davidem tunc maximè attinuisse. Nimirùm Hierosolymarum mœnia, tempore illo, nondum erant excitata ut ex laudatis Regum locis liquet: quúmque præcipuum Urbis munimentum in muris sit positum, caussa suberat cur David urbi Hierosolymæ, muris destitutæ, timeret. Timorem autem illum post patrata, quorum memini, peccata crevisse vero perquam est simile: unde veritus David ne peccata illa ædificandis muris moram atque impedimentum afferrent; adeóque Hierosolymas hostilibus objicerent incursionibus atque ad omne periculum invidiámque opponerent, ædificationem murorum meritò deposcit. Quâ quidem in re, etsi Davidem sibi consuluisse credi possit; cum tamen, quâ erat in subditos bonitate, populo suo præsertim prospexisse existimo.

TITULUS.

In finem Psalmus David quum venit ad eum Nathan propheta quando intravit ad Bethsabee.

PSALMUS L.

1 *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam;*

2 *Et secundùm multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.*

3 *Amplius lava me ab iniquitate mea; & à peccato munda me:*

4 *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco; & peccatum meum contra me est semper.*

5 *Tibi soli peccavi; & malum coram te feci: ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris.*

PARAPHRASIS.

Miserere mei Deus pro magnâ tuâ misericordiâ;

Et meam iniquitatem, pro immensâ clementiâ tuâ, dele.

Iniquitatem meam, *utpote non vulgarem*, diligenter elue; & me à peccato meo munda:

Nam iniquitatem meam ego agnosco; & peccatum meum mihi semper ob oculos obversatur *jugi, quam mihi affert, tristitiâ.*

Te solo sciente peccavi; &, quod feci, malum tuis tantùm oculis patebat: *unde, quum illud palàm confitear & indesinenter lugeam ut dixi, ab eo munda me* ut in iis, quos *de veniâ pœnitentibus dandâ* fecisti, sermonibus verax inveniaris; litémque obtineas si in judicium, ob non servata promissa, postulatus fueris.

ANNOTATIONES.

in finem &c. Cod. Reg. 138. *in finem Psalmus David quando venit ad eum Nathan propheta cum intrasset ad Bethsabeam. vox Pauli Apostoli.* Colb. 158. *in finem Psalmus David quando venit ad eum Nathan propheta... intravit ad Betsabee. vox pœnitentiæ.* Colb. 1339. *Psalmus ipsi David cùm venit ad eum Nathan propheta quia intravit &* (leg. *ad*) *Bethsabee.*

iniquitatem. sing. pro plur. ut patet ex vers. 10.

contra me. S. Augustinus, *coram me.*

soli. solum dicit non quia rex erat & humanis legibus solutus, adeóque uni Deo non proximo suo peccarat ut Dydimus, Arnobius, Cassiodorus, Nicephorus, Euthymius, Ly-

ranus, aliique immeritò (nam, ut notat Theodoritus, Uriam prorsus & ejus uxorem offenderat David) asserunt; sed quia absconditè & solo Deo sciente peccaverat ut docet Kimchius & confirmat lex Synonymica præter locum II. Reg. XII. 12. contra atque existimat Hesychius qui Bethsabeæ Davidicum adulterium, & Joabo homicidium innotuisse observat: non attendens Bethsabeam, utpote adulterii consciam, non numerari; & Joabum credere potuisse legitimas Davidi caussas fuisse cur Uriam occidi vellet. Eos quoque, qui Regis nomine Bethsabeam vocaverant & quos Hesychius etiam opponit, Davidicum adulterium latuisse videtur, non officiente verbo *dormivit* II. Reg. XI. 4.

Ut. consequutionem non finem prædictâ particulâ denotari Nicephorus, Euthymius, Jansenius, Corderius, Grotius, aliique existimant, ut sensus sit verba quæ Deus Davidi per Nathanem fecerat & judicium quod in eum tulerat justa & æquissima fuisse. Sed huic explicationi tria obstare videntur. 1°. Hebræa vox למען quæ fini non consequutioni inservire olet. 2°. cohærentia quæ consequutione illâ tollitur: quum enim minori pœnæ obnoxius sit qui soli Deo aut solo Deo sciente peccat, quàm qui Deum lædit & proximum aut in oculis omnium scelere se obstringit, divinam justitiam elevaret potiùs quàm commendaret eique non satis consuleret Vates dicendo Deum apparere justum dum sibi, Deum solum offendenti aut Deo solo sciente peccanti, gravissimas pœnas imponit. Non eo inficias maxima vel uni atque occulto peccato mortali supplicia deberi; sed, quando Deus hujusmodi peccatum minùs acriter quàm multiplex & publicum castigat, dico ista non esse consectaria: justus appares ô Deus quia me, qui *tibi soli* aut *te solo sciente* peccavi, gravissimè punis. 3° B. Paulus qui Rom. III. 4. ex versu nostro ejúsque consimili Psal. CXV. 2. Deum esse veracem colligit. Scio quidem Jansenium & Corderium arbitrari S. Paulum ex textu nostro concludere justitiam Dei ex nostrâ iniquitate illustriorem fieri. Sed, pace tantorum virorum dixerim, illam beati Apostoli conclusionem non ex textu nostro peti; sed ex eâ, cujus paulò ante meminerat, incredulitate quæ divinis, quarum veritatem Psalterianis textibus confirmaverat, promissis aliquod impedimentum afferret; simúlque Deum purgaret, & justitiam ejus faceret conspicuam. Itaque particula *ut* referenda omninò videtur ad verbum *munda*: quod, metri caussâ, non repetitur, ut & id quod ex præcedenti versiculo subaudiendum est. Origeni in Catenâ Corderianâ producto sensus noster suboluit, sed undequaque non fuit exploratus.

sermonibus. eos intelligit de quibus Deut. IV. 29. 30. XXX. 1. 2. & seq.

6 *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.*

Quam peto veniam non denegabis si, præter allatas à me rationes, ad meam fragilitatem attendas. Nam ecce in iniquitate formatus sum, & me mater mea in peccato *originali* concepit: *unde nativa ad malum proclivitas mihi inest; proindéque non mirum si lapsus fuerim.*

7 *Ecce enim veritatem dilexisti: incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestati mihi.*

Sed, *quia* veritatem amas, *prædictâ non utar excusatione, quæ satis me non purgat:* siquidem incomperta *aliis* & occulta sapientiæ tuæ mysteria manifestaveras mihi; *& tam clara menti meæ lumina prætuleras ut nullam, quominùs reus sim, excusationem habeam.*

concepit. docta versio ut ex priore patet hemistichio & loco Gen. XXX. 38. Rabbi Abba & Joseph ben Jechaiæ textum hunc de parentum libidine exponunt; sed Aben-Ezra cum Hieronym-

B. Augustino, Hieronymiastro, aliisque Ecclesiæ Doctoribus ad peccatum refert originale: cui suadendo inutiles non erunt *a* Pythagorici ab Iamblicho producti, *b* Aristoteles, Patrocles à *c* Plutarcho laudatus, *d* Celsus Origeni prolatus, *e* Sopater Philosophus, *f* Philo, & *g* Hierocles qui vitiositatem, quæ homini agnasceretur & ad posteros etiam transiret, agnoverunt ut ex eorum testimoniis simul sumtis conficitur. Peccatum autem originale Vates peccata vocat quia multorum, quæ committimus, peccatorum est origo: atque huc fortasse laudati Pythagorici respexere, dum prædictam vitiositatem vocaverunt πολυκέφαλον θρέμμα *multicipitem feram.* Dici etiam posset usurpari plurale pro singulari, ut non raro apud Hebræos contingit. S. Aug. *mater mea me in utero aluit.*

veritatem dilexisti &c. Rabbini, ineptam lectionem sequuti, inepte vertunt *veritatem voluisti in renibus & in occulto sapientiam scire fecisti me.* LXX. Senes, pro hodiernis verbis בטחות ובסתם חכמה תודיעני *in renibus & in occulto sapientiam scire fecisti me*, legisse videntur טמונות ונסותות חכמתך תודיעני *abscondita & occulta sapientia tua scire fecisti me*: formæ נפלאות.

incerta. Id nominis idem sonat ac ignota seu incomperta: scilicet in sententiam accipitur contrariam ei quâ dicimus certiorem facere aliquem de aliqua re, hoc est notum facere ei aliquid. Ut ergo, secundùm hunc sensum, certa dicuntur quæ nobis sunt nota; ita incerta vocantur quæ nos latent. Hunc vocis hujus sensum esse patet ex dictione sequenti *occulta.*

Asperges me hyssopo; & mundabor: lavabis me; & super nivem dealbabor.	8	Me *sic comparatum* hyssopo lustra; & purus evadam: lava me; & nive albior fiam.
Auditui meo dabis gaudium & lætitiam; & exultabunt ossa humiliata.	9	*Mærenti* mihi gaudium affer ac lætitiam; & ossa mea, dolore attrita, exultent.
Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.	10	Averte faciem tuam à peccatis meis, & meas omnes iniquitates dele.
Cor mundum crea in me Deus; & spiritum rectum innova in visceribus meis.	11	Cor purum crea in me Deus; & æquitatis spiritum innova in visceribus meis.
Ne projicias me à facie tuâ; & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.	12	Ne projicias me à facie tuâ; & sanctum tuum à me non auferas Spiritum, *quo afflatus prophetica carmina hactenùs scripsi.*
Redde mihi lætitiam salutaris tui; & spiritu principali confirma me.	13	Salutarem *illam, quâ ante peccatum fruebar,* lætitiam redde mihi; & mente, *perturbationibus* imperante, corrobora me.

asperges. fut. pro imperativo ut patet versibus 10. 11. 12. 13. 15. infrà.

hyssopo. pugnantia loqui videtur David dum heic peccata sua hyssopo abstersum iri dicit; infrà autem vers. 17. ea nequidem sacrificiis deletū iri affirmat. Hæc, licet à nullo (quod sciam) Interprete proponatur, difficultas mihi spinosa videtur: nec eam solves si ad veterem legis Mosaicæ cæremoniam Exod. XII. 22. Levit. XIV. 4. alludi tantùm dixeris; benè quidem si laudato, in Mosaicâ lege, hyssopo contritionem figuratè denotari asserueris. Sic enim uterque locus in concordiam facilè revocabitur; eòque rectiùs quòd contritio multam, ad

a qui vitiositatem homini agnascentē agnoscunt quam vocant ὁ συμπεφυκὸς ἡμῖν ἀπὸ τῆς γενέσεως ἀλλότριον ζῶον *animal extraneum nobis ab origine adhærens.*

b qui eandem vitiositatem vocat τὶ πεφυκὸς ἀντιβαῖνον τῷ λόγῳ *aliquid ita natum ut rationi repugnet.*

c lib. de serâ Num. vind. pag. 561. F. 562. B. D. ubi, etsi ad omnes hanc non proferat vitiositatem quæ à patribus ad filios transit, ea tamen ex ejus principiis ad omnes derivari facilè potest.

d qui, de prædictâ vitiositate, loquens ait: πέφυκε &c. *nata est gens humana ut facilè delinquat.*

e quum ait: σύμφυτον &c. *agnatum hominibus delinquere.*

f quum ait: ὅτι παντὶ γεννητῷ &c. *omni homini genito, ut maximè sit virtute præditus, ideò quia genitus est cognatum est delinquere.*

g in Carmen aureum ubi ait: τί οὖν εὑρήσ&c. *quid igitur reperiemus adversus molestam hanc comitem, agnatam, inquam, discordiam: quæ ex eo quod in nobis præter naturam se habet excitari solet; & ut malum domesticum eò fallit occultiùs?*

hyssopum, similitudinem habet: hyssopus enim, testibus *a* Chæremone, *b* Dioscoride, *c* Plinio, *d* Origene, S. *e* Athanasio, S. *f* Gregorio Nazianzeno, S. *g* Hieronymo, *h* Ambrosiastro, S. *i* Cyrillo Alexandrino, *k* Theodorito, *l* Procopio Gazæo, S. *m* Gregorio Magno, *n* Isidoro, *o* Hesychio, ac *p* Suidâ, humilis est; eique vis purgatrix inest, ac calor: & contritio hominem ad terram usque depellit; peccata abstergit, atque divini amoris ignem continet.

cor mundum &c. puritatem petit & æquitatem quia utramque amiserat: fœdâ libidine, & injustâ cæde.

Spiritum sanctum. non sanctificantem seu gratiæ largitorem, quia is jam à Davide, per peccatum, recesserat; sed Spiritum sanctum cujus afflatu Psalmos edebat, & loquebatur: seu prophetiæ donum, ut explicant Euthymius & Kimchius: quibus favet locus II. Reg. XXIII. 2.

spiritu principali. Theodoritum, Nicephorum, atque Euthymium sequutus sum: rejecto Grotio qui de spiritu ad regnum administrandum idoneo exponit ex I. Reg. X. 9. XVI. 14. contra regulam Synonymicam, quæ in nostrâ explanatione servatur: quum enim mens à perturbationibus vacua est, gaudium gaudet.

a apud Porphyr. de Abstin. IV.
b lib. III. c. 30
c Hist. natur. lib. XXVI c. 8.
d homil. 8 in cap. 12 & 13 Levit.
e in Cat. Gr. Patr. in Psal ad Psal. L. 8.
f Orat. 40. p. 643.
g lib. 1. contr. Jovin. c. 6. & lib. II. c. 9.
h in Ep ad Hrb. IX. 9.
i in Psal L. 8. in Cat.
k Quæst. 19. in Levit. 35. in Num.
l in Levit.
m Moral VI. 17.
n Orig XVII. 9.
o in Lexi-o.
p in Lexico. Adde B Augustinum in Psal. L. 8.

Docebo iniquos vias tuas; & impii ad te convertentur.	14	*Túmque* iniquos misericordiam tuam edocebo; *illi*que impii, *eà adducti misericordiâ*, convertentur ad te.
Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ; & exaltabit lingua mea justitiam tuam.	15	Homicidium *à me patratum* ignosce mihi ô Deus salutis meæ auctor; & lingua mea bonitatem tuam prædicabit.
Domine labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam.	16	Aperi Domine labia mea, *materiam mihi, laudum tuarum, ob concessam veniam, canendarum præbens:* & os meum præconium tibi tribuet.
Quoniam si voluisses, sacrificium dedissem utique; holocaustis non delectaberis.	17	Sacrificium offerrem utique si velles; *sed* oblata à me holocausta tibi non placerent *utpote peccatis meis expiandis imparia.*

vias tuas. plur. pro sing. nempe misericordia ut Psal. XXIV. 10. 14. quæ quum heic vers. 2. atque in Psal. LXXXVIII. 1. alibique in plurali exprimatur, non mirum si nomen *viæ*, quod eam designat, pluralem numerum aliquando sortiatur.

sanguinibus. idest homicidio ut apparet collatis locis Levit. XX. 9. 11. 27. Deut. XIX. 10. Psalm. XV. 5.

justitiam tuam. idest misericordiam tuam, ut ex sensu liquet, & Symmacho: qui, testibus Didymo & Theodorito, verterat *misericordiam tuam* Vide annot. ad Psal. IV. 1. LXVIII. 32.

quoniam. illa dictio, hoc in loco, narrativæ conjunctionis vim habet ut in Psal. LIV. 12. quod Euthymius ad hunc Psalmum 54. notat. Vide etiam Muisium ad Psal. IX. 14. Si tamen prædictam dictionem pro particulâ caussativâ accipere velis, eam sic connectes: *veniam illam sacrificiis non efflagito*, nam grata tibi ea non forent &c.

si voluisses &c. Rabbini, depravatâ lectione לא innixi, depravatè vertunt *quoniam non voles sacrificium & dabo, holocaustum non placebit.* LXX. pro לא *non*, legerunt לו *si*, & reliqua doctè & ad hodiernum Hebræorum textum accommodatè interpretati sunt.

non delectaberis. Dictum hoc, ut observat Kimchius, quia Davidica peccata, utpote prudenter atque ex consilio patrata, legalibus, quæ sola delicta errore commissa delebant, sacrificiis abstergi non poterant; sed alio egebant remedio, nempe cordis contritione quam Deus nunquam respuit. Atque hinc intelligimus agi heic de Mosaicorum sacrificiorum debilitate; non abrogatione: quod & ostendit versus ultimus, qui vitulos & holocausta memorat offerenda. Kimchianæ doctrinæ favet S. Paulus Heb. IX. 7.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

18 *At* gratus Deo erit animus, *peccato* afflictus, quem *ei* sacrifico: *&* cor, *dolore* fractum ac *culpæ suæ sensu* dejectum, *quod tibi immolo*, non despicies ô Deus.

Benignè fac Domine in bonâ voluntate tuâ Sion, ut ædificentur muri Hierusalem.

19 *Cæterùm, quando sæpe contingit ut quod peccant reges, plectantur subditi*, rogo Domine ut, *mei non habitâ ratione peccati*, Hierosolymam tuo *sic* favore prosequaris, ut mœnia ejus ædificentur.

Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

20 *Hanc si gratiam concesseris, te pœnitentiâ meâ placatum esse cognoscam: &* tunc oblationes & holocausta, *quæ hoc iræ tempore tibi non placent*, habebis accepta utpote à justo homine oblata; túnc*que* vituli super altare tuum imponentur *mactandi tibi.*

sacrificium. David, à Nathane II Reg. XII. 13. increpatus, dixit *peccavi*: atque ad hoc tempus verba versus nostri & reliquorum refero: ut scilicet prolata fuerint antequam Nathan Davidi diceret, *Dominus transtulit peccatum tuum.*

ut ædificentur. H b. *ædificabis*, seu *ædifica*. S. Augustinus, Theodoritus, Hieronymiaster, Euthymius, & Codices Reg. 138. 222, Colb. 1. 158, 1339. Memm 2. habent *& ædificentur.* Sed idem est ubique sensus.

ARGUMENTUM.

PSALMI QUINQUAGESIMI PRIMI.

THEODORITUS & Euthymius, Psalteriano titulo nixi, existimant Davidem, auditâ sacerdotum cæde à Doego jussu Saulis patratâ; & compertâ, quæ in cujuscunque ætatis homines in civitate Nobe (Nombram vocat Euthymius) adhibita fuerat, crudelitate,

conscripsisse hunc Psalmum ut eos consolaretur qui injuriâ affecti fuerant, illósque ad patientiam atque constantiam hortaretur. Addit Theodoritus hoc etiam Psalmo contineri prædictionem de furore Rapsacis: qui ex Hebræis oriundus, posteà captivus factus, impietatem Assyriorum, qui eum servituti manciparant, didicit; ac blasphemis in Deum verbis usus fuit, & Judæorum vulgus fallaci oratione decipere conatus est. Octavus Psalmi versus, cum Psalmis IV. 6. 8. XXXVI. 17. & XLVIII. 6. collatus, aliquam Absalomitici belli suspicionem mihi afferebat; sed quum ex I. Reg. XXI. 7. XXII. 9. Doegum opibus valuisse cognovissem, prædictum versum ei accommodari posse animadverti: quúmque totum Psalmum, præsertim versum 4. expendissem, Psalteriano titulo fidem omninò adhibui; &, propulsatâ, cujus memini, suspicione in hanc ivi sententiam illud in Psalmo recoli tempus quo David, audito Doegi scelere, virum hunc execrari; & suos roborare cœpit commilitones, quibus exercita in sacerdotes & Nobienses sævitia magnum terrorem injecerat.

TITULUS.

In finem intellectus David.

1. Reg. XXII. 9. *Cùm venit Doeg Idumæus; & nuntiavit Sauli, venit David in domum Achimelech.*

PSALMUS LI.	PARAPHRASIS.
1 *Quid gloriaris in malitiâ, qui potens es in iniquitate?*	Cur malitiam tuam ostentas ô *Doeg*, qui iniquitate polles?

ANNOTATIONES.

in finem &c. Cod. Reg. 138. *in finem intellectus David cùm venit Doeth Idumæus; & nuntiavit Saul, & dixit: venit David in domum Abimelech. Vox Christi ad Judam traditorem.* Colb. 158. *in finem* &c. *vox Christi de Judâ traditore.*

Achimelech. S. Augustinus, & Cod. Reg. 769. ac Memm. 2. *Abimelech.* Sed Codices Reg. 212. Colb. 1339. habent *Achimelech*: quæ bona est lectio. Utriusque meminit S. Augustinus.

qui potens &c. Rabbini: *ô potens, misericordia Dei in omni die.* Nostros (si ad Psal. XLIV. 4. 5. & Prov. XIV. 34. attendas) probabis Senes: qui præterea vocem אל legisse non videntur.

Totâ die injustitiam cogitavit lingua tua: sicut novacula acuta fecisti dolum.	2	Lingua tua *Achimelecho* perniciem die solido struxit: & acutam, *quæ graviter vulnerat*, novaculam imitatus, *magnum præfato Sacerdoti ejusque familiæ* detrimentum importasti.
Dilexisti malitiam super benignitatem; iniquitatem magis quàm loqui æquitatem.	3	Malum dilexisti plusquam bonum; & magis amasti iniquè loqui quàm rectè.
Dilexisti omnia verba præcipitationis: lingua dolosa.	4	Omnia, quæ exitium inferre poterant, verba dilexisti: & fraudulentâ, *huic exitio idoneâ, usus es* linguâ.
Propterea Deus destruet te in finem, evellet te: & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terrâ viventium;	5	Quamobrem Deus te funditus perdet, tollet te: & te extrahet è domo tuâ, téque radicitus de mundo evellet;
Videbunt justi, & timebunt; & super eum ridebunt, & dicent:	6	*Et* justi *mei commilitones, visâ hac pœnâ, Deum magis* reverebuntur, & *Doegum* ridebunt, dicentes:
Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum;	7	Ecce homo qui divino non fidit auxilio;
Sed speravit in multitudine divitiarum suarum, & prævaluit in vanitate suâ.	8	Sed in divitiarum suarum copiâ spem posuit, & vanis fluxísque opibus nixus est, *sperans fore ut eæ ipsum ab omnibus tuerentur calamitatibus.*

lingua tua. Ex hoc versu nec non ex 3. 4. cum Psalmo IX. 25. 26. 29. 30. collatis autumare quis posset idem heic, atque in Psal. IX. argumentum tractari; sed id versus 5. & 7. non satis suadent, & improbat titulus: à quo, sine gravi aliquâ ratione, abeundum non esse censeo.

novacula. Quidam hoc dictum putant quia Doeg Davidem, præter spem ejus fefellerat ut novacula quæ aberrat; sed contrà est locus I. Reg. XXII. 22. Itaque per *dolum* intelligi debet pernicies seu malum: quomodo dictionem hanc interdum sumi jam notavimus. Verbum autem *cogitavit* accipiendum videtur pro loquuta est: ferè ut in isto Virgilii loco *musam meditaris avenâ.*

iniquitatem magis loqui. quum scilicet I. Reg. XXII. 10. de Achimelecho dixit;

quod verum non erat, *conſuluit pro eo Dominum*, & quod ille bono conſilio fecerat, in malum detorſit; aliáque ſine dubio conflavit mendacia quæ in laudato Regum loco non memorantur, ſed quæ ex Pſalmo noſtro facilè conjiciuntur.

præcipitationis. Theodoritus: Ῥήματα &c. *verba ſubmerſionis & doloſam linguam vocavit eam, quæ funditus delere, per mendacium, poteſt: ex tranſlatione eorum qui ſubmergunt homines, faciúntque ut profundis aquis obruantur.*

lingua doloſa. id nonnulli in vocativo legunt; ſed ablativus (ſubauditâ dictione *uſus es* aut præpoſitione *in* ut vult Euthymius) præſtat ob S. Hilarium, S. Auguſtinum, Theodoritum, Sixtinam editionem, & omnes Græcos noſtros Codices Regios ac Colbertinos ubi lego γλῶσσαν δολίαν *linguam doloſam* in accuſativo: qui ablativo in eum, quem dixi, modum accepto reſpondet.

9 *Ego autem ſicut oliva fructifera in domo Dei; ſperavi in miſericordiâ Dei in æternum, & in ſæculum ſæculi:*

Sic equidem Doegus ex numero vivorum exturbabitur. Ego autem in domo Dei, *è qua nunc exulo, olim* verſabor, *atque in eâ*, inſtar oleæ fructiferæ, *ero; & à Doego, in divitiis ſperante, longè diverſus* in miſericordiâ Dei perpetuò ſperabo:

10 *Confitebor tibi in ſæculum quia feciſti; & exſpectabo nomen tuum, quoniam bonum eſt in conſpectu ſanctorum tuorum.*

Tibíque, *ô Deus*, ſempiternas agam gratias pro his, quæ *in mei gratiam* feceris; & meam in nomine tuo, utpote cultoribus tuis benefico, ſpem collocabo.

ARGUMENTUM.

PSALMI QUINQUAGESIMI SECUNDI.

Est hic Pſalmus epitome Pſalmi XIII. & tempora, ut ille, Babylonica reſpicit: editúſque videtur ut in captivorum Judæorum coronam effuſus eorum animum erigeret ac recrearet, illos de imminente Babyloniis exitio certiores faciendo. Theodoritus & Euthymius ad Sennacheribum & Rapſacem trahunt; Muiſius autem, his verſus 7. verbis *diſſolvit* &c. adductus, Pſalmum putat *dictum de Antiocho, Illuſtri præſertim, qui Hieroſolymam deſtruxit, & multa mala Judæis intulit.* Neutros ego ſum ſequutus; nec ſequentur, opinor, qui Pſalmum hunc cum Pſalmo XIII. contulerint.

TITULUS.

In finem pro Maeleth intelligentia David.

PSALMUS LII.		PARAPHRASIS.
Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.	1	SEcum reputant improbi *Babylonii* nullum esse Deum *qui res humanas curet; & qui ipsos, ob mala quæ nobis inferunt, puniat.*
Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus; non est qui faciat bonum.	2	*Stulta hæc persuasio effecit ut* corruptis sint moribus, & abominandi evaserint iniquitatibus suis; *indéque etiam fit* ut nullus *inter eos* sit qui bonum sectetur.
Deus de cœlo prospexit super filios hominum ut videat si est intelligens, aut requirens Deum:	3	Deus è cœlo *istos* hominum filios contemplatus est ut videret num esset, *inter eos*, aliquis qui virtuti operam daret, & Numinis curam gereret:
Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.	4	*Et ecce* declinaverunt omnes *à justitiæ tramite*: omnes pariter vitiosi exstitere, nec fuit qui bonum faceret nequidem unus.
Nonne scient omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam ut cibum panis,	5	Nonne omnes *hujusmodi homines* qui scelus edunt, qui plebem meam devorant tanquam frustum panis,
Deum non invocaverunt: illic trepidaverunt timore ubi non erat timor:	6	*Quique* Dominum non invocant: *Nonne, inquam, omnes hujusmodi homines* cognoscent *Deum esse qui res humanas curet & suum cuique tribuat? Cognoscent profectò:* in eâ *enim* urbe, *in quâ, utpote munitissimâ*, non est timendi locus, *summo, ubi eam invadet Cyrus*, timore corripientur:

ANNOTATIONES.

In finem &c. Cod. Reg. 138. *in finem pro Amalech intellectus David. Propheta increpat*

Judaos. 222. *in finem pro Amalech intelligentia David.* Colb. 158. *in finem pro Amalec intellectus David. vox Propheta increpat Judaos & infideles.* 1339. *in finem pro Malech intellectus David.* Memm. 2. *in finem pro Melech intelligentia David.* Lectio *Maeleth* optima est ut patet ex Hebræâ voce מחלת : quæ aliis est instrumentum musicum, aliis carmen in choro cantandum, mihi veteris initium carminis ad cujus modulos Psalmus decantaretur; ita ut universa tituli sententia sit hæc. Psalmus sempiternis sæculorum ætatibus decantandus, eximiisque rebus refertus, atque à Davide (seu potius à Vate aliquo captivo) conditus; & eo canendus tono qui carminis, à voce *Maeleth* incipientis, proprius est.

7 *Quoniam Deus dissolvit ossa eorum qui hominibus placent; confusi sunt quoniam Deus sprevit eos.*

Siquidem eorum qui, *neglecto Deo*, hoc unum student ut hominibus placeant, *Babyloniorum* animos Deus franget; *iique viri* pudore afficientur quoniam Deus illos spernet.

8 *Quis dabit ex Sion salutare Israel? Quum converterit Deus captivitatem plebis suæ exultabit Jacob & lætabitur Israel.*

Utinam *hoc citò fiat*, & salus Israelitis ex Sione præstetur? Exultabunt *sanè* Jacobæi & lætabuntur Israelitæ quum Dominus plebem suam è captivitate *Babylonicâ* reduxerit.

ossa. pro robore, viribus, fortitudine passim hoc in opere sumitur ut Psal. XXXIV. 11, &c.

eorum qui hominibus placent. recta Babyloniorum periphrasis, & principio Psalmi apprimè connexa. Quum enim Babylonii in eâ essent sententiâ Deum curâ rerum humanarum non tangi, hoc solùm contendebant atque elaborabant ut hominibus, à quibus bona sperabant, placerent. Rabbini legunt חנך, & vertunt *castrametantis contra te*; sed, præterquam quod constructio dictionis חנך ab usitatâ, quæ peteret חנה עליך, normâ recedit, tractatæ in Psalmo historiæ non convenit: nam, etsi Babylonii Judæos vexarent, castra tamen adversus eos propriè non metabantur. LXX. Senes, pro prædictâ dictione חנך, legisse videntur חפצי אדם.

ex Sion. quanquam exspectatam à Judæis salutem Cyrus allaturus erat, ea tamen è Sione oriunda censebatur: quia Deus, Sionem incolens, Cyrum, qui Babylonios superaret & Judæos libertate donaret, suscitaturus erat; atque ita suum, è Sione, auxilium porrecturus. Unde iidem Judæi alibi oculos levant in montes unde auxilium eis venire debet: à Deo scilicet Cyrum missuro, qui Judæis captivis opem ferret illósque in libertatem vindicaret, destructis Babyloniis.

ARGUMENTUM.

PSALMI QUINQUAGESIMI TERTII.

AD historiam, quæ in titulo memoratur, pertinet hic Psalmus: ita ut orationem contineat quam David

David, à Ziphæis proditus atque à Saule I. Reg. XXIII. 19. 21. 25. quæsitus, adeóque in magnum discrimen adductus, Deo adhibuit.

TITULUS.

In finem in carminibus intellectus David.

Cùm venissent Ziphæi & dixissent ad Saul nonne David absconditus est apud nos?

PSALMUS LIII.

1 *Deus in nomine tuo salvum me fac, & in virtute tuâ judica me.*

2 *Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei:*

3 *Quoniam alieni insurrexerunt adversùm me; & fortes quæsierunt animam meam, & non proposuerunt Deum ante conspectum suum.*

4 *Ecce enim Deus adjuvat me, & Dominus susceptor est animæ meæ.*

5 *Averte mala inimicis meis; & in veritate tuâ disperde illos.*

PARAPHRASIS.

1 Salutem mihi, potentissimâ nominis tui ope, affer ô Deus, & tuo me robore defende.

2 Exaudi Deus orationem meam, & verbis oris mei aurem præbe:

3 *Ziphæi* enim *à me* alieni adversùm me insurrexerunt; & firma militum manus *à Saule comparata* vitam mihi eripere studet, *nullâ habitâ Dei ratione.*

4 Ecce, *ô* Deus, adjuvasti me *multoties*, & vitæ meæ defensor fuisti Domine.

5 *Idem nunc auxilium porrige, atque à me* in inimicos meos verte mala *quæ mihi moliuntur*; &, pro tuâ in promissis servandis fide, disperde illos.

ANNOTATIONES.

***in finem** &c.* Codex Reg. 138. habet solùm *in finem pro carminibus intellectus David.* At Codex Colb 158. titulum sic exhibet: *in carminibus intellectus David cùm venissent Ziphæi & dixissent ad Saul, nonne ecce David absconditus est apud nos? vox supplicantis ad Christum.*

in carminibus. vide annot. ad tit, Psal. VI.

in nomine. nomen Dei invocat quia, ut dicitur Proverb. XVIII. 10. *turris fortissima*

nomen Domini. Unde in Psal. CXXIII. 7. suum Judæi adjutorium in nomine Dei ponunt: ex quibus locis, cum Psal. CXVII. 10. 11. collatis, mea firmatur explanatio; & præponenda videtur cùm Euthymianæ *propter nomen tuum*: *salvatoris enim & misericordis & justi nomen habes*; tum isti *propter te.*

a lib. 1. de Offic. ante med.

alieni. sup. à me, idest qui alieno à me animo sunt, seu hostes. a Cicero: *Hostis apud majores nostros dicebatur quem nunc peregrinum dicimus.*

ecce enim. illud *enim* non caussam reddit; sed idem valet atque & ut Psal. XV. 7. & XXXVI. 26. desideratur autem in Hebræo textu. Est porrò, heic & in sequenti versu, personarum mutatio: cui me, obscuritatis vitandæ caussâ, non accommodavi, Vulgatum sequutus interpretem qui infrà vers. 7. vertit *eripuisti* quod in Hebræo est *eripuit.*

Voluntariè sacrificabo tibi; & confitebor nomini tuo Domine quoniam bonum est:	6	Volens tibi sacrificabo; & tuo, Domine, præconium tribuam nomini quum mihi benefecerit:
Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me; & super inimicos meos despexit oculus meus.	7	Quúmque me ex omnibus *meis* angustiis eripueris Domine; & meus oculus hostes meos *prostratos* despexerit.

b Æneid. VIII.
c Æneid. X.

voluntariè. hanc ego vocem ad Eucharisticum, quod non certis statutisque diebus sed quando ei lubebat qui beneficio fuerat ornatus offerretur, sacrificium cum quibusdam interpretibus non refero; sed in eam accipio sententiam quâ Virgilius, Psalmographum imitatus, dixit b *date vina volentes*; & c alibi, *volens vos Turnus adoro.*

nominis tui. nominis meminit quia illud initio Psalmi invocavit.

quoniam. heic & versu sequenti sumi videtur pro *quando* ut Psal. V. 15. VIII. 4. quod qui non advertunt in sententias à verisimilitudine abhorrentes eunt.

ARGUMENTUM.

PSALMI QUINQUAGESIMI QUARTI.

ABSALOMITICA, ut mihi quidem videtur, tempora respicit; & fusam à Davide, dum conjuratio ab Absalomitis & præcipuè ab Achithophele haberetur, orationem exhibet ut insinuavi in argumento Psalmi XXXIV. qui ad conjurationem Absalomiticam, ut noster, pertinet; sed diverso modo. Nam Psalmus LIV. conjurationem spectat quæ conflabatur; Psalmus autem XXXIV. conjurationem respicit quæ è latebris eruperat. Quando autem Davidis ærumnæ eas, quibus

Christus vexandus erat, calamitates præſignabant, angorem, cui divinus noſter Soſpitator in horto Olivarum deditus fuit, in verſibus 2. 3. 4. 5. adumbratum cernimus: & Judæ proditionem in verſibus 14. 15. videmus præfiguratam. Atque ex his liquet Pſalmum noſtrum in Saulina tempora minùs benè à Theodorito atque Euthymio conjectum fuiſſe; & Anonymum, à Græco Corderii Paraphraſte [a] laudatum, immeritò dixiſſe Pſalmum hunc eſſe Macchabaicum quaſi ex perſonâ Oniæ principis Sacerdotum quem Antiochus, muneribus corruptus, ſummo ſacerdotio deturbavit, eíque alium ſubſtituit.

[a] P. 41. to. 2.

TITULUS.

In finem in carminibus intellectus David.

PSALMUS LIV.		PARAPHRASIS.
Exaudi Deus orationem meam, & ne deſpexeris deprecationem meam. Intende mihi, & exaudi me.	1	Exaudi, Deus, orationem meam, & deprecationem meam ne averſeris. Auſculta mihi, & audi me.
Contriſtatus ſum in exercitatione meâ; & conturbatus ſum à voce inimici & à tribulatione peccatoris:	2	Triſtitiâ conficior *ob eam, in quâ* exerceor, calamitatem; & propter inimicorum *meorum* calumniam ac improborum *meorum hoſtium* vexationem conturbor:
Quoniam declinaverunt in me iniquitates; & in irâ moleſti erant mihi.	3	Nam crimina, *quorum non ſum conſcius*, in me accerſunt; & irati adverſantur mihi.
Cor meum conturbatum eſt in me, & formido mortis cecidit ſuper me.	4	Commoveor animo, & mortis formido invaſit me.

ANNOTATIONES.

in finem &c. Cod. Colb. 158. *in finem in carminibus intellectus David. vox Chriſti adverſus mentitos Judæorum.*

exercitatione. Confer I. Reg. I. 16. Job. IX. 27. Psal. LXXVI. 3.
inimici. sing. pro plur. ut patet ex verbo plurali versus sequentis.

5 *Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.*

Timor & tremor corripuerunt me, & *mœstitiæ* tenebræ me contexerunt.

6 *Et dixi: quis dabit mihi pennas sicut columbæ? & volabo, & requiescam.*

In hac constitutus angustiâ, dico *apud me:* utinam darentur mihi alæ *tam celeres quàm sunt pennæ* columbæ? volarem in locum tutum; *ibi*que *securus* quiescerem.

7 *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine:*

Ecce longè fugerem, & in loco deserto manerem:

8 *Exspectabam eum qui salvum me faceret à pusillanimitate spiritus, & tempestate.*

Atque exspectarem eum qui timiditatem mihi eriperet; *mé*que *ab eâ, in quâ jaceo*, perturbatione liberaret.

9 *Præcipita Domine, divide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in civitate.*

Sed quia voto hoc potiri nunc non licet, everte Domine *consilia inimicorum meorum*, illósque in varias scinde sententias: nam iniquitatem in Urbe animadverto, *nec non habitam, adversùs me*, conjurationem in quâ maledicè contumeliosèque *de me* dicitur.

a Æneid. V. *Qualis spelunca &c.*
b Iliad. φ. E'*ιπ*ε &c.

columba. celeritatem in columbâ notat *a* Virgilius; & *b* Homerus fugam Dianæ Columbino volatui assimilat.

elongavi. præt. pro imperf. ut patet ex versu præcedenti, qui supponit eum optasse non arripuisse pugnam. Dici quidem posset versus 2. 3. 4. & 5. initio patefactæ conjurationis congruere: septimum autem hunc versum ad subsequens pertinere tempus quo David, votis potitus, fugerat & in deserto manebat. Sed hæc explicatio cum initio Psalmi parùm cohæret ut illud expendenti patebit; & versibus 9. 10. 11. non consentit: quum enim, Davide è Hierosolymis abacto, Absalomitæ non tantum studii ad conciscenda facinora nempe ad rodendam Davidis famam, usuram exercendam, & fraudem faciendam conferrent, quantum in Davide superando ejusque copiis profligandis ponebant, sermo qui versibus 9. 10. 11. 12. continetur vix ei aptari potest, etsi locus II. Reg. XV. 31. aliquantulùm favere videatur. Ad hæc versus 13. 14. in Davidem Urbe expulsum non quadrant, eò quod Achitophel apertas tunc inimicitias gereret; & occultas versus illi supponunt.

c IV. Tuscul. 34.

exspectarem. Rabbini: *accelerabo auxilium mihi à spiritu procelloso à tempestate.* LXX. legerunt אוחילה *exspectabo* pro אחישה *accelerabo*: cui verbo sequens vox מפלט non tam favet quàm nostro. LXX. cætera legerunt ut hodie exstant; sed meliùs quàm Rabbini interpretati sunt: quod facilè concedent omnes qui meminerint dixisse Psalmographum se timere ac versari in perturbatione. Hanc perturbationem docti illi Interpretes vocant tempestatem, & rectè: nam *perturbationes*, inquit *c* Cicero, *sunt turbidæ animorum concitatioque metus... inimici mentis vitæque tranquillæ.*

à pusillanimitate spiritus. Sixtina editio cum S. Hilario habet solùm *pusillanimitate.* Vocem *spiritus*, quæ in Vulgatâ legitur, inde additam esse innuit Beatus *a* Hieronymus quòd, pro ὀλιγοψυχίᾳ, Aquila & Symmachus & Theodotio & Quinta editio interpretati sunt ἀπὸ πνεύματος *à spiritu.* Sed doctissimi Presbyteri sententia mihi non probatur attendenti Hebraicis verbis sensum, quem Vulgata præfert, inesse: spiritus enim procellosus nihil est aliud quàm animus in perturbatione tanquam in procellâ jacens & variis actus timoris motibus.

a Epist. 135.

vidi &c. hic versus & duo sequentes ostendunt Davidem, quum hæc gererentur, in Urbe adhuc fuisse, ut jam annotavi ad versum septimum. Sed, inquies, vero non est simile ut David, qui ad vindictam erat proclivis, sibi à pœnâ Achitopheli aliisque conjuratoribus infligendâ temperaret, & solis execrationibus contentus esset. Respondeo Davidem à suppliciis abstinuisse tum quia filius in conjuratorum numero erat, & paternus amor moram injiciebat imponendarum pœnarum, quas si filius effugisset iis saltem dignus habitus esset; tum quia sciebat divino permissu conflari conjurationem: cujus proinde auctores punire licitum sibi non esse putabat ut ex Psal. LVIII. 12. colligitur.

iniquitatem & contradictionem. dictio *iniquitatem* respondet verbo *præcipita*; & vox *contradictionem* respondet verbo *divide* Quod ut enodatiùs explicetur; simúlque duobus, qui proximè veniunt, versibus lumen afferatur, notandum est ex Psal. XXXVII. 21 Davidis inimicos ideò ipsi obtrectasse quia bonum sectabatur. Hostes ergo illi quum Davidem ab injustitiâ alienum viderent, animum induxerunt ut in ejus perniciem incumberent Eam ob rem consilia identidem inibant, in quibus impii illi hostes omnibus se vitiis contaminare & usuræ ac dolo operam navare constituebant; séque ad ea iniquitatis studia posteà adjungebant. In iis etiam, quorum memini, consiliis de vitâ Davidi eripiendâ deliberabatur. Unde duo petit David, primùm ut quæ de edendis sceleribus suscipiuntur consilia irrita sint, secundò ut inimici in varias scindantur studia ne per concordiam mala sibi machinentur. Quòd eam spectat sententiam in quam dictio *contradictionem* à me accipitur, adi ad Psal. XXX. 27. LXXIX. 7. & verbum *maledixisset* infrà positum expende.

Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas, & labor in medio ejus & injustitia;	10	Scelus diu noctúque mœnia Hierosolymarum circumdat, atque in medio ipsius perversitas viget ac injustitia;
Et non defecit de plateis ejus usura & dolus.	11	Et plateæ ejus ab usurâ & dolo non sunt immunes.
Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique:	12	Equidem si inimicus meus maledictorum notis me inureret, illud utique *patienter* ferrem:
Et si is, qui oderat me, super me magna loquutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo.	13	Et si is, qui *palam* me odisset, in me debaccharetur, ab eo mihi forsitan caverem.
Tu verò homo unanimis, dux meus, & notus meus,	14	Sed tu contumeliis me laceras *ô Achitophel* vir mihi conjunctissime, consiliarie mi, & familiaris mi,

quoniam. narrativæ conjunctionis vim heic habet, ut docet Euthymius.

maledixisset &c. Graves sunt & periculosæ amicorum injuriæ: graves, nam, ut ait *b* Petronius Arbiter, *qui ignotos lædit, latro appellatur, qui amicos, paulò minùs quàm parri-*

b In Satyr. fragm.

a in Verr. Orat. cujus initium, *Neminem veſtrum* &c.

cida; periculoſæ, quia, ut docet *a* Cicero, *nullæ ſunt occultiores inſidiæ quàm eæ quæ latent in ſimulatione officii.* Utrumque Vates tangit: prius hoc verſu, aliud verſu ſequenti.

15 *Qui ſimul mecum dulces capiebas cibos; in domo Dei ambulavimus cum conſenſu.*

Qui ſimul mecum dulces capis cibos; *&* qui *mecum unà* in domo Domini verſaris concordi cum amicitiâ.

16 *Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viventes:*

Achitophelem ac ſocios ejus corripiat mors, & vivi in ſepulchrum deſcendant:

17 *Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum in medio eorum.*

Iniquitas enim in eorum domiciliis & animo regnat.

18 *Ego autem ad Deum clamavi; & Dominus ſalvabit me.*

Ego interim Dei auxilium implorabo; & Dominus ſervabit me.

19 *Veſpere, & mane, & meridie narrabo & annuntiabo: & exaudiet vocem meam;*

Veſpere, mane, & meridie narrabo & exponam Deo *miſeriam meam*: *Ille*que orationem meam exaudiet;

20 *Redimet in pace animam meam, ab his qui appropinquant mihi: quoniam inter multos erant mecum.*

Et mihi, ab his qui me vexant, liberato tranquillitatem afferet *ipſemet*: nam plurimi ſunt hoſtes mei, *& adjutore egeo tam potente quàm eſt ille.*

21 *Exaudiet Deus; & humiliabit illos qui eſt ante ſæcula:.*

Deus, *inquam*, me exaudiet; *idemque ille Deus*, qui ex omni æternitate eſt, illos, qui mihi adverſantur, deprimet:.

cibos. Rabbini: *ſecretum.* Sed refelluntur ex Pſal. XL. 10. ubi menſæ fit mentio. Additur heic religionis ſocietas: nam ſacratiſſimum eſt religionis vinculum, & rumpi ſine piaculo non poteſt.

veniat mors &c. Rabbini: *exigat debitum mors ab eis.* Idem ubique ſenſus; & alluditur ad exitium Choræ Dathan & Abiron Num. XVI.

b lib. 2. cap. 59.
c Can. 19.

veſpere &c. dictum hoc pro more veterum Hebræorum qui ter in die orare ſolebant. Unde illud eorum effatum Muiſio notatum: *neceſſe eſt hominem ter ſingulis diebus orare quòd ter dies varietur.* Trium precum mentionem habes in *b* Conſtitutionibus Apoſtolicis & *c* Concilio Laodiceno.

annuntiabo. Rabbini: *tumultuabor.* S. Hieronymus, *reſonabo*, hoc eſt ſtrepitum edam. Ex verſione noſtrâ, cum Pſal. XXXIV. 32. LXX. 26. comparatâ, ſuſpicor LXX. Senes legiſſe אחנה pro אהמה.

appropinquant. ſup. ad nocendum; quomodo id verbi ſumitur in Pſal. XXXVII. 12. Unde קרב prælium apud Job. XXXVIII. 23. & קרבית prælia in Pſal. LXVII. 34.

quoniam. nonnulli vertunt *etſi*; ſed non eſt neceſſe: neque etiam neceſſe eſt hunc locum ex IV. Reg. VI. 16. explicare.:.

qui est ante sæcula. Quidam existimant æternitatem Dei heic memorari, ut ostendatur Deum esse in cœlo contra atque credunt impii: qui, quum res in mundo sunt confusæ, arbitrantur nullum amplius in cœlo esse Deum. Sed ego æternitatis mentionem fieri puto ut significetur Deum, utpote omnibus temporibus coexistentem, pœnas ab impiis expetiturum quocunque voluerit tempore. Porrò divina, quæ à Psalmographo, nec non à *a* Philone, S. *b* Gregorio Nysseno, S. *c* Ambrosio, & *d* Cassiano celebratur; atque à *e* Tertulliano, *f* Mario Victorino, & *g* Hugone Victorini cœnobii alumno probatur, æternitas initium, successionem, & finem excludit. Tres illas dotes *h* Isidorus Pelusiota, *i* Boetius, & *k* Richardus Victorinus complectuntur. Primam Thales à *l* Plutarcho productus, S. *m* Dionysius, & *n* Maimonides laudant. Secundam *o* Parmenides, *p* Plato, *q* Numenius Pythagoricus, *r* Proclus, *f* Plotinus, *t* Plutarchus, S. *u* Gregorius Nazianzenus, S. *x* Augustinus, S. *y* Prosper, S. *z* Maximus B Dionysii interpres, S. *&* Gregorius Magnus, * Isidorus Hispalensis, *a* Petrus Damiani, & S. *b* Anselmus memorant. Tertiam *c* Pseudo-Justinus, S. *d* Hilarius, *e* Novatianus aut alter, *f* Theodoritus, & *g* Rhabanus Maurus edisserunt.

a lib. περὶ φιλανθρ. p. 541. A, edit. Col. Allob. 1613.
b Prolog. lib. Catech.
c in Psal. 43.
d lib. V. de Incarn. c. 8.
e lib. I. contr. Marc. c. 3.
f lib. 4 contr. Arium.
g lib. VII. erud. Theolog. cap. 17.
h lib. III. ep. 149.
i lib. V. de Consol. pros. 6.
k lib. II. de Trinit. cap. 4.
l in Convivio sept. Sap. p. 153. C.
m de div. nom. c. 5.
n lib. I. More Nebochim cap. 57.
o apud Ammonium Comment. in lib. de Interpret. ὑδεὶς ... περὶ τῆς θεοῖς &c.
p in Timæo: ὅ ἐς &c. pag. 27. D. to. 3.
q apud Euseb. de Præp. lib. XI. cap. 10.
r lib. 2. in Tim. p. 71.
f Ennead. III. lib. 7. c. 4.
t lib. de Ε. apud Delphos.
u Orat. 38.
x Conf. IX. 10 XI. 7. 11. 13. & enarrat. in Psal. 101.
y epigr. 41.
z in 5. de div. nomin.
& lib. IX. Moral. c. 26.
* lib. I. Sent. cap. 8.
a Opusc. 36. c. 8.
b in Prosol. & lib. de Incarn. c. 8.
c in refut. resp. Græc. ad quæst. 5. Christ. pag. 195 D. edit. Gr. Lat. 1615.
d lib. 3. de Trinit.
e lib. de Trinit. c. 4.
f Dial. 3.
g lib. I. de Univers. p. 17.

22 *Non enim est illis commutatio; & non timuerunt Deum; extendit manum suam in retribuendo:*

Siquidem nolunt flagitiosam vitam mutare; Deúm*que* non reverentur. *Idem ille Deus* manum suam *in eos*, rependendo *illis quam merentur pœnam*, extendet:

23 *Contaminaverunt testamentum ejus. Divisi sunt ab ira vultus ejus, & appropinquavit cor illius:*

Etenim legem ejus violant. *Denique* dissipabuntur à Deo irato, & cor illius infensum erit eis:

24 *Molliti sunt sermones ejus super oleum: & ipsi sunt jacula.*

Nam illorum sermones, *mecum habiti*, oleo sunt leniores *multa benevolentiæ signa impertientes*: iidem autem *sermones, cum aliis collati*, sunt jacula *quibus me configunt.*

25 *Jacta super Dominum curam tuam; & ipse te enutriet; non dabit in æternum fluctuationem justo.*

Quum ergo Deus rationibus tuis, ô David, ita sit prospecturus, res tuas ei committe; & ipse te curabit, nec patietur ut justus perpetuò vexetur.

26 *Tu verò Deus deduces eos, in puteum interitus:*

Tu verò ô Deus, *quum inimicorum meorum iniquitatem habeas perspectam*, illos in sepulchrum detrude:

in retribuendo. ineptè Rabbini: *in colentes pacem secum*, hoc est amicos.
divisi sunt &c. Heb. חלקו מחמאת פיו idest, juxta Rabbi Salomonem, *lenia sunt butyrma (verba) oris ejus*. aut juxta Kimchium: *leniora sunt præ butyris (verba) oris ejus*. Hæc non probabunt qui additamenta non amant; quique ad Job. XXI. 17. & Thren. IV. 16. attenderint: ex quibus locis hodiernæ Hebræorum lectionis depravatio perspicua fit;

& nostræ versionis præstantia demonstratur : simúlque vero sit simile LXX. Senes legisse חלקי מחמת פניו.

appropinquavit. in eandem accipitur sententiam atque in vers. 20. suprà.

ejus. sup. inimici collectivè sumti, hoc est inimicorum : nisi malis dicere unum heic respici Achirophelem Davidicorum hostium coryphæum ac iniquissimum, de quo suprà vers. 14. 15.

jacta. eximius de divinâ Providentiâ locus quem egregiè firmant atque ornant *a* Socrates, *b* Plato, *c* Balbus, *d* Alexander Aphrodisiensis, *e* Ammonius, *f* Atticus Platonicus, *g* Philo, *h* Seneca, *i* Plotinus, *k* Æneas Gazæus, *l* Maximus Tyrius, *m* Julius Firmicus, S. *n* Irenæus, *o* Tertullianus, *p* Clemens Alexandrinus, *q* Titus Bostrensis, *r* Nemesius, S. *ſ* Gregorius Nazianzenus, S. *t* Chrysostomus, S. *u* Ambrosius, S. *x* Augustinus, S. *y* Prosper, S. *ζ* Paulinus Nolanus, S. *&* Dionysius, * Junilius Africanus, S. *a* Cyrillus Alexandrinus, *b* Theodoritus, *c* Eucherius, *d* Salvianus, *e* Gaudentius Brixianus, S. *f* Gregorius Magnus, & S. *g* Johannes Damascenus : quos qui legerit, omnes divinæ Providentiæ hostes ridebit : sive Epicureos qui eam prorsus tollebant ut videre est apud Velleium à *h* Cicerone productum ; sive Stoicos qui, fatum admittentes, eandem Providentiam, teste *i* Nemesio, labefactabant etsi ore profiterentur ; sive Aristotelem qui, narrantibus *k* Attico, *l* Diogene Laertio, *m* Nemesio, & S. *n* Ambrosio, Providentiam cœlestibus regionibus definiebat ; sive illos qui inferiora ab Angelis seu Diis junioribus curari tradiderunt : quibus Plato à *o* Plutarcho & *p* Nemesio, ob dicta in Timæo p. 42. 69, accensetur ; immeritò ut mihi quidem videtur Platonem in X. de legibus p. 899. 900. 902. 903. 10. 2. & apud Atticum loco citato atque Ammonium p. 12. audienti ; sive demùm illos qui irrationabilium animalium providentiam Deo detraxerunt : inter quos qui B. Hieronymum, ob ea quæ in primum Abacuci caput, enarrat, adscribunt mihi non probantur hunc locum suis momentis ponderanti & tertiam sanctissimi Doctoris epistolam col. 29. B. consideranti.

justo. de se in tertiâ personâ loquitur David ut Psal. IV. 4. neque hæc *justi* & *sancti* epitetha mirere : nam etsi gravibus se criminibus paulò ante obstrinxisset David, sua tamen luxerat peccata, & se ad virtutem mirificè adjunxerat. Unde prædicta epitetha non immeritò usurpabat : quod nullus in dubium revocabit qui hunc Psalmum, ut & 31. 37. 38. 58. 62. aliósque nonnullos, Absalomitica tempora spectantes, attenderit.

Viri sanguinum & dolosi 27 *non dimidiabunt dies suos. Ego autem sperabo in te Domine.*	*Et* fac ut sanguinarii *illi &* fraudulenti *viri* ad dimidium vitæ non perveniant. Ad me quod attinet, meam in te spem semper ponam Domine.

ARGUMENTUM.

PSALMI QUINQUAGESIMI QUINTI.

IS, quem sumus explicaturi, Psalmus titulum præfert qui Hebraicè sic concipitur על יונת אלם רחקים דוד מכתם &c. idest, interprete Rasi, *super columbâ taciturnitatis (in) remotis David Michtam quum tenuerunt eum Allophyli in Geth.* LXX. Senes aliam, in suo codice Hebræo,

a ap Xen 4. Apomné.
b lib X. de Legibus.
c apud Cicer. de Nat. Deor. lib. 1.
d lib. de Provid. apud S. Cyrill. lib. 2. contr. Jul. p. 61. & lib. 3. p. 82.
e Comment. ad lib. Arist. de Interpret. fol. 92. p. 2. edit. Ven.
f apud Euseb. de Præp. XV. 5.
g de Opif. p. 2. 30. & apud Euseb. de Præp. VIII. 14. Adde Josephū de Daniele loquentem.
h de Provid.
i Ennead. III. lib. 2. & 3. qui sunt de Providentiâ, & Ennead. IV. lib 8. c 2. nec non apud S. Aug. de Civ. X. 14
k in Theophrasto.
l Orat. 1.
m lib. I. Astron. c. 4.
n lib. II. c 45.
o lib. 2. contr. Marc. c 21.
p Stromat. I. p. 312 B. & V. p. 147. C. 621 C.
q lib. 2 contr. Manich.
r lib. de Nat. hom. c. 41. 42 43. 44.
ſ Orat 1. contr. Jul. & Orat 16.
t in libris de Provid. to 4 Savil. & homil. 33. in Gen.
u lib. I. Offic. c. 12. & 13. & lib. VI. Hexaem. c. 4.
x lib 83. Quæst. quæst. 44. lib. 4 de Gen. ad lit. c. 22. de Civ. I. 8. 31. 18. in Psal. 36. & 136.
y in Carm. de Provid.
ζ Epist 8
& de cœlest. Hier. c. 4.
* lib. 2. de partib. div. leg. c. 13.
a lib 2 contr. Jul. p. 58. & seq. lib. 3. p. 95. & seq lib. Thes. 32. p. 306. lib. X. in Joh. p. 899
b in libris de Provid.
c in Parænesi.
d in libris de Provid.
e Præfat. ad Benevol.
f Moral. XIV. 23 24 XVIII. 3. XXI 4.
g lib 2. de Fide c. 29.
h 1. de Nat. Deor.
i de Nat hom. c. 44.
k loc cit.
l in vita Arist.
m loc. cit.
n I. de Offic. 13.
o lib. de fato. p. 573. D. E F.
p cap. 44.

bræo lectionem habebant : & quidem, si Grotio credimus, Senes illi legisse videntur אמה *populo* pro יונה *columba*; &, pro אלם *taciturnitatis*, legisse אלים eâque voce intellexisse *filios Dei*. Bellarminus autem existimat LXX. legisse על יונה מאל idest *pro columba à Deo* seu *à sanctis* sup. remotâ; &, per vocem *columba*, intellexisse populum illum quadringentorum exulum qui ad tabernaculum Dei accedere non poterant, sed cum Davide huc atque illuc vagabantur. Horum auctorum prior non magnam suæ, in Hebraicâ linguâ, eruditionis opinionem nobis hoc in loco attulit; alter verò solitum ingenii acumen non ostendit. Nam, quod ad Grotium attinet, nemo Hebraicè doctus ei concedet LXX. Senes pro יונה legisse אמה quum dictio illa, quando populum significat, apud Hebræos non occurrat, sed tantùm apud Chaldæos. Adhæc vero non est simile LXX. pro אלם legisse אלים: siquidem (ut ipso Gen. VI. 2. quem laudat, loco apparet) addenda fuisset vox בני *filiis* ut is, qui supponitur, sensus conflaretur; & præponenda fuisset litera מ cum quâ verbum רחק construi solet & debet juxta LXX. Senes, quorum proinde lectionem Grotius minimè est assequutus. Quod Bellarminum spectat, eum non laudabit qui ex I Reg. XXI. XXII. adverterit quadringentos exules, viro summo memoratos, cum Davide non fuisse quo tempore in Geth teneretur sed ei tantùm, postquam ex Geth digressus venit in speluncam Odollam, adhæsisse; atque adeò illos exules cum detentione in Geth non constare, & consequenter eos voce *sanctis* designari heic non posse. Tempus ego in deprehendendâ aut asserendâ LXX. Senum lectione non teram; sed observabo prædictos Senes, aut potius recentiores auctores qui titulos appofuerunt, in turpes (dum Psalmum pro populo à

Sss

ſanctis remoto ſcriptum fuiſſe à Davide in Geth detento prodiderunt) errores fuiſſe inductos tum quia, ut jam notavi, nullum tunc populum David ſecum habebat, tum quia David inſaniam ſimulavit; adeóque ſapientiſſima, quæ in Pſalmo comparent, verba uſurpare tunc non potuit. Senſus, qui ex textu Hebræo *columbam-taciturnitatis* legente fluit, verior eſſe videtur: David enim, in Geth degens, columba muta vocari potuit quòd & adverſus populares ſuos innocens eſſet, & tamen hanc ſuam innocentiam Philiſthinis prodere non auderet; ſed cum hac columbâ mutâ ſermones in Pſalmo prolati non congruunt: unde titulus cùm Hebræus tum Vulgatus Pſalmo convenire non videtur, atque adeò utrumque explodendum eſſe cenſeo. Euſebius vulgatum titulum ad hiſtoriam I. Reg. XXVII. 1. 2. 3. mandatam detorquet. Theodoritus eundem titulum in duas partes ſecat, eíque geminum ſenſum tribuit: unum populo Judæo Babyloniis ſervienti; alterum Davidi quum periculum in Geth ſubiiſſet & pacem in eadem regione poſteà conſequutus fuiſſet. Græcus autem Corderii Paraphraſtes ait: δύο ἔοικεν &c. ideſt. *Hic Pſalmus duas viſus eſt habere inſcriptiones, unam quidem uſque ad illa verba* IN FINEM PRO POPULO QUI A SANCTIS LONGE FACTUS EST. *Inſinuatur autem hunc Pſalmum eſſe Babylonicum tanquam ex perſonâ populi ſancti procul ab Hieroſolymis conſtituti, hoc enim* A SANCTIS ait. *Altera verò ininſcriptio* IPSI DAVID IN TITULI INSCRIPTIONEM CÙM TENUERUNT EUM ALLOPHYLI IN GETH: *ita ut hinc manifeſtum fiat (id quod ſæpe diximus) titulorum Scriptores, pro opinione ſuâ, titulos inſcripſiſſe. In hoc igitur Pſalmo priores, uti dictum eſt, opinati ſunt ipſum eſſe Babylonicum; poſteriores verò, illâ opinione rejectâ, ſuam propriam poſue-*

runt ac si hic Psalmus tunc à Davide dictus fuisset quando tenebant ipsum Allophyli in Geth. Verùm, qui quidem titulos scripserunt, ita opinati fuere; at interpretatio, secundùm literam ostendit potiùs hunc Psalmum esse Macchabaicum: tales enim videntur quodammodo affectus esse vehementioris cùm propheta calamitates eorum adeò deflеat, etenim magna passi fuerunt à ducibus exercitus Antiochi. Quod de titulo Auctor ille notat veritate fundatum esse videtur; sed, cum eo ac Theodoro, Carmen ad Macchabæos non refero, neque illud sive Captivis sive Davidi inter Gethæos pacificè versanti cum Eusebio ac Theodorito adscribo: sic habens ex versibus 2. 6. 8. persuasum ea, quæ I. Reg. XXIII. 19. 20. 21. 22. 23. 25. XXVI. 2. describuntur, tempora in Psalmo respici. In eo enim Psalmo, ut & in illis temporibus, video multos adversùs Davidem bellantes, alios calcaneum ipsius observantes, ipsúmque Davidem hinc & inde vagantem. Eò accedit quod sermones, quorum mentio in versibus 4. 5. 11. fit, in illa, quæ dixi tempora, optimè quadrant: quum enim vero admodùm sit simile ut sermonibus illis promissio regni Israelitici (quâ David nitebatur, & cujus caussâ in Saulis ejúsque aulicorum exsecrationem incurrerat) designetur, in eâ sum opinione sermones illos, sive à Davide sive ab ejus amicis sparsos fuisse (quod & ex I. Reg. XXIII. 17. colligi potest,) indéque factum ut Saul majore in Davidem odio arserit, eíque quærendarum latebrarum necessitatem attulerit. Sed quintus potissimùm versus ac decimus me in eam, quam exposui, sententiam traducunt, etsi ei, quæ Psalmum Judaico populo Babylonicam servitutem servienti accommodat, versiculus 6. cum Psalm. IX. 30. 31. 32. collatus, aliquantulùm favere videatur.

TITULUS.

Pro populo qui à sanctis longè factus est David in tituli inscriptionem cùm tenuerunt eum Allophyli in Geth.

Psalmus LV.		Paraphrasis.
MIserere mei Deus quoniam conculcavit me homo, totâ die impugnans tribulavit me.	1	MIserere mei Deus quoniam vexat me Saul, jugi*que* suâ vexatione me opprimit.
Conculcaverunt me inimici mei totâ die: quoniam multi bellantes adversùm me.	2	Inimici mei continuis me malis obterunt: nam multi sunt qui me oppugnant.
Ab altitudine diei timebo; ego verò in te sperabo:	3	Timeo *interdum* ne, progrediente tempore, *debellent me*; *sed statim* meam in te spem defigo:
In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi; non timebo quid faciat mihi caro.	4	*Et*, Deo confisus, sermones, *quibus regnum Israeliticum* mihi promisit, extollo, *atque* in Deo spero; nec humanas omnes, adversum me, machinationes extimesco.
Totâ die verba mea execrabantur; adversum me omnes cogitationes eorum in malum.	5	*Hæc autem* mea, *quibus factum mihi de regno Israelitico promissum extollo*, verba *hostes mei* indesinenter execrantur; *&* mentem omnem in me perdendo figunt.

ANNOTATIONES.

in tituli inscriptionem. pro voce מכתם de quâ ad tit Psal. XV. dixi; & quam Hieronymiaster heic vertit *humilis* (מך) atque *perfectus* (תם) Noster legebat מכתב : de quâ dictione erudieris in laudato Psalmi XV. loco. Codex Colb. 158. titulum sic repræsentat: *in finem ne disperdas David in tituli inscriptionem cùm fugeret à facie Saul in speluncâ. vox Ecclesiæ ad Christum.* Codex Reg. 138. Vulgato titulo consentit.

conculcavit. idest, interprete Theodoro, *contrivit præ multitudine malorum & consumsit.*

ab altitudine diei. ut dies inclinare dicitur, nihil vetat quominùs dicatur *ascendere*: præsertim quum nos Galli dicamus, *le jour est haut*; atque hinc meam peto explanationem. Rabbini: *ô excelse, die* quo *timebo ego tibi fidam.* Hæc non placet versio 1°. quia addenda est dictio *quo*; 2°. quia loquutio *ô excelse* commodam sedem non habet. LXX. pro *marom* legerunt *mirom.*

timebo &c. S. Hilarius: *ab altitudine dierum non timebo quia multi qui debellant me timebunt.* S. Aug. *totâ die ab altitudine diei: quoniam multi qui debellant me timebunt.*

Ego verò &c. Theodoritus, cum Regiis ac Colbertinis Codicibus Græcis, habet: *ab altitudine. Die non timebo; ego verò in te sperabo.* Particula negativa ab Hebræo textu abest, ut & à Vulgatâ: quæ, toto hoc in versu, Hebræis vocibus consonat.

meos. Heb. *ejus*, eodem sensu: nam iidem sermones dicuntur sermones Dei utpote ab eo per Samuelem prolati, & sermones Davidis eò quod eum respiciant. Hos porrò sermones ad promissum regnum, cum Aben-Ezra & Kimchio, refero ob seriem quæ huic magis favere videtur interpretationi quàm Theodoritianæ φθεγξόμενός &c. *loquens, Dei memoriâ meos sermones orno; & oppugnatus, tua cura confidens hostes despicio.* Objici quidem posset vero non esse simile ut David, vivente Saule, suam in regnum electionem prædicaret; sed hanc objectionem elevant locus I. Reg. XXIII. 17. & Saulis rejectio per Samuelem promulgata I. Reg. XIII. 14.

Inhabitabunt, & abscondent: ipsi calcaneum meum observabunt.	6	*Eam ob rem* congregantur, delitescunt: ipsíque vestigia mea observant *ut captum me vitâ spolient.*
Sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo salvos facies illos? In irâ populos confringes.	7	Quando *autem* vitam mihi eripere *sic* student, hoc eorum scelus, immeritò admissum, feresne impunitum, patiendo eos esse incolumes? *Quin potius* iratus populares *mihi infensos* contere.
Deus vitam meam annuntiavi tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo	8	Vitam meam erraticam tuis subjicio oculis ô Deus: mearum, *quæso*, lacrymarum rationem habe

inhabitabunt. seu incolent: *positum est*, inquit S. Athanasius, pro *congregabuntur. Congregari* autem *dixit incolere*, ait Theodorus, *quia incolarum quodammodo proprium est ut ibidem simul sint & conversentur.*

sicut. Heb. כאשר. Gallicæ voci *comme* respondet qd. *& comme ils m'observent pour me perdre* &c. Rabbini minùs benè vertunt *dum.*

sustinuerunt. accipitur pro *exspectaverunt*: eo sensu quem habes in Psal. CXVIII. 95. ac LXX. peccant: quia, ut notat Theodorus, *qui sustinet ut quid fiat, expectando sustinet donec fiat.* S. Augustinus, *sicut sustinuit anima mea.* Sixtina editio, *sicut sustinus anima mea.*

pro nihilo. Aben-Ezra & Kimchius vertunt *propter iniquitatem* sup. *eorum erga me.* Theodoritus & Euthymius, exponunt *facilè*: illique omnes id cum sequenti verbo jungunt. Ego præcedenti connecto, & interpretor *immeritò*, seu *injustè*: quomodo nos Galli dicimus *ils me persecutent pour rien*, c'est-à-dire *injustement.*

salvos facies illos. Hoc admirativè & interrogativè cum Kimchio sumi debet ut notat Muisius: cui explanationis Kimchianæ *iniquitatem* ita probare enucleanti non assentior: *num super iniquitate, quam in me exercent, erit illis evasio? num pœnam iniquitati debitam effugient?* Theodoritus, consentiente Euthymio, legit ὤσεις *expelles.*

populos. Israelitas cum Kimchio intelligo. Vide annot. ad Psal. II. 1. LXVI. 3.

confringes. SS. Hilarius & Augustinus, *deduces.* S. a Hieronymus ait, *pro dejicies malè eorum obtinuisse confringes*; additque *dici posse juxta Hebræum depone*: sed idem manet sensus sive *confringes* dixeris, aut *dejicies* & *depone.* a Epist. 135.

annuntiavi. Heb. *numerasti tu*, ineptè omninò: Deus enim, ex quo fugas hoc est vitam erraticam Davidis numeravit, non habet necesse ut ejus lacrymas in conspectu suo ponat: siquidem lacrymas in conspectu ponere, & numerare seu numeratas habere fugas idem sunt. LXX. Senes pro ספרתה אתה *numerasti tu* legebant ספרתי לך *narravi*, seu *annuntiavi tibi.*

posuisti. præt. pro futuro imperativi locum tenente, ut alibi jam notavimus: sicque versio nostra cum Hebræo, qui imperativum habet, textu consentit, quanquam putem nostros legisse שמת pro שימה.

in conspectu tuo. Heb. *in utre tuo*, minùs benè: nec enim ita loqui solemus. LXX. legerunt כנגדך pro בנאדך.

Sicut & in promissione tuâ; tunc convertentur inimici mei retrorsum.	9	Ut promisisti; *túncque* inimici mei retrocedent.
In quacumque die invocavero te, ecce cognovi quoniam Deus meus es;	10	Quoties auxilium tuum, *præterito tempore*, imploravi, ecce beneficum te sum expertus;
In Deo laudabo verbum; in Domino laudabo sermonem: in Deo speravi; non timebo quid faciat mihi homo.	11	*Unde*, Deo *tam benigno* confisus, *factum mihi de regno* promissum *nunc* prædicabo; *&*, Domino nixus, *idem* promissum celebrabo: meámque in Deo spem ponam; nec timebo quicquid adversum me moliatur Saul.
In me sunt Deus vota tua; quæ reddam laudationes tibi	12	Vota *porrò* quæ tibi nuncupavi, laudes *nimirum*, quas tibi promisi ô Deus, penitùs in memoriâ meâ insedent; *&* vota *illa* reddam
Quoniam eripuisti animam meam de morte, & pedes meos de lapsu, ut placeam coram Deo in lumine viventium.	13	Quum mihi, è faucibus mortis erepto &. à lapsu in sepulchrum prohibito, copiam feceris divino cultui in templo *tuo* vacandi.

sicut & in promissione tuâ. Rabbini: *Nonne in libro tuo sunt*, insulsè: si enim sint in libro, Vates frustra petebat ut *poneret in utre suo*. LXX. textum Hebræum, non aliter atque hodie exstat הלא &c. legisse mihi videntur: sed quum docti illi viri interrogationem affirmationi parem esse; & Deum regiam dignitatem Davidi promisisse scirent vocem הלא *nonne* affirmativè enuntiarunt; & dictionem ספרתך *narrationem tuam* explicarunt de promissione per Prophetas enarratâ: non generali, quam in se sperantibus fecit ut putat Flaminius, sed peculiari quæ exstat II. Reg. III. 18. & Psal. LXXXVIII. 19. & seq.

a de Nomin. mutat.

Deus. a Philo: ὁ Θεὸς τῆς ἀγαθότητός ἐστι τῆς αἰτίας ὄνομα idest, *Deus nomen est bonitatis principii.*

ut placeam &c. Heb. *ambulem*, eodem sensu: qui enim coram Deo ambulant, ei placent seu serviunt. Vide Gen. V. 22. VI. 9. XXIV. 40. III. Reg. VIII. 25. IX. 4. Psal. CXIV. 9.

in lumine viventium. nonnulli, *dum vivam*: alii, *inter viventes*: quæ explicatio ex præcedentibus elici videtur verbis in quibus Vates se ut mortuum considerat qd. *sum nunc veluti mortuus; at, quum vitali lumine. inter vivos, frui cœpero* &c. Verùm hoc non placet tum quia afflictio laudationes non impedit, tum quia non omnes vivi laudes Deo canunt. Ego, vota in superiore versu cernens, eáque cum Psal. CXV. 5. 7. 8. comparans; *& vi[...]*

ac *lumen* in Pſalmo XXXV. 10. templum reſpiciente, expendens exiſtimo *lumen viventium* nihil eſſe aliud quàm templum in quo Iſraelitæ amœnâ gratiæ vitâ donabantur & divini favoris lumine colluſtrabantur.

ARGUMENTUM.

PSALMI QUINQUAGESIMI SEXTI.

PRÆFIXUS huic carmini titulus illud, *quum fugeret David à facie Saul in ſpeluncam*, conſcriptum fuiſſe docet; maximáque Interpretum pars hiſtoriam, quæ I. Reg. XXIV. deſcribitur, heic repræſentari conſentit: &, inter alios, Genebrardus nonum Pſalmi verſum (ubi Davidis hoſtes in foveam, quam paraverant, cecidiſſe dicuntur) componit cum laudati Regum capitis verſu 5. in quo Saulem in manus Davidis incautum incidiſſe legimus. Longè ab his Interpretibus abeo; nec præfatam hiſtoriam heic attingi puto, his fretus rationibus. David verſ. 4. 5. 6. liberatum ſe dicit ab iis qui ipſum conculcabant, qui inſtar leonum ſæviebant, quique ipſum maledictorum notis inurebant. At hæc deſcriptio Sauli in ſpeluncam Engaddi ingreſſo nullatenus congruit: tunc enim ille Davidem nec conculcabat, nec contumeliis lacerabat; neque in eam ſpeluncam venerat ut beato Davidi noceret quum huc alvi levandæ cauſſâ acceſſiſſet, nec Davidem ibi deliteſcere ſciret. Ego, ad quartum & ſeptimum Pſalmi verſus, ubi hoſtium conculcantium & foveam effodientium mentio fit, attendens eaſdémque loquutiones in Pſalmis VII. 16. LV. 1. 2. animadvertens, ſuſpicabar unam eandémque hiſtoriam in tribus his Pſalmis recitari; nihílque inter eos intereſſe niſi quod Pſalmi VII. & LV. Davidem peri-

culis cinctum adumbrarent; Psalmus autem LVI. iisdem perfunctum proponeret: & quòd duo primi meram precationem continerent; postremus verò gratiarum actionem adderet, quam & David in ultimo Psalmi VII. versu pollicitus fuisset. Hæc sententia eò mihi arridebat magis quòd loquutioni huic, *exaltare super cælos Deus*, sensum hunc, *laudibus suprà cælos evehere ô Deus*, inesse existimabam; & titulum ac duos primos versus cum præfatâ sententiâ optimè cohærere arbitrabar eò quòd David, in speluncam Engaddi contendens, orandi simul & laudandi materiam haberet: orandi quidem ob labores qui supererant subeundi, laudandi autem ob suam ex Ziphæorum Saulísque manibus liberationem. Sed quum locum I. Reg. XXII. 7. 8. 9. legissem; atque ex Psalmo CVII. 5. alium ab eo, quem rebar, sensum sub hac loquutione, *exaltare suprà cælos Deus*, subjectum esse didicissem, prædictam suspicionem deposui; & gratiarum actionem à Psalmo nostro abesse cognovi: sicque habui persuasum meram in eo contineri orationem quam beatus David, speluncam Engaddi petens, adhibuerit, & in quâ acceptum paulò antè beneficium, nempe suam à Ziphæis & Saule liberationem memoraverit, ut nova impetraret beneficia. Cæterùm nonnulli, à Græco Corderii Paraphraste laudati, aiunt *hunc Psalmum esse Macchabæorum adhuc in malis versantium & à calamitatibus liberari postulantium.* Theodorus autem, in Corderianâ Catenâ productus, hunc Psalmum, ut & præcedentem, iisdem tribuit Macchabæis: sed, inquit, *in præcedenti quidem Psalmo loquitur de iis, tanquàm in calamitatibus, constitutis & gravia tolerantibus, atque idircò Dei opem implorantibus; heic verò tanquam de agentibus gratias pro victoriis obtentis, licet pusillo*

aliqua

aliquo adhuc superstite residui mali. Verùm qui totum Psalmum, & ea quæ dixi, accuratè expenderit, neutram, opinor, sententiam probabit : eámque etiam rejiciet quæ Psalmum Davidi in speluncam Odollam eunti adscribit.

TITULUS.

In finem ne disperdat. David in tituli inscriptionem cùm fugeret à facie Saul in speluncam.

PSALMUS LVI.		PARAPHRASIS.
Miserere mei Deus, miserere mei quoniam in te confidit anima mea,	1	Miserere mei Deus, miserere mei quoniam anima mea confidit tibi,
Et in umbra alarum tuarum sperabo donec transeat iniquitas.	2	Et in ope tuâ spem habeo donec transeat iniquitas *temporum.*
Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi:	3	Deum invoco altissimum, qui *insigni* me beneficio *nuper* ornavit:
Misit de cœlo; & liberavit me: dedit in opprobrium conculcantes me.	4	Mihi *namque* è cœlo auxilium misit; & me *eo, in quod adductus eram, periculo* liberavit : illósque, qui me insectabantur, probro affecit, *eos demigrare & ab incœpto desistere cogens.*
Misit Deus misericordiam suam; & veritatem suam: & eripuit animam meam de medio catulorum leonum, dormivi conturbatus.	5	Suam Deus misericordiam *tunc* impertitus est mihi; & suam, *in promissis servandis,* fidem ostendit: méque è medio catulorum leonum, *quos inter* dormiebam conturbatus, eripuit.

ANNOTATIONES.

ne disperdas. Rabbino Aben Ezra assentior existimanti prædicta verba fuisse initium carminis ad cujus melodiam hic Psalmus fuerit decantandus. Codex Colbertinus 158. eundem heic habet titulum atque in Psalmo præcedenti.

in opprobrium. ad historiam, quæ 1. Reg. XXIII. 28 exstat, alludere videtur: nam turpitudinis nota eis inuritur qui à proposito abire coguntur.

& eripuit &c. mutilus est ac depravatus Hebræus textus, qui habet נפשי בתוך לבאים *anima mea in medio leonum.* LXX. legisse videntur ויצל נפשי מתוך לבאים *& eripuit animam meam è medio leonum.* Hæc verò lectio Hebraicæ præponenda videtur tum quia in versu præcedenti habetur *liberavit*; tum quia nullo eget additamento ut probum efficiat sensum.

de medio. dices: quomodo erat David in medio hostium quum ab iis non teneretur, sed fugam semper arriperet? Respondet Kimchius Davidem, huc & illuc divertentem & latebras propter metum Saulis & militum ejus captantem, perinde fuisse ac si in medio eorum constitutus esset. Ego respondeo Davidem in medio hostium censeri quia non procul ab iis aberat. Confer Psal. LXVII. 14.

conturbatus. Rabbini, לחשים *flammantium* sup. *in medio.* additamentum illud inusitato, hac in re, verbo junctum dubiam facit mihi Rabbinorum lectionem, pro quâ LXX. Sones habuisse בנחל colligo ex Psal. XXIX. 9.

6 *Filii hominum, dentes eorum arma & sagittæ; & lingua eorum gladius acutus.*

Me, inquam, eripuit ab *iis* hominum filiis quorum dentes, armis nempe sagittæ; & lingua eorum gladio acuto similes *famam meam lacerabant ac rodebant.*

7 *Exaltare super cœlos Deus, & in omnem terram gloria tua.*

Hæc quum ita sint Domine, mihique tam benignè anteà adfueris, tuam *nunc* potentiam, *meâ gratiâ,* exere ô Deus ostendendo te cœlorum esse Dominum; & tua sic fortitudo, *in me adjuvando,* emicet ut toti te telluri præsidere planum fiat.

8 *Laqueum paraverunt pedibus meis, & incurvaverunt animam meam;*

Insidias mihi hostes *anteà* struxerant, meámque in summas angustias compulerant animam;

9 *Foderunt ante faciem meam foveam: & inciderunt in eam.*

Et laqueum in viâ, *per quam iturus eram,* tetenderant *ut eo implicarer:* sed in ipsum, *quod mihi paraverant, laqueum* inciderunt *quum ipsa, quam adversus me susceperant, expeditio irruptioni Philisthinorum locum dederit.*

10 *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo, & psalmum dicam.*

Canendæ huic liberationi paratum est cor meum ô Deus, paratum est cor meum: cantabo, & hymnum dicam.

filii hominum. explicat qui sint leones illi, & ait. *Hi leones nihil sunt aliud quàm filii hominum* &c. Vide Psal. LVII. 5.

gloria. idest lingua quæ vocatur ***gloria*** quia est instrumentum gloriæ divinæ celebrandæ præsertim destinatum, ut observat in hunc locum Muisius. Vide Psal. XV. 10.

11 *Exsurge gloria mea, exsurge psalterium & cithara: exsurgam diluculò.*

Exsurge lingua mea, exsurge psalterium & cithara: exsurgam *ego* diluculò.

12 *Confitebor tibi in populis Domine, & Psalmum dicam tibi in gentibus:*

Celebrabo te Domine inter populos *mihi adhærentes*, & te inter gentes, *à partibus meis stantes*, canam:

13 *Quoniam magnificata est usque ad cœlos misericordia tua; & usque ad nubes veritas tua.*

Quoniam tua *erga me* misericordia tam magna fuit quàm est distantia cœli à terra; & tua, *in præstandis, quæ mihi feceras, promissis*, fides tam grandis exstitit quàm est distantia hinc ad nubes.

14 *Exaltare super cœlos Deus, & super omnem terram gloria tua.*

Verùm, quum tanto me favore prosequutus anteà fueris, tuam *nunc* potentiam, *meâ caussâ*, exere ô Deus ostendendo te cœlorum esse dominum; & tua sic fortitudo, *in me adjuvando*, emicet ut toti te telluri præsidere planum fiat.

confitebor &c. Hic versus, cum Psal. XVII. 54. & CVII. 3. collatus, aliquam de Ethnicis suspicionem mihi injiciebat, ac ferè suadebat Davidem de Paganis à se victis loqui; idémque heic argumentum atque in laudato Psalmo CVII. tractari. Sed quum ex Psal. II. 1. ***populis*** & ***gentibus*** Judæos interdum denotari meminissem; & Psalmum nostrum Ethnicis vix accommodari posse observassem, prædictam suspicionem à me propulsavi.

gloria. sumi heic videtur pro fortitudine: quæ ***gloria*** nomine insignitur quia illa Deum eximiè ornat, Deúsque gloriosum se præbet quum fortitudine suâ utitur. Confer Psal. XCII. 1.

ARGUMENTUM.

PSALMI QUINQUAGESIMI SEPTIMI.

CALUMNIAM à Saule in Davidem adhibitam fuisse constat ex multis Scripturæ locis: &, quando Regis ad exemplum subditi ferè componuntur, dubium non

est quin Judæorum, Saulino imperio subjectorum, plerique Davidem etiam calumniati fuerint; hujusque rei luculentum in I. Reg. XXIV. 10. testimonium exstat. Hos homines Psalmista perstringere videtur; nec sat habens eos in præcedentis carminis versibus 5. 6. attigisse, peculiarem de illis sermonem, nostro in Psalmo, instituit: &, quam in præfatis versibus usurpaverat, loquutionem repetit in hujusce nostri Psalmi versu 6. unde discimus eosdem, in utroque Psalmo, homines notari; sed ex laudato Regum capite colligimus ea in Psalmo nostro recoli tempora quæ egressui ex speluncâ Engaddi successerunt; quum præcedens carmen illud respiciat tempus quo David in eam speluncam contendebat. Græcus Corderii Paraphrastes, & Theodorus, in Corderianâ Catenâ productus, Psalmum Macchabaicis temporibus accommodant: minus benè, ut mihi quidem videtur.

TITULUS.

In finem ne disperdas. David in tituli inscriptionem.

PSALMUS LVII.

1 *SI verè utique justitiam loquimini, recta judicate filii hominum:*

2 *Etenim in corde iniquitates operamini: in terra injustitias manus vestræ concinnant.*

PARAPHRASIS.

SI verè utique justa loquimini *ut jactatis* humiles *Saulis* consiliarii, rectè de me judicate:

Sed contrariam initis viam: nam *tantùm abest ut æquum, de meâ innocentiâ, judicium feratis ut* iniqua in corde vestro *adversùm me* machinemini: *& conceptas in mente injustitias* manus vestræ palàm perficiant.

ANNOTATIONES.

in finem &c. Cod. Colb. 158. *in finem ne disperdas in tituli inscriptionem Propheta de senioribus Judæorum dicit.*

ſi verè utique. Rabbini, *num verò ô congregatio*: ſenſu minùs tecto, ut vel ipſo apparet B. Hieronymo qui vertit *ſi verè utique.*

filii hominum. Iidem videntur eſſe atque ii qui in Pſal. LVI. 6. perſtringuntur, nempe Saulis conſiliarii: quos, per contemtum, vocat בני אדם *filios hominum*, utpote qui humana ac terrena tantùm ſaperent; totúmque conferrent ſtudium ad benevolentiam Saulis blanditiis & aſſentationibus colligendam. Gall. *des ames baſſes* ex Latino *mens a anguſta & humilis*: b *humilis & imbecillus animus*, ſeu c *animus abjectus & jacens.* Abjecti illi aſſentatores ſumtuoſiùs ſe atque inſolentiùs de juſtitiâ jactabant ut populo faciliùs ſuaderent vera eſſe quæ contra Davidem dicebant; nec iniquum eſſe judicium quod in eum pronuntiabant aſſerentes eum morte eſſe dignum quòd adversùs Saulem conſpiraſſet. Huc reſpicere videntur Pſalteriana verba.

a Cic. Poſtq. in ſen.
b de Finib.
c de Amic.

Alienati ſunt peccatores à vulva, erraverunt ab utero; loquuti ſunt falſa.

3 Improbi, *de quibus ſermonem habeo, homines* ab æquitate deflexerunt ex quo è vulva prodierunt, aberraverunt à juſtitiâ ex quo tempore è *materno* utero egreſſi ſunt; *&* falſa, *ab incunabilis*, loquuti fuere.

Furor illis ſecundùm ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas:

4 *Unde* furore *nunc adversùs me* ardent inſtar ſerpentis, *&* inſtar aſpidis ſurdæ auréſque ſuas obtùrantis:

Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter.

5 Quæ incantantium & venefici, quantumvis periti, vocem non audit; *nec eorum cantationibus venenum deponit. Hæc, inquam, animalia imitantur: ſuas enim aures obturant; nec ullis, quamlibet ſapientibus, admonitionibus à concepto, adversùs me, furore revocantur.*

Deus conteret dentes eorum in ore ipſorum; molas leonum confringet Dominus.

6 *Verùm* dentes, quibus *famam meam* lacerant conteret Deus in ore ipſorum; *&* leonum *iſtorum* molas, *quæ me verborum contumeliis obterunt*, confringet Dominus.

quæ non exaudiet &c. Ut ſerpentes fuiſſe aliquos qui incantarentur ex iſto loco conjicimus, atque ex d Platone, e Lucilio, f Virgilio, g Ovidio, h Silio Italico, & i Plinio diſcimus, ita quoſdam, qui incantari non poſſent, ſerpentes fuiſſe colligimus ex Pſalteriano verſu. k Lucifer Calaritanus minùs benè legit, quæ non exaudivit vocem incantantium *incantatoris, quæ incantatur à ſapiente*; nec rectiùs S. Hilarius, *medicamentis medicatis à ſapiente.* Paulò meliùs B. Aug. cum Sixt. edit. *medicamenti medicati à ſapiente.*

conteret. Rabbini in utroque hemiſtichio imperativum adhibent, ſed ex ſequentibus refelluntur futuris; quæ nec SS. Hilarii & Auguſtini lectioni *confregit* favent.

d in Euthyd. Ἡ' μ[illegible] &c.
e in fragm. apud Nonium in voce COLUBRA *Jam diſrumpetur* &c.
f Eclog. 8. *Frigidus in pratis* &c. Æneid. 7. *Vipereo generi* &c.
g Metam. lib. 7. *Vipereas rumpo* &c.
h lib. 3 *Marmarida medicum* &c.
i Hiſt. nat. lib. XXVIII. cap. 2. col. 716 edit. Ald. lin. 20.
k pro S. Athan. lib. I. p. 131. C. to. 4. Bibl. Patr.

TITULUS.

Pro populo qui à sanctis longè factus est David in tituli inscriptionem cùm tenuerunt eum Allophyli in Geth.

PSALMUS LV.

1 *MIserere mei Deus quoniam conculcavit me homo, totâ die impugnans tribulavit me.*

2 *Conculcaverunt me inimici mei totâ die: quoniam multi bellantes adversùm me.*

3 *Ab altitudine diei timebo; ego verò in te sperabo:*

4 *In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi; non timebo quid faciat mihi caro.*

5 *Totâ die verba mea execrabantur; adversum me omnes cogitationes eorum in malum.*

PARAPHRASIS.

MIserere mei Deus quoniam vexat me Saul, jugi*que* suâ vexatione me opprimit.

Inimici mei continuis me malis obterunt: nam multi sunt qui me oppugnant.

Timeo *interdum* ne, progrediente tempore, *debellent me*; *sed statim* meam in te spem defigo:

Et, Deo confisus, sermones, *quibus regnum Israeliticum* mihi promisit, extollo, *atque* in Deo spero; nec humanas omnes, adversum me, machinationes extimesco.

Hæc autem mea, *quibus factum mihi de regno Israelitico promissum extollo*, verba *hostes mei* indesinenter execrantur; *&* mentem omnem in me perdendo figunt.

ANNOTATIONES.

in tituli inscriptionem. pro voce מכתם de quâ ad tit Psal. XV, dixi; & quam Hieronymiaster heic vertit *humilis* (מך) atque *perfectus* (תם) Noster legebat מכתב: de quâ dictione erudieris in laudato Psalmi XV. loco. Codex Colb. 158. titulum sic repræsentat: *in finem ne disperdas David in tituli inscriptionem cùm fugeret à facie Saul in speluncâ. vox Ecclesiæ ad Christum.* Codex Reg. 138. Vulgato titulo consentit.

conculcavit. idest, interprete Theodoro, *contrivit præ multitudine malorum & consumsit.*

ab altitudine diei. ut dies inclinare dicitur, nihil vetat quominùs dicatur *ascendere*: præsertim quum nos Galli dicamus, *le jour est haut*; atque hinc meam peto explanationem. Rabbini: *ô excelse, die quo timebo ego tibi fidam.* Hæc non placet versio 1°. quia addenda est dictio *quo*; 2°. quia loquutio *ô excelse* commodam sedem non habet. LXX. pro *marom* legerunt *mirom*.

timebo &c. S. Hilarius: *ab altitudine dierum non timebo quia multi qui debellant me timebunt*, S. Aug. *totâ die ab altitudine diei: quoniam multi qui debellant me timebunt.*

Ego verò &c. Theodoritus, cum Regiis ac Colbertinis Codicibus Græcis, habet: *ab altitudine. Deo non timebo; ego verò in te sperabo.* Particula negativa ab Hebræo textu abest, ut & à Vulgatâ: quæ, toto hoc io versu, Hebræis vocibus consonat.

meos. Heb. *ejus*, eodem sensu: nam iidem sermones dicuntur sermones Dei utpote ab eo per Samuelem prolati, & sermones Davidis eò quod eum respiciant. Hos porrò sermones ad promissum regnum, cum Aben-Ezra & Kimchio, refero ob seriem quæ huic magis favere videtur interpretationi quàm Theodoritianæ φλυζήμενός &c. *loquens, Dei memoriâ meos sermones orno; & oppugnatus, tua cura confidens hostes despicio.* Objici quidem posset vero non esse simile ut David, vivente Saule, suam io regnum electiooem prædicaret; sed hanc objectionem elevant locus I. Reg. XXIII. 17. & Saulis rejectio per Samuelem promulgata I. Reg. XIII. 14.

6 *Inhabitabunt, & abscondent: ipsi calcaneum meum observabunt.*

Eam ob rem congregantur, delitescunt: ipsi*que* vestigia mea observant *ut captum me vitâ spolient.*

7 *Sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo salvos facies illos? In irâ populos confringes.*

Quando *autem* vitam mihi eripere *sic* student, hoc eorum scelus, immeritò admissum, feresne impunitum, patiendo eos esse incolumes? *Quin potius* iratus populares *mihi infensos* contere.

8 *Deus vitam meam annuntiavi tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo*

Vitam meam erraticam tuis subjicio oculis ô Deus: mearum, *quæso*, lacrymarum rationem habe

inhabitabunt. seu incolent: *positum est*, inquit S. Athanasius, pro *congregabuntur. Congregari* autem *dixit incolere*, ait Theodorus, *quia incolarum quodammodo proprium est ut ibidem simul sint & conversentur.*

sicut. Heb. כַּאֲשֶׁר. Gallicæ voci *comme* respondet qd. *& comme ils m'observent pour me perdre* &c. Rabbini minùs benè vertunt *dum.*

sustinuerunt. accipitur pro *exspectaverunt*: eo sensu quem habes in Psal. CXVIII. 95. nec LXX. peccant: quia, ut notat Theodorus, *qui sustinet ut quid fiat, expectando sustinet donec fiat.* S. Augustinus, *sicut sustinuit anima mea.* Sixtina editio, *sicut sustinuit anima mea.*

pro nihilo. Aben-Ezra & Kimchius vertunt *propter iniquitatem* sup. *eorum erga me.* Theodoritus & Euthymius, exponunt *facilè*: illique omnes id cum sequenti verbo junguot. Ego præcedenti connecto, & interpretor *immeritò*, seu *injustè*: quomodo nos Galli dicimus *ils me persecutent pour rien*, c'est-à-dire *injustement.*

salvos facies illos. Hoc admirativè & ioterrogarivè cum Kimchio sumi debet ut notat Muisius: cui explanationis Kimchiaoæ *iniquitatem* ita probare enucleanti non assentior: *num super iniquitate, quam in me exercent, erit illis evasio? num pœnam iniquitati debitam effugient?* Theodoritus, consentiente Euthymio, legit *ἄσως expelles.*

populos. Israelitas cum Kimchio intelligo. Vide annot. ad Psal. II. 1. LXVI. 3.

confringes. SS. Hilarius & Augustinus, *deduces.* S. [a] Hieronymus ait, *pro dejicies malè errorem obtinuisse confringes*; additque *dici posse juxta Hebræum depone*: sed idem manet sensus sive *confringes* dixeris, aut *dejicies* & *depone.* [a] Epist. 135.

annuntiavi. Heb. *numerasti tu*, ineptè omninò: Deus enim, ex quo fugas hoc est vitam erraticam Davidis numeravit, non habet necesse ut ejus lacrymas in conspectu suo ponat: siquidem lacrymas in conspectu ponere, & numerare seu numeratas habere fugas idem sunt. LXX. Senes pro ספרתה אתה *numerasti tu* legebant ספרתי לך *narravi*, seu *annuntiavi tibi.*

posuisti. præt. pro futuro imperativi locum tenente, ut alibi jam notavimus: sicque versio nostra cum Hebræo, qui imperativum habet, textu consentit, quanquam putem nostros legisse שמת pro שׂימה.

in conspectu tuo. Heb. *in utre tuo*, minùs benè: nec enim ita loqui solemus. LXX. legerunt בנגדך pro בנאדך.

Sicut & in promissione tuâ; tunc convertentur inimici mei retrorsum. 9 Ut promisisti; *túncque* inimici mei retrocedent.

In quacumque die invocavero te, ecce cognovi quoniam Deus meus es; 10 Quoties auxilium tuum, *præterito tempore*, imploravi, ecce beneficum te sum expertus;

In Deo laudabo verbum; in Domino laudabo sermonem: in Deo speravi; non timebo quid faciat mihi homo. 11 *Unde*, Deo *tam benigno* confisus, *factum mihi de regno* promissum *nunc* prædicabo; &, Domino nixus, *idem* promissum celebrabo: meámque in Deo spem ponam; nec timebo quicquid adversùm me moliatur Saul.

In me sunt Deus vota tua; quæ reddam laudationes tibi 12 Vota *porrò* quæ tibi nuncupavi, laudes *nimirum*, quas tibi promisi ô Deus, penitùs in memoriâ meâ insedent; & vota *illa* reddam

Quoniam eripuisti animam meam de morte, & pedes meos de lapsu, ut placeam coram Deo in lumine viventium. 13 Quum mihi, è faucibus mortis erepto & à lapsu in sepulchrum prohibito, copiam feceris divino cultui in templo *tuo* vacandi.

sicut & in promissione tuâ. Rabbini: *Nonne in libro tuo sunt*, insulsè: si enim sint in libro, Vates frustra petebat ut *poneret in utre suo.* LXX. textum Hebræum, non aliter atque hodie exstat הלא &c. legisse mihi videntur: sed quum docti illi viri interrogationem affirmationi parem esse; & Deum regiam dignitatem Davidi promisisse scirent vocem הלא *nonne* affirmativè enuntiarunt; & dictionem ספרתך *narrationem tuam* explicarunt de promissione per Prophetas enarratâ: non generali, quam in se sperantibus fecit ut putat Flaminius, sed peculiari quæ exstat II. Reg. III. 18. & Psal. LXXXVIII. 19. & seq.

Deus. a Philo: ὁ Θεὸς γὰρ ἀγαθότητός ἐστι τοῦ αἰτίου ὄνομα idest, *Deus nomen est bonitatis principii.*

a de Nomin. mutat.

ut placeam &c. Heb. *ambulem*, eodem sensu: qui enim coram Deo ambulant, ei placent seu serviunt. Vide Gen. V. 22. VI. 9. XXIV. 40. III. Reg. VIII. 25. IX. 4. Psal. CXIV. 9.

in lumine viventium. nonnulli, *dum vivam*: alii, *inter viventes*: quæ explicatio ex præcedentibus elici videtur verbis in quibus Vates se ut mortuum considerat qd *sum num veluti mortuus; at, quum vitali lumine inter vivos, frui cœpero* &c. Verùm hoc non placet tum quia afflictio laudationes non impedit, tum quia non omnes vivi laudes Deo canunt. Ego, vota in superiore versu cernens, eáque cum Psal. CXV. 5. 7. 8. comparans; & *vitam*

ac *lumen* in Psalmo XXXV. 10. templum respiciente, expendens existimo *lumen viventium* nihil esse aliud quàm templum in quo Israelitæ amœnâ gratiæ vitâ donabantur & divini favoris lumine collustrabantur.

ARGUMENTUM.

PSALMI QUINQUAGESIMI SEXTI.

PRÆFIXUS huic carmini titulus illud, *quum fugeret David à facie Saul in speluncam*, conscriptum fuisse docet; maximáque Interpretum pars historiam, quæ I. Reg. XXIV. describitur, heic repræsentari consentit: &, inter alios, Genebrardus nonum Psalmi versum (ubi Davidis hostes in foveam, quam paraverant, cecidisse dicuntur) componit cum laudati Regum capitis versu 5. in quo Saulem in manus Davidis incautum incidisse legimus. Longè ab his Interpretibus abeo; nec præfatam historiam heic attingi puto, his fretus rationibus. David vers. 4. 5. 6. liberatum se dicit ab iis qui ipsum conculcabant, qui instar leonum sæviebant, quique ipsum maledictorum notis inurebant. At hæc descriptio Sauli in speluncam Engaddi ingresso nullatenus congruit: tunc enim ille Davidem nec conculcabat, nec contumeliis lacerabat; neque in eam speluncam venerat ut beato Davidi noceret quum huc alvi levandæ caussâ accessisset, nec Davidem ibi delitescere sciret. Ego, ad quartum & septimum Psalmi versus, ubi hostium conculcantium & foveam effodientium mentio fit, attendens easdémque loquutiones in Psalmis VII. 16. LV. 1. 2. animadvertens, suspicabar unam eandémque historiam in tribus his Psalmis recitari; nihílque inter eos interesse nisi quod Psalmi VII. & LV. Davidem peri-

culis cinctum adumbrarent; Psalmus autem LVI. iisdem perfunctum proponeret: & quòd duo primi meram precationem continerent; postremus verò gratiarum actionem adderet, quam & David in ultimo Psalmi VII. versu pollicitus fuisset. Hæc sententia eò mihi arridebat magis quòd loquutioni huic, *exaltare super cælos Deus*, sensum hunc, *laudibus suprà cælos evehere ô Deus*, inesse existimabam; & titulum ac duos primos versus cum præfatâ sententiâ optimè cohærere arbitrabar eò quòd David, in speluncam Engaddi contendens, orandi simul & laudandi materiam haberet: orandi quidem ob labores qui supererant subeundi, laudandi autem ob suam ex Ziphæorum Saulisque manibus liberationem. Sed quum locum I. Reg. XXII. 7. 8. 9. legissem; atque ex Psalmo CVII. 5. alium ab eo, quem rebar, sensum sub hac loquutione, *exaltare suprà cælos Deus*, subjectum esse didicissem, prædictam suspicionem deposui; & gratiarum actionem à Psalmo nostro abesse cognovi: sicque habui persuasum meram in eo contineri orationem quam beatus David, speluncam Engaddi petens, adhibuerit, & in quâ acceptum paulò antè beneficium, nempe suam à Ziphæis & Saule liberationem memoraverit, ut nova impetraret beneficia. Cæterùm nonnulli, à Græco Corderii Paraphraste laudati, aiunt *hunc Psalmum esse Macchabæorum adhuc in malis versantium & à calamitatibus liberari postulantium.* Theodorus autem, in Corderianâ Catenâ productus, hunc Psalmum, ut & præcedentem, iisdem tribuit Macchabæis: sed, inquit, *in præcedenti quidem Psalmo loquitur de iis, tanquàm in calamitatibus, constitutis & gravia tolerantibus, atque idcircò Dei opem implorantibus; hic verò tanquam de agentibus gratias pro victoriis obtentis, licet pusillo*

aliqua

aliquo adhuc superstite residui mali. Verùm qui totum Psalmum, & ea quæ dixi, accuratè expenderit, neutram, opinor, sententiam probabit: eámque etiam rejiciet quæ Psalmum Davidi in speluncam Odollam eunti adscribit.

TITULUS.

In finem ne disperdas. David in tituli inscriptionem cùm fugeret à facie Saul in speluncam.

Psalmus LVI.		Paraphrasis.
Miserere mei Deus, miserere mei quoniam in te confidit anima mea,	1	Miserere mei Deus, miserere mei quoniam anima mea confidit tibi,
Et in umbra alarum tuarum sperabo donec transeat iniquitas.	2	Et in ope tuâ spem habeo donec transeat iniquitas *temporum.*
Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi:	3	Deum invoco altissimum, qui *insigni* me beneficio *nuper* ornavit:
Misit de cœlo, & liberavit me: dedit in opprobrium conculcantes me.	4	Mihi *namque* è cœlo auxilium misit; & me *eo, in quod adductus eram, periculo* liberavit: illósque, qui me insectabantur, probro affecit, *eos demigrare & ab incœpto desistere cogens.*
Misit Deus misericordiam suam; & veritatem suam: & eripuit animam meam de medio catulorum leonum, dormivi conturbatus.	5	Suam Deus misericordiam *tunc* impertitus est mihi; & suam, *in promissis servandis,* fidem ostendit: méque è medio catulorum leonum, *quos inter* dormiebam conturbatus, eripuit.

ANNOTATIONES.

ne disperdas. Rabbino Aben Ezra assentior existimanti prædicta verba fuisse initium carminis ad cujus melodiam hic Psalmus fuerit decantandus. Codex Colbertinus 158. eundem heic habet titulum atque in Psalmo præcedenti.

in opprobrium. ad historiam, quæ I. Reg. XXIII. 28 exstat, alludere videtur: nam turpitudinis nota eis inuritur qui à proposito abire coguntur.

& eripuit &c. mutilus est ac depravatus Hebræus textus, qui haber נפשי בתיך לבאים *anima mea in medio leonum.* LXX. legisse videntur ויצל נפשי מתוך לבאים *& eripuit animam meam è medio leonum.* Hæc verò lectio Hebraicæ præponenda videtur tum quia io versu præcedenti habetur *liberavit*; tum quia nullo eget additamento ut probum efficiat sensum.

de medio. dices: quomodo erat David in medio hostium quum ab iis non teneretur, sed fugam semper arriperet? Respondet Kimchius Davidem, huc & illuc divertentem & latebras propter metum Saulis & militum ejus captantem, perinde fuisse ac si iu medio eorum constitutus esset. Ego respondeo Davidem in medio hostium censeri quia non procul ab iis aberat. Confet Psal. LXVII. 14.

conturbatus. Rabbini, לחטים *flammantium* sup. *in medio.* additamentum illud inusitato, hac in re, verbo junctum dubiam facit mihi Rabbinorum lectionem, pro quâ LXX. Sones habuisse בבחל colligo ex Psal. XXIX. 9.

Filii hominum, dentes eorum arma & sagittæ; & lingua eorum gladius acutus.	6	*Me, inquam, eripuit* ab *iis* hominum filiis quorum dentes, armis nempe sagittæ; & lingua eorum gladio acuto similes *famam meam lacerabant ac rodebant.*
Exaltare super cœlos Deus, & in omnem terram gloria tua.	7	*Hæc quum ita sint Domine, mihique tam benignè anteà adfueris,* tuam *nunc* potentiam, *meâ gratiâ,* exere ô Deus ostendendo te cœlorum esse Dominum; & tua sic fortitudo, *in me adjuvando*, emicet ut toti te telluri præsidere planum fiat.
Laqueum paraverunt pedibus meis, & incurvaverunt animam meam;	8	Insidias mihi hostes *anteà* struxerant, meàm*que* in summas angustias compulerant animam;
Foderunt ante faciem meam foveam: & inciderunt in eam.	9	*Et* laqueum in viâ, *per quam iturus eram*, tetenderant *ut eo implicarer*: sed in ipsum, *quod mihi paraverant, laqueum* inciderunt *quum ipsa, quam adversus me susceperant, expeditio irruptioni Philisthinorum locum dederit.*
Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo, & psalmum dicam.	10	*Canendæ huic liberationi* paratum est cor meum ô Deus, paratum est cor meum: cantabo, & hymnum dicam.

filii hominum. explicat qui sint leones illi, & ait. *Hi leones nihil sunt aliud quàm filii hominum* &c. Vide Psal. LVII. 1.

gloria. idest lingua quæ vocatur *gloria* quia est instrumentum gloriæ divinæ celebrandæ præsertim destinatum, ut observat in hunc locum Muisius. Vide Psal. XV. 10.

Exsurge gloria mea, exsurge psalterium & cithara: exsurgam diluculò.	11	Exsurge lingua mea, exsurge psalterium & cithara: exsurgam *ego* diluculò.
Confitebor tibi in populis Domine, & Psalmum dicam tibi in gentibus:	12	Celebrabo te Domine inter populos *mihi adhærentes*, & te inter gentes, *à partibus meis stantes*, canam:
Quoniam magnificata est usque ad cœlos misericordia tua; & usque ad nubes veritas tua.	13	Quoniam tua *erga me* misericordia tam magna fuit quàm est distantia cœli à terra; & tua, *in præstandis, quæ mihi feceras, promissis*, fides tam grandis exstitit quàm est distantia hinc ad nubes.
Exaltare super cœlos Deus, & super omnem terram gloria tua.	14	*Verùm, quum tanto me favore prosequutus anteà fueris*, tuam *nunc* potentiam, *meâ caussâ*, exere ô Deus ostendendo te cœlorum esse dominum; & tua sic fortitudo, *in me adjuvando*, emicet ut toti te telluri præsidere planum fiat.

confitebor &c. Hic versus, cum Psal. XVII. 54. & CVII. 3. collatus, aliquam de Ethnicis suspicionem mihi injiciebat, ac ferè suadebat Davidem de Paganis à se victis loqui; idémque heic argumentum atque in laudato Psalmo CVII. tractari. Sed quum ex Psal. II. 1. *populis* & *gentibus* Judæos interdum denotari meminissem; & Psalmum nostrum Ethnicis vix accommodari posse observassem, prædictam suspicionem à me propulsavi.

gloria. sumi heic videtur pro fortitudine: quæ *gloria* nomine insignitur quia illa Deum eximiè ornat, Deúsque gloriosum se præbet quum fortitudine suâ utitur. Confer Psal. XCII. 1.

ARGUMENTUM.

PSALMI QUINQUAGESIMI SEPTIMI.

CALUMNIAM à Saule in Davidem adhibitam fuisse constat ex multis Scripturæ locis: &, quando Regis ad exemplum subditi ferè componuntur, dubium non

est quin Judæorum, Saulino imperio subjectorum, plerique Davidem etiam calumniati fuerint; hujusque rei luculentum in I. Reg. XXIV. 10. testimonium exstat. Hos homines Psalmista perstringere videtur; nec sat habens eos in præcedentis carminis versibus 5.6. attigisse, peculiarem de illis sermonem, nostro in Psalmo, instituit: &, quam in præfatis versibus usurpaverat, loquutionem repetit in hujusce nostri Psalmi versu 6. unde discimus eosdem, in utroque Psalmo, homines notari; sed ex laudato Regum capite colligimus ea in Psalmo nostro recoli tempora quæ egressui ex speluncâ Engaddi successerunt; quum præcedens carmen illud respiciat tempus quo David in eam speluncam contendebat. Græcus Corderii Paraphrastes, & Theodorus, in Corderianâ Catenâ productus, Psalmum Macchabaicis temporibus accommodant: minus benè, ut mihi quidem videtur.

TITULUS.

In finem ne disperdas. David in tituli inscriptionem.

PSALMUS LVII.

1 *SI verè utique justitiam loquimini, recta judicate filii hominum:*

2 *Etenim in corde iniquitates operamini: in terra injustitias manus vestræ concinnant.*

PARAPHRASIS.

SI verè utique justa loquimini *ut jactatis* humiles *Saulis* consiliarii, rectè de me judicate:

Sed contrariam initis viam: nam *tantùm abest ut æquum, de meâ innocentiâ, judicium feratis ut* iniqua in corde vestro *adversùm me* machinemini: *& conceptas in mente injustitias* manus vestræ palàm perficiant.

ANNOTATIONES.

in finem &c. Cod. Colb. 158. *in finem ne disperdas in tituli inscriptionem Propheta de senioribus Judæorum dicit.*

si verè utique. Rabbini, *num verò ô congregatio*: sensu minùs recto, ut vel ipso apparet B. Hieronymo qui vertit *si verè utique.*

filii hominum. Iidem videntur esse atque ii qui in Psal. LVI. 6. perstringuntur, nempe Saulis consiliarii: quos, per contemtum, vocat בני אדם *filios hominum*, utpote qui humana ac terrena tantùm saperent; totúmque conferrent studium ad benevolentiam Saulis blanditiis & assentationibus colligendam. Gall. *des ames basses* ex Latino *mens a angusta & humilis*: b *humilis & imbecillus animus*, seu c *animus abjectus & jacens.* Abjecti illi assentatores sumtuosiùs se atque insolentiùs de justitiâ jactabant ut populo faciliùs suaderent vera esse quæ contra Davidem dicebant; nec iniquum esse judicium quod in eum pronuntiabant asserentes eum morte esse dignum quòd adversùs Saulem conspirasset. Huc respicere videntur Psalteriana verba.

a Cic. Post q. in sen.
b de Finib.
c de Amic.

3 *Alienati sunt peccatores à vulva, erraverunt ab utero; loquuti sunt falsa.*

Improbi, *de quibus sermonem habeo, homines* ab æquitate deflexerunt ex quo è vulva prodierunt, aberraverunt à justitiâ ex quo tempore è *materno* utero egressi sunt; & falsa, *ab incunabilis*, loquuti fuere.

4 *Furor illis secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas:*

Unde furore *nunc adversùs me* ardent instar serpentis, & instar aspidis surdæ auresque suas obturantis:

5 *Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.*

Quæ incantantium & venefici, quantumvis periti, vocem non audit; *nec eorum cantationibus venenum deponit. Hæc, inquam, animalia imitantur: suas enim aures obturant; nec ullis, quamlibet sapientibus, admonitionibus à concepto, adversùs me, furore revocantur.*

6 *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum; molas leonum confringet Dominus.*

Verùm dentes, quibus *famam meam* lacerant conteret Deus in ore ipsorum; & leonum *istorum* molas, *quæ me verborum contumeliis obterunt*, confringet Dominus.

quæ non exaudiet &c. Ut serpentes fuisse aliquos qui incantarentur ex isto loco conjicimus, atque ex d Platone, e Lucilio, f Virgilio, g Ovidio, h Silio Italico, & i Plinio discimus, ita quosdam, qui incantari non possent, serpentes fuisse colligimus ex Psalteriano versu. k Lucifer Calaritanus minùs benè legit, quæ non exaudivit vocem incantantium *incantatoris, qua incantatur à sapiente*; nec rectiùs S. Hilarius, *medicamentis medicatis à sapiente.* Paulò meliùs B. Aug. cum Sixt. edit. *medicamenti medicati à sapiente.*

conteret. Rabbini in utroque hemistichio imperativum adhibent, sed ex sequentibus refelluntur futuris; quæ nec SS. Hilarii & Augustini lectioni *confregit* favent.

d in Euthyd. [illegible] &c.
e in fragm. apud Nonium in voce *COLUBRA Jam disrumpetur* &c.
f Eclog. 8. *Frigidus in pratis* &c. Æneid. 7. *Vipereo generi* &c.
g Metam. lib. 7. *Vipereas rumpo* &c.
h lib. 3. *Marmarida medicum* &c.
i Hist. nat. lib. XXVIII. cap. 2. col. 716. edit. Ald. lin. 20.
k pro S. Athan. lib. I. p. 131. C. 10. 4. Bibl. Patr.

Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens; intendit arcum suum donec infirmentur.

7 Evanescent tanquam aqua quæ diffluit; *&* suum *in eos* arcum intendet *Deus* donec exterminentur.

Sicut cera, quæ fluit, auferentur: supercecidit ignis, & non viderunt solem.

8 Sicut cera, quæ liquescit, dissolventur: ignis*que divinæ ultionis* super eos cadet, & solem *cum reliquis mortalibus* non videbunt *amplius*.

Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhammum, sicut viventes sic in irâ absorbebit eos:

9 Antequam, *ô impii afflictores mei*, peccata vestra teneriores, quæ tandem adauctæ in rhammum evadunt, spinas *imitata ad summum cumulum deveniant*, *abripiet vos Deus* in irâ suâ tam celeriter quàm solent abripi illi quos terra vivos absorbet:

Lætabitur justus quum viderit vindictam; manus suas lavabit in sanguine peccatoris;

10 Justi *autem mei commilitones*, visâ *hac* vindictâ, lætabuntur; *&* suas in sanguine improborum *nostrorum hostium* manus, *summâ cum voluptate*, lavabunt;

Et dicet homo, si utique est fructus justo, utique est Deus judicans eos in terrâ.

11 *Dicént*que *cæteri* homines, quum justos *hæc* maneat merces *ut eorum inimici pœnas dent*, utique est Deus qui *justos illos* in terrâ defendat.

ad nihilum &c. loquutio hæc isto in opere plerunque sonat *spernere*: unde SS. Hilarius & Augustinus heic legunt *spernentur*. Verùm *annihilationem* hoc in loco significare videtur ex adjunctâ (quam locus II. Reg. XIV. 14. explicat) similitudine & secundo hemistichio.

intendit. sup. Deus, ut ait Rasi; atque ex præcedenti versu & lege Synonimicâ colligitur: quòd non attendentes plerique Rabbini ineptè vertunt, *unusquisque impiorum sagittas suas intendit, sed non nocebunt illa ac si arcus esset succisus*.

donec. Non dubito quin antiqui Codices Hebræi pro כמי *quasi* aut *sicut* habuerint עד כי: idque non parùm suadet B. Hieronymus qui ex Hebræo vertit *donec*.

sicut cera &c. Rabbini: *sicut limax, quæ fluit, abibit*; (sicut) *abortivum mulieris non videbunt solem*. Hujus interpretationis vitium quatuor patefaciunt. 1°. dictio תמס *fluit* quæ ceræ non limacis propria est ut patet ex Psal LXVII. 2. XCVI. 5. 2°. verbum יהליך *abibit*, pro quo legi debere יהלכו *abibunt*, *auferentur* ostendunt Senes nostri & sequens plurale *videbunt*. 3°. additamentum *sicut* ut abortivum recipi possit. 4°. vox אשת quæ, quum in in regimine non sit, efferri sic deberet אשה. LXX. legerunt אש pro אשת; & totum rectè interpretati sunt versum: in quo si vocem שבלול (quod vix credo ob hujus insolentiam vocis quæ hoc tantùm in loco comparet) non דונג legerunt, majorem sanè fidem merentur quàm Rabbini, auctores novi adeóque antiquis magistris postponendi.

supercecidit. causalem particulam nonnulli præponunt sic: cadet *enim* ignis; sed non est necesse, quanquam ignem cum cerâ (quæ præcessit) Scriptura alibi jungat.

intelligerent. idest sciant & discant se esse rhamnum, seu in Rhamnum crescant: quomodo Kimchius ex Mischnâ verbum יבינו interpretatur.

spina vestra. ita ex Hebræis vertunt Aben-Ezra & Rasi: iis sine dubio anteponendi qui interpretantur *olla vestra.*

rhamnum. est maxima spina; eâque summa peccata denotantur pro more Scripturæ, quæ peccatum *spinam* nuncupat ut observat Theodoritus, cui Psal. XXXI. 4. favet.

eos. mutatio personæ: cui quominùs me accommodem vetat perspicuitas cujus, ut Paraphrastem decet, sum studiosus.

justus. nomen collectivum quod pro justis, quemadmodum in Psal. XXXVI. 12. 17. 22. accipitur, uti ex versus sequentis pronomine *eos* apparet.

ARGUMENTUM.

PSALMI QUINQUAGESIMI OCTAVI.

Explicandus à nobis Psalmus titulum habet quo docemur prædictum Psalmum compositum fuisse quum misit Saul & custodivit domum Davidis ut eum interficeret, quæ historia I. Reg. XIX. 11. describitur. Ego, non Regio, qui præfato titulo caret, Codice 138. nixus; neque laudato in Catenâ Corderianâ Theodoro fretus qui præfatum titulum vel non legebat aut contemnebat, quum Psalmum vexatis Macchabæis accommodet: his, inquam, momentis non adductus; sed exquisitioribus impulsus rationibus existimo prædictum titulum spurium esse nec Psalmo ullatenus congruere. Loquitur Psalmus de hostibus ad vesperam revertentibus vers. 7. 17. & perniciem clàm molientibus vers. 8. insupérque Davidem populo præsidentem repræsentat vers. 12. Hæc autem in Davidem à Saulis satellitibus in domo suâ obsessum non quadrant: nam 1°. obsidio illa nocte non vespere contigit ut apparet I. Reg. XIX. 11. 12. 2°. Hostes, de quibus Psalmus agit, exitium clam machinabantur ut ipse, falsâ licet ratione fretus, explicat Kimchius: nec enim audiendi sunt, viri

cæteroquin docti, Vatablus & Genebrardus quorum ille Davidis hostes in hæc verba, *quoniam quis audivit*, ideò erupisse ait quòd putarent Deum in cœlo dormire & res humanas non curare; hic verò eadem verba prædictis hostibus tribuit quasi sciscitarentur ubi esset David ut eum imparatum celeriter opprimerent, vel ad Regem traherent. Vatablus, inquam, & Genebrardus non sunt audiendi: siquidem illius explicatio verisimilitudinem non consequitur, hujus autem explanatio cum laudato Regum loco constare non potest. Quum igitur Psalteriani hostes calamitatem occultè struerent, illi utique Saulis satellites non erant: etenim nulla, cur se occultarent, caussa suberat quum Principis auctoritate essent instructi. Nec mihi ullo modo probatur Kimchius quum ait eos secretò colloquutos fuisse, veritos ne, si à Davide audirentur, pœnas ille, regno potitus, ab ipsis repeteret: mihi, inquam, Kimchius non probatur, quis enim credat talem metum in viros hujusmodi cadere potuisse? 3°. David, quum ista agerentur, populo præerat: at, quo tempore in domo suâ obsidebatur, privatus (etsi jam à Samuele unctus fuisset) homo erat, & nullum sibi subditum habebat populum; unde Psalmum Davidi in domo suâ obsesso adscribi non posse conficitur, nisi fortè *populum meum* de populo mihi subjiciendo vel de popularibus meis cum Genebrardo exponas: quod iis, opinor, non arridebit qui explanationes, quæ insolenter & raro obtinent, ab iis arcent locis in quibus alia reperiuntur momenta quæ insolentibus hujusmodi explanationibus non favent. Explosâ vulgari opinione, ostendam quis sit sensus meus. Initia conjurationis Absalomiticæ hoc Psalmo repræsentari arbitror: quum scilicet Davidis hostes clandestinis consiliis eum oppugnabant,

gnabant, & ultrò citróque per Hierosolymas discursabant ut Principis hujus existimationem occultè violarent, eique perniciem struerent. Quod ut faciliùs consequerentur, vespertinum tempus captabant, &, multam in noctem, conjurationi studium navabant: donec tandem fame cruciati in ædes suas diverterent, ubi murmur audiebatur nisi edulia, quibus famem explerent, citò apponerentur. Propositam à me de conjuratione Absalomiticâ sententiam versiculus 11. firmat: quum enim David testetur ostendisse sibi Deum super inimicos suos *ne occideret eos, ne quando obliviseeretur populus*, Absalomiticam innuit conjurationem: cujus auctores à Davide castigari nolebat Deus ut rex ille prænuntiatam à Nathane pœnam subiret; nec ejusdem pœnæ oblivio Judaicum unquam caperet populum: quò Principali pœnâ eruditus intelligeret quanto peccati odio teneatur Deus, qui dilecto à se principi impunitatem peccatorum non dedisset. Vide Psalmos VI. XXXVII. XL. ac LIV. & nostram, nisi fallor, sententiam probabis: præsertim si cogites laudatum Psalmi nostri versum 11. cum sequentibus manifestè pugnare nisi ad eam, quam aperui, sententiam trahatur.

TITULUS.

In finem ne disperdas. David in tituli inscriptionem, quando misit Saul & custodivit domum ejus ut eum interficeret.

Psalmus LVIII.		Paraphrasis.
Eripe me de inimicis meis Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me.	1	Eripe me ab inimicis meis Deus mi, & ab insurgentibus in me libera me.

ANNOTATIONES.

in finem &c. Codex Reg. 138. *in finem ne disperdas David in tituli inscriptione.*

Eripe me de operantibus iniquitatem, & de viris sanguinum salva me:	2	Eripe me à sceleratis, & me à viris sanguinariis tuere:
Quia ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes;	3	Nam ecce vitæ meæ insidiantur, *atque* adversùm me robusti hostes conspirant;
Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine: sine iniquitate cucurri, & direxi.	4	Nec *tamen, ò Domine,* conscius sum iniquitatis quam mihi affingunt, neque peccatum quod mihi accersunt commisi: *siquidem* vitæ curriculum *hactenùs* confeci *hujus* sceleris purus, & rectam inivi viam *suum cuique tribuendo.*
Exsurge in occursum meum; & vide: & tu Domine Deus virtutum Deus Israel,	5	Exsurge *itaque*, atque obviam mihi *opitulaturus* procede; & vide *quàm immeritò exagiter*: túque Domine, exercituum atque Israelitarum Deus,
Intende ad visitandas omnes gentes, non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem.	6	Animum intende ad puniendas omnes, *quæ mihi adversantur,* gentes, nec ullius misereat te scelestorum qui perniciem mihi machinantur.
Convertentur ad vesperam & famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem;	7	Vespere prodeunt, & *tanto in me inflammantur odio ut ab illo eos, toleranda quæ incumbit,* fames *non avertat: illam enim* ut canes patiuntur, & Urbem *in multam noctem, incœnati*, circumeunt;

ceperunt. pro *captarunt* seu *venati sunt*, hoc est capere studuerunt, ut patet ex Hebræi textus verbo ארבו *insidiati sunt*, dictione Græcâ ἐθήρευσαν *venati sunt*, & B. Augustino qui legit *venati sunt.*

irruerunt. non actu sed consilio, ut ex Hebræo liquet textu qui habet יגורו *congregantur* adversùm me, quòd conjuratorum est proprium.

sine iniquitate cucurri & direxi. Quod in præcedenti hemistichio dixit heic pro more repetit: unde facilè intelligimus depravatos esse hodiernos Hebræorum Codices in quibus legitur *sine iniquitate* ירוצון ויכוננו *cucurrerunt & direxerunt.* Cujus lectionis vitium ipse, qui ex eâ, nullo additamento reconcinnatâ, oritur sensus planè absurdus & Psaltis menti contrarius etiam patefacit: dici enim non potest Davidis hostes sine iniquitate cucurrisse & direxisse. LXX. legisse videntur ארוץ ואכון *cucurri & direxi.* fut. pro præt. ut suprà in verbo יגורו.

Deus Israel. Ex his, ut & infrà legendis verbis *& scient quia Deus dominabitur Jacob,*

suspicari quis posset agi, hoc in Psalmo, de Ethnicis; nec ullo modo respici Absalomitas: quippe qui Jacobæi seu Israelitæ essent: sed, quando in regem à Deo electum conspirabant, eos David tanquam à populo Dei secretos considerat; & Jacobæorum atque Israelitarum nomen suis tantùm sequacibus tribuit.

omnes gentes. populares intelligit: qui, propterea quòd in varias tribus divisi essent, *gentes* vocantur. Vide annot. ad Psal. II. 1 atque heic ut & in Psal. LIV. 9. 16. Absalomum (quem perire nolebat David) semper excipe; & cæteros solùm nefarios subditos intellige, sumens *omnes* pro multis ut Gen. VI. 12. Matth. III. 5. Marc. I. 5.

convertentur. idest *ibunt*, seu *venient*, quomodo verbum שׁוּב accipitur in nonnullis Scripturæ locis, præter eum II. Paral. XIX. 8. quem Muisius, juxta Hebræum codicem, heic adducit ut probet verbum *revertendi* pro *venire* simpliciter in Psalmo nostro usurpari.

8 *Ecce loquentur in ore suo, & gladius in labiis eorum: quoniam quis audivit.*

Atque ore suo, *cum iis quos conveniunt, adversùs me* loquuntur, & de nece mihi inferendâ deliberant: putant enim se à nemine audiri.

9 *Et tu Domine deridebis eos, ad nihilum deduces omnes gentes.*

Verùm Domine eos tu deridebis, & omnes *illas* gentes ad nihilum rediges.

10 *Fortitudinem meam ad te custodiam: quia Deus susceptor meus es; Deus meus, misericordia ejus præveniet me.*

Ego *interim* tuo nitar auxilio: siquidem opem mihi, ô Deus, *hactenùs* porrexisti, & Dei mei misericordia *hucusque* prævenit me: *sic ut in iis, quæ mihi apponebantur, insidiis non fuerim interclusus.*

11 *Deus ostendet mihi super inimicos meos ne occidas eos; nequando obliviscantur populi mei.*

Ad meos quod attinet inimicos, ostendisti mihi Domine eos à me non esse occidendos ne forte populi, imperio meo subjecti, *pœnæ, quam mihi per Nathanem comminatus es & quà præfati inimici afficere me debent*, obliviscantur.

quis. sup. Davidicorum: sermonem enim de conspiratione liberè conferebant existimantes ab eorum, qui Davidicas partes suscipiebant, nemine se audiri: quum tamen, ut ex hoc versu conjici potest, aliqui audirent & ad Davidem referrent; nisi malis Davidem spiritu prophetico hæc audiisse.

deridebis. accipitur pro exterminabis ut ex secundo hemistichio, cum Psal. LIX. 13. LXXII. 20. LXXVII. 65. collato, apparet: tractâ loquutione ex eo quod, ut dicitur Prov. I. 26. Deus in *interitu impiorum rideat*, sublimia eorum consilia videns irrita eósque ex magnâ spe deturbatos cernens. Quod autem heic vides *deridebis*, cum prece inferiùs adhibitâ *disperge*, *depone* non pugnat: Deum enim id rogare possumus quod futurum speramus aut scimus: sicque nos crebrò loquimur dicentes, *vous me ferez bien ce plaisir, je vous en prie.*

* *fortitudinem meam.* Heb. *ejus*, minùs benè: nisi dicatur cum Vatablo Davidem de se loqui in tertiâ personâ. Vide versus 18. 19. infrà.

ne occidas eos. Plerique Davidi tribuunt roganti Deum ne populares occidat; sed refelluntur ex vers. 6. 12. 13. præsertim 14. juxta Hebræos qui legunt *consume in ira*. Adde Psal. LIV. 16. S. Augustinus legit *demonstravit* pro *ostendet*.

12 *Disperge illos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine*

Meorum, inquam, inimicorum cæde mihi interdixisti Domine; sed tu, *qui ultionum es Dominus*, illos *meos inimicos* virtute tuâ *postmodùm* disperde, eósque Domine protector mi destrue

13 *Delictum oris eorum sermonem labiorum ipsorum; & comprehendantur in superbiâ suâ.*

Propter delictum oris eorum & sermonem labiorum ipsorum; atque arrogantiæ, *quâ vitæ meæ insidiari audent*, pœnas pendant.

14 *Et de execratione & mendacio annuntiabuntur in consummatione; in ira consummationis, & non erunt:*

Sed & propter execrandum, *quo jus à me non dici affirmant*, perjurium atque mendacium exterminentur; ac *tuæ*, quæ eos consumat, iræ permittantur, & non sint *ampliùs in vivis:*

15 *Et scient quia Deus dominabitur Jacob, & finium terræ:*

Istâque animadversione sciant quòd Deus Jacobæis & terræ *Israeliticæ regionibus* præest: *illos defendendos, & has à depopulatione tuendo.*

16 *Convertentur ad vesperam; & famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem,*

Sic, inquam, hostes mei puniantur: nam, ut jam dixi & repetere non piget, vespere prodeunt; & *tanto in me odio ardent ut ab illo eos, toleranda quæ incumbit*, fames *non avertat*: eam *enim* patiuntur ut canes, & Urbem, *ut contra salutem meam conjurent méque contumeliis proscindant, in multam noctem, incœnati*, circumeunt,

disperge. pro *perde* sumitur, ut Job. XL. 6. Psal. XCI. 9. J[illegible] XVIII. 17. Hab. III. 14. Zach. I. 21.

depone. sup. de hominum numero, hoc est *destrue*: quomodo legit S. Hilarius, & interpretatur apud Theodoritum Symmachus.

delictum. subaudio *propter* cùm ex versu sequenti tum ex S. Athanasio, Theodorito, & Anonymo in Catenâ Corderianâ laudato; ut & ex Chaldæo & Aben-Ezra. Hoc autem delictum superiùs explicatum est in versu 8. ad quem noster refertur.

& de. illud *de* idem valet ac *propter* ut If. LIII. 5. & multis aliis in locis ubi litera ם præfixa in hanc sententiam accipitur.

exsecratione & mendacio. idem sonant. Confer Os. IV. 2. X. 4. & a Ciceronem audi dicentem: *nihil interest inter perjurum & mendacem.* Novum hostium crimen Vates heic aperit nimirùm calumniam. Conjurationem contra salutem tetigerat in versu 8. S. Aug. pro *exsecratione* legit *maledicto*, non malè. a pro Q. Rosc.

annuntiabuntur &c. Id verbi interdum sumitur pro adscribi seu accenseri & numerari ut Psal. XXI. 34. LXXXVI. 7. unde *annuntiari in consummatione*; nihil est aliud quam numerari in consummatione, hoc est inter eos adscribi qui consumi ac destrui debeant: ex quo, ut & ex regulâ Synonymicâ, liquet errare Rabbinos qui, pro *consummatione*, vertunt *consume* S. Hilarius: *convellentur in consummatione: consummatio in ira consummationis.* S. Augustinus: *annuntiabuntur consummationes: in ira consummationis.*

in ira consummationis. sup. *annuntiabuntur*, est repetitio duplicata sic ut hoc in versu tres sint loquutiones Synonymicæ ut Psalm. I. 1. Confer Ezech. XIII. 13. & Psalm. LXXXIX. 7.

Jacob. pro iis sumitur Judæis qui à Davide stabant ut jam dixi Et *fines terræ* accipiuntur pro terrâ ipsâ seu terræ regionibus ut Psal. CIV. 30. 32. Jacobæos autem Vates memorat quia eos Absalomitæ vexaturi erant, & finium terræ meminit quia caussa suberat timendi ne terræ Israeliticæ præsertim Hierosolymitanæ iidem Absalomitæ depopulationem & vastitatem inferrent.

17 *Ipsi dispergentur ad manducandum; si verò non fuerint saturati, & murmurabunt.*

Divertentes *postmodùm* in domos suas *ut comedant*; & murmurantes si famem, *quâ laborant*, *celeriter* non expleverint.

18 *Ego autem cantabo fortitudinem tuam; & exultabo mane misericordiam tuam:*

Ego porrò tuam, *toto hoc ærumnæ tempore*, fortitudinem prædicabo; & misericordiam tuam manè extollam:

19 *Quia factus es susceptor meus, & refugium meum in die tribulationis.*

Nam defensor meus *hactenùs* fuisti, & opem mihi, in diebus afflictionis, tulisti.

20 *Adjutor meus tibi psallam quia Deus susceptor meus: Deus meus misericordia mea.*

Adjutor *ergo* mi laudem tibi dicam quia me *hactenùs* defendisti: mihíque, Deus mi, misericordiam *hucusque* impertitus es; *& te mihi nunc impertiturum spero.*

cantabo &c. quod versu 10. dixerat repetit; & *matutinum* addit tempus quia Judæi preces mane concipiebant; atque huc Vates, verbum *præveniet* in laudato versu 10. usurpans, respiciebat: quia enim oratio matutino tempore adhibebatur, Deus, eam exaudiens, hostiles præveniebat conatus qui reliquo diei tempore parari solent. Eos tamen non reprehenderem qui verbum *præveniet* in eam heic acciperent sententiam sub quâ subjicitur in Psal. XVII. 22.

ARGUMENTUM.

PSALMI QUINQUAGESIMI NONI.

EX superioris Psalmi argumento atque ex aliis nonnullis, quæ hoc in opere leguntur, colligi potest aliquos Psalmorum titulos veritate non esse fundatos; sed hujus rei certiora nuspiam argumenta reperias quàm in isto Psalmo. Ejus titulus docet Psalmum fuisse conditum quum *reversus est Joab, & duodecim millia Idumæorum in valle salinarum percussit.* At locus I. Paralip. XVIII. 12. ostendit Idumæos ab Abisai non à Joabo percussos fuisse; & eodem in loco ut & II. Reg. VIII. 13 decem & octo millia non duodecim millia cæsa fuisse legimus. Non me latet Kimchii, Bellarmini, Grotii, aliorúmque interpretum conciliatio; sed, pace eorum, dixerim conciliationem illam firmis fundamentis non esse innixam. Adhæc præfatus titulus duo heic bella, Idumæorum nempe & Syrorum quæ diverso tempore gesta sunt, permiscet. Denique Psalmum supponit editum post percussam in valle Salinarum Idumæam; & nihilominùs finis Psalmi illum, antequam Idumæa percuteretur, compositum fuisse demonstrat. Diu ego Psalmum expendi; & verum ejus sensum latentémque in eo historiam deprehendisse mihi videor collatis locis II. Reg. II. 4. 8. 9. 10. III. 18. V. 2. 17. & seq. VIII. 2. 5. 12. 13. 14. I. Paralip. XI. 2. Abd. I. 3. Ex iis locis constat 1°. Isbosethum, mortuo Saule patre ipsius, regnasse super Galaad, super Ephraim, &

ſuper Iſrael univerſum ; túncque ſolam domum Juda Davidi adhæſiſſe. 2°. celebrem exſtitiſſe prædictionem quâ promittebat Deus Davidem Iſraeli imperaturum ; & Iſraelem, duce Davide, victoriam à Philiſthinis & ab omnibus ſuis inimicis reportaturum. 3°. Idumæam ſub ditionem Davidis cecidiſſe poſt ſubactos Philiſthinos, Moabitas, Syros, Ammonitas, & Amalecitas. 4°. regiam Idumæorum urbem naturâ ac loco munitam fuiſſe. Hæc mecum omnia reputans, exiſtimavi Pſalmum à Davide conditum fuiſſe quum, dedito Iſraele & devictis Philiſthinis Moabitis aliiſque hoſtibus à me recenſitis, bellum cum Idumæis ſuſcepit : contra quos divinam, hoc in bello, opem implorat ; & Deum præſertim precatur ut facti ſibi promiſſi meminiſſe, illúdque omninò implere velit, Idumæos in ſuam ditionem redigendo. Promiſſum illud citata à me loca II. Reg. III. 18. V. 2. I. Paralip. XI. 2. attingunt ; ſed illud David fuſiùs heic deſcribit : quæ res notatu digna eſt, ùt & depopulatio Judaico agro, non ab Adarazere ut putat Kimchius, aut ab inimicis in libro Judicum enumeratis vel Philiſthinis ut cenſet Janſenius ; ſed ut mihi quidem ex verſu penultimo videtur, ab Idumæis illata : quæ etſi in libris Regum & Paralipomenων non memoretur, fidem tamen ex noſtro meretur Pſalmo ; niſi illum Judæis è captivitate Babylonicâ reducibus, cum Theodorito atque Euthymio accommodes : quod, ut mihi quidèm videtur, Pſalteriana ſeries non ſinit, etiamſi verſus 10. 11. cum Pſalmis XLIII. 11. CXXXVI. 9. collati eam, cujus memini, opinionem firmare aliquantulùm videantur præter verſus 1. 2. & 3.

TITULUS.

In finem pro his qui immutabuntur in tituli inscriptionem ipsi David in doctrinam quum succendit Mesopotamiam Syriæ & Sobal & convertit Joab & percussit Idumæam in valle Salinarum duodecim millia.

PSALMUS LIX.		PARAPHRASIS.
Deus repulisti nos, & destruxisti nos, iratus es; & misertus es nobis.	1.	Deseruisti nos ô Deus, & nos *calamitatibus* fregisti, *nobisque nuper* iratus es; sed nostri *nunc* miserere.
Commovisti terram, & conturbasti eam; sana contritiones ejus, quia commota est.	2.	Terram *Israeliticam hostilibus armis* concussisti; eámque *vastationibus, ab inimico illatis*, proscidisti: refice *nunc, quæso*, fissuras illius, nutat enim.
Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis;	3	Populo tuo acerbitates attulisti, & nos vino mœstitiæ pleno potasti;
Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus,	4	*Attamen Judæis* cultoribus tuis, significasti fore ut arcum evolent *hostilem*,
Ut liberentur dilecti tui: salvum fac dexterâ tuâ, & exaudi me.	5.	Tuique dilecti *ab inimicis* liberentur: *unde* victoriam dexterâ tuâ concede *nobis*, & me exaudi.

ANNOTATIONES.

in finem &c. Codices Reg. 232. & Colb. 1. 158. 1339. *in finem his* (& *pro his*) *qui immutabuntur in tituli inscriptionem David in doctrinam cùm succendit Syriam & convertit Joab & percussit vallem* (& *in valle*) *Salinarum XII. milia.* Reg. 138. *in finem pro his qui commutabuntur in tituli inscriptione David in doctrinâ cùm succendit Mesopotamiam Syria.* Memm. 2. *in finem pro his qui immutabuntur in tituli inscriptione David in doctrinâ cum succendit Syriam Mesopotamiam & Syria* (*leg.* Syriam) *Sobal, & convertit Joab & percussit vallem Salinarum XII. milia.* Quando titulus spurius est, operam in eo explanando non ponam. Dicam solùm Vulgati tituli auctorem in suo Codice Hebræo legisse ששנים pro שושן עדית; &, pro מכתם. legisse מכתב: quæ vox versui 13. capitis VIII. libri II. Reg. respondere videtur.

misertus es. præt. pro futuro imperativi locum tenente, ut patet ex sequenti imperativo *sana*, & verbo תשיבב *reverteris* quod Rabbini vertunt *revertere* sup. ad nos, hoc est miserere nobis. S. a Athanasius: Ἐπωργίσω &c. *punivisti nos, inquit; sed & miserere nostri: nam istud misertus es pro miserere posuit.*

a in Cat. Cord. p. 179.

vino

vine compunctionis. Theodoritus : τῷ πλήθει &c. *multitudine, inquit, calamitatum veluti quodam vino nobis torporem induxisti & nostros animos doloribus repletis.* Docta observatio ut apparet collatis locis Psal IV. 5. If. LI. 17. 22. S. Aug. *vino stimulationis dedisti* &c. Rabbini : *dedisti metuentibus te vexillum ad elevandum*, seu *extollendum propter veritatem.* Hunc sensum explodunt insulsitas ei adjuncta, & vox מפני quæ cum verbo נוס (*fugit*) construi solet, ut patet Jos. X. 11. II. Reg. XXIII. 11. I. Paral XI 13. If. XXXI. 8. & multis aliis locis : quorum postremus, à me indicatus, ostendit LXX. Senes legisse מפני קשת *à facie arcus* pro מפני קשט *propter veritatem.* *Signum* autem seu *significatio* accipitur pro miraculo, ut Num. XXVI. 10. hoc est pro vaticinatione : nam prophetica facultas à Deo est, adeóque inter res admirabiles adscribenda. Unde Isaias XLI. 23. *annuntiate quæ ventura sunt in futurum & sciemus quia Dii estis vos.* Quâ de re legendi sunt *a* Auctor Orphicorum Carminum, *b* Hesiodus, Pacuvius à *c* Gellio productus, *d* Horatius, *e* Manilius, *f* Juvenalis, *g* Statius, *h* Seneca, *i* Celsus, *k* Iamblichus, *l* Proclus Diadochus, & *m* Tertullianus. Illud porrò signum seu vaticinatio, de quâ Vates agit, exstat II. Reg. III. 18.

Deus locutus est in Sancto suo, lætabor: & partibor Sichimam & Convallem tabernaculorum metibor:	6	Deus, per * Sanctum suum *Samuelem*, loquutus est rem *quâ* lætor: *scilicet* partiturum me Sichimam & Convallem tabernaculorum, *pro arbitrio meo*, divisurum:
Meus est Galaad, & meus est Manasses, & Ephraim fortitudo capitis mei:	7	Meam fore Galaaditicam regionem, meam fore Manassis terram, Ephraimiticam gentem capiti meo futuram præsidio:
Juda rex meus, Moab olla spei meæ,	8	Meum, in Tribu Juda, regnum constitutum iri ; Moabitas vectigal mihi, uti speraveram, pensitaturos,
In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ subditi sunt.	9	Idumæam sub imperium meum casuram, Philistæos mihi subjectum iri.

Sichimam & convallem tabernaculorum. ea intelligit loca quæ Gen. XXXIII. 17. Jos. XX. 7. memorantur ; quæque, ut & illa quæ versu sequenti describuntur, erant præcipuæ partes regni Israel tici : cujus meminit David eò quòd illud recuperasset exturbato Isbosetho, quem Abner huic regno præfecerat II. Reg. II. v. 9.

metibor. idem quod *partibor* & utrâque voce possessio denotatur : nam ei, qui agros v. g. possidet, licet facere quicquid libitum fuerit, dividere pro arbitrio, & iis præficere quos voluerit. In hoc versu & tribus sequentibus David imperium describit quod, juxta Samuelis Vaticinationem, adeptus erat ; illudque variis modis exprimit : honorifica, quum de Israelitis loquitur, verba adhibens ; sed contumeliosis utens vocibus quum sermonem de exteris populis facit.

fortitudo. hoc ideò dictum quia gens Ephraimitica robore & militum numero insignis erat Vide Gen. XLVIII. 19. Deut. XXXIII. 17.

olla spei meæ. Quandoquidem ollis ad vilia ministeria utimur, Psalteriana loquutio significat Moabitas esse viles servos hoc est tributarios. Rabbinica versio *olla lotionis meæ* eodem recidit ; sed vereor ut sit admittenda eò quòd scutellas quidem in ollis lavamus, nos minimè. Locus Danielis III. 28. nostro favet interpreti spem pro olla vertenti. Favet &

a μήτι &c.
b μάντις &c.
c in XIV c. 1.
d Carm lib. III. Od. 29.
e lib. 5. *Pend Deos* &c.
f Satyr. 6 *Et genus humanum* &c.
g Thebaid. 3. *Quid crastina* &c.
h Suas 4
i apud Orig. contr. Cels. lib. 7. ἄπας &c.
k de Myster. *Vaticinium ipsum nec ab arte* &c
l interpr. Alcib. I.
m Apolog. c. 20.

* Confer II. Reg. III. 18. V. 2. I. Paral. XI. 3. Psal. LXXXVIII. 19.

a de instit virg. cap. 12.

Symmachus in Scholio Sixtino productus. S. *a* Amb. duplicem exhibet lectionem *aula* & *olla*.

extendam calceamentum meum. idest Idumæis calceos meos objiciam detrahendos, hoc est eis imperabo ut servis: servorum enim est proprium calceos detrahere, quod non solùm apud Hebræos obtinuit ut apparet. Matth. III. 11. Marc. I. 7. Luc III. 16. Joh. I. 27. sed etiam apud Ethnicos ut fidem faciunt testimonia *b* Æschyli, *c* Terentii, *d* Tibulli, &. aliorum.

b in Agamemn.
c in Heautont.
d Vincláque de Nivio &c.

alienigena &c. Philistæos seu Palæstinos, cum Theodorito, intelligo; & cum Bellarmino, dico eos vocari *alienigenas* quia nullam affinitatem habebant cum Israelitis. Heb. *super me Palæstina jubila*: eodem nobiscum sensu, ut Vatablum & Muisium legentibus patebit.

10 *Quis deducet me in civitatem munitam, quis deducet me usque in Idumæam?*

Hæc quum ita sint; & majorem hujus oraculi partem impletam viderim, quis deducet me *nunc* in munitam *Idumæorum* civitatem, quis deducet me usque in Idumæam *eámque in ditionem meam rediget?*

11 *Nonne tu Deus qui repulisti nos; & non egredieris Deus in virtutibus nostris?*

Nonne tu Deus qui *ab aliquo tempore* deseruisti nos; & nostros, *ut solebas*, exercitus non ducis?

12 *Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis.*

Auxiliare nobis eripiendo nos *ex eâ, in quâ versamur, angustiâ*: te enim solo nitimur; *nec spem in hominibus collocamus*: nam vana est, *quæ ab illis exspectatur*, salus.

13 *In Deo faciemus virtutem; & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.*

Deo opitulante egregia edemus facinora; & ipse inimicos nostros exitio dedet.

civitatem munitam. Rabba urbem Ammonitarum intelligunt nonnulli: quos non ex titulo, sed ex lege Synonymicâ & Psalterianæ orationis contextu rejicio. SS. Hilarius & Augustinus legunt *civitatem circumstantia*.

ARGUMENTUM.

PSALMI SEXAGESIMI.

JUDÆIS Babylonico jugo addictis aptatur hic Psalmus à Theodoro Heracleota, Theodorito, Euthymio, & Græco Corderii Paraphraste; à Kimchio autem Davidi Saulem fugienti accommodatur. Sed utrique opinioni

repugnat Psalmus. Priorem quidem versus quintus non probat: captivi enim Judæi eorúmque dux Zorobabel dicere non potuerunt *aliàs se exauditos & templo redditos fuisse.* Alteram autem opinionem nomen *Regis* ỳ. *6.* explodit: siquidem vero non est simile ut præfatum nomen à Davide, Saulem fugiente, usurpatum fuerit licet David unctus & regno destinatus tunc esset, illúmque Abigail I. Reg. XXV. 25. *regem suum* appellaverit. Ego Psaltem *à finibus terræ* vers. 2. clamantem audiens; atque ex II. Reg. XVII. 22. Davidem, ab Absalomo exagitatum, ultra Jordanem hoc est ad fines terræ Israeliticæ profugisse discens, existimo tempora Absalomitica hoc in Psalmo respici: quum scilicet David, Urbe exactus atque à Templo dissitus, divinam opem implorabat; & suam ex Dei misericordiâ ac veritate augurabatur restitutionem atque felicitatem, pro quâ gratiarum actionem promittebat.

TITULUS.

In finem in hymnis David.

Psalmus LX.		Paraphrasis.
Exaudi Deus deprecationem meam, intende orationi meæ.	1	Audi Deus clamorem meum, & orationem meam attende.
A finibus terræ ad te clamavi dùm anxiaretur cor meum: in petra exaltasti me,	2	A * finibus terræ *Israeliticæ* ad te clamo mœrore confectus, *dicens*, colloca me in loco securo,
Deduxisti me: quia factus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici.	3	*Et* ducem præbe te mihi: nam spes mea es; & turris fortissima adversùs hostem.

* Psalmus LXIV. 6. 8. cum hoc collatus versu, eum ad tempora Babylonica traducere, aut in eum discrepantiam conferre videtur; sed aliud judicium feret qui Argumentum expenderit, notaveritque *fines* in laudato Psalmo LXIV. amplo modo, heic augusto accipi: pro sacræ Scripturæ more, qui Pererium non latuit ut patet ex ejus Comment. in Gen. XV. 18. sub finem disput. 8 & totâ disput. 10.

ANNOTATIONES.

in finem &c Cod. Reg. 158. *in finem in hymnis Psalmus David. vox Ecclesiæ ad Dominum de Christo ejus.* Colb. 178. *in finem in ymnis Davit. vox popyli ad Dominum de Christo ejus.*

in petra exaltasti me præteritum pro futuro imperativi locum tenente ut Psal. LIX. 1. Rabbini בצור ירום ממני *in petram* (quæ) *altior me fit* sup. *deduc me*, ineptè : ut ex addendo pronomine *quæ* præsumitur, ex insulso colligitur sensu (qui non petit ut petra Vate altior sit : hoc enim pacto Vates ad illam pertingere non posset, adeóque illa inutilis ei esset) atque ex collato Psalmi XXVI. 10. loco demonstratur : ex eo enim loco perspicuum est LXX. Senes legisse & legi debere בצור תרוממני.

4 *Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula ; protegar in velamento alarum tuarum :*

5 *Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam ; dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.*

6 *Dies super dies Regis adjicies, annos ejus usque in diem generationis & generationis ;*

7 *Permanet in æternum in conspectu Dei : misericordiam & veritatem ejus quis requiret ?*

8 *Sic Psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi ; ut reddam vota mea de die in diem.*

4 Inhabitabo, *ut spero*, ad longos annos in templo tuo ; & tutus *ibi*, sub protectione tuâ, ero :

5 (Tu namque, ô Deus mi, orationem meam *aliàs* exaudivisti ; & me sociósque meos, nomen tuum reverentes, templo *olim* reddidisti.)

6 Addesque dies diebus *Davidis* regis, & annos ejus ad longam senectutem prorogabis ;

7 *Ipseque* divino cultui, per diuturnum tempus operam *in templo* dabit : quis enim misericordiam Dei ; ejúsque, *in promissis servandis*, constantiam animo complecti possit ?

8 Sic *porrò* fiet ut nomen tuum quam diutissimè celebrem ; &, ut mea, per singulos *vitæ meæ* dies, vota persolvam.

in sæcula. Hanc loquutionem, ut & istam *in diem generationis & generationis* ad Psalm. XX. 4. atque ad annot. ibid. exige ; & verbum *inhabitabo* ad metaphoram cum Jansenio & Corderio non traduces, præsertim si versum sequentem expendas ; neque Psalmus XXVI. 9. XXX. 26. nec regula Synonymica obstabunt : siquidem quominùs usurpata in his Psalmis figurata loquutio locum heic habeat impedire videtur sequens, qui de hæreditate loquitur, versus ; & regulam Synonymicam explanatio nostra non violat : idem enim est in templo versari, & divinam protectionem experiri.

hæreditatem. Confer Psal. LXXIII. 3. LXXVIII. 1. CXXVI. 4.

permanet in conspectu. Confer Deut. XVI. 16. & Psal. XCIX. 2. nec verbum *permanet* ut & *adjicies* expone *permaneat, adjicias*, cum nonnullis qui ad seriem attentos non adhibent animos. S. Augustinus, *permanebit*.

requiret. accipitur pro *nesciet* ut notat Euthymius, & videre est in Psal. XLIII. 23. ex quo suspicor LXX. Senes legisse מי יחקר *quis requiret* pro מן ינצרהו *præpara* (sup. *veritatem & misericordiam* quæ) CUSTODIANT EUM : quanquam scio verbum ינצר cum veritate jungi in Psal. XXX. 31. S. Hilarius, *quis requiret eorum ?* S. Augustinus, *quis requiret ei ?* S. Athanasius sermonem putat inversum, sicque ordinat ; *si quis exquisierit misericordiam & veritatem ejus, hic in perpetuis sæculis permanebit coram Deo.*

ARGUMENTUM.

PSALMI SEXAGESIMI PRIMI.

GRÆCUS Corderii Paraphrastes, Theodorus in Græcâ Patrum Catenâ, ab eodem Corderio publici juris factâ, prolatus, Theodoritus, atque Euthymius nostrum, ad Macchabaica tempora, carmen referunt. Illud ego ad Davidem ab Absalomo regiâ dignitate deturbatum traho; existimóque esse orationem à Davide ad suos commilitones tunc temporis habitam. Id verò conficio primùm ex quarti versus festino cursu cum II. Reg. XV. 14. collato. 2°. ex eodem quarto versu virum de suâ dignitate dejectum repræsentante. 3°. ex laudato versu nec non ex versibus 9. 10. qui perfidos, vanos ac mendaces, & spem in divitiis collocantes proponunt homines, quales fuisse Absalomitas didicimus ex Psal. IV. XXXIV. XXXVI. XLVIII. & LIV.

TITULUS.

In finem pro Idithun Psalmus David.

PSALMUS LXI.		PARAPHRASIS.
NOnne Deo subjecta erit anima mea, ab ipso enim salutare meum:	1	CErtè, *ô commilitones mei*, auxilium Dei anima mea patienter exspectabit, quum salus mihi ab ipso sit afferenda:
Nam & ipse Deus meus, & salutaris meus, susceptor meus. Non movebor amplius.	2	Quippe qui Deus meus sit, & sospitator meus, ac meus defensor. *Unde* nullo amplius timore afficiar; *& hostes audacter sic compellabo.*

ANNOTATIONES.

nonne. Hæc interrogatio huic respondet affirmationi *certè*, ut jam alibi notavimus. Undo

qui vertunt *tantummodò* aut *verumtamen* hallucinantur : Hebræâ delusi Scriptura אך אל אלהים, pro quâ LXX Senes legisse הלא לאלהים fatebuntur qui eorum attenderint versionem, & Psalmi XXXVI. 6. constructionem consideraverint.

salutaris meus. S. Hilarius, *salvator meus*.

movebor. in timendi accipitur sententiam quemadmodum in Psal. XVII. 10. XXXII. 8. XLV. 6. XLVII. 5. LXXVI 18. CVI. 27. Eccl. XLVIII. 21. If. VII. 2. Joel. II. 10. I. Macch. VI. 41. & in exteris auctoribus qui nostrum imitati sunt, ut ex *a* Cicerone liquet, Timor autem *motu* rectè denotatur : nam timor animum à tranquillo dimovet statu, eo enim emigramus quum metu concutimur. Unde Noster hanc in rem verbo *emigrabo* infrà doctè utitur.

a pro Dom. 11. Movebar animo, & de salute populi Romani extimescebam. 1. Ver. 41. habes commoveri animo & toto corpore perhorrescere.

3 *Quousque irruitis in hominem, interficitis universi vos: tanquam parieti inclinato & maceriæ depulsæ.*

Quousque in Davidem irruetis; & in eum, vos universi, ferro invadetis ac si, *qui eum tegebat, divini auxilii* paries esset disjectus; &, *quæ eum sepiebat, divinæ opis* maceria disturbata esset, *omniáque in eum licerent. Laborem profectò perditis ac profunditis.*

4 *Verumtamen precium meum cogitaverunt depellere; cucurri in siti: ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant.*

Illi quidem, *hostes, b socii* animum intenderunt ad me dignitate meâ depellendum; coactúsque *ego* fui tam celeriter fugere, ut sitim, *quâ laborabam*, explere non potuerim: *adeò me urgebant sævi illi hostes* qui *tamen anteà* ore suo blandiebantur mihi, quum animo vellent pessimè.

5 *Verumtamen Deo subjecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea:*

Verùm *hoc non impedit quominùs animam meam sic alloquar : tametsi magnis calamitatibus circumcludaris* ô anima mea, auxilium Dei patienter exspecta, ab ipso enim salus, quam præstolor, mihi præstabitur:

in hominem. de se loquitur in tertiâ personâ, ut jam non semel annotavimus & patet ex sequentibus.

interficitis. nonnulli *interficiemini*, sed versioni nostræ connexio favet; eámque Kimchius, & Jacob ben Nephtali sequuntur. Illud autem verbum *interficietis* explicatur à Theodorito: *homicidium spirantem animum geritis*, ab Euthymio : *cædi ac sanguinibus vacatis*. Ad illas me explicationes accommodavi, animadvertens favere eis prius hemistichium. S. Amb. *interficientes universos*. S. Aug. *interficite omnes*.

tanquam parieti &c. Theodoritus & Euthymius cum verbo *irruetis* construunt sic: *quousque irruetis in hominem infirmum* seu *in parietem ad ruinam vergentem*; sed malè : nam in parietem hujusmodi non irruimus; & superflua hoc pacto esset vox *tanquam*. Psaltæianæ loquutionis veram explanationem Psalmus LXXIX. 13. & Isaias V. 5. cum Psalmo

nostro collati suppeditabunt, dum ego annotabo nostrum Interpretem, Græcæ dictioni *ὡς* quæ dativo gaudet obsequutum, eodem casu usum fuisse.

verumtamen. pro *certè*, *verè*, seu *quidem* accipitur ut Psal. XXXVIII. 8. sed in versu sequenti ferè sumitur ut Psal. XXXI. 8.

precium. SS Hilarius & Augustinus legunt *honorem*: idque nominis in eam accipio sententiam quæ exstat in Psal. XLIV. 10. Heb. *precium ejus*. Noster, perspicuitati consulens, primam personam usurpavit.

cucurri in siti. Quæ in hoc Psalmo tractatur historia istam mihi probat lectionem: ex quâ conjicio LXX. Senes legisse רצתי בצמא *cucurri in siti* pro ירצו כזב *diligunt mendacium*. Quæ lectio, etsi cum sequentibus congruat, suspecta à me habetur ex versione nostrâ & tertio Psalmi IV. versu, in quo non lego verbum רצה sed אהב & בקש, etsi hæc verba sint Synonyma. Theodorus Heracleota & Græcus Corderii Paraphrastes habent *cucurrerunt* cum Theodorito atque Euthymio, non benè.

patientia mea. [a] Origenes, *ad ipsum Deum respicio, ipsum habens exspectationem & spem meam*. Sic quidem sumitur *patientia* in Psal. LXX. 5. sed primus Psalmi versus aliam nobis viam heic aperire videtur. [a] in Cat. Cord.

Quia ipse Deus meus, & salvator meus, adjutor meus. Non emigrabo;	6	Siquidem ipse est Deus meus, sospitator meus, & adjutor meus. *Itaque* non exstimesco *ô socii;*
In Deo salutare meum, & gloria mea: Deus auxilii mei, & spes mea in Deo est.	7	*Sed* salutis meæ, & meæ in regnum restitutionis spem in Deo defigo: meúmque à Deo auxilium spero, & mea in Deo spes sita est.
Sperate in eo omnis congregatio populi; effundite coram illo corda vestra: Deus adjutor noster in æternum.	8	Sperate in eo *pariter* vos omnes *mecum* congregati commilitones; eíque *omnes* cordis vestri angustias aperite: *erit enim* Deus adjutor noster perpetuò.
Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris: ut decipiantur ipsi de vanitate in idipsum.	9	Sanè *afflictores nostri*, cùm plebeii tum nobiles, longè opinione falluntur: *ita* ut ipsi se invicem decipiant ob vanam, *quam in opulentiâ suâ ponunt*, spem.

vani. idem quod *mendaces*. Per *stateras* autem judicia intelligit juxta S. Basilium, Theodoritum, & Euthymium: quorum prior hæc habet ψευδεῖς &c. *mendaces sunt homines corrupta habentes animi judicia*, hoc est opinione falluntur. Quòd spectat hanc loquutionem *filii hominum* bis repetitam, eam ad Psal. XLVIII. 2. exige, & idem utroque in loco dici cernes: indéque similitudinem argumenti colliges.

ut decipiantur &c. Rabbini: *ut ascendant ipsi præ vanitate simul* qd. si ascendat in alteram libræ lancem inanitas; in alteram verò universum humanum genus, profectò inanitas ipsa præponderabit, seu homines vanitate sunt ad unum cuncti leviores. Pulcher sensus; sed vereor ut ex Hebræis verbis elici possit. Ea quidem comparativum efficiunt literâ מ nomini cùm substantivo tum adjectivo aut participio passivo postpositâ; sed nullum scio exemplum in quo præfata litera infinitivo postposita comparativam vim habeat. Unde Hebræus textus mihi in suspicionem depravationis venit: præsertim ubi attendo ad locum Amos. VIII. 5. ex quo colligo LXX. Senes legisse לעות *ut pervertant*, seu *ut decipiant* pro לעלות *ut ascendant*.

de vanitate. illud *de* accipiendum videtur pro *propter* ut Psal. LVIII. 14.

10 *Nolite ſperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiſcere. Divitiæ ſi affluant nolite cor apponere.*

Nolite, *ut illi*, ſpem in divitiis iniquitate quæſitis collocare, & opibus rapinâ partis nolite inhiare *quaſi unicis belli nervis.* Divitiæ, *ſi decurſu temporis*, affluant nolite eas, *tanquam ſola vitæ præſidia*, diligere:

11 *Semel loquutus eſt Deus; duo hæc audivi: quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia; quia tu reddes unicuique juxta opera ſua.*

Siquidem ſemel loquutus eſt Deus *in monte Sinai*; duóque hæc *ex divino ſermone* accepi: *nimirùm* quòd Deo poteſtas ſit *ad puniendum malos*; & quòd tibi, Domine, miſericordia inſit *ad remunerandum probos*; *uno verbo*, quòd unicuique meritum præmium ſis perſoluturus. *Unde conficio, ô ſocii, hoſtes noſtros, utpote iniquitati deditos & opibus malè partis fretos, pœnam daturos; nos verò, ſi virtutem ſectemur &, contemtis divitiis, uno Deo nitamur, victoriam conſequuturos.*

nolite concupiſcere. Heb. ***ne vaneſcatis*** ſup. divitiis. Idem ſenſus: nam qui opibus vaneſcunt ſeu gloriantur, eas vehementer concupiſcere ſolent. Hunc porrò verſum cum Pſal. XXXVI. 17. XLVIII. 6. confer, & eadem ubique intueberis tempora.

ſemel loquutus eſt Deus* &c.** ait Vates ſe in ſermone, quem Deus in monte Sinai ſemel habuit, duo audiviſſe: nempe quòd poteſtate & miſericordiâ præditus ſic Deus: poteſtate ad puniendum malos, miſericordiâ ad remunerandum bonos. Theodoritus, δύο &c. ***Duo verò dicit: contra iniquos pœnam; & benignitatem quæ piis conceditur. Locum Exod. XX. 5. quem doctus ille Epiſcopus citat, aſpice; & rectum de illo judicium à Vate latum eſſe videbis.

ARGUMENTUM.

PSALMI SEXAGESIMI SECUNDI.

DAVIDI Saulem fugienti accommodatur hic Pſalmus à S. Athanaſio, Theodoro, Theodorito, Euthymio, Kimchio & compluribus aliis: à quibus abeſt Auctor anonymus à Græco Corderii Paraphraſte laudatus,

tus, qui ait Pſalmum *convenire iis qui in Babylone auxilium acceperant, & pro ſuo reditu orabant, ac pro Zorobabele qui poſt reditum imperabat.* Una *Regis* mentio, quæ in ultimo occurrit verſu, utramque ſententiam explodit : eáque mentio, deſerto II. Reg. XVII. 29. juncta; & cum tertio Pſalmi verſu collata, mihi ſuadet illud in Pſalmo noſtro recoli tempus quo David, ab Abſalomo fugatus & in deſerto manens, Dei potentiam contemplabatur, ejúſque miſericordiam prædicabat.

TITULUS.

Pſalmus David quum eſſet in deſerto Idumeæ.

Psalmus LXII.

Deus Deus meus, ad te de luce vigilo: 1

Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea; 2

In terrâ deſertâ, inviâ, & inaquoſâ, ſic in ſancto apparui tibi ut viderem virtutem tuam & gloriam tuam. 3

Paraphrasis.

Deus Deus mi ad te, primâ luce, animum intendo:

Téque anima mea ſitit, & caro mea vehementiſſimo tui deſiderio tenetur;

Atque in deſertâ *hac*, inviâ, & aquis deſtitutâ, *ubi verſor*, terrâ, non ſecùs ac in ſancto *Hieroſolymarum templo*, præſentem me tibi ſiſto ut potentiam tuam ac fortitudinem tuam contempler; *ſicque conſolationem mihi adhibeam, conſiderans poſſe te his me malis eripere.*

ANNOTATIONES.

in deſerto Idumea. ita cum B. Hilario impreſſo, S. Auguſtino, & Hieronymiaſtro legunt Codices Regii 138. 222. & Colb. 1 1339. Sed Cod. Colb. 158. & Memm. 2 cum omnibus, mecum communicatis, Regiis ac Colbertinis Codicibus Græcis, Hebræo textu, Theodorito, Græco Corderii Paraphraſte, atque Euthymio habent *Judeæ.* S. Hilarius in Codice Regio 769. neutram lectionem profert, doctè profectò: David enim, ab Abſalomo fugatus, in deſertum Judeæ (quod propriè eſt deſertum Ziph) ſe non contulit; multò minùs in deſertum Idumeæ ivit.

de luce. ideſt, ubi dies illuxit, ſeu mane: pro more ſcilicet Judæorum qui matutino tempore orabant. Vide Pſal. V, 3. 4.

ad te vigilo. hoc eſt evigilo, ſeu conſurgo ut preces tibi adhibeam, & laudes canam.

Confer Job. VIII. 5. & mecum, nisi fallor, opinaberis vocem חזה tu (quæ in hodiernis Hebræorum Codicibus legitur quæque ab iis, quos LXX. terebant, abfuisse videtur) ex illo Jobi loco in nostrum irrepsisse alicujus culpâ scriptoris qui præfatum pronomen, ad oram Psalteriani textus cum reliquis Jobi vocibus nostrarum similibus ab aliquo Doctore positum, in textum invexerit. Cicero 8. Phil. 30. verbum *vigilo* in nostram accipit sententiam pro *adesse animo, cogitare de aliquo* &c.

sitivit. sitivit potiùs quam esurivit dicit ut desiderii sui ardorem exprimat: quia enim sitis fame est intolerabilior, majori aquæ quàm panis desiderio tenemur. Unde suaviùs sitientes bibimus quàm comedimus esurientes: cujus rei caussam *a* Aristoteles, *b* Plutarchus, & *c* Macrobius afferunt ut notat Bochius, cui humaniores nostræ literæ multùm debent.

a Probl sect. 18 q. 5. & 6 p. 621. A. B. C. *b* Symp. lib 6. p. 686. q. 1. *c* Saturn, VII. 12, q 10.

quàm multipliciter. Rabbini legunt *cama*; & interpretantur *desideravit.* LXX. Senes legerunt *camma*, & rectè verterunt *quàm multipliciter.* Quâ etiam loquutione ardor desiderii denotatur: res enim, quæ multiplici desiderio appetitur, vehementer optatur. Multiplici illo desiderio Davidica caro Deum expetebat: quum enim variis calamitatibus debilitata fuisset, ad Deum, qui diversa vulnera ab illis calamitatibus inusta curaret, anhelabat; & multiplicibus flagrabat desideriis pro multiplicibus, quæ inflictæ fuerant, plagis.

caro mea. non longè hinc abit *d* Cicero quum *aures sitientes* dicit.

d lib. II. ad Attic. Ep. 14.

in terra &c. Genebrardus, in hunc Psalmum scribens, pugnantia loquitur. Nam, ex unâ parte, existimat repræsentari Davidem à Saule exagitatum & in deserto Ziph latitantem; ex alterâ veró parte verba illa *in sancto* explanans, Davidem ita loquentem introducit: *in terrâ hac deserta non aliter sum erga te affectus quam olim quum Hierosolymis omnia erant mihi prospera, & fruebar libero sancti Templi ingressu.* Atqui, quo tempore David, à Saule vexatus in deserto Ziph delitescebat, sanctuarium nondum erat exstructum in urbe Hierosolymâ, quæ tunc ad Jebusæos pertinebat, & in quâ David nunquam commoratus fuerat.

gloriam. sic vocat fortitudinem quia illa est Dei decor & ornamentum. Confer Psal. XCII. 1.

Quoniam melior est misericordia tua super vitas, labia mea laudabunt te:	4	Quando *autem* misericordia, quam *mihi hactenùs* impertitus fuisti, ipsâ, *quâ me donasti*, lucis usurâ præstantior est, labia mea te laudant:
Sic benedicam te in vitâ meâ, & in nomine tuo levabo manus meas:	5	Téque sic per totam vitam meam celebrabo; &, pro tuâ *in me* bonitate, laudem tibi, sublatis *in cœlum* manibus, dicam:
Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea; & labiis exultationis laudabit os meum.	6	Meâque anima, *quum illud tibi præconium tribuet*, pari, ac si optimis quibusque cibis adipe & pinguedine conditis satiaretur, voluptate afficietur; & os meum, laudes tuas canens, gestiet.

super vitas. Theodorus: Α'ντὶ &c. *pro super vitam, dixit super vitas.*

sicut adipe. Pinguibus cibis multùm delectabantur gentes istæ. Vide Job. XXXVI. 16. Psal. XXXV. 9. Is. LV. 2.

in nomine tuo. Theodoritus: ἐπὶ &c. *benignitatem tuam postulans.* Euthymius: *ad te, unum manus extendam*; vel, *invocato tuo nomine, eas extendam, & nullum aliud pos-*

cum auxilium. Quæ in præcedenti versu memoratur misericordia, cum Psal. LI. 10. LIII. 6. collata, aliò me trahit.

levabo &c. Dictum hoc pro more orantium qui manus in cœlum tollere solebant, ut innumeris patet exemplis cùm sacris tum profanis passim obviis.

7 *Si memor fui tui super stratum meum in matutinis meditabor in te quia fuisti adjutor meus.*

Tui demùm nocte memor ero, & te *unum* interdiu cogitatione complectar ob eam, quàm mihi *hactenùs* porrexisti, opem.

8 *Et in velamento alarum tuarum exultabo; adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua.*

Interim *illâ, cujus tot mihi hucusque specimina dedisti*, protectione tuâ *securus* gaudebo; &, *quia* tua me dextera *hactenùs* adjuvit, anima mea tibi adhærebit:

9 *Ipsi verò in vanum quæsierunt animam meam; introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.*

Ideòque hi, qui *me nunc oppugnant, hostes* inutile, ad vitam mihi eripiendam, studium conferent; *ipsimetque* morti dedentur, gladio peribunt, & vulpibus in escam cedent.

10 *Rex verò lætabitur in Deo; laudabuntur omnes qui jurant in eo, quia obstructum est os loquentium iniqua.*

Rex autem *David* Deum, *pro illâ victoriâ*, laudabit; & omnes, qui *eumdem Deum* colunt, *socii mei* in eo gloriabuntur ob obstructum iis os qui iniqua adversùs me loquuntur.

si memor &c. per *stratum* noctem, per *matutina* diem cum Græco Corderii Paraphraste intelligo; & particulam *si* in eam, quæ nobis familiaris est, accipio sententiam, *& si je me souviendray de vous la nuit & songeray à vous le jour.* idest: quid quod te unũ die ac nocte meditabor. Magis mihi hic sensus arrisit quàm iste, qui primâ fronte contẽnendus non videbatur eò quod initio Psalmi partim responderet partim cum Psalmo CXVIII. 62. congrueret: *porrò quum tibi nocturno, quo in lecto jaceo & divinis laudibus non teneor, tempore præconium tribuam, illud matutinis his, quæ nos divinæ laudi addicunt, horis multò magis usurpo* &c.

in matutinis. LXX. legisse videntur לבקרים *in matutinis* pro באשמרות *in vigiliis.*

me suscepit &c. subaudio *quia*, ut alibi sæpe contingit.

in vanum. pro iniquè seu immeritò à quibusdam accipitur, minùs benè ut quidem mihi videtur.

inferiora terræ. Etsi hac loquutione sepulchrum optimè intelligi posse scitem, Græci Paraphrastis interpretationem sequutus sum ob ultimum versus hemistichium quod insepultos innuit hostes: quanquam, ut contradictioni aditus præcluderetur & Davidicæ consuleretur mansuetudini, dici fortasse posset alios in sepulchris conditos fuisse, alios insepultos jacuisse.

qui jurant. Cultus, quod est nomen generis, per juramentum, idest speciem suam, explicatur populariter. Confer loca Deut. X. 20. Is. XLV. 24.

ARGUMENTUM.

PSALMI SEXAGESIMI TERTII.

DANIELI in leonum foveam conjecto hunc Psalmum allegorici Judæorum interpretes aptant consentiente Lyrano ; Theodoritus autem , Euthymius, & Kimchius eundem Psalmum Davidi Saulem fugienti accommodant. Illum ego ad Absalomiticæ conjurationis tempora refero ob versus 3. & 5. in quibus perniciem occultè structam cerno, quod est conjuratorum proprium ; & Absalomitis maximè convenit ut ostendimus ad Psal. LVIII. cujus nonnullæ loquutiones in Psalmo nostro usurpantur ; unde novum opinioni meæ pondus accedit : hæc enim loquutionum similitudo similitudinem argumenti non rarò denotat.

TITULUS.

In finem Psalmus David.

PSALMUS LXIII.

1 *EXaudi Deus orationem meam quum deprecor ; à timore inimici eripe animam meam.*

2 *Protexisti me à conventu malignantium , à multitudine operantium iniquitatem.*

PARAPHRASIS.

QUam *nunc* fundo orationem exaudi Deus ; *&* animam meam hostili metu libera.

Tuere me à cœtu improborum secretò *adversùs me* consultantium, *atque* à multâ sceleratorum , *in me conspirantium* , turbâ vindica me.

ANNOTATIONES.

In finem &c. Cod. Colb. 158. *in finem Psalmus David. vox Ecclesiæ de passione Christi.*
quum deprecor. S. Hilarius : *cùm tribuler.*

protexisti. præt. pro futuro imperativi locum tenente , ut patet ex textu Hebræo , Regiis ac Colbertinis Codicibus Græcis, Heracleotâ, Theodorito , Græco Corderii Paraphraste , Nicephoro, atque Euthymio qui imperativo utuntur cum Psalteriis Æthiopico atque Arabico.

Quia exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum:	3	Nam linguas suas ut gladium acuunt, *&* virulentum suum os *instar* arcus intendunt ut *Davidem*, *in administrando regno* innocuum, occultis *obtrectationum suarum* sagitris petant:
Subitò sagittabunt eum, & non timebunt; firmaverunt sibi sermonem nequam:	4	Statímque eum *maledictorum suorum telis* configunt, excusso *Dei atque hominum* timore; *&* nefarium, *quo me lacerant*, sermonem iterùm atque iterùm repetunt:
* *Narraverunt ut absconderent laqueos; dixerunt quis videbit eos.*	5	Quosque *mihi tendunt* laqueos occultare statuunt; aiúnt*que* eos à nemine deprehensum iri.
Scrutati sunt iniquitates: defecerunt scrutantes scrutinio;	6	Iniquitates, *quas in me accersant*, scrutantur: eás*que* accuratissimè & ad deliquium penè animi indagant;
Accedet homo ad cor altum. Et exaltabitur Deus.	7	*Illique* homines exitium meum initâ subductâque ratione meditantur. At exaltabitur Deus; *& se illis superiorem ostendet, eorum consilia, licet diu agitata & diligenter ponderata, dissolvendo.*
Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum; & infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum:	8	*Unde*, quas *mihi* imponent, plagæ similes erunt illis quas sagittæ, à parvulis vibratæ, infligunt; & linguarum eorum virulentia, *inutiliter in me contorta*, recidet in ipsos *magno eorum detrimento*:

* S. Hilarius, *disputaverunt.*

quia. S. Hilarius, *qui*; & ita legunt Rabbini. Sed idem ubique est sensus.

exacuerunt. Vatis comparatio a Thearidam non latuit: is quippe interrogatus an acutus esset quem acuebat gladius, acutior respondit quàm calumnia.

sagittent in occultis. Synesius Ep. 44. optimè ait obtrectatores *παρέχειν ἐξ ἀφανῆς ex obscuro vulnus infligere.*

subitò. Mihi non placet quæ multis probatur explicatio *ex improviso*; nec magis arridet quæ secundo hemistichio adhibetur à nonnullis interpretatio: *obfirmant se in scelere*, aut *pravum insidiarum consilium sequi decreverunt ut omninò perficiendum.*

accedet homo, est repetitio quâ significatur profunda & alta meditatio cordis, unde non abit Hebræa Scriptura *& intimum hominis & cor profundum*: etsi putem LXX. Senes legisse אל לב pro ולב. Cod. Reg. 138. 221. Colb. 1. 158. 1339. & Memm. 2. habent: *accedet homo & cor altum* cum S. Hilario in Cod, Reg. 769. quamvis in libris impressis legatur *ad cor altum.*

a apud Plutarch. in Lacon. Apopht. pag. 221. C.

& exaltabitur &c. Rabbini : *& sagittavit eos Deus : subitò fuerunt plagæ eorum.* Eadem, quæ hodie in Codicibus Hebræis exstant, verba (præter unam vocem פתאם pro quâ erat פתאום.) Senes nostri legerunt ; sed ea meliùs quàm Rabbini interpretati sunt, ut nemo non videt ; & vel una ostendit hæc, quæ manca est, loquutio : *fuerunt plagæ eorum.* Repetunt Hebræi *subitò* ; sed quorsum repetitio quum sensus aliunde est luculentus, & illâ repetitione parùm juvatur? Sixt. edit. *pro nihilo habuerunt eum lingua eorum* : S. Hilarius, *& nihil habuerunt contra ipsos lingua eorum.* Porrò ex versu nostro & sequenti hæc primi versus verba *à timore inimici* &c. ita, cum docto viro, explananda videbantur *ab hostium injuriis tuere vitam meam* : quum enim David hostiles conatus irritos fore sciret, caussa videtur subesse nulla cur timore afficeretur. Dico tamen ita esse comparatos homines ut, quum in periculo versantur, metuant etiamsi ab eo se liberandos norint. Adde quod David Christi, qui in passione timuit etiamsi victoriam sibi repositam esse sciret, personam gerens in metu esse debebat quamvis se victorem evasurum esse cognosceret.

9 *Conturbati sunt omnes qui videbant eos, & timuit omnis homo :*

Stupebúntque omnes qui eos videbunt *sic mulctatos*, & cuncti homines timore percellentur :

10 *Et annunciaverunt opera Dei, & facta ejus intellexerunt.*

Atque *illud* Dei opus prædicabunt, & *hoc* ejus factum prudenter expendent.

11 *Lætabitur justus in Domino, & sperabit in eo ; & laudabuntur omnes recti corde.*

Justus *verò* David Dominum celebrabit, suámque in eo spem jugiter ponet ; & omnes, *qui mihi adhærent*, probi laudibus efferentur.

opera. plurale pro singulari ut Hebræo apparet textu.

ARGUMENTUM.

PSALMI SEXAGESIMI QUARTI.

EN. ἐνίοις &c. *In nonnullis exemplaribus*, inquit Theodoritus, *additur canticum Hieremiæ & Ezechielis & populi peregrinantis cùm profecturi essent. Hæc non habentur neque in Hebraico, neque in aliis Interpretibus, neque apud Septuaginta in Hexaplo : sed aliquis, ut apparet, neque Psalmi sententiam attendens neque historiam tenens, hanc apposuit inscriptionem. Primùm enim Hieremias captivitatis particeps non fuit ; sed, optione concessâ vivendi ubi liberet, elegit in patriâ vitam degere. Quapropter verba Psalmi non conveniunt iis qui in captivitatem proficiscebantur, sed in captivitate de-*

gentibus. Græcus Corderii Paraphrastès, iisdem ferè verbis usus, Psalterianum explodit titulum : cui fides etiam non est adjungenda, tametsi de Judæis è servitute egredientibus atque in patriam proficiscentibus intelligatur; & Psalmus, cum Theodoro Heracleota, de præfatis Judæis, qui ob reditum gaudentes & Babylone adhuc commorantes, hunc hymnum Deo offerrent, exponatur. Nam, ut nihil de Jeremiâ dicam, qui quum in urbem Babylonem abductus non fuisset ex eâ proficisci non potuit; quique, ut credi par est, è vitâ ante finitam captivitatem Babylonicam, decesserat. Ut etiam Ezechielem, qui antequam solveretur captivitas mortem, teste S.[a] Epiphanio, obierat, omittam, versus duntaxat secundum, tertium, sextum, & septimum produco; & dico veri nullatenùs esse simile ut quæ iis versibus continentur verba à viris usurpata fuerint qui libertate donati essent, & quibus facta à Cyro fuisset copia redeundi in patriam. Illi sanè versus aliò nos ducunt; & nobis, ni fallor, ostendunt Psalmum nostrum à Vate aliquo Judæo (Aggæum ex Codicibus Reg. 222. Colb. 1. 158. 1339. Memm. 2. reor) servitutem Babylonicam serviente & reditum (qui ex toto Psalmo præsertim ex versu 12. instasse videtur) efflagitante compositum fuisse. Quando autem captivitas Babylonica eam, cui homines, antequam Christus nasceretur, addicti erant servitutem præsignabat, Psalmus, altiore sensu, *congregationem gentium, quæ Dominum laudaturæ sunt, nuntiat* ut ait B. Hilarius : qui, in Codice Regio 769. nullum huic Psalmo titulum præfigit, contra atque in impressis videmus libris, ubi legitur *in finem Psalmus David.*

[a] in Vitâ ejus.

TITULUS.

In finem Psalmus David. Canticum Hieremiæ & Ezechielis populo transmigrationis cùm inciperet exire.

PSALMUS LXIV. — **PARAPHRASIS.**

1 *TE decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Hierusalem.*

COnvenit, ô Deus, ut in Sione lauderis, & *ut* vota tibi in Hierusalem persolvantur.

2 *Exaudi orationem meam; ad te omnis caro veniet.*

Exaudi *igitur* orationem meam, veniát*que*, *obsecro*, ad te omnis *Judaicus* populus, *ut te celebret &, quæ tibi in hoc exilio nuncupavit, vota reddat.*

3 *Verba iniquorum prævaluerunt super nos: & impietatibus nostris tu propitiaberis.*

Nos *quidem* iniquitates penitùs obruunt, *& reditum hunc impediunt:* sed tu eas nobis condona; *nec fine ut diutiùs nos in hoc detineant exilio & à Sionis aditu prohibeant.*

4 *Beatus quem elegisti, & assumsisti: inhabitabit in atriis tuis,*

Beatus *sanè* erit ille quem elegeris, & assumseris *ut urbis hujus incola sit:* habitabit *enim* in atriis tuis,

5 *Replebimur in bonis domus tuæ: sanctum est templum tuum; mirabile in æquitate.*

Et domus tuæ bonis, *justitiâ nimirum ac sanctitate*, replebitur: sanctum *quippe* est templum tuum; *&* sanctitate, *quam communicat*, admirabile.

ANNOTATIONES.

in finem &c. Cod. Reg. 222. Colb. 1. *in finem Psalmus David. Canticum Hieremiæ & Aggæi de verbo peregrinationis quando incipiebant proficisci.* Ita Cod. Memm. 2. præter nomen *David* quod omittitur. Ita similiter Cod. Colb. 1339. præter hæc verba *quando incipiebant proficisci* quæ desiderantur. Cod. Reg. 138. *in finem Psalmus David. Canticum Hieremiæ & Ezechiæ populo transmigrationis quando incipiebant proficisci. vox Apostolica.*

te decet. Plerique Hebræi: *tibi silet laus*, vel *silentium tibi laus est*; sed pater Davidis Kimchii verbum דמה in sententiam, à Vulgatâ non abeuntem, heic accipit ut Filium legenti patebit. Psalterianum autem versum ut & Psal. CXXXVI. 5. non sic intelligi velim quasi in Babyloniâ Deo hymnos canere non licuerit: multi enim Psalmi captivos Judæos, Deum hymnis celebrantes, repræsentant; sed prædicti textus ita accipiendi videntur ut innuant nefas fuisse hymnos in captivitate decantare eo apparatu ac splendore quo in æde Hierosolymitanâ canebantur.

Hierusalem. Deest in Hebræo; sed erat olim, ut ex sensu patet & lege Synonymicâ ac Psalm. CXLVII. 1. aliisque nonnullis qui Sionem cum Hierusalem jungunt.

caro.

omnis caro. Confer Jer. XLV. 5.

verba, ideſt facta ſeu res, ut II. Reg. XII. 12. Pſal. XVIII. 2. XC. 3. Jer. XLIV. 4.

iniquorum. concretum pro abſtracto, ut ex Hebræo liquet textu & B. Hieronymo eum ſic vertente ***verba iniquitatum***, hoc eſt ipſæ iniquitates: nam, ut rectè notat Corderius & nos jam tetigimus, verba pro factis ſæpe accipiuntur. Janſenius eodem ferè ſenſu: ***facta iniquorum hominum, quos imitati ſumus, ita aggravata ſunt*** &c. Alii minùs benè ad iniquos referunt parentes qui Babylonicæ ſervitutis cauſa eſſent.

replebimur. mutatio perſonæ, quam non ſequor obſcuritatis vitandæ gratiâ.

bonis domus tuæ. Confer Pſal. XXXV. 9.

ſanctum &c. explicat quæ ſint bona divinæ domus. Rabbini cum B. Hieronymo ferè ſic vertunt: ***bonis domus tuæ ſanctificatione templi tui. Terribilis in juſtitiâ exaudi nos.*** Noſtra, quæ Hebraicis verbis (modò נורא pro נוראית cum LXX. Senibus legatur) congruit, verſio Hieronymianæ præſtat, ut ex Pſal. XLIV. 6. LXVII. ult. aliiſque conjici poteſt locis ubi dictiones נורא & נוראית ***admirativam*** ſignificationem habent.

6 *Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, ſpes omnium finium terræ, & in mari longè.*

Quum ergo tantum bonum in Hieroſolymitanâ urbe nacturi ſimus, in eam deduc nos: &, quas *tibi hac de cauſâ*, adhibemus preces exaudi *ô* Deus ſoſpitator noſter, & ſpes omnium *Iſraelitarum* in *extremos* terræ *ipſis promiſſæ* fines relegatorum ac maritima *Chaldæorum* loca longè *à Sione* remota incolentium.

7 *Præparans montes in virtute tuâ, accinctus potentiâ: qui conturbas profundum maris, ſonum fluctuum ejus.*

Exaudi nos, inquam, ô Deus qui montes virtute tuâ firmas, qui fortitudine accinctus es: qui*que* profundum maris conturbas, & ſonum fluctuum ejus *compeſcis*,

8 *Turbabuntur gentes & timebunt, qui habitant terminos, à ſignis tuis: exitus matutini & veſpere delectabis.*

His tuis miraculis *Babylonicæ*, quæ terminos *terræ Iſraelitis promiſſæ* incolunt, gentes conturbentur *obſecro*; &, *firmatis virtute tuâ Hieroſolymitanis, qui nutant, montibus, compreſſâque Babyloniorum ferocitate inſtar irati maris in nos effuſâ, ac frænatis furoris illorum fluctibus*, terreantur: *nôſque, ſive* mane dum oritur *ſol* ſive veſpere dum *luna & ſtellæ* exoriuntur, *mœrentes* exhilara *ita ut cùm matutino tum veſpertino tempore gaudeamus.*

finium terræ. ſup. Iſraelitis promiſſæ, quia illa finiebatur Euphrate: ad quem urbs Babylon

Zzz

quum esset sita, Judæi, qui ibi captivi erant, se in terræ finibus esse verè dicebant. Vide Psal. LXXI. 8. LXXIX. 12. LXXXVIII. 25. Is. XLII. 10. Jer. XXXI. 8.

in mari longè. Hoc ideò dictum quia Judæorum nonnulli in loca maritima dispersi fuerant, ut apparet Psal. XCVI. 1. Is. XLIX. 1. 12. Jer. XXXI. 10. Chaldæis loca maritima fuisse suadet Is. XLIII. 14.

conturbas. Heb. *compescis*. Sed hæc dictio locum in secundo membro duntaxat habere debet, invariatâ manente *conturbandi* significatione: quum enim fluctus maris sedantur, suo conturbantur modo: vi scilicet eis illatâ, quâ iram inviti deponere coguntur. Rabbini pro *profundum* vertunt *sonitum*.

fluctuum ejus. Post hæc verba in Codicibus Græcis Reg. & Colb. nec non apud Apollinarium, Theodoritum, & Euthymium, sequitur τίς ὑποστήσεται *quis sustinebit*, & apud S. Augustinum, *quis sufferet*. Sed hoc additamentum à S. Hilario, Sixtinâ editione, & Psalteriis Romano, Æthiopico, & Arabico, rectè abest.

turbabuntur gentes. Rabbini, *& strepitum gentium* sup. compescis. LXX. legebant יהמיון *turbabuntur* pro המון *& strepitum*. Nostræ lectioni favent sensus, & lex Synonymica. Porrò ex Psal. LXXIV. 6. CXII. 3. Is. XLV. 6. interdùm suspicabar per *exitus matutini & vespere* intelligendos esse Judæos cùm ad Orientem tum ad Occidentem dispersos; sed magis demùm ex Psal. LXVII. 26. CXX. 8. arrisit Heracleota, qui *exorientem & occidentem diem* hoc est *omne* diei *tempus* intelligit cum Hesychio.

9 *Visitasti terram, & inebriasti eam; multiplicasti locupletare eam.*

Terram *Israeliticam vastatam & incultam* visita; eámque copiosè irriga, & abundè dita.

10 *Flumen Dei repletum est aquis; parasti cibum illorum: quoniam ita est præparatio ejus.*

Jordanis divinus *ille* fluvius impleatur aquis: *atque ita* cibum para *Israelitis*: eorum enim terra ita est comparata ut multos fructus ferat *si quando flumen illud, aquis impletum, in vicinos agros exundaverit.*

11 *Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus; in stillicidiis ejus lætabitur germinans.*

Vel saltem præfatæ *terræ* sulcos inebria, *demissis in eos largis pluviis; sicque* herbas ejus ac fruges multiplica, *illáque sic* germinans lætetur stillante in eam imbre.

12 *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ; & campi tui replebuntur ubertate.*

Benignitatis tuæ anni, *quo in patriam reducendi sumus*, circulo benedic *universo, eum omnibus cujusque tempestatis fructibus ornans*; & agri tui omnigenâ frugum ubertate ac copiâ circumfluant.

visitasti. Quandoquidem præteritum pro futuro sæpè ponitur & futurum pro imperativo interdum stat, aliquando contingit ut præteritum pro imperativo accipiatur. Tale est præteritum istud *visitasti*, ut sensu apparet & sequenti imperativo *inebria*; ac Symmacho qui, teste Theodorito, vertit *visita*, atque Hieronymo qui ita in Bibliis Memmianis interpretatur. Confer Psal. LIX. 1. LXIII. 2. LXXIII. 3. LXXXIV. 1. 2. 3. & vide S. Athanasium in Psal. LIX. 1. Bellarminum in Psal. LXIII. 2. & Muisium in Psal. XL. 4.

a in Cat. Cord. p. 270.

flumen Dei. a Theodorus: λέγει &c. *intelligit Jordanem, Dei ipsum appellans utpote in terrâ promissionis situm.*

ita est praparatio ejus a Aristeas : Πλημμύρας &c. *fluvius autem Jordanis, perinde ut Nilus, circa tempus messis exundans multum terra irrigat.* Hinc superbia Jordanis Jer. XII. 5. XLIX. 19. L. 44. Zach. XI. 3. Vide Eccl. XXIV. 36. Pronomen autem *ejus* refertur ad *terram* qd. hu,us eorum terræ, de quâ loquutus sum, *praparatio* &c. a de vers. LXX. Interpr.

multiplica genimina ejus Heb. *descendere fac* (in) *sulcos ejus* (pluviam ;) vel, ut Muisius, cui hoc duriusculum meritò videtur, exponit : *deprimendo glebas ejus.* Neutra explicatio recipi debet, tum quia vel nimio additamento eget, aut nomini גד דיה significationem tribuit quæ & alibi non exstat & ab ejus radice abhorret. LXX. Senes pro נחת גדידיה legisse videntur חרב תנוביתה, aut חרב פרחיה. Vide Ezech. XXXVI. 30. & Is. XXXV. 2.

in stillicidiis ejus &c. Heb. *imbribus liquefacies eam, germini ejus benedices.* LXX. Senes, pro ברביבים תמוגגנה *pluviis liquefacies eam*, legisse videntur ברביביו תגל *in stillicidiis ejus latabitur.* Adi ad Is. XXXV. 2.

corona &c. Rabbini : *coronas annum benignitatis tua* ; idest, juxta Mulsium, *annum hunc, qui verè benignitatis annus dici potest, omni bonorum genere ornas ac veluti coronas.* Coronam ego pro universo anni circulo accipio cum Theodoro.

& campi tui replebuntur ubertate. Rabbini : *& semita tua stillabunt pinguedinem.* Hæc, quæ multis placet, versio mihi non probatur attendenti vix etiam poeticè dici *semitas pinguedine stillantes.* Hæc sanè pinguedo campis meliùs convenit : unde Vulgatam laudo interpretationem : quæ Judeæ campos Deo tribuit quomodo Jordanis *flumen Dei* suprà vocatus est.

Pinguescent speciosa deserti ; & exultatione colles accingentur. 23 Pinguia fiant deserti pascua ; & colles *fructibus redimiti* exultent.

Induti sunt arietes ovium ; & valles abundabunt frumento : clamabunt, etenim hymnum dicent. 14 Agni, *qui pauci nunc sunt, multiplicibus* induantur ovibus ; & valles frumento abundent : *illáque omnia* clament, & præconium tibi tribuant *pro recreatâ terrâ Israeliticâ & concessâ ei fertilitate.*

speciosa. Quidam *tuguria.* Confer Joel. I. 19. II. 22. atque Hieronymianam versionem lege ; & nostrum laudabis Interpretem, meámque non aspernaberis explanationem. Sixtina editio, cum Apollinario & Psalterio Æthiopico, habet *montes* pro *speciosa* ; & SS. Hilarius atque Augustinus legunt *fines.*

ovium. refertur ad verbum *induti sunt* ; nec genitivum mirere : nam Grammaticæ leges plerumque Ecclesia spernit. Aliqui minùs benè vertunt *planities induantur ovibus*, quanquam sensus eodem fermè recidat. Pecorum & frugum abundantiam describit Vates.

etenim. non abundat ut ait hoc loco Euthymius, sed sumitur pro & seu *etiam* ut Psal. XV. 6. XXXVI. 26.

ARGUMENTUM.

PSALMI SEXAGESIMI QUINTI.

PSALMOGRAPHUS Deum in præcedenti carmine orabat ut captivitatis Babylonicæ finem faceret. Nunc

verò gratias ei agit pro solutâ illâ captivitate, quam Ægyptiacæ comparat: dicendo Deum in utraque liberatione specimina fortitudinis suæ dedisse; eâque de caussâ laudibus esse extollendum. Tùm, ad rem propiùs accedens, captivitatis Babylonicæ miserias describit, ac vota, quæ Judæi Babylone conceperant quæque in Psalmo LXIV. 1. breviter attigerat, fusiùs heic declarat, &, quem generali gratiarum actione inchoaverat, Psalmum peculiari absolvit. Quod spectat *resurrectionis* vocem quæ in titulo nostro legitur, illa quidem præter fontem; at non præter veritatem addita est: siquidem Babylonica liberatio species quædam resurrectionis fuit eò quòd Judæi, Babylonico jugo addicti, tantas acerbitates perferrent ut mortuis quàm viventibus similiores essent: unde mortuis ab Ezechiele XXXVII. 1. 11. 12. comparantur; manavítque hæc, quam in octavo Psalmi nostri versu habemus, loquutio: *qui posuit animam meam ad vitam.* Atque hæc est, nisi fallor, vera prædicti caussa additamenti quod à docto homine, laudata loca expendente, profectum videtur; quódque à multis ad sensus trahitur mysticos, quibus enarrandis supersedeo. Hoc unum, cum Theodoro Heracleota, moneo in Judæis è servitute Babylonicâ eductis homines, ab acerbâ Dæmonis tyrannide per Christum liberatos, adumbrari; adeóque, ut ait B. Athanasius, vocationem Gentium per præsentem Psalmum indicari, & ipsarum animarum procurandam à divino nostro Sospitatore resurrectionem annuntiari. Primarium, quem aperui, sensum Heracleota, Græcus Corderii Paraphrastes, Euthymius, aliique confirmant: præter Theodoritum qui captivis Judæis, reditum consequutis & iter arripientibus, Psalmum rectè tribuit.

TITULUS.

In finem Canticum Psalmi resurrectionis.

PSALMUS LXV.		PARAPHRASIS.
JUbilate Deo omnis terra, Psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudis ejus.	1	JUbilate Deo omnes terræ incolæ, nomen ejus celebrate, & laudem ejus magnificè canite.
Dicite Deo, quàm terribilia sunt opera tua Domine! in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.	2	Dicite Deo, quàm admirabilia sunt opera tua Domine! tanta *quippe* præditus es fortitudine ut mendaces erga te deprehendantur fuisse inimici tui *Babylonii, qui asserebant potestatem* tibi *non esse liberandi nos ex ipsorum manibus.*
Omnis terra adoret te, & psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo.	3	Adorent te omnes telluris habitatores, téque canant & nomini tuo hymnum dicant.
Venite & videte opera Dei, terribilis in consiliis super filios hominum.	4	Venite *ô populares mei*, & Dei opera considerate. *Ille sanè* propter ea, *quæ de liberandis* afflictis suis *cultoribus* suscepit, consilia admiratione dignus est.
Qui convertit mare in aridam; in flumine pertransibunt pede: ibi lætabimur in ipso,	5	Mare *olim in Ægypto* siccam in terram convertit; *& majores nostri Jordanem* fluvium pedibus transierunt: ibíque gens nostra ipsum collaudavit Deum,

Exod. XIV. 21. 22. Jos. III. 15.

ANNOTATIONES.

in finem &c. Ita, cum B. Augustino & Hieronymiastro, legunt Cod. Reg. 222. & Colb. 1. 1339. sed Cod. Reg. 138. habet *in finem Psalmus David.* Colb. 158. *in finem Psalmus David de resurrectione, vox Apostolorum.* Memm. 2. *in finem Canticum. Psalmus resurrectionis.*

Canticum Psalmi. S. a Hilarius: *Canticum Psalmi est quum, organo præcinente, subsequens & æmula organo vox chori canentis auditur, modum psalterii modulis vocis imitata.* Hanc observationem, ut & eam quam sanctissimus ac doctissimus Præsul nobis in Psal. XXIX. suppeditavit, dubiam variæ, quas attuli, lectiones faciunt; & ferè suadent loquutiones istas *Psalmus Cantici & Canticum Psalmi* à scriptoribus ortas fuisse, nec eas magis differre quàm *petra silicis* Deut. VIII. 15. *& silex petra* Deut. XXXII. 13. quod Aben-Ezra ad Psal. XLVII. observat.

a Prol. Psalm.

mentientur. Theodorus Heracleota & Græcus Corderii Paraphrastes ad Ethnicos referunt qui mandato Cyri Judæos cum honore in patriam deducerent; eisque non ex verâ pietate, sed ex simulatione servirent. Huic explicationi major inest veri similitudo quàm Theodoriti atque Euthymii explanationi. Neutram tamen probare potui; & locum paulò aliter atque in Psal. XVII. 50. accepi.

filios hominum. abjectos intelligit atque afflictos Judæos ut Psal. XXXV. 8.

ibi. Græcus Paraphrastes: *in istiusmodi miraculis lætati sumus*: sed magis arridet Muisius quum ait, *lætati sumus*, idest *gens nostra lætata est.*

Qui dominatur in virtute suâ in æternum; oculi ejus super Gentes respiciunt: qui exasperant, non exaltentur in semetipsis.	6	Qui perpetuum, fortitudine suâ, imperium teneret; & cujus oculi Gentes contemplarentur *exteras*: quæ, si quando *eum* irritarent, *pœnas penderent*, *atque ita* non haberent unde gloriarentur apud se.
Benedicite Gentes Deum nostrum, & auditam facite vocem laudis ejus:	7	*Sed* Deo nostro, *ob vetera non solùm beneficia*, laudem dicite *ò populares mei*; eum *quoque* laudate, & auditam facite vocem præconii *ejusdem* Dei:
Qui posuit animam meam ad vitam; & non dedit in commotionem pedes meos:	8	Qui nos, *in captivitate Babylonicà miseriis examinatos*, revocavit in vitam; nec passus est pedes nostros in exitium prolabi, *à quo non procul aberamus:*
Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti sicut examinatur argentum.	9	Siquidem probaveras nos *ò* Deus, & *adversitatis* igne nos examinaveras quemadmodum argentum examinari solet.
Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra.	10	Injeceras nobis catenas, ærumnis dorsum nostrum oneraveras, & capitibus nostris homines imposueras *qui jugiter nos vexabant.*
Transivimus per ignem & aquam; & eduxisti nos in refrigerium.	11	*Uno verbo*, omnia calamitatum genera experiebamur; sed nos *ex his omnibus* ereptos mirificè recreâsti.
Introibo in domum tuam in holocaustis; reddam tibi vota mea quæ distinxerunt labia mea,	12	*Quapropter* in templum tuum cum holocaustis ingrediar; & vota tibi reddam quæ labia mea nuncupaverunt,

qui exasperant. Auctor est Theodoritus Theodotionem vertisse *declinantes*, Aquilam *deficientes*. Symmachum *qui increduli sunt.* S. Hilarius, *qui in iram provocant.* S. Augustinus, *qui amaricant.* Idem ubique sensus, à quo non multùm abeunt qui vertunt *refractarii*, seu *rebelles.*

animam meam. Vates suo nomine loquitur; sed omnes, populares, quemadmodum in Psalm. XLIII. 6. 17. intelligit: unde pluralem numerum usurpavi, quum præsertim pluralis, qui sequitur, numerus id ab eo petat qui perspicuitati consulit.

igne nos examinasti. Ex hoc versu & sequenti, ut & ex If. XLV. 7 Amos. III. 6. discimus Deum mali, quod culpâ vacat hoc est mali pœnæ, permissorem nedum esse ut docuit *a* Dorotheus, sed etiam auctorem ac effectorem: contra atque Coluthiani (seu potiùs Colluthiani ut ex SS. *b* Athanasio atque *c* Epiphanio scribendum videtur) à *d* Philastrio & S. *e* Augustino memorati, nec non *f* Arnobius, Marcionitæ, Manichæi, ac Priscillianistæ existimarunt. Aliter de malo quod cum vitiositate conjunctum est nempe peccato sentiendum est, ut notavimus ad Psal. V. 4. Disparitatis ratio est quòd malum, propriè ac verè dictum, solum hoc est cui turpitudo ac vitiositas inest: quod autem eâ turpitudine caret, quantumvis horrendum sit ac immane ut morbi supplicia & id genus alia, malum propriè non est ut egregiè *g* Titus Bostrensis, S. *h* Augustinus, & *i* Æneas Gazæus edisserunt.

a in Doctr. 14 10 1 Bib. Pl Gr. Lat. p 8, 6.
b Apol 2.
c Hær. 69. n. 2.
d de Hæres. c 1.
e de Hæres c. 65.
f lib. 2. adv. Gent.
g contra Manich.
h contra Manich.
i in Teophr.

Et loquutum est os meum in tribulatione meâ.	13	Et quæ os meum protulit dum in angustiâ versarer.
Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum: offeram tibi boves cum hircis:	14	Pinguia *nimirùm* atque opima *agnorum* holocausta tibi offeram cum suavi odore *ex incensis* arietum (*quos tibi pariter immolabo*) *carnibus* manante: *tibique etiam* boves cum hircis offeram, *compellans omnes tui metuentes, ac dicens:*
Venite, audite: & narrabo omnes qui timetis Deum quanta fecit animæ meæ.	15	Venite *ô vos* omnes qui Deum reveremini, & audite: *vobis*que narrabo quod mihi beneficium Deus contulerit.
Ad ipsum ore meo clamavi, & exaltavi sub linguâ meâ.	16	Ipsum ore meo invocavi, & laudibus *eum* linguâ meâ extuli, *agnoscens eum solum esse qui me servare posset.*
Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus;	17	Me *autem* Dominus non exaudiisset si, *dum eum orabam*, alicujus iniquitatis conscius mihi fuissem;
Propterea exaudivit Deus, & attendit voci deprecationis meæ.	18	*Sed*, quia sceleris eram purus; exaudivit me Deus, & voci deprecationis meæ auscultavit.

cum incenso arietum. S. Hilarius, S. Augustinus, Theodoritus, & Græci omnes libri legunt ***cum incenso & arietibus***: contra Hebræi textus scripturam, cui versio nostra consentit.

quanta. plurali utitur quia in unum liberationis beneficium plura comprehendebantur.

sub. accipitur pro *in* ut docent Euthymius & Kimchius, quibus favent Psal. IX. 29. XIV. 3 LXV 16. Cant. IV. 11. Porrò secundum hoc hemistichium SS. Athanasius & Theodoritus, Symmachiana vestigia persequentes, exponunt ***simul ac preces obtuli, petitione sum po-***

titus: &, lætitiâ refertus, in gratiarum actionis hymnum linguam impuli. Id quominùs probarem impediere lex Synonymica & Babylonicæ servitutis diuturnitas.

iniquitatem &c. Hæc primâ fronte præcedenti versui minùs benè connexa videntur; sed connexionem inveniet qui prædictum versum ad 18. retulerit, & descriptam in versibus 16. ac 17. orationem atque innocentiam consideraverit ut res quæ viam ad beneficium, quod Vates narraturus est, impetrandum munierint. Origenes versum nostrum cum loco I. Cor. IV. 4. rectè confert ut patet ex Joh. IX. 31. II. Tim. II. 19. ex quibus illud, quod Euthymius heic monet, discimus nos, si aliquid à Deo consequi velimus, mundâ cum conscientiâ oportere ad eum supplicantes accedere. Quod tamen non impedit quin ii, qui peccato aliquo sunt obstricti, orare debeant: nam quæ eorum merito non debetur gratia, eorum perseverantiæ conceditur ab eo qui dixit *pulsate & aperietur vobis.*

Benedictus Deus qui non amovit orationem meam, & misericordiam suam à me.	19	Laudetur *ergo* Deus qui orationem meam non rejecit, nec suam à me amovit misericordiam.

qui non amovit. Pia sunt ac saluberrima quæ B. Augustinus in gratiam orationis heic affert, dicendo divinam à nobis misericordiam non amoveri quamdiu oratio à nobis non amovetur. Sed Psalmistæ menti magis consonat Theodoritiana explanatio, *cui non amovit orationem meam*, idem est ac *preces meas admisit.*

ARGUMENTUM.

PSALMI SEXAGESIMI SEXTI.

QUANDOQUIDEM Psalmus LXIV. qui pro terræ Israeliticæ fertilitate vers. 9. 10. 11. 12. 13. 14. orat, tempora Babylonica respicit, & Psalmus LXXXVI. 13. qui de terrâ fructum daturâ loquitur, Babylonica etiam tempora spectat, vero mihi simillimum videtur ut Psalmus hic noster, qui Deum, quum terra fructum suum dederit, laudibus ornatum iri asserit, tempora quoque Babylonica repræsentet, & orationem contineat quam Judæi captivi adhibuerint: quod & Psalmi XCV. 13. XCVII. 10. cum Psalmi nostri versu 4. collati non parùm suadent. Altiore porrò sensu Psalmus *divinam incarnationem & apparitionem ac gentium omnium salutem canit*, ut docet Græcus Corderii Paraphrastes postquam dixit *hunc Psalmum præcedenti connexum esse, & prophetatum heic fuisse quod post reditum futurum erat.*

In

TITULUS.

In finem in hymnis Psalmus Cantici David.

PSALMUS LXVI.		PARAPHRASIS.
DEus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri	1	DEus misereatur nostri, & benedicat nobis: vultú*que* sereno nos aspiciat; & misereatur nostri
Ut cognoscamus in terrà viam tuam; in omnibus gentibus salutare tuum.	2	Ut tuam *Domine*, in terrâ *Israeliticà*, benignitatem; *&* salutarem tuam, inter omnes Gentes *Judaicas*, opem experiamur.
Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes:	3	Celebrabunt te, *ô* Deus, populi *Israelitici*, celebrabunt te populi omnes *Judaici:*
Lætentur & exultent Gentes quoniam judicas populos in æquitate, & Gentes in terra dirigis.	4	Lætabuntur & exultabunt Gentes *Israeliticæ* quum populos *Judaicos* æquis *(ut soles)* legibus regendos susceperis, Gentés*que illas* in terrâ moderaberis *Israeliticà.*
Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes terra dedit fructum suum.	5	Celebrabunt te, *ô* Deus, populi *Israelitici*, celebrabunt te populi omnes *Judaici ubi Israelitica*, quæ *nunc deserta & inculta est*, terra fructum, *ut antea*, protulerit.
Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus; & metuant eum omnes fines terræ.	6	*Hoc interim spatio*, nobis, *in captivitate positis*, benefaciat Deus, Deus noster, benefaciat nobis Deus; eúm*que* revereantur *Judæi* omnes qui in terræ *Israelitis promissæ* finibus *nunc* degunt.

ANNOTATIONES.

in finem &c. Cod. Reg. 138. *in finem Psalmus David.* Colb. 158. *in finem in ymnis Psalmus David propheta monet credentes. vox Apostolorum...* Colb. 1339. *in finem hymnis Psalmus Cantici.* Memm. 2. *in finem in hymnis Psalmus David Cantici.* In Hebræo, uti & in Cod. Colb. 1339. nomen *David* deest, nec non in S. Hilario MS. in Cod Reg. 769. ubi hæc tantùm verba in titulo leguntur, *incipit Psalmus LXVI.* & certè præfatio ostendit nomen *Davidis* à sancto Doctore lectum heic non fuisse: unde mirari subit cur in impressis libris prædictum nomen reperiatur.

viam tuam. Vide Psal. XXIV. 10. 14. & confer Psal. LXXXIV. 7. cum versu nostro.

omnibus. hoc ideò dictum puto quia nonnulli Judæi in patrio solo remanserant: unde Vates rectè orat ut captivi Judæi unà cum istis divinam misericordiam experiantur.

gentibus. Heb: גוים. Id nomen, quod Ethnicis plerumque tribuitur, Judæis aliquando aptatur ut Gen. XII. 2. XVII. 4. Exod. XIX. 6. Deut. IV. 6. Ezech. II. 3 Amos. VI. 1. Vide annot. ad Psal. II. 1.

quoniam. pro *quando* sumitur ut Psal. V. 14. VIII. 4. LIII. 6. 7. vide annot. ad Psal. V. 14.

judicas &c. loquutio hæc *judicas populos in æquitate* cum istâ, *gentes in terrâ dirigis*, congruit; & Judæos in patriâ gubernandos spectat ut apparet collatis locis Psal. XCV. 12. 13. & Psal. XCVII. 9. 10. Hæ autem loquutiones ab eo, quem ad Psal. XLIII. 6. annotavi, more petuntur, in quo positum est ut Deus Judaicæ plebi præsidere ac jura dare eámque regere ac moderari non censeatur quamdiu illa in servitute detinetur. S. Hilarius rectè legit *judicabis & diriges*. S. Augustinus, *diriges*.

terra dedit. repeto *quoniam* seu *quando* ἐν τῷ καιρῷ ex vers. 4.

benedicat &c. Quod, in hoc versu, de Deo uno & trino notat Euthymius, notatu profectò dignum est.

omnes fines terræ. Confer Psal. LXIV. 6. & nostram ad hunc locum annotationem lege.

ARGUMENTUM.
PSALMI SEXAGESIMI SEPTIMI.

SALUTEM tempore Sennacheribi Judæis allatam canere videtur hic Psalmus; idque, meo quidem judicio, colligi potest ex versu 34. ibi enim legatos ex Ægypto venturos, & munera ex Æthiopiâ afferenda videmus; hæc verò omnia notato à me tempori mirè congruunt. Nam ex IV. Reg. XVIII. 21. & If. XXXVI. 6. discimus Ægyptios, quo tempore in Judæam venit Sennacheribus, Judæorum fuisse fœderatos; & præterea auctor IV. Reg. XIX. 9. & Isaias XXXVII. 9. Tharacam Æthiopiæ regem Sennacheribo eâdem tempestate bellum intulisse testantur: unde facilè intelligimus Ægyptios & Æthiopes, exterminato communi hoste Sennacheribo, legatos ad Ezechiam misisse ut partam in regem Assyrium victoriam ei gratularentur, & munera ipsi deferrent, ut & sacrificia Domino offerenda: quod meâ non tantùm conjecturâ nititur, sed speciali Scripturæ loco II. Paral. XXXII. 23. significari videtur. Ad hæc Benjamini & Judæ mentio, quæ in versibus 29. 30.

occurrit, in Ezechiana tempora optimè quadrat; nec iis principes Zabulon &, Nepthali verſ. 30. repugnant: etenim quod ad Tribus Benjamini & Judæ ſpectat, nemo neſcit eas, (poſtquam aliæ decem in captivitatem à Salmanaſare anno regni Ezechiæ ſexto abductæ fuiſſent) in Judæâ remanſiſſe, quod cauſſæ eſſe puto cur Benjamin & Juda ante cæteras Tribus recenſeantur. Quod autem ad principes Zabulonis & Nephtali attinet, poſſunt ii unà cum Benjamino & Juda in celebri illâ, quæ in verſibus 28. 29. 30. deſcribitur, concione adfuiſſe: quamvis enim eorum Tribus jam ab octo annis in ſervitutem traditæ fuiſſent, nonnulli tamen ex illis Tribubus in terrâ Iſraeliticâ ſupererant ut ex II. Paral. XXX. 5. 6. 11. 18. atque ex I. Eſdr. II. 40. 70. VI. 18. Iſ. XI. 11. 12. XXVII. 6. Jer. XXX. 3. XXXI. 9. 18. Matth. IV. 15. Luc. II. 36. colligere eſt; nec non ex eo quod [a] Joſephus ſenos per Tribus πρεσβυτέρους ab Eleazaro Pontifice ad Ptolomæum Philadelphum Ægyptiorum regem, Legis in Græcam linguam vertendæ cauſsâ, miſſos fuiſſe teſtatur. Hactenus de hiſtoriâ in Pſalmo tractatâ diſſerui; nunc de ejuſdem Pſalmi ordine dicendum eſt. Perculſis Aſſyriis omnigenum exitium Pſalmographus primò apprecatur; deinde Judæos ad gaudium & laudem divinam, ob recuperatam libertatem, hortatur. Mox in Ægyptiacam excurrit liberationem, eíque Ezechianam comparat, ad quam verſu 12. redit; eámque uſque ad verſum 26. ſigillatim deſcribit, commendato inprimis templo Hieroſolymitano ad quod pius rex Ezechias IV. Reg. XIX. 15. confugerat, & unde ſalutem proditum iri prædixerat Iſaias XXXVII. 32. Tum Pſaltes actas à Judæis, pro tantâ liberatione, gratias commemorat; Deúmque ut reliquas Aſſyriorum copias, quæ bella

[a] Antiq. XI. 2. p. 403. A.

adhuc volebant, dissipet orat: asserens futurum hoc modo ut legati ex Ægypto Hierosolymas veniant, & Æthiopia munera Deo donet. Quod dum fiat, regna terræ ad laudandum cohortatur Deum, qui præclara virtutis ac fortitudinis suæ specimina ex sancto suo templo dedisset, cæsis videlicet Assyriorum centum octoginta quinque millibus. Literalis, quem aperui & quem Theodorus in Catenâ Corderianâ ad deductam, ab Abeddara ad Davidem, arcam detorquet, sensus allegoricum, & quidem à sancto Spiritu præcipuè spectatum, continet sensum, quem S. Athanasius, in laudatâ Catenâ productus, optimè sic proponit. Ἐν τούτῳ &c. *In hoc Psalmo adventum Salvatoris significat & spiritalium inimicorum eversionem & spiritalis captivitatis dissolutionem. Præterea etiam docet hunc eundem esse qui etiam olim filios Israel ex Ægypto eduxit. Adhæc insuper iis, qui prædicationem admiserint, promittit Spiritus sancti donationem. Quin & Apostolis affert consolationem, ipsos se ex omni tribulatione (quam nimirum propter prædicationem passuri erant) liberaturum promittens. Sed & ab iis qui exasperant plurimos recipit se conversurum. Imò etiam eos qui in malorum pelagus inciderant erepturum. Non minùs verò etiam Apostolorum prædicat demonstrationem; & quales, & unde essent, atque omnium Gentium in Christum fidem annuntiat. Cæterùm adhæc omnia Domini in cœlos ascensionem clarè docet.* Beatus [a] Paulus, hunc sensum sequutus, Christo ad cœlos ascendenti decimum nonum Psalmi versum rectissimè accommodat *; & cæteros ejusdem Psalmi versus incarnationi Dominicæ interpretum nostrorum plerique feliciter aptant ut in eorum commentariis videre poteris, dum ego ad literalem sensum aggredior.

[a] Ephes. IV. 8.

* vide Argumentum Psal. CI.

TITULUS.

In finem Psalmus Cantici ipsi David.

PSALMUS LXVII.		PARAPHRASIS.
EXsurgat Deus; & dissipentur inimici ejus; & fugiant qui oderunt eum à facie ejus.	1	EXsurgat Deus; & dissipentur *qui ex Assyriis supersunt* inimici ejus; & *hi*, qui eum oderunt, *inimici* fugiant ad conspectum illius.
Sicut deficit fumus deficiant; sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei:	2	Sicut deficit fumus deficiant; & quemadmodum cera igni admota liquescit, ita impii *illi* pereant adventante Deo:
Et justi epulentur; & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia.	3	Justi autem *Judæi* epulum ineant, atque exultent in templo; & lætitiâ *ibidem* perfundantur *ob cæsa Assyriorum centum octoginta quinque millia.*
Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus: iter facite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.	4	Deum canite, & nomen ejus celebrate *ô Israelitæ:* exaltate illum qui *vos* abjectos & jacentes erexit, cui*que* nomen est Domino.
Exultate in conspectu ejus turbabuntur à facie ejus; patris orphanorum & judicis viduarum,	5	Exultate coram eo *cujus* conspectu turbati sunt *Assyrii; quique* patrem se orphanorum & viduarum defensorem præbuit.

ANNOTATIONES.

in finem &c. Cod. Reg. 138. *in finem Psalmus David.* Colb. 158. *in finem Psalmus Cantici Propheta adnuntiat verbum Christi & adsumtionem in cælis.* Colb. 1339. *in finem Psalmus Cantici David.* Memm. 2. *in finem David Psalmus Cantici.*

exsurgat &c. Illatam Assyriis cladem effugerat Sennacheribus, ut patet ex IV. Reg. XIX. 36. Is. XXXVII. 37. effugerant & aliquæ exercitus ejus copiæ ut *a* Josephus binis in locis ostendit: quúmque potentes reges, quando vincuntur & ab iis, quibus bellum intulerant, terris discedere coguntur minas plerumque jactent; & se, novo collecto exercitu, redituros atque acceptam cladem ulturos asserant, vero est simile, & Psalteriani versus 33. 34. suadent, Sennacheribum &, qui cum eo supererant, Assyrios è Judæa abeuntes Israelitis similes minas proposuisse; indéque factum ut Psaltes præfatos versus 33. ac 34 usurpaverit, ut & duos primos quos Psaltes sumit ex Num. X. 35. quem locum auctor Cantici Jud. V, 31. imitatione paulò diversâ expressit.

a Antiq. VIII. 2. D p. 330. Bell Jud. VI. 11. p. 929. C.

epulentur. alludit ad morem de quo diximus ad Psal. XXI. 28. & XLI. 5. B. Augustinus legit *jocundentur.*

iter facite ei. ideſt exaltate, ut apparet Proverb. IV. 8. & ipſis Pſalterianis verbis: quum enim viam alicui ſternimus, honore eum decoramus eúmque exaltamus. Subſcribunt Aben-Ezra & Kimchius.

ſuper occaſum. Aben-Ezra ex verſu 35. cœlos intelligit. Rabbi [a] Elieſer, [b] Maimonides, & Kimchius de ſupremo cœlo exponunt; ſed falluntur ut ex ipſâ patet nominis etymologiâ quæ nihil ſapit ſublime; ſed tenebras, veſperam, & occaſum ſignificat. Hæc autem loquutio *aſcendit ſuper occaſum* mihi aliquando videbatur explicanda ſic: *occumbere fecit inimicos noſtros*; ſed aliò me duxit myſtica hæc B. Auguſtini explicatio: *aſcendit ſuper occaſum quum reſurgendo vicit corporis caſum.*

[a] in Capitulis.
[b] in More Neb. part. 1. cap. 70.

turbabuntur à facie ejus. Hæc in Hebræo textu deſunt; ſed erant olim ut ex noſtrâ liquet verſione & ſenſu.

6 *Deus in loco ſancto ſuo: Deus qui inhabitare facit unius moris in domo,*

Celebretur Deus in ſancto ſuo *Templo*: Deus, *inquam*, *celebretur* qui, *porrectâ ex hoc loco ope*, concordes in domo ſuâ eos, *quos inde expulerat Sennacheribus*, habitare fecit,

7 *Qui educit vinctos in fortitudine; ſimiliter eos qui exaſperant, qui habitant in ſepulchris.*

Quíque fortitudine ſuâ eduxit *è compedibus* vinctos; eoſque ſimiliter, qui ipſum *criminibus ſuis* irritaverant quíque *miſeriis exanimati* in *carcerum* ſepulchris *tanquam mortui* degebant, *vinculis explicavit.*

8 *Deus quum egredereris in conſpectu populi tui, quum pertranſires in deſerto,*

Deus quum populo tuo, *vinculis pariter explicato*, *olim* inſtar ducis præires, *&* per deſertum incederes,

9 *Terra mota eſt; etenim cœli diſtillaverunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Iſrael.*

Terrarum, *per quas gradiebaris*, incolæ metu perculſi ſunt; & cœli præſentiâ Dei qui in monte Sinai *glorioſus* apparuerat, *præſentiâ, inquam*, Dei Iſraelitarum excitati *calamitatum* imbrem *in hoſtes ejus* demiſerunt.

Deus in loco ſancto ſuo. ſubaudio *celebretur* ex his verſus præcedentis verbis *exultate in conſpectu ejus*, ad quæ verſus noſter referendus videtur ut ſit ratio ob quam exultandum ſit in conſpectu Dei. qd. exultate in conſpectu Dei: hoc eſt, (ut apparet ex Deut. XVI. 16. Pſal. XXXII. 1.) Deum in templo laudate: Deus enim, in hoc ſancto ſuo loco degens, Deus eſt qui inhabitare facit &c.

qui inhabitare facit. S. Auguſtinus notat in Græco haberi tantùm *habitare facit.* Veritate id fundatur, ſed noſtro non nocet Interpreti ut ex Hebræo מושיב liquet. In hoc autem & ſequenti verſu Vates reſpicere videtur ad eos quos Sennacheribus ſervituti addixerat quum civitates omnes munitas Juda cepit IV. Reg. XVIII. 13.

unius moris. Symmachus, teſte Theodoro Heracleota, verterat *ſolitarios*, Aquila *unige-*

nitos. Quinta editio *eos qui ejusdem sunt instituti* S. Augustinus legit *uniusmodi*. Confer Psal. CXXXII. 1. & nostrarum, opinor, patrium eris; nisi, ex Psal. XXIV. 18 aut Quintâ editione, vertere malueris *eos in domo habitare facit qui anteà solitarii & miseri in carceribus versabantur*, aut *eos in domo habitare facit qui idem institutum seu eandem religionem sequuntur*, hoc est Judæos: ita periphrasticè dictos ad discrimen Ethnicorum, qui varios Deos colebant.

qui exasperant &c. Aquila, apud Heracleotam: *rebelles*. Symmachus: *incredules*. S. Hilarius: *qui exarcebabant*. S. Augustinus: *amaricantes*. Rabbini, Synonymicæ legi & sensui adversantes, interpretantur *cùm rebelles habitent ariditatem*. Confer Ezech. XXXVII. & nostrum laudabis interpretem.

Deus quum egredereris &c. ad Judæos ex Ægypto egressos Num XXI. 45. & seq. respicit; &, Auctorem cantici Jud V. 4. imitatus, novum beneficium veteribus comparat, postquam pauca de præsenti victoriâ præfatus est.

terra mota est &c. Aliqui hæc ad montem Sinai commotum & tonitruis stupefactum referunt; sed illos vel unus Jud. V. 4. 5. locus, cum nostro collatus, refellit. Versum metaphoricé sumit, & ad hostes Judæorum attonitos ac percussos rectè trahit Kimchius: qui ex Psal. XVII. 14. calamitates *pluviâ* designari optimè observat. Vide ejusdem Psalmi versum 10.

à facie Dei Sinai. Hinc locus Jud. V. 5. *& Sinai*, emendandus videtur, sublatâ conjunctione *&*: quam etiam non probat enarrata ibidem historia: hæc enim quum exitum è monte Seir & transitum per regiones Edom attingat ut præcedenti liquet versu, dicere in quinto nequit fluxisse montem Sinai: quum ab eo Judæi abessent quando, è monte Seir egressi, regiones Edom pererrabant. Hinc etiam SS. Hilarium atque Augustinum emenda legentes *à facie Dei. Mons Sina à facie Dei Israel*.

Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ; & infirmata est, tu verò perfecisti eam: 10

Tuo *autem* populo suavem *mannæ* pluviam segregabas ô Deus; quúmque *ille* defatigatus erat, tu reficiebas illum:

Animalia tua habitabunt in eâ; parasti in dulcedine tuâ pauperi Deus. 11

Et tandem tui, *quos tanquam armentum ducebas*, Hebræi in eâ, quam ipsis promiseras, *terrâ* habitarunt; &, pro tuâ bonitate, pauperi *populo Israelitico* comparasti ô Deus *omnia quibus egebat, eúmque bonis omnibus, in hac promissionis terrâ, cumulasti.*

Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multâ. 12

Eandem, hocce nostro tempore, tutelam experti sumus: quum enim in Judæam venisset Sennacheribus, & Hierosolymis ruinam minitaretur, Dominus *Prophetis* præconibus *suis* sermonem suggessit virtute multâ *plenum, & qui animum Israelitis addidit.*

hæreditati tuæ. Judæos sic vocari monui ad Psal. XLVI. 4.

animalia. Psal. LXXVI. 20. LXXIX. 1. LXXVII. 57. CXLIV. 17.

Dominus dabit &c. Confer If. XXXIII. 23. & videbis verba ista non abs re tribui præconibus qui, Sennacheribi tempore, animos Judæorum erigere conabantur.

Rex virtutum dilecti dilecti; & speciei domus dividere spolia.

13 Potens *ille*, *aiebant hi præcones*, & magnis copiis instructus rex *Sennacheribus Ezechiæ*, quem *Deus* singulari benevolentiâ complectitur, succumbet; & domui *Israeliticæ* gloriosum erit *devicti illius Regis* spolia dividere.

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri

14 Etsi *igitur*, *pergebant præcones illi*, in mediâ *hostium* sorte *inque eorum confinio* versemini, *ideóque cadaverosâ*, *ob timorem quo percellimini*, *facie sitis*, *attamen* columbam, cujus pennæ sunt deargentatæ & dorsi posteriora in virorem auri desinunt, imitati, *lætum & qui candorem rubore mixtum habeat vultum geretis*

Dum discernit cœlestis reges super eam; nive dealbabuntur in Selmon.

15 Quum cœlestis *Rex* principes *Assyrios*, Hierosolymæ *imminentes*, è *mortalium numero* secreverit; *túncque* luctum in gaudium convertetis.

rex. Heb. מלכי *reges*. Nostri legisse videntur מלך *rex*. Hebraica tamen lectio ex versu 15. infrà retineri potest; quanquam nostræ concedere debeat.

dilecti dilecti, sup. *erunt*, Gallicè *appartiendront*; hoc est dilectissimo cedent: repetitio enim dictionis *dilecti dilecti* ad auxesim pertinet. [a] Calvinus vertit *fugerunt fugerunt*, & versionem nostram ridet; sed ridendum se ipsemet præbet: siquidem superatorum à Mose vel à Josue regum plerique fugam non arripuerunt, sed percussi fuere postquam fortiter restitissent Vide Num. XXI. Deut. III. Jos. XI. 17. 18, 19 20. Nostri Senes vocem ידדון nominaliter sumserunt juxta formam ישרון. Lege annot. ad Psal. XXVIII, 6. S. Hilarius MS. *Deus Dominus dabit verbum evangelizantibus virtutibus multis, rex virtutum dilecti & pulchritudine domus* &c.

[a] in Antid. Concilii. Trid. pag. 167. col 1. inter tractatus Theologicos Calvini. edit. Genev. fol 1612.

si. accipitur pro *etsi* ut Deut. XXX. 4. Job. IX. 30. Psal. CXXXVIII. 7. 8. Amos IX. 2. Abd. I. 4. I. Cor. XIII. 1. & seq. Grotius. Optimè sic vertas ex Hebræo: *Etiamsi dormissetis inter chremathras*, eritis *ut ala columbæ quæ sunt velut argentata, & ejus pennæ velut ex auro*, splendent scilicet à Sole. Dictio *etiamsi*, cum verbo *dormissetis* (aut *dormieritis* vel *dormiistis*, ut alii vertunt) parùm congruit; nullóque pacto hic versus ad Judæos, medias inter ollas seu chremathras Ægyptiacas quondam degentes seu squalore ac nigrore obductos, referri debet ut Psalterianâ apparet serie: quam Grotius ex Hebræo minùs fideliter interpretatur *ubi disjecerit omnipotens reges*, tunc *niveus eris* &c. Omittit dictionem בה *in eâ* aut *super eam*. Præterea malè vertit *& in monte Basan*: nam in Hebræo textu legitur הר *mons* non ובהר *& in monte*.

inter medios cleros, verba hæc per locum Gen. XLIX. 14. explicanda sunt, quum præsertim LXX. Senes (ut ex B. apparet [b] Hieronymo) in hoc Geneseos loco verterint *inter medios cleros* pro eo quod hodie habemus *inter terminos*: quùmque hæc phrasis *accubans inter terminos &c.* significet Issacharitas, amœnam fertilémque sortitos regionem, in eâ libenter mansuros atque intra terminos sortis seu hæreditatis suæ moraturos; nec externa loca, negotiationis causâ, petituros esse ut confirmat Deut. XXXIII. 18. Quum, inquam, hæc prædictæ phrasi sententia subjiciatur, eam versui nostro tribuendam esse sequitur; adeóque

[b] in Quæst. seu Trad. Hebr. in Gen p. 352.

cleros

eleros nihil esse aliud quàm *terminum*, seu *finem*, & *confinium*. Eò accedit quòd hæc significatio nostræ historiæ optimè congruat: quia enim Sennacheribus munitas omnes Judeæ civitates ceperat ejusque copiæ in totam Judæam latè diffusæ erant, Judæi in earum quasi medio & in ipsarum confinio versabantur; & quidem cadaveroso vultu. Joel. II. 6.

columba &c. Quæ heic ad columbam, in bellicis Assyriorum signis gestatam, memoratur à quibusdam allusio, textui non convenit: ut omittam eam Osæo XI. 12 qui citari solet, loco non satis probari, præsertim si Jeremias XXV. 38. XLVI. 16. L. 16. accedat: quanquam scio columbas apud Syros sacras fuisse, ac veneri dicatas; & Diodorum Siculum credere Semiramidem dictam à pipitu columbæ. S. Aug. pro *posteriora* &c. legit *& inter scapulas ejus in viriditate auri*. S. Hilarius etiam legit *in viriditate*.

discernit. Vide Mich. III. 3. *eam*. Hierosolymam intelligit ut Psal. LXXXVI. 1.

reges. intelligo principes Assyrios quos Sennacheribus ipse *reges* vocat apud If. X. 9. Adde If. XXIV. 21.

nive dealbabuntur &c. mons *Selmon* in lib. Jud. IX. 48. memoratur; illéque, ut ex ejus patet etymo, obscurus erat ac tenebrosus; sed nive albicabat ut docet Aben Ezra. Quum autem *tenebris* luctus & *albedine* lætitia significetur, *dealbari nive in Selmon*, est proverbialis loquutio quæ idem valet ac *è luctu in lætitiam converti*. Tertiam personam *dealbabuntur* non adhibui, perspicuitati consulens: quæ mutationem personæ, in Hebræo textu indeque in nostrâ versione usurpatam, non petit.

Mons Dei mons pinguis. Duos heic montes nempe Selmonem excelsissimum, & Basan uberrimum admittit Grotius; illisque montibus innui putat Judæos cis & ultra Jordanem latè regnaturos & loca opima possessuros. Deinde hæc verba *ut quid suspicamini* &c. explanans, ait: *Cur saltatis vos montes pleni caseo* (nimirum Selmon & Basan) *quâ de causâ lætamini? Respondent montes illi per prosopopœiam: in hoc monte vult Deus habitare, & habitabit perpetuò; cultum sui instituet ac retinebit in Judæa*. Multa paucis verbis errata vir doctissimus complectitur Nam 1°. mons Selmon non erat pinguis ut ipsâ apparet etymologiâ. 2°. præfati montes malè respondent quum aiunt *in hoc monte*: siquidem dicendum fuisset *in his montibus* ut sermo ille secum constaret Nec ad montem Sionem præfatus sermo referri potest: hoc enim pacto cohærentiâ destitueretur ille sermo: quem nec ipse, ubi adhibetur, locus etiam patitur eò quod nulla montis Sionis, juxta laudatum auctorem, mentio præcesserit ad quam prædicti sermonis pronomen *hoc* commodè revocari possit. Quod si dicas singulare pro plurali positum esse, & vocibus *hoc monte* Selmonem & Basan denotari, illud consequetur Deum in montibus Selmone & Basan habitasse, quod est à sacræ Scripturæ eloquio alienissimum.

16 *Mons Dei, mons pinguis: mons coagulatus, mons pinguis. Ut quid suspicamini montes coagulatos?*

Scilicet *urbs Hierosolyma* mons *est* eximius, mons pinguis: mons opimus, mons uberrimus. Nec *verò*, *quum hæc de Monte isto dico*, montem annonâ omnique commeatu, *ad obsidionem sustinendam*, necessario abundantem cogitetis?

17 *Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo; etenim Dominus habitabit in finem:*

Non enim salutis vestræ spem in his rebus repono; nec vos Hierusalem eà, quam suspicamini, notione accepta defendet; sed vos montosa *illa* Urbs *tuebitur* propterea quod Deo ibi habitare placuerit, suúmque *in hac Urbe* domicilium ad longos annos collocaverit:

suspicamini. Heb. תרצדון *exilitis*, inepte. Nostros legisse תחשבון mecum, ni fallor,

dicent qui sensum & locum Gen. XXXVIII 15. attenderint.

montes. Quæ paulò ante *mons*, ab uno monte Moriâ, vocata est Hierosolyma, dicitur heic *montes* quia Sione præter Moriam constabat, ut patet ex III. Reg. VIII. 1. II. Par. III. 1. LXXXVI. 1. CXX. I. CXXIV. 2. Sed perspicuitas postulat ut singularem numerum ubique usurpemus; unde eo numero ubique usus sum.

habitare in eo. Confer Psal. XLV. 4. 5. & Joel. II. 27. 32.

18 *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium; Dominus in eis in Sina in sancto.*

Sitque hæc Urbs velut Dei currus è quo *ille*, multis Angelorum millibus stipatus, *pugnat contra hostes vestros*; Dominúsque in sanctâ *hac Urbe, cum beatis illis spiritibus, degat* ut *olim in monte* Sinai *cum iisdem versabatur.*

19 *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem; accepisti dona in hominibus:*

Ita præfati præcones. Tu verò, ô Domine, juxta illorum verba, potentiam tuam exeruisti; eósque tibi mancipasti qui captivi *à Sennacheribo* detinebantur, & dona hominibus dedisti *Israeliticis:*

20 *Etenim non credentes, inhabitare Dominum Deum.*

Insupérque effecisti ut, qui Deo morem non gesserant, *atque ita eum irritaverant, Judæi* habitent in Domini Dei tabernaculo.

21 *Benedictus Dominus die quotidie, prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.*

Laudetur perpetuò Dominus: siquidem nos fortunavit, nobísque *idem ille* Deus salutem præstitit.

22 *Deus noster Deus salvos faciendi, & Domini Domini exitus mortis,*

Nimirùm Deus noster Deus est qui salvandi potestatem habet, & Domini Dei est eripere à morte.

currus Dei. Hierosolymas currui, è quo Deus pugnet, assimilat; respicitque ad veterem morem pugnandi è curribus: cujus moris vestigia in Jud. I. 19. IV. 3. 13. Psal. XIX. 8. supersunt; ut & in *a* Homero atque *b* Eustathio ejus interprete.

a Iliad. π. Πρῶτ' ἐλθων &c.

b Ibid. Σύνθες &c.

Sinai. subaudio *sicut* cum Kimchio. Hunc porrò versum cum Deut. XXXIII. 2. & Heb. XII. 22. confer; &, per nomen *lætantium*, intellige Angelos qui ita vocantur eò quod divinâ, quâ fruuntur, præsentiâ læti sint.

ascendisti in altum. Confer Psal. VII. 8. LVI. 7. 14. CVII 5. CXII. 5. Luc. I. 78. & Isaiam XXXIII. 10. ac Theodoritum lege: cui *ascendisti in altum* idem est ac *demonstratus es magnus & excelsus*. *c* Justinus: αὐξῶν &c. *ascendit in altum: captivavit captivitatem; dedit dona filiis hominum*. S. Hilarius: *ascendit in altum: cepit captivitatem; dedit dona in hominibus*. Et sic ferè citat S. Paulus Eph. IV. 8. sensum magis quàm verba respiciens, *cepisti captivitatem*. Confer Jud. V. 12.

c Dial. cum Tryph.

accepisti. id verbi interdum sumitur pro *dare* ut Gen. XXXIV. 4. Exod. XXI. 10. Jud. XIV. 3. unde B. Paulus meritò posuit *dedisti* pro *accepisti*. In eandem sententiam Psalte-

rianum verbum ab Aben Ezra accipitur : ita ut conciliationibus, à Jansenio fusè recitatis, opus non sit, quum præsertim S. Hilarius legat *dedit dona in hominibus*. De his donis vide Joel. II. 28.

non credentes. iidem esse mihi videntur ac illi qui versu 7. suprà *exasperant*. Confer Exod. IV. 1. 8. XIX. 9. Num. XIV. 11. Rom. X. 21. S. Hilarius MS. *etenim non credentes inhabitare fidem omnem*.

salutarium nostrorum. plur. pro sing. ut Psal. XVII. 55. S. Hilarius vulgatæ consentit. Sed S. Augustinus : *sanitatum nostrarum*.

23 *Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum; verticem capilli perambulantium in delictis suis.*

Verùm non ita se, erga inimicos nostros, gessit : eorum enim caput confregit ; & superbum verticem eorum, qui ætatem peccando traduxerant, *confixit*.

24 *Dixit Dominus : ex Basan convertam, convertam in profundum maris :*

Dixerat Dominus : *Assyrios hostes meos* ex Basan extraham, & exitio dedam :

25 *Ut intingatur pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.*

Ita ut pes tuus eorum sanguine tingatur, & lingua canum tuorum eodem inimicorum *sanguine rubescat*.

26 *Viderunt ingressus tuos Deus : ingressus Dei mei regis mei, qui est in sancto.*

Viderunt *Israelitæ* hæc tua gesta ô Deus : gesta, *inquam*, Dei mei & regis mei in sanctuario suo degentis, *indéque hostes suos Assyrios è Basan retrahentis eósque percutientis*.

27 *Prævenerunt principes, conjuncti psallentibus : in medio juvencularum tympanistriarum.*

His demùm peractis, Israelitæ celeberrimum, *ad laudes tuas canendas, egerunt conventum : in quo toti pompæ* præibant principes, hísque proximi erant cantores : in *quorum* medio puellæ aderant tympana pulsantes.

ex Basan. Hoc ideò dictum quia Assyrii in regione Basan partem castrorum habebant, ut ex Is. XXXIII. 9. 10. colligere est, nec non ex naturâ loci : qui, quum uberrimus esset, commodum hostili exercitui victum præbebat. Confer Nah. I. 4.

in profundum maris. Rabbini, Symmachum à Theodorito laudatum, sequuti interpretantur : *ex profundis*. Nostri pro ממצלות *ex profundis* legisse videntur במצלות *in profunda* seu *profundum*. Hæc autem loquutio *in profundum maris* non sic est accipienda quasi Assyrii in mare fuerint detrusi; sed per eam intelligi debet profunda calamitatis abyssus nempe mors, ut ex sequenti patet versiculo; qui verus non esset si prædicti hostes in mare acti fuissent : nam quî fieri posset ut eorum, quos mare absorpsisset, sanguine lingua canum tingeretur ? Confer. Psal. LXVIII. 3. Jer. LI. 42. atque *maris* calamitates denotari videbis ; indéque vulgatam lectionem suspicies. S. Hilarius legit *convertar* pro *convertam*.

viderunt ingressus tuos. Cod. Reg. 138. 222. Colb. 1339. Memm. 2. *viderunt ingres-*

sus tui. S. Hilarius: *visa sunt itinera tua.* S. Augustinus: *visi sunt gressus tui.* Porrò *gressus* seu *ingressus*, aut *itinera* accipiuntur pro actionibus seu gestis ut Psal. I. 6. CXX. 8.

tympanistriarum pro more Gentis de quo Exod. XV. 20.

28 *In Ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israel.*

Sic autem concinebant ii quibus hæc cura demandata erat: in concione benedicite Deo Domino *vos* qui ex Israelis prosapiâ orti estis.

29 *Ibi Benjamin adolescentulus, in mentis excessu.*

Atque in eo conventu erat Benjamini fratrum natu minimi Tribus, *victoriæ quæ celebrabatur* admiratione obstupefacta.

30 *Principes Juda, duces eorum; principes Zabulon, principes Nephtali.*

Aderant & principes Tribus Juda; ejúsque Tribus magnates: *nec non* principes Tribus Zabulon, & principes Tribus Nepthali.

31 *Manda Deus virtuti tuæ; confirma hoc Deus quod operatus es in nobis*

Cæterùm ô Deus manda fortitudini tuæ *ut inchoatum opus perficiat; &*, quod nostrâ gratiâ operatus es, confirma *ô* Deus ac corrobora

32 *A Templo tuo in Hierusalem; tibi offerent reges munera.*

E templo tuo Hierosolymitano; *tuncque* Reges *exteri* munera tibi offerent.

33 *Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum, ut excludant eos qui probati sunt argento.*

Feras, *inquam*, *omninò* disperde quæ *suis* ex arundinetis *ac lustris*, *ubi novas copias comparaverint*, *prodire cupiunt*, *nihilque sunt aliud quàm* populi *Assyrii:* qui, *velut* grex *mugientium* taurorum cum vaccis *in herbam effusis conjunctorum*, *congregare se propediem volunt* ut eos *è patrio solo* expellant qui lege *tuâ* probi evaserunt.

Ecclesiis. accipitur pro congregatione, seu cœtu & concione uti I Cor. XVI. 19. ut notat Hesychius: quúmque cœtus ille multis constaret hominibus, in plurali numero effertur.

in mentis excessu. Rabbini, Aquilæ & Theodotionis, à Theodorito prolatorum, vestigiis inhærentes, vertunt: *dominator eorum*; ineptè: siquidem Tribus Benjamitica principem, inter reliquas Tribus, locum non obtinebat etsi verum foret, quod Chaldæus & Rasi observant, Tribum illam primam omnium rubrum mare esse ingressam. S. Hilarius legit, *junior in pavore.* S. Augustinus, *adolescentior in extasi.*

feras arundinis. exercitum lanceis instructum minus benè intelligit Kimchius.

ut excludant eos &c. Symmachus Theodoro Heracleotæ prolatus: *iis qui calcibus petunt electos sicut argentum improbatum.* S. Hieronymus: *calcitrantium contra rotas argenteas.* Alii *subjiciens se* seu *conculcandum se præbens.* Quidam *fastuosè incedentes cum frustis ar-*

genti. Has interpretationes vel Hebræa vox מתרפס, vel sensus explodunt. LXX. Senes legisse videntur לגרש בחיני כסף (*ut excludam probatos argenti*; idest eos qui probati sunt argento) pro מתרפס ברצי כסף. Per *argentum* autem eloquia divina, seu legem, cum B. Athanasio, ex Psal XI. 7. intelligo; neque Euthymio assentior affirmanti *argento probatos* dici pro *probatos tanquam argentum.* Hæc verò loquutio *eos qui probati sunt argento* est periphrasis Judæorum: qui eodem sensu, sed breviùs, dicuntur *sancti* Psal. LXXVIII. 2. S. Hilarius: *increpa feras sylvæ, concilium taurorum inter vaccas populorum, ut non excludantur hi qui probati sunt argento.*

34 *Dissipa Gentes quæ bella volunt: venient legati ex Ægypto, Æthiopia præveniet manus ejus Deo.*

Illas, quæ *adhuc* bella volunt, Gentes *penitùs* dissipa: *túncque* legati ex Ægypto venient, & Æthiopia Deo munera promtè offeret.

35 *Regna terræ cantate Deo, psallite Domino: psallite Deo qui ascendit super cælum cæli, ad orientem.*

Interim regna terræ *vicinæ* canite Deum, celebrate Dominum: celebrate, *inquam*, Deum qui supremo cœlo superiorem se ostendit, *fuitque instar* orientis *Solis splendidus.*

36 *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis: date gloriam Deo, super Israel magnificentia ejus; & virtus ejus in nubibus.*

Ecce voci suæ *tantùm roboris* indidit, *ut eâ Assyriorum centum octoginta quinque millia prostraverit:* date *ergo* gloriam Deo qui magnificam *hanc* victoriam Israelitis concessit; & cujus fortitudo ad nubes usque exporrigitur.

37 *Mirabilis Deus in sanctis suis: Deus Israel ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ. Benedictus Deus.*

Mirabilis *sanè* est Deus in sanctuario suo: ipse *quippe* ex hoc loco virtutem & fortitudinem plebi suæ dedit. *Quapropter* laudibus Deus *ille* efferatur.

manus. ita vocat munera quia manu gestari solent & offerri.
ejus. accipitur pro *suas*: quomodo S. Augustinus malebat Latini interpretes transtulissent.
ascendit super cælum cæli. Confer cum Psal. LVI. 7. 14. & vide annot. ad vers. 19. suprà.
ad orientem. S. Hieronymus vertit *à principio.* Alii, *antiquitatis*: sed his versionibus nostra est præponenda.

ARGUMENTUM.

PSALMI SEXAGESIMI OCTAVI.

QUOCUNQUE in statu consideretur David in eum Psalmus non quadrat. Etenim si beatus ille vir à

Saule vexatus ſpectetur, verſum 40. nullo modo uſurpare potuit: ſi autem ab Abſalomo exagitatus dicatur, prædicto verſu uti pariter nequivit, nec contrait Pſalmus LVIII. 15. Denique ſi eum bello Idumæo implicatum contemplemur, præfatum verſum non modò uſurpare non potuit (etſi Pſalmus LIX. 1.2.3. objiciatur;) verùm etiam verſus 11. 12. 15. 24. 25. recitare nequivit. Theodorus Heracleota & Theodoritus Pſalmum Judæis Babylonico jugo addictis ac libertatem poſcentibus accommodant, in ſenſu primario & ſanè verſus 38. 40. huic ſententiæ favere videntur; ſed verſus 11. omninò repugnat, niſi Pſalmus ab aliquo, qui ob pietatem ſuam à popularibus malè haberetur, Vate elaboratus dicatur: quod à veriſimilitudine, à multis Pſalmis, & nominatim à noſtro abhor et. A veri quidem ſimilitudine alienum eſt: nam, quando vexatio dat intellectum, probabile eſt Judæos, catenis Babylonicis illigatos, ad pietatis ſtudia incubuiſſe adeòque populari ſuo, iiſdem ſtudiis dedito, acerbitates non attuliſſe. A multis Pſalmis, nimirùm 43. 64. 84. 89. aliíſque nonnullis, captivitatem Babylonicam ſpectantibus, abhorret: ex iis enim perſpicuum eſt Judæos pietati operam eâ tempeſtate navaſſe, atque adeò pium è ſuis virum non vexaſſe. A noſtro denique Pſalmo diffidet: ſiquidem ex verſibus 8. 9. Judæos captivos vitam cum virtute coluiſſe conjicimus. Quòd ſi paucos illos fuiſſe dicas Judæos qui inter Babylonios cum virtute verſarentur, oppono verſum 25. & aio paucos ſaltem illos Judæos Vati conſolationem adhibere potuiſſe; atque adeò verſum illum vigeſimum quintum cum opinione Heracleotæ & Theodoriti minimè cohærere. Dices, ex Theodorito, cognatorum & ſociorum ſegregationem undecimo, quem laudavi verſu, ſignificari; & conſequen-

ter ea, quæ ex illo verſu intuli, nullius eſſe momenti. Reſpondeo explicationem Theodoriti & Pſalmi verbis & rei in eo tractatæ adverſari: verbis, quia hæc loquutio *extraneus factus ſum fratribus meis* non ſignificat *ſegregatus ſum à cognatis meis*; rei, quia Judæi unà cum cognatis ſuis in urbe Babylone degebant. Unde ſententia Heracleotæ & Theodoriti rejicienda eſt quum præſertim ea verſibus 27. 28. 29. 30. 32. 33 repugnet, quod ſic oſtendo. Quæ his verſibus continentur diræ in *fratres* & *filios matris* cadunt: quum enim de iis ſermo in verſu 11. fiat, omnes, quæ ſequuntur, hoſtium mentiones nempe *exprobrantium* verſ. 12. *eorum qui oderunt me* verſ. 18. *inimicorum meorum* verſ. 22. *tribulantium me* verſ. 24. ad illos *fratres* & *filios matris* (ut ex iis, quæ in argumento Pſalmi XV. contra Janſenium p. 235. adduxi, colligere eſt) referri debent; maximè quum in verſu 15. *ſedentes in portâ* memorentur, quod Judæorum non Babyloniorum proprium erat. Hinc autem conſequens eſt ut Pſaltes *fratribus ſuis*, ſervitutem Babylonicam ſervientibus, hæc (*fiat menſa eorum* &c. *fiat habitatio eorum deſerta* & cætera, quæ in præfatis verſibus enarrantur) apprecatus fuerit, quod dici nullo modo poteſt; ſed tamen, ut notavi, ex opinione Heracleæ & Cyri Epiſcoporum fluit, quæ proinde eſt explodenda tanquam Pſalmo non conſentiens. Theodorus, in Catenâ Corderianâ productus, ait Macchabæorum res hoc in Pſalmo prædici; ſed hanc opinionem verſus 11. & 25. labefactant. Græcus Corderii Paraphraſtes Pſalmum & captivis Babylone Judæis, & iiſdem Judæis Macchabæorum æqualibus atque ab Antiocho vexatis accommodat; ſed hanc ſententiam evertunt quæ de utraque opinione ſuperiùs diſputavimus. Kimchius Pſalmum de præſenti Judæorum exilio interpretatur; ſed

ejus sententiam vel unus versus 11. disturbat; ut nihil dicam de nonnullis aliis versibus, qui eandem sententiam infirmant. Hæc mecum reputanti nihil vero propius occurrit quàm SS. Athanasii, Hilarii, Augustini, & Veterum ferè omnium opinio, quæ Psalmum de Christi passione, Judæorum, ob eam, calamitatibus, & Evangelicæ legis introductione exponit: eàque opinio eò mihi probatur magis quòd plures hujus Psalmi versus à S. Joh. II. 17. XIX. 28. S. Petro Act. I. 20. & S. Paulo Rom. XI. 9. 10. XV. 3. Christo aptari observem. Adde quod Aben-Ezra, de Psalmo nostro loquens, affirmat ea, quæ in eo traduntur, completum iri in diebus David aut in diebus Messiæ. Atqui in diebus David compleri illa non potuerunt ut probavi; ergo ex celebris hujus Rabbini verbis conficitur Psalmum de Messia explanandum esse. Nostræ tamen opinioni versus 27. 28. 29. 30. 32. 33. nec non 40. obstare videntur: ex iis enim sequitur 1°. perniciem Judæis exoptatam fuisse à Christo qui tamen pro ipsis orasse dicitur Luc. XXIII. 34. 2°. ædificandas & habitandas esse Sionem & civitates Juda quas tamen post Christi passionem destructas fuisse scimus. 3°. [a] Theodorus Mopsuestenus objicit vero haudquaquam esse simile, diversas (quales in Psalmo isto leguntur) res in unum idémque carmen fuisse congestas. Primam objectionem B. Augustinus solvit, dicens ea, quæ in versus 27. 28. 29. 30. 32. 33. comprehenduntur, non optantis esse sed prophetantis. Verùm, salvâ tanti Doctoris reverentiâ, respondere cum Genebrardo malim Christum orasse in genere pro persequutoribus; & mandatas prædictis versibus imprecationes ad reprobos & obduratos referri, eásque non studio vindictæ sed zelo justitiæ usurpatas fuisse: sic tamen ut ea, quæ

[a] in Collat. 4. Concil. Const. 2. pag. 44. to. 32.

quæ Hierosolymarum eversionem vers. 30. spectat, ad ipsos etiam justos permanaverit propterea quòd in impios effundi non posset nisi & probos attingeret. Quod secundo loco objectum est, dilui à nobis facilè poterit si versum 40. in spiritualem sententiam accipiamus, dicendo Ecclesiam per *Sionem* intelligi, & *civitatibus Iuda* singularia designari templa quæ post Christi passionem ædificata fuisse compertum habemus. Nec spiritualis ille sensus respuendus est non solùm quia *Sione* & *Iuda* designari potuit Ecclesia Christiana quippe quæ ex Sione atque Judæâ ortum duxerit; sed quia (uti ostendimus) materialis sensus locum heic habere non potest, ut & in nonnullis aliis locis quos notat [a] Theodoritus & qui lectu digni sunt. Ad Theodori Mopsuesteni objectionem quod attinet, respondeo diversas Psalmi res ad unum eundemque scopum spectare; proindéque non mirum si in unum eundemque Psalmum congestæ fuerint.

[a] Præfat. Comment. in Cant. Cant.

TITULUS.

In finem pro iis qui commutabuntur David.

PSALMUS LXVIII.		PARAPHRASIS.
SAlvum me fac Deus: quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.	1	SErva me ô Deus: nam *malorum* undæ usque ad animam meam penetrarunt, *méque præfocant.*
Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.	2	Infixus sum in profundo *calamitatum limo*, ubi pes consistere nequit.
Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.	3	Veni in altum *afflictionis* pelagus, & tumescentes *ejus* fluctus obruunt me.

ANNOTATIONES.

in finem &c. Cod. Reg. 138. *Psalmus David in finem pro his qui commutabuntur. vox Christi cùm pateretur.* Colb. 158. *in finem pro is qui commutabuntur Psalmus David. vox Christi tempore passionis.*

Laboravi clamans ; raucæ factæ sunt fauces meæ : defecerunt oculi mei dum spero in Deum meum. 4 Clamando fessus sum ; & guttur meum, *præ nimio clamore*, ravim contraxit : meique oculi debilitati sunt dum eos habeo defixos in Deum meum *à quo opem* spero *quæ me ex his malorum aquis eripiat.*

Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis : 5 Plures sunt quàm capilli capitis mei, qui me sine caussâ odio habent :

Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei injustè ; quæ non rapui tunc exsolvebam. 6 *Et*, qui me immeritò persequuntur, hostes mei copiosi sunt ; pœnásque luo pro flagitiis quæ non admisi.

Deus tu scis insipientiam meam ; & delicta mea à te non sunt abscondita. 7 Nosti ô Deus an, quod mihi affingitur, crimen commiserim ; nec te latet an delicta, quibus accusor, patraverim.

Non erubescant in me qui exspectant te Domine, Domine virtutum : 8 Ne, *quæso*, meâ caussâ pudefiant, qui in te Domine Domine omnipotens sperant, *discipuli mei :*

Non confundantur super me, qui quærunt te Deus Israel. 9 Neque *iidem*, qui te ô Deus Israelis colunt, *discipuli mei* pudore propter me suffundantur *videntes me à te non exaudiri.*

Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam. 10 *Hoc, inquam, pudore non suffundantur*: siquidem probris propter te afficior, & pudor faciem meam operit *propter nominis tui gloriam.*

Joh. I. 11. VIII. 48. IX. 29.

Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ 11 *Eadem de caussâ* extraneus à fratribus meis *nuper* habitus sum, & peregrinus à matris meæ filiis *existimatus fui*

Marc. XI. 17. Luc. XIX. 45.

Quoniam zelus domus tuæ comedit me ; & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. 12 Eò quòd domus tuæ amore arderem ; &, quæ in te *ab improbis* jactabantur, convitia tam mihi essent molesta, quàm si egomet illis vexatus fuissem.

Et operui in jejunio animam meam ; & factum est in opprobrium mihi. 13 *Austerum vitæ genus sectatus sum,* jejuniis me, *ut numen tuum expiarem*, macerans ; idque opprobrio versum est mihi.

14 *Et posui vestimentum meum cilicium; & factus sum illis in parabolam.*

Asperam vitam duxi, cilicio pro veste utens *ut pœnitentiam, pro humano genere, agerem*; & ludibrio fui *Judæis* ita ut in communibus proverbiis versarer.

15 *Adversum me loquebantur qui sedebant in porta; & in me psallebant qui bibebant vinum.*

Sed & nunc adversum me loquuntur qui ad portam *Urbis* conveniunt; & suis me cantilenis infamant qui vinum *in tabernis* bibunt.

16 *Ego verò orationem meam ad te Domine: tempus beneplaciti Deus.*

Inter hæc Domine orationem meam ad te *adhibeo*, *dicens*: tempus est, ô Deus, ut tuam mihi benevolentiam præstes.

17 *In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me; in veritate salutis tuæ.*

Exaudi me pro immensâ tuâ misericordiâ, & pro fide quâ te salutem *oppressis* allaturum pollicitus es.

18 *Eripe me de luto, ut non infigar: libera me ab his qui oderunt me; & de profundis aquarum.*

Eripe me, *per resurrectionem*, è *calamitatum mearum* luto *sic* ut *in iis ampliùs* non infigar: *&* me ab his, qui odio me habent, libera, *vitæ me reddens ac eorum conatus irritos faciendo*; méque è profundis *malorum* undis erue, *in lucem me revocando.*

& operui in jejunio &c. Heb. *& flevi in jejunio animam meam.* Sensus eodem ferè redit; sed dubium non est quin lectio nostra sit melior: nam 1°. non dicimus *flere animam suam in jejunio*; 2°. verbum *operio* sacco (quocum jejunium conjungi solet ut patet Neh. IX. 1. Dan. IX, 3.) connectitur I. Paralip. XXI. 16. Is. XXXVII. 2. Jon. III. 6. Unde non dubito quin LXX. Senes, pro ואבכה בצום *& flevi in jejunio*, legerint ואכסה בצום *& operui in jejunio* (*animam meam*) sup. sacco ut in sequenti versu explicatur. [a] Didymus: *ἐν τῷ νήστει &c. Cilicium* (idem de jejunio dicendum) *insinuat asperum & molestum vitæ institutum: quod assumsit, pro nobis Exomologesin faciens.* Nec testimonia Matth. IX. 14. 15. Marc. II 18. 19. Luc. V. 33. 34. austeritatem illam evertunt: nam tria prima discipulos spectant: qui, quum pœnitentiam pro humano genere, instar magistri, non facerent, mirum non est si jejuniis se, quandiu cum ipsis erat sponsus, non afflictarint; ex altero autem testimonio solùm conficitur Christum non tantæ, quantam S. Johannes Baptista coluerat, austeritati se addixisse: quod tamen non impedit quin Christus sæpenumerò jejunaverit: qua de re nemo ambiget qui Christum multoties in oratione pernoctasse & de arctâ viâ sermonem non semel habuisse cogitaverint; atque Eusebium audierint dicentem, *αὐτὸν &c. vero esse simile ipsum,* (Christum) *quum prævideret passionem & quæ Judæos mala subsequutura erant, afflixisse animam suam in jejunio & saccum induisse.* Nec Scripturæ cùm de his jejuniis tum de ludibrio eorum causâ orto silentium obstat: dicente S. [b] Johanne. *Sunt*

[a] In Cat. Cord p. 405.

[b] XXI. 25.

autem & alia multa quæ fecit Jesus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros

a In Cat. Cord. p. 406. *eripe me de luto* &c. Hæc cum Didymo ad resurrectionem traho uti in Psal. XXI. 20. quem vide.

Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum; neque urgeat super me puteus os suum.

19 Non me demergant turgescentes; *quibus obruor, afflictionum* aquæ, neque me *miseriarum, in quibus jaceo*, vorago *absorbeat*; nec *ærumnarum, in quem cecidi*, puteus os suum super me occludat, *aditum mihi ad vitam resurrectione adipiscendam præcludens.*

Exaudi me Domine: quoniam benigna est misericordia tua; secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me,

20 Exaudi me, *inquam*, Domine: nam benefica est misericordia tua; & me, pro immensâ bonitate tuâ, respice,

Et ne avertas faciem tuam à puero tuo: quoniam tribulor; velociter exaudi me.

21 Nec tuam à servo tuo faciem avertas: miseriis enim premor; mé*que* velociter exaudi.

Intende animæ meæ, & libera eam; propter inimicos meos eripe me.

22 Vitæ meæ prospice, atque illam, *postquam extincta fuerit, ab interitu* vindica *per gloriosam resurrectionem*; mé*que* ex his, *quibus conflictor, ærumnis, per eandem resurrectionem, erue* ne inimici mei exitio meo lætentur.

Tu scis improperium meum, & confusionem meam, & reverentiam meam;

23 Tu nosti probrum quod mihi *hostes illi* inferunt, pudorem quo me afficiunt, & ignominiam quam mihi inurunt;

In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me. Improperium exspectavit cor meum & miseriam.

24 *Et* perspecti tibi sunt omnes afflictores mei. *Ab eis, ut optimè scis,* nihil mihi, præter opprobrium & miseriam, exspectandum est.

Et sustinui qui simul contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur, & non inveni.

25 *Ad hæc* opperior doloris socium, & nullus adest; consolatorem, & nullum invenio.

Et dederunt in escam meam fel; & in siti meâ potaverunt me aceto.	26	*Denique inimici mei* felle cibum meum permiscuerunt; & mihi sitienti acetum porrexerunt.	Matth. XXVII. 34. Joh. XIX. 28. 29.
Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum.	27	*Verùm hic*, quem *mihi* obtulere, cibus exitium, pœnam, & perniciem ipsis importet.	
Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurva.	28	Obscurentur oculi eorum ne videant *veritatem*, & dorsum eorum semper incurva *sic ut eandem veritatem intueri nequeant.*	
Effunde super eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos.	29	Effunde in eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat illos.	
Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.	30	Fiat habitatio eorum deserta, & in domibus eorum non sit qui habitet:	
Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt; & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.	31	Quoniam quem tu *fame, siti, frigore, aliisque vitæ incommodis percusseras* persecuti sunt *convitiis, maledictis, & tormentis omnibus*; atque ad amaras, *quas mihi jam inflixeras*, plagas addiderunt novas.	

in escam meam fel. Quandoquidem B. Matthæus fellis potui dati meminit non esui, nonnulli hanc versus partem Christo abjudicant; alii ad allegoriam traducunt, minùs benè: nam potulenta escæ nomine interdum veniunt ut ex Alcmane patet dicente τὰς Θεὰς νέκταρ ἔδμεναι *Deos nectar edere.* [a] Tertullianus legit *miserunt in potum meum fel.* Porrò quanquam Jeremias IX. 15. XXIII. 15. fellis, Judæis in captivitatem Babylonicam abducendis dandi, meminerit, inde non efficitur Psalterianum textum in illos captivos quadrare. Quæ autem à [b] Bochio, post Baronium, ex Dioscoride & Plinio observatur adhibiti crucifixis aceti caussa huc pertinere nou videtur.

[a] adv. Jud. cap. 10. pag. 195.

[b] Comment. in hunc locum.

fiat mensa eorum. hoc est, inquit, Græcus Corderii Paraphrastes: *felicitas illorum & apparens prosperitas vertatur ipsis in supplicium & calamitates.* Hæc, quanquam mihi non probata, explicatio multis arridet, quod non damno: sed monitum velim lectorem ea, quæ à prædicto Paraphraste adduntur, Theodori Mopsuesteni doctrinam sapere, adeóque rejicienda esse. Quidam ad Hierosolymas, tempore Paschali captas, hunc versum minùs benè referunt: nec magis rectè alii sic explicant: *pro eo quod mensam mihi ex felle & aceto paravere, cupedia & delicatiores cibi, quibus tantopere delectantur, ipsis in exitium vertant.* Ego, *eorum* sumo activè *non* passivè.

in retributionem. ineptè nonnulli *in paces.* Confer Psal. XC. 8. Is. XXXIV. 8. Os. IX. 7. Mich. VII. 13.

obscurentur oculi eorum ne videant. Theodoritus: Ἐπάγαγε &c. *Infer in eos tenebricosas calamitatum caligines.* Id quamvis aliis in textibus locum habere possit, admitti certè heic non debet ob auctoritatem B. Pauli Rom. XI. 8. 10.

dorsum eorum semper incurva. est repetitio: nam qui curvati incedunt, cœlum (unde omnis veritas manat & ad quod videndum Deus os homini sublime dedit) videre non pos-

sunt. Theodoritus & Euthymius ad servitutem trahunt, eò quòd *illos omnes ut plurimùm consequatur qui servi sunt ut, onere aut alio laboris seu calamitatis genere oppressi, curvati incedant*; sed illam explicationem Synonymica lex non probat.

& super dolorem &c. Rabbini: *& de dolore vulneratorum tuorum narrant*. Sed contrait lex Synonymica; contrait & textus qui singularem numerum heic ut in priore hemistichio petit. LXX. legisse videntur ועל מכאוב חללי יוסיפו pro ואל מכאיב חלליך יספרו. Confer Jer. XLV. 3.

32 *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum; & non intrent injustitiam tuam.*

Pœnam ad pœnam attexe prout eorum meretur iniquitas; & tuæ, quam justi experiuntur, bonitatis non sint participes.

33 *Deleantur de libro viventium; & cum justis non scribantur.*

Tollantur de mundo; & in vitâ, quæ justorum est præmium, non serventur.

34 *Ego sum pauper & dolens; salus tua Deus suscepit me:*

Ad me quod attinet, afflictus sum & mœstus; *sed* salutare tuum auxilium, *ò* Deus, mihi *(ut spero)* opitulabitur, *in vitam, quâ à Judæis privor, me revocando:*

35 *Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude.*

Tuncque Dei nomen carmine celebrabo, & Dominum magnificè laudabo.

36 *Et placebit Deo super vitulum novellum, cornua producentem & ungulas.*

Idque Deo erit gratius quàm si vitulum tenellum, & *cui* cornua atque ungulæ enasci incipiunt, ei offerrem.

iniquitatem. Theodoritus prælucente B. Athanasio: τὴν &c. *pœnam ob iniquitatem irrogatam iniquitatem vocavit*. Docta explanatio, cui favent loca I. Reg. XXVIII. 10. Jer. LI. 46. Thren. IV. 6. Os. X. 13. *a* Isidorus Pelusiota iniquitatem in primo loco accipit pro cruciatu, in secundo pro culpâ cum Kimchio; sed ns præcedens versus non favet.

a lib. III. Epist. 92.

justitiam. accipitur pro bonitate: quæ *justitia* dicitur quia justis tribui solet. Theodoritus: ἢ μὴ τύχωσι &c. *& ne bona consequantur quæ justis distribuere soles*. Atque hinc veram pete caussam cur *justitia* multoties pro bonitate sumatur.

deleantur de libro viventium. eximiè *b* Theodorus: Ἐξαλειφθήτωσαν &c. *deleantur id est moriantur. Librum autem dicit viventium quasi Deus in libro quopiam viventes habeat recensitos: ex metaphorâ Regum qui in libris scriptos habent catalogos ducum exercitus*. Theodoro consentiunt Heracleota & Græcus Corderii Paraphrastes: quibus secundam versus partem repugnare, cum Bellarmino & Corderio, non dicent qui nostram ad Psal. II. 12. annotationem legerint; atque in Exod. XXXIII. 33. & Psal. LIV. 27. oculos conjecerint.

b in Cat. Cord p. 411.

suscepit. Quidam, *suscipiat* ut sit antithesis: quæ mihi omninò probaretur, si cum secundâ versus 37. parte constaret.

laudabo. Aliqui interpretantur *ut laudem*. Sed futurum nostrum retinendum est: nec dicas vero non esse simile ut, qui toto ferè Psalmo miseriam suam lugubribus verbis descripsit, illo utatur futuro: quippe quod virum denotet de suâ salute certum, & cui proinde caussa suberat nulla cur ærumnam suam tantopere lugeret ac deprecaretur. Hoc, inquam, non dicas: duram enim, quâ conflictamur, fortunam deplorare & deprecari possumus, etiamsi

eam desituram esse sciamus. Vide annot. ad Psal. LVIII. 9. Atque hioc patet hallucinari eos qui caussales istas particulas QUONIAM *exaudivit*, QUONIAM *salvam faciet*, heic interpretantur *quum exaudierit*, *quum salvam fecerit*.

37 *Videant pauperes, & lætentur. Quærite Deum; & vivet anima vestra:*

Perpendant hæc tristes *mei discipuli*, & lætentur. Deum colite *ô vos mœsti discipuli*; & anima vestra, *luctu perdita*, vivet *ac recreabitur:*

38 *Quoniam exaudivit pauperes Dominus; & vinctos suos non despexit.*

Siquidem ærumnosos, *qui Dæmoni mancipabantur & quorum salute ardetis*, *mortales* exaudiet Dominus; *eosdemque mortales, Diabolicis catenis* illigatos, non despiciet.

39 *Laudent illum cœli & terra; mare & omnia reptilia in eis:*

Laudent illum cœli & terra; mare, & quidquid in eo reptat:

40 *Quoniam Deus salvam faciet Sion; & ædificabuntur civitates Juda,*

Nam Deus Ecclesiam *Christianam*, *à Judæis nunc pessundatam*, servabit; atque *ejusdem* Ecclesiæ templa, *à præfatis Judæis disturbata*, ædificabuntur *multis in locis*,

41 *Et inhabitabunt ibi: & hæreditate acquirent eam;*

Ibi*que Dei cultores* habitabunt: eám*que Ecclesiam, sanctam, inquam, civitatem Hierusalem, novam descendentem de cœlo, cultores illi* hæreditario, *adeóque firmo*, jure obtinebunt;

42 *Et semen servorum ejus possidebit eam, & qui diligunt nomen ejus habitabunt in eá.*

Et posteritas servorum ejus *sanctam* hanc *civitatem pariter* obtinebit, illícque habitabunt qui nomen ejus diligunt.

videant pauperes. Confer cum Psal. XXI. 28. & Apostolos atque discipulos intellige.

exaudivit pauperes. vox *pauperes* afflictos significare solet ut notavi ad Psal. XXI. 28. Unde afflictis omnibus tribui potest pro loci commoditate. Secunda versus pars in laudato Psalmi XXI. versu vocem *pauperes* ad Apostolos trahebat, atque ad eosdem Psalteriana sententia traduxit in superiore versu; sed in isto Christi auctoritas Luc. IV. 18. ad quam hic versus respicere videtur, petit ut prædicta vox *pauperes* Ethnicis tribuatur, quos *exauditos* dici non miraberis si ad Agg II. 8. attendas.

Sion. Quam huic versui & sequenti dedi explicatiooem probabunt, opinor, qui beatum Paulum Heb. XII. 22. & S. Johannem Apocal. XXI. 2. consuluerint. Quum autem Templa dixi disturbata, eas intellexi ædes in quas Apostoli, rebus piis operam navaturi, cum

Christo interdum conveniebant, ut cœnaculum & alias id genus ædes : quas, quum Christus moreretur, piis his studiis non inservuisse ; adeóque disturbatas, suo modo, fuisse non immeritò dixi. Nec verò unam exstitisse hujusmodi ædem colligi potest ex Nicodemo aliisque occultis discipulis, quos variis in locis conventus suos celebrasse vero est simile.

ARGUMENTUM.

PSALMI SEXAGESIMI NONI.

PSALMI XXXIX (cujus ultimi versus heic usurpantur) epitome est hic, quem in manibus habemus, Psalmus : unde eum ad tempora Absalomitica refero ; eóque magis quod iisdem temporibus noster hic Psalmus à Theodoro Heracleota, Theodorito, Græco Corderii Paraphraste, & Kimchio accommodetur. Vide quæ ad Psalmum XXXIX. dixi ; & Psalmum etiam XXXIV. 29. 30. consule.

TITULUS.

In finem Psalmus David in rememorationem quòd salvum fecerit eum Dominus.

PSASMUS LXIX.		PARAPHRASIS.
DEus in adjutorium meum intende; Domine ad adjuvandum me festina.	1	ANimum intende, ô Deus, ad opem mihi ferendam ; Domine ad adjuvandum me festina.
Confundantur ; & revereantur qui quærunt animam meam.	2	Pudefiant ; & dedecore afficiantur qui vitam mihi eripere student.
Avertantur retrorsum ; & erubescant qui volunt mihi mala.	3	Spe frustrentur suâ ; atque *ita* erubescant qui malum mihi apprecantur.

ANNOTATIONES.

in finem &c. Hebræus textus habet solùm hæc, *victori David ad recordandum* ut vertit B. Hieronymus : sed vulgatum additamentum non est spernendum, modò ad victoriam non reportatam sed reportandam trahatur ; quod & tota Psalmi series suadet. Codex Reg. 138. *in finem Psalmus David in rememoratione quòd salvum fecerit eum Dominus, vox Christi vel*

vel Ecclesiæ ad Dominum. Reg. 222. & Colb. 1. 1339. *in finem David in rememorationem eò quod salvum me fecit Dominus*; & ita Codex Memm. 2 nisi quod habet *in rememoratione*. Colb. 158. *in finem Psalmus David in rememoratione eo quod salvum fecit eum Dominus. vox Ecclesiæ ad Dominum.*

intende. Deest in Hebræo textu hodierno; sed erat in vetere. Secundam hemistichii partem beatus Augustinus omittit.

Avertantur statim erubescentes qui dicunt mihi: euge, euge.	4	Ignominia quamprimùm inuratur iis qui, de me *loquentes, sibi invicem* dicunt: lætare, lætare *anima nostra, actum est de Davide.*
Exultent, & lætentur in te omnes qui quærunt te: & dicant semper, magnificetur Dominus qui diligunt salutare tuum.	5	Exultent *verò*, & lætos tibi hymnos canant, qui te colunt, *socii* mei; &, qui salutaris tui auxilii studiosi sunt, *iidem mei socii* dicant semper, magnificetur Dominus.
Ego verò egenus & pauper sum: Deus adjuva me.	6	Ad me quòd spectat sum in egestate & miseriis circumclusus: *quapropter* adjuva me *ô* Deus.
Adjutor meus & liberator meus es tu: Domine ne moreris.	7	Adjutor meus & protector meus tu es: *idcircò* Domine suppetias mihi ferre ne moreris.

avertantur statim erubescentes. Rabbini non rectè: *convertantur pro pudore mercedis sui.* Loquutio Hebraica על עקב respondet Latinæ *è vestigio* hoc est *confestim.*

ARGUMENTUM.

PSALMI SEPTUAGESIMI.

Septuagesimus hic Psalmus exordium Psalmi XXX. imitatur; sed argumento differt: ille enim Saulinam respicit persecutionem; hic Absalomi tempora recolit ut colligitur ex versibus 11. 12. 13. 14. ad Psalmos III. 2. XXXIV. 3. 4. 24. 25. XXXVII. 11. 12. LIV. 14. exactis; atque ex versibus 10. 19. (in quibus David se, quum versibus illis uteretur, senem fuisse ostendit) conficitur: nam, ut in argumento Psalmi XXXVI. observavimus, senilem ætatem attigerat David quum Absalom in eum insurrexit. Illa verò, quorum memini, Absalomi tempora in initium conjuratio-

nis heic conjicio ex versibus 11. 14. 17. Quod autem Vulgatus titulus præter fontem addit *filiorum Jonadab & priorum captivorum*, id indicat Psalmum hunc (à Davide, occasione conspirationis Absâlomiticæ, compositum) à filiis Jonadab, cum rege Joachin in priore captivitate Babylonicâ degentibus, postea usurpatum fuisse. Quod ut intelligatur sciendum est Israelitas in servitutem à Nabuchodonosore Babyloniorum rege bis datos fuisse, nimirùm tempore Joachin, & tempore Sedeciæ. Filios Jonadab è numero priorum captivorum fuisse titulus noster docet: &, si scire lubeat quinam fuerint illi filii Jonadab, adi ad Jeremiam; illéque, in trigesimo quinto Prophetiæ suæ capite, tibi cumulatissimè satisfaciet.

TITULUS.

Psalmus David filiorum Jonadab & priorum captivorum.

Psalmus LXX.		Paraphrasis.
IN te Domine speravi: non confundar in æternum; in justitiâ tuâ libera me.	1	IN te Domine spero: ne, *quæso*, pudefiam unquam, *postulata non impetrando; sed*, pro bonitate tuâ, libera me *ex periculis in quibus versor.*
Inclina ad me aurem tuam, & salva me.	2	Aurem tuam præbe mihi *oranti*, & serva me.
Esto mihi in Deum protectorem & in locum munitum, ut salvum me facias.	3	Esto mihi *nunc* in Deum protectorem & in locum munitum, ut salutem mihi præstes.
Quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu.	4	*Protege me, inquam*, nam te *uno* nitor, & ad te *unum* confugio.

ANNOTATIONES.

Psalmus David &c. Cod. Reg. 138. *David Psalmus filiorum Jonadab & priorum captivorum. vox Christi ad Patrem.* Colb. 158. *in finem Psalmus David filiorum Aminadab & primum captivorum qui primùm in captivitatem ducti sunt. vox Christi ad Patrem.* Colb.

1339. *David Psalmus filiorum Jonadab & priorum captivorum.* Memm. 2. *in finem Psalmus ipsi David filiorum Jonadab & priorum captivorum.*

& in domum refugii &c. Heb. מעון לבוא תמיד צית להושיעני. Esto mihi in rupem habitaculi, aut Esto mihi robustum *habitaculum ut ingrediar jugiter præcipisti ut salvares me.* Corrupta lectio, ut ex insulso patet sensu, & Psal. XXX. 3. ex quo perspicuum est LXX. legisse & legi debere מעוז לבית מצודות להושיעני. Esto mihi in Deum *protectorem* seu *fortem* (&) *in domum munitionum* seu *refugii ut salvum me facias.*

Deus meus eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis & iniqui.	5	Erue me Deus mi è manu improborum, atque è manu legifragorum & iniquorum *qui me persequuntur.*
Quoniam tu es patientia mea Domine; Domine spes mea à juventute meâ.	6	*Erue, inquam, me*: tu enim es fiducia mea Domine; & mea, Domine, es spes à juventute meâ.
In te confirmatus sum ex utero; de ventre matris meæ tu es protector meus,	7	In te ab utero innitor; & meus, ex quo è ventre materno prodii, protector extitisti,
In te cantatio mea semper. Tanquam prodigium factus sum multis; & tu adjutor fortis.	8	Jugisque *hactenùs* fuisti laudum mearum materia. Habeor *nunc* à multis tanquam *fatale portentum* prodigiúmque *à quo omnes abhorrere debeant; sed mihi, ut spero,* fortiter opitulaberis.
Repleatur os meum laude ut cantem gloriam tuam, totâ die magnitudinem tuam.	9	Repleatur os meum laude *sic* ut tuam cantem fortitudinem, & magnitudinem tuam indesinenter prædicem *ob illud, quod mihi porrexeris, auxilium.*
Ne projicias me in tempore senectutis; quum defecerit virtus mea ne derelinquas me:	10	Ne projicias me tempore senectutis; nec me, viribus destitutum, deseras:
Quia dixerunt inimici mei mihi; & qui custodiebant animam meam consilium fecerunt in unum,	11	Nam inimici mei contra me loquuntur; &, qui *anteà* ad vitæ meæ custodiam advigilabant, consilium simul ineunt,

patientia. sumitur pro spe: sive quia sperando patientia elucet; sive quia divinum auxilium patienter exspectabat David.

prodigium. in eam accipitur sententiam quâ [a] Cicero Clodium vocat *fatale portentum prodigiúmque.* Monstrum vulgari sermone dicimus. [a] in Pison.

repleatur &c. Optat ut, porrecto sibi auxilio, Deus materiam sibi laudum ejus canendarum suppeditet. Confer Psal. L. 16. Mancus est Hebræus textus qui tantùm habet *repleatur os meum laude, totâ die gloria tua.*

qui custodiebant. Kimchius Nostris succinit : nam interpretatur *amicos* ; errántque illi qui vertunt *observantes animam meam* seu *insidiatores mei.*

12 *Dicentes : Deus dereliquit eum persequimini ; & comprehendite, eum : quia non est qui eripiat.*

Dicentes : Deus dereliquit illum, persequimini ; comprehendetis eum : *nemo* enim est qui possit eum *è manibus vestris* eripere.

13 *Deus ne elongeris à me, Deus meus in auxilium meum respice.*

Deus ne longè abeas à me, Deus mi ad auxilium meum propera.

14 *Confundantur & deficiant detrahentes animæ meæ, operiantur confusione & pudore qui quærunt mala mihi.*

Pudore afficiantur & pereant qui de me detrahunt, opprobrio & ignominiâ operiantur qui malum mihi inferre student.

15 *Ego autem semper sperabo; & adjiciam super omnem laudem tuam.*

Ego autem semper in te sperabo; & laudibus omnibus, *quas tibi anteà dare solebam*, novas, *dum hostes illi me insectabuntur*, *addam.*

16 *Os meum annuntiabit justitiam tuam; totà die salutare tuum :*

Os meum misericordiam tuam prædicabit, & salutarem tuam opem jugiter canet :

17 *Quoniam non cognovi literaturam ; introibo in potentias Domini, Domine memorabor justitiæ tuæ solus.*

Non enim sapientiam humanam agnosco *tanquam adminiculum ad quod, duro isto tempore, adniti debeam* ; *sed* in potentiam Domini incumbo, & tuâ unius misericordiâ nitor Domine.

persequimini. Hinc Davidem jam fugisse conjicere noli : hoc enim verbum & sequens conspirationi etiam congruunt.

detrahentes. Rabbini cum Symmacho : *adversarii.* Utraque versio eodem ferè cadit ; sed nostra rem propius attingit, mentionem faciens detractionis à quâ conspirationem Absalomiticam cœpisse scimus. S. Augustinus, *committentes animam meam,*

annuntiabit justitiam tuam. justitiam heic accipio pro misericordia ex sensu ac Psal. LXXXIV. 7. & versu 21. infrà.

quoniam. vertitur *etsi* à nonnullis, quibus favet Aben-Ezra cujus hæc est mens : *annuntiabo... etsi non sciam numerum beneficiorum quæ in me contulesti*, hoc est beneficia tua innumera pro ingenii mei facultate narrabo. Verùm hæc explicatio ex sequenti annotatione refelletur.

non cognovi literaturam. Symmachus, à Theodoro Heracleota & Theodorito laudatus: *non enim scio numerare.* Numerationem illam multi ex Psal. XXXIX. 8. probant, sed non advertunt ibi non legi vocem ספירות quæ nullibi significat *numeros*, quos Hebræi dicunt מספרים à singulari מספר. Nostrorum versio Hebreæ dictioni sine dubio magis consonat, ut ex plurimis apparet locis præcipuè If. XXIX. 13. ex quo conjicio LXX. Senes legisse ספר, pro ספירות inusitato in scripturis vocabulo. S. Augustinus hîc legit *negociationes* ; sed maximi Doctoris mentem Muisius non est assequutus quum hæc scripsit. *Ibi* (S. Augustinus) *multis verbis invehitur in negotiationem ut eos qui velint esse Christiani*

jubeat abjicere negociationes : quæ scilicet à Christo abstrahant mendacióque & perjurio perficiantur. Initio quidem in negociationem invehitur S. Augustinus, & negociatores vitam mutare jubet ; sed sapienter, more suo, addit *si peccatum est negociatio* : &, paulò post, quum negociatorem arti suæ patrocinantem induxisset loquentem, ac dicentem : *Ecce ego affero quidem ex longinquo merces... unde vivam tanquam mercede laboris mei. Peto ut cariùs vendam quàm emerim : unde enim vivam quum scriptum sit, dignus est operarius mercede suâ ? Sed agitur de mendacio, de perjurio ; hoc vitium meum est, non negociationis : neque enim non si vellem, possem agere sine isto vitio. Non ergo eam culpam auctor ad negocium transferre ; sed, si mentior, ego mentior, non negocium. Possum enim dicere tanto emi tanto vendam, si placet eme... Hoc ergo me mone ne mentiar, ne perjurem, non ut abjiciam negocium, unde me transigo... Ista* (nempe fraudes, mendacia, perjuria) *hominum non rerum peccata sunt... Unum scio quia, si malus fuero, non negociatio mihi facit, sed iniquitas mea.* Quum, inquam, hæc à negociatore audiisset S. Augustinus, addit : *quando verum dicit non est quod contradicatur. Quæramus ergo quas dixerit negociationes* &c. Eximia est hæc B. Augustini doctrina : cui S. [a] Thomas, & nonnullæ leges in [b] Codice Theodosiano scriptæ consonant ; & nunquam officient quæ à [c] Lactantio, S. [d] Epiphanio, [e] Severo Sulpitio, S. [f] Leone, & [g] Pseudo-Chrysostomo dicuntur. Ut ad Psalterianam vocem redeam, eam accipio pro eâ politiæ seu sapientiæ humanæ parte quæ occidi jubet eos qui adversus nos conspirant. Hanc literaturam ignorabat David, ut patet ex Psal. LVIII. 11. cæteras non item, ut liquet ex II. Reg. XV. 34. 35. Psal. CXVIII. 99. Nostro autem textui, ut & Psal. LVIII. 11. non officit Psal. XL. 11. nam David *retribuit* non occidendo II. Reg. XIX. 23. sed possessione II. Reg. XVI. 4. XIX. 29. deturbando, aut honoribus.

[a] secunda secundæ quæst. 77. art. 4.
[b] lib XVI. tit. 2. l. 8. 10. 14. 15.
[c] lib. V. c 17.
[d] Exposs. Cathol. fid. num. 24
[e] Hist. Eccl. lib. I. p. 117. 128. edit. Lugd. Bat. 1654. in 8°.
[f] Epist. 92. cap. 9. indéque in Decret. Caus. 33 q 3. de Pœnit. can. 2. dist 5.
[g] in Opere imperf. homil 38 ad cap. 21. Matth indéque in Decret. dist. 88 can. 11.

Deus docuisti me à juventute meâ ; & usque nunc pronuntiabo mirabilia tua,	18	Meus fuisti ductor ô Deus à juventute meâ ; & miraculorum, *quæ in mei gratiam edidisti*, enarrandorum materiam habui hactenus,
Et usque in senectam & senium. Deus ne derelinquas me	19	Et usque ad *hanc* senilem & canam, *quam attigi*, ætatem. Ne *igitur*, ô Deus, *qui mihi hucusque succurristi & præconii tui usurpandi materiam suppeditasti*, derelinquas me *nunc*
Donec annuntiem brachium tuum generationi omni quæ ventura est ;	20	Quominùs posteros omnes de tuâ fortitudine ;
Potentiam tuam : & justitiam tuam Deus usque in altissima, quæ fecisti magnalia : Deus quis similis tibi,	21	*Et* de tuâ, *in me*, *aspero hoc tempore*, *liberando* potentiâ erudiero : tuámque, ô Deus, bonitatem, *mihi*, *nubilâ hac tempestate*, *exhibitam*, *ut &*, quæ *meâ caussâ nunc* feceris, magnalia ad cœlum usque extulero ; *dicens* : nemo tibi similis est ô Deus,

docuisti. Vide Psal. XXIV. 6. & annot. ibid.
potentiam tuam. potentiæ meminit quia seni & viribus fracto homini ea maximè necessaria erat ; & plurimùm micatura servato sene hujusmodi.

altissima. Psal. CXII. 5. CXLVIII. 1. Sap. IX. 17. Eccl. XXIV. 7. Luc. II. 14.

22 *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas; & conversus vivificasti me, & de abyssis terræ iterum reduxisti me:*

Qui mihi multas & graves afflictiones immiseras; &, *benignè* ad me conversus, recreasti me, atque *è magnis miseriis velut* è terræ abyssis, rursus me eduxisti:

23 *Multiplicasti magnificentiam tuam; & conversus consolatus es me.*

Tuísque me magnificis beneficiis iterum atque iterum cumulasti; &, *clementer* ad me reversus, consolatus es me.

24 *Nam & ego confitebor tibi in vasis Psalmi veritatem tuam; Deus psallam tibi in citharâ sanctus Israel.*

Sed & ego tuam, *in promissis servandis*, fidem Psalterio canam ô Deus; téque citharâ celebrabo ô sancte Israelitarum *Deus*.

25 *Exultabunt labia mea quum cantavero tibi; & anima mea quam redemisti:*

Mea *verò* labia gaudio, quum laudem *hanc* tibi dixero, perfundentur; & mea, quam *periculis* eduxeris, anima gaudebit:

26 *Sed & lingua mea totâ die meditabitur justitiam tuam quum confusi & reveriti fuerint qui quærunt mala mihi.*

Insupérque lingua mea tuam, in promissis exsolvendis, æquitatem totâ die celebrabit quum pudore atque ignominiâ affecti fuerint qui detrimentum mihi importare student.

conversus, hæc (quæ secundæ versus 23. parti respondet) vox quibusdam sonat *iterum*; sed ea divinum denotat favorem: qui Dei ad nos conversione significatur, quomodo iram suam Deus testatur aversione vultus sui. Confer Psal. LXXIX. 15. LXXXIV. 6.

magnificentiam tuam, Heb. *magnificentiam meam*, Sed res eodem redit S. Augustinus: *justitiam tuam*. Respondet hæc versus pars ultimo versus præcedentis membro.

veritatem. veritatem misericordiæ jungit ut Psal. XXXIX. 13. 14. candémque veritatem à se *totâ die* celebratum iri addet vers. 26. infrà.

ARGUMENTUM.

PSALMI SEPTUAGESIMI PRIMI.

Ex Psalmi titulo, clausulâ, & materiâ apparet editum fuisse hunc Psalmum à Davide quum Salomonem in amplissimo regiæ dignitatis gradu locasset. Erat eo tempore Salomon [a] *puer & tenellus*: unde sapientissi-

[a] I. Paral. XXIX. 1.

mus parens id ſibi negotii credidit primùm dari ſuum ut filium præceptis, quibus rempublicam benè & feliciter gerere poſſet, erudiret; illúdque negotium in iſto Pſalmo egregiè obiit, æquitatem filio apprecans; deinde Salomonis, juſtitiæ ſtudentis, regnum bonum, fauſtum, felix, fortunatúmque fore prædicens. Eximium planè carmen, & literis aureis in Regum palatiis exarandum: quum præſertim in feliciſſimo, quod canit, Salomonis regno regnum Chriſti adumbretur, quod ut regnorum omnium ſanctiſſimum exſtitit, ita dignum eſt quod Principibus ad imitandum proponatur. Illud Chriſti regnum altiore ſenſu in Pſalmo deſcribitur: ídque aſſentientur non ſolùm qui à B. [a] Paulo, [b] Euſebio, S. [c] Athanaſio, & Theodorito Chriſtum *pacem noſtram*, adeòque verum *Salomonem* eſſe audient; & Theodotionem [d] Heracleotæ prolatum, Chaldæum, Allegoricos Judæorum interpretes, Saadiam Gaonem, ac Salomonem Iarchi Pſalmum de Meſſiâ exponentes conſulent; ſed etiam qui ipſummet expendent Pſalmum. In eo enim multos obſervabunt verſus qui, pro typicarum rerum more, ad ultimum complementum relati ſignificatum obtinent magis proprium magiſque excellentem, & rectiùs in Meſſiam quàm in Salomonem quadrant, ut ipſemet fatetur Kimchius qui Pſalmum, primario ſenſu, ad Salomonem refert cum Theodoro Heracleotâ.

[a] Eph. II. 14.
[b] in Cat. Cord. ad hunc Pſal.
[c] Ibid.

[d] apud Corderium: cujus *Expoſitio Patrum Græcorum*, eos mihi ſuppeditavit & ſuppeditabit Græcos Patres quorum commentaria in Pſalmos ſeorſim non ſunt excuſa, & qui à Pſalmo LI. citati noſtro in opere potiſſimùm cœperunt.

TITULUS.

Pſalmus in Salomonem.

PSALMUS LXXI.		PARAPHRASIS.
DEus judicium tuum regi da, & juſtitiam tuam filio Regis.	1	TUam, *ô* Deus, æquitatem regi *Salomoni* impertire, & juſtitiam tuam *huic* Regis filio dona.

2 *Judicare populum tuum in justitiâ, & pauperes tuos in judicio.*

Populo tuo jus æquabiliter dicat, & æquum se judicem pauperibus tuis præbeat.

3 *Suscipiant montes pacem populo, & colles justitiam.*

Eo regnante Judeæ tribunalia justitiam populo reddant, *ejusdémque Judeæ Synedria* plebi jura describant *sub ejus imperio.*

4 *Judicabit pauperes populi, & salvos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem.*

Tuo ille dono pauperes è populo defendet, & pauperum filios tuebitur, deprimét*que* calumniatorem:

5 *Et permanebit cum sole & ante lunam, in generationem & generationem.*

Sicque memoria ejus manebit quamdiu sol & luna *in mundo* fulgebunt, *hoc est* sempiternis sæculorum ætatibus.

6 *Descendet sicut pluvia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.*

Ejus *in regnum* adventus tam erit gratus quàm pluvia in herbam resectam decidens, & imber super terram *aridam* stillans.

7 *Orietur in diebus ejus justitia; & abundantia pacis donec auferatur luna:*

Eo imperante *mutuam inter se* justitiam colent *Judæi*, *indéque* pax *orietur* placidissima quæ diutissimè sit duratura:

Psalmus in Salomonem. Cod. Reg. 138. *in Salomonem Psalmus David. vox Ecclesiæ de Christo ad Dominum.* Colb. 158. *in Salemone Psalmus Davit. vox Ecclesia de Christo.*

judicium. Heracleota: Ὥσπερ &c. *Sicut regem & filium regis eundem vocat; ita etiam justitiam & judicium idem dicit: solet enim Scriptura unam rem veluti duas narrare ad pleniorem legentis memoriam.*

montes. Judæa dicitur mons aut montes quia valdè montosa est, ut observavit *a* Grotius post Caietanum & ex eo *b* Pererium. Confer Exod. XV. 17. Psal. LXXVII. 59. Ezech. VI. 2. XXXVIII. 8. Joel. II. 2. Mich. VI. 1. 2. Judæam autem metonymicè sumo pro tribunalibus & Synedriis in Judæâ constitutis. Quod spectat vocabulum *pacem*, eo significatur justitia quia est caussa pacis in populo. Vide Psal. LXXXIV. 11. Zach. VIII. 16.

a ad Mich. VI. 2.
b ad Exod XV. 17. disp. 6. sub initium.

& permanebit. Heb. *& timebunt te*, ineptè: ut vel ipso apparet Ovidio hunc versum sic imitante, *cum sole & luna semper Aratus erit.* LXX. pro ויראוך legisse videntur יאריך aut יעמד.

ante lunam. illud *ante* idem valet ac *coram* qd. coram luna permanebit, hoc est nomen ejus tamdiu florebit dum luna in cœlo erit. Idem dic de hac loquutione *cum sole*: quæ nostrum *coram* firmat ex lege Synonymicâ, quippe quæ petat ut, quod Soli tribuitur, tribuatur & Lunæ; unde consequitur voce *ante* prioritatem non designari.

vellus. accipio pro *herbâ desectâ*, cum Hebræis; nec alludi puto ad vellus Gedeonis Jud. VI 37. & seq. *stillicidia.* idem quod pluvia. Confer Psal. LXIV. 11.

pacis. subaudio [illegible] *in diebus ejus*, hoc est sub regno Salomonis: quod, toto in Psalmo, locum habere debet; præsertim in isto versu, in quo sequitur *donec auferatur luna.* Quæ verba sic ego intelligo qd. orietur abundantia pacis sub regno Salomonis: quæ, sub hoc

regno,

regno durabit donec luna de cœlo tollatur : idest uti luna de cœlo non tolletur quandiu regnabit Salomon, ita pax & concordia ab Israelitis non recedet quandiu Princeps ille imperabit. Unde nullam heic agnosco hyperbolen cum Heracleota, cujus tamen verba digna sunt quæ heic exscribantur. Πρὸς &c. *per hyperbolen dicit* (DONEC AUFERATUR LUNA) *non enim auferetur luna; sed prout id potest, intelligitur: vult enim dicere fieri posse ut luna auferretur potiùs quam pax Salomonis everteretur.* De pace versus nostri lege III. Reg. IV. 25.

Et dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum.	8	*Illéque Princeps* dominabitur à mari *rubro* usque ad mare *Palæstinorum*, & ab *Euphrate* flumine usque ad *desertum* quo terra *Israelitis promissa* terminatur.
Coram illo procident Æthiopes; & inimici ejus terram lingent.	9	Coram illo procident Æthiopes; & inimici ejus terram, *ubi incesserit, in signum reverentiæ* osculabuntur.
Reges Tharsis & Insulæ munera offerent: reges Arabum & Saba dona adducent.	10	Reges Indiæ & Insularum *ibidem sitarum* munera *ei* offerent: reges Arabum & Sabæorum dona *ei* adducent.
Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei:	11	Provolvent se ante eum omnes reges terræ, & gentes omnes servient ei:
Quia liberabit pauperem à potente; & inopem cui non erat adjutor:	12	Quia *videlicet* à tenuioribus potentiorum injurias propulsabit; & pauperis, adjutore destituti, *patrocinium suscipiet:*

à mari usque ad mare &c. terræ promissæ limites in hoc describuntur versu: quocum loca Gen. XV. 18. Exod. XXIII. 31. Num. XXXIV. 3. & seq. Deut. XI. 24. II. Paral. IX. 26. Psal. LXXIX. 12. LXXXVIII. 25. confer; &, quoad hæc prædicti versus verba *orbis terrarum*, audi B. Hieronymum in Is. XIII. 4. 5. ita disserentem. *Medorum atque Persarum describitur impetus: quòd, multis secum auxiliis congregatis. Domino eorum exercitum præcedente, ad vastitatem veniant Babylonis ut disperdant omnem terram: non quòd totum orbem vastaverint; sed omnem terram Babylonis & Chaldæorum. Idioma est enim sanctæ Scripturæ ut omnem terram illius significet provinciæ de quâ sermo est: quod quidam non intelligentes, ad omnium terrarum subversionem trahunt.*

Æthiopes &c. non speciatim sed generatim in textibus III. Reg. IV. 21. 24. X. 24. II. Paral. IX. 23. 24. 26. attinguntur. De hac autem loquutione, *terram lingent*, vide Is. XLIX. 23. LX. 14. Mich. VII. 17.

Tharsis. In hac, quam in argumento Psal. XLVII. aperui, sententiâ persevero: & neque Tarsum Ciliciæ civitatem cum quibusdam intelligo; neque Tartessum admitto cum eruditissimo Grotio, qui non semel [a] heic peccasse videtur. Nam 1°. asserit Hebræos & B. Hieronymum per Tharsis intelligere mare Oceanum idest Hispaniam: beatus autem [b] Hieronymus ait autumare Hebræos תרשיש dici mare generaliter; ipséque sanctus Doctor id sequitur, etsi paulò ante hæc annotasset: *quantum in Paralipomenon libris intelligi datur*

[a] annot. ad III Reg. X. 22. Jer. X. 9. Jon. I. 3.
[b] in Jon. I. 3 vide eundem beatissimum Doctorem ad Jer X. 9.

quidam locus India sic (nempe Tharsis) *vocatur*. 2°. Grotius affirmat veterem Phœnicum Urbem ad Oceanum frequentatam & Plinio dictam *Gadir* Tartessum Græcis dici; at, quæ *a* Plinio est *Gadir*, Vartesson à Latinis vocatur non à Græcis: quibus, eodem teste *b* Plinio, *Carteia* Tartessos dicitur. De Tharsis & Insulis in textu nostro memoratis vide III. Reg. X. 11. 15. 22. 24. 25. II. Paral. IX. 10. 14. 21.

a lib. IV. 22. p. 91. lin. 29.
b lib. III. 1. p 47. lin. 27. 28.

Arabum. Heb. שבא à *Schaba* filio Regma Gen. X. 7. Sunt felicis Arabiæ incolæ quorum Jobus I. 15. meminit, & regina fuit ea quæ ad Salomonem venit III. Reg. X. 1. II. Paral. IX. 1. quibus cum locis & textibus III. Reg. X. 15. II. Paral. IX 14. Psalterianum confer.

Saba. Heb. סבא. Sunt Sabæi *Saba* à filio Chus orti Gen. X. 7. atque Ægyptiorum vicini Is. XLV. 14 De utraque Sehabæorum & Sabæorum gente *c* Pererium, *d* Pinedam, ac *e* Bochium lege: & primum, si mihi credis, sequere. Isti porrò, de quibus heic sermo est, Sabæi in textus III. Reg. IV. 21. 24. X. 24. 25. II. Paral. IX. 14. 26. generatim comprehenduntur.

c ad Gen. X. 6 num. 46. 47 48. 49. 50 51. 52. 53. p. 419. 420
d ad Job. I. 15. num. 6. p. 93. 94.
e ad Psal. LXXI 10.

omnes reges terra. Confer III. Reg. IV. 21. 24. X. 15. 23. 24. 25. II Paral. IX. 14. 23. 26. & Hieronymianam, quæ suprà ad vers. 8. adducta est, observationem, nostrámque ad Psal. LVIII. 6. annotationem relege: & nullam heic hyperbolen cum quibusdam admittes; neque optanter, cum Heracleota, expones; quanquam velim sic habeas persuasum hunc versum ut & plerosque alios in Christum meliùs quàm in Salomonem quadrare.

Parcet pauperi & inopi, & animas pauperum salvas faciet;	13	Miserebitúr*que* pauperis & inopis, atque egenos proteget;
Ex usuris & iniquitate redimet animas eorum, & honorabile nomen eorum coram illo.	14	*Eósque* ab usuris & iniquitate *perversorum hominum* vindicabit, & magno in precio nomen eorum habebit.
Et vivet, & dabitur ei de auro Arabiæ: & adorabunt de ipso semper, totâ die benedicent ei:	15	Unde florebit *rex ille*, eí*que* Arabes aurum afferent: & *omnes populi* illum semper prædicabunt, cúm*que* jugiter celebrabunt:
Et erit firmamentum in terrâ in summis montium, superextolletur super Libanum fructus ejus; & florebunt de civitate sicut fœnum terræ.	16	Tantá*que* erit, *sub hoc Rege*, in terrâ *Israeliticâ* ubertas ac felicitas ut frumentum, in montium cacuminibus (*quæ alioqui solent esse in frugifera*) *satum*, segetem, quæ *altissimas* Libani *cedros* superet, gignat; & *cives* in urbibus, ut herba in agris, multiplicentur.

usuris. Rabbini, *dolo*. Nostros Senes probabunt, opinor, qui cogitaverint *usuram* Græcis *τόκος* dici; & vero esse simile ut illi vocem hanc ex Hebræâ תוך *toc* mutuati fuerint.

nomen eorum. Heb. *sanguis eorum*. Idem ubique sensus; etsi putem Nostros legisse שמם pro דמם.

& vivet. Illud verbum ut & pleraque Psalmi nostri futura quidam per optativum exprimunt; sed eis versus 12. 18. non favent.

auro Arabia. sup. felicis: quæ auro gemmísque abundat testibus *f* Scriptura & *g* Plinio.

adorabunt. ponitur pro *orabunt*, ut ex Hebræo liquet & Codicibus Reg. 222. Colb. 1. Hæc autem oratio idem sonat ac *benedictio* ut ex lege patet Synonymicâ & annot. ad Psal. XXXI. 7.

f III. Reg. X. 15. II. Paral IX 14. Ezech XXVII 22.
g lib VI. 28 pag. 140. lin 22. p. 141. lin 55. 56 pag. 142. lin. 5. lib. XXXVII. 6 10.

firmamentum. idest frumentum : sic dictum quia, in panem conversum, cor hominis firmat & fulcit ut dicitur Psal. CIII. 17 Rabbini totum versum sic interpretantur : *eru pugillus frumenti in terrâ in capite montium, & contremiscet sicut Libanus fructus ejus* &c. Verùm huic versioni obstare videntur vox פסת si ad Gen XXXVII. 3. exigatur ; & verbum ירעש *contremiscet* si luculento consulatur sensui, & adeantur loca Psal. IX. 42. XXXVI. 37. ex quibus conjicio LXX. legisse יערץ על לבנון pro ירעש כלבנון.

17 *Sit nomen ejus benedictum in sæcula, ante solem permanet nomen ejus :*

Ejusdem Regis nomen perpetuò laudabitur, & nomen ejus *in terrâ* tandiu vigebit dum sol *mundum* luce suâ collustrabit :

18 *Et benedicentur in ipso omnes Tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum.*

Omnésque telluris *Israeliticæ* Tribus beneficio illius felices erunt, & omnes *Israelitarum* gentes eum magnificabunt.

19 *Benedictus Dominus Deus Israel qui facit mirabilia solus :*

Laudetur Dominus Deus Israelitarum qui solus miracula edit :

20 *Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum ; & replebitur omnis terra majestate ejus. Fiat, fiat.*

Et gloriosum nomen ejus perpetuò celebretur ; terrâque omnis laude ejus repleatur. Fiat, fiat.

* *Defecerunt laudes Davidis filii Jesse.*

* Finem habent hymni Davidis filii Jesse.

benedictum. Theodoritus : παρ' ἡλίῳ &c. *in nullo exemplari legitur. neque in Hexaple, neque apud Hebraos.* Mihi non dubium quin hæc vox in veteribus Hebræorum Codicibus legeretur.

ante solem. idest coram sole hoc est quandiu sol erit ut vers. 5.

permanet. Heb. *sebeloscet* seu *propagabitur.* Idem ubique sensus, etsi non dubitem LXX. legisse ילין, pro ינין verbo alibi inusitato.

& benedicentur &c. Id quidam exponunt quasi Salomon futurus esset exemplum faustæ precationis. Ego in eam accipio sententiam quæ exstat in argenteo Constantini numismate quod in Regis cimelio asservatur, ubi legitur *felicitas publica.* Favet locus Gen. XXII. 18, ad quem Vates alludere videtur.

solus mirabilia facit. Multa quidem miracula Paganis tribuuntur ut Ero Harmonii filio à *a* Platone qui eum revixisse tradit : quod etiam de Aristeà Proconnesio, Cleomede Astypalæensi, Hermotimo Clazomenio, Epimenide, & C. Ælio Tuberone tradunt *b* Herodotus, *c* Plinius, ac *d* Celsus ; Æmiliæ virgini ut vult *e* Dionysius Halicarnassensis, aut hujus Æmiliæ discipulæ ut tradit *f* Valerius Maximus, quæ extinctum ignem carbaso accendit ; imperatori Vespasiano qui cæco lumen, claudo gressum reddidisse dicitur à *g* Suetonio ; imperatori Hadriano qui, uti narrat *h* Spartianus, cæcum illuminavit, cujus contactu ipsemet è febri recreatus fuerat ; Claudiæ Vestali quæ navim, in Tiberi hærentem nullâque hominum boumve vi mobilem, zonâ suâ extraxit & duxit quò voluit ut referunt *i* Livius aliíque ; Tucciæ quoque Vestali quæ aquam in cribro tulit anno Urbis sexcentesimo nono ut *k* Plinius scribit, Asclepiadi Pruriensi qui relatum è funere hominem servavit ut affirmat idem *l* Plinius, & Apollonio Tyanæo cui *m* Philostratus plurima tribuit miracula : quibus alia adjungunt *n* Plutarchus, *o* Lactantius, & S. *p* Augustinus. Sed horum & similium miraculorum alia fictitia erant ; alia magicis artibus nitebantur ; Dæmonúmque operâ, Deo sic permittente, pa-

a lib X. de Repub. p. 614 B.
b lib. IV. c. 14. 15.
c lib. VII. 52
d apud Orig. contr. Cels. lib. 3.
e lib. 2.
f lib. 8.
g in vitâ ejus.
h in Hadr. cap. 25.
i lib. 29. Herodian lib. 1. Ovidius in Fast. & S. Aug. de Civit. Dei. X. 16
k lib XXVIII. 2. Vide Val. Max. lib. 8. & S. Aug. loc. cit.
l lib. VII. 37.
m de Vit. Apollon pluribus locis, nominatim lib. III. 8. IV. 16. VI. 5.
n to. 1. p. 135. D. 144. D. 174. F. 248. E. 428. C. 456. F. 534 F. 671. F. 680. C. 684. D. 754. C. 1007. A.
o Inst. lib. II 7.
p de Civ. Dei, X. 16.

trabantur; alia naturæ vires non superabant; alia d[illegible] ac incerta erant ut egregiè demonstratum est ab *a* Origene, *b* Tertulliano, B. *c* Cypriano, *d* Eusebio, *e* Pseudo Justino, S. *f* Augustino, *g* Hieronymiastro, aliisque: quibus ñdem conciliant Porphyrius ab Eusebio Præp. V. 10. & *h* Theodorito laudatus, *i* Tacitus de Vespasiani miraculo verba faciens, Marius Maximus de Hadriani prodigio apud Spartianum disserens, Xiphilinus Hadrianum memorans divinationibus & magicis artibus deditum, & *k* Valerius Maximus qui Deorum, quæ narrabantur, miraculis parùm favet, à quo non longè abit *l* Plutarchus: cui si *m* Oenomaum, *n* Strabonem, *o* Apollonium Dyscolum, *p* Ciceronem, *q* Plinium, *r* Lucianum, *s* Diogenem Laertium, *t* Gellium, *u* Maximum Tyrium, *x* Iamblichum, Euphratem Tyrium *y* Philostrato prolatum, S. *z* Thomam, & *&* Pererium adjunxeris, miraculorum illorum pleraque ridebis, nullum suspicies; fateberisque *solum Deum mirabilia facere.*

a lib. 1. contr. Cels.
b Apolog. c. 22. & lib. de animâ.
c de Idol. van.
d lib. adv. Hierocl. & de Præp. V. 7.
e Resp. ad quæst. 24.
f de Civ. X. 16. Epist. 49. lib. 3. de Doctr. Christ. c. 7. 8. lib. 83. Quæst. q. 79.
g ad Psal. LXXXI. vers. ult.
h serm. 3. contr. Græc.
i Hist. lib. 4.
k lib. I. ubi ait *non me præterit* &c.
l in Romulo pag. 24. & Camillo p. 1[illegible]. B.
m apud Euseb. Præp. V. 34.
n lib. 13. ubi de Arist. Procon.
o cap. 3. Mirab. Hist.
p apud Macrob. lib. I. in Somn. Scip. cap. 2.
q lib. VII. 52. 53.
r Pseud. & Encom. Muscæ.
s in Epimen. & Emped.
t lib. IX. 4.
u Differt. 28.
x in vitâ Pythag. cap. 28.
y de vitâ Apoll. lib. I. c. 2.
z 1. part. q. 110. art. 4. 114. art. 4. primâ secundæ q. 111. art. 4. q. 113. art. 10. secundâ secundæ q. 178. art. 1. 2. 4. part. 3. q. 43. art. 2. 4. q. 78. art. 4.
& ad cap. VII. Exod. disp. 3. 4. 5. 11. VIII. disp. 5.

ARGUMENTUM.

PSALMI SEPTUAGESIMI SECUNDI.

JUDÆIS, è captivitate Babylonicâ in patriam reversis & varias, quas de divinâ providentiâ agitaverant in vinculis, cogitationes narrantibus à Theodorito, Theodoro, & Græco Corderii Paraphraste hic Psalmus tribuitur. Illum ego Judæis Babylonicam servitutem adhuc servientibus ex versibus 27. 28. cum Psal. IX. 14. collatis & versibus 17. 20. accommodo; & dico eam Vati mentem esse ut captivos Judæos doceat Deum piis esse bonum. Hoc autem argumentum eò tractat Vates quòd Judæi, Babylonicis vinculis illigati, de divinâ erga pios bonitate subdubitabant dum se, virtuti studentes, calamitatibus frangi; Babylonios autem, omnibus vitiis inquinatos, prospero fortunæ flatu uti cogitabant. Illud à popularibus dubium propulsare vult Vates; &, eos primùm alloquens, ait Deum piis esse bonum; tùm subdit seipsum in magnâ perturbatione versatum fuisse considerantem bona quibus improbi Babylonii affluerent; & mala quibus ipse, pietati operam navans, premeretur. Addit se, prævisо Babyloniorum exitio, à suâ decessisse perturbatione: quam vers. 21. resumens ait se, huic licet perturbationi implicatum, à Deo non descivisse: idque

causſæ futurum cur Deus ſuis tandem rationibus proſpiceret, & ſe in patriam revocaret; atque ita hujus, quæ in primo verſu laudata fuerat, bonitatis ſpecimina daret: unde concludit Deo eſſe adhærendum.

TITULUS.

Pſalmus Aſaph.

PSALMUS LXXII.		PARAPHRASIS.
QUàm bonus, Iſrael, Deus his qui recto ſunt corde.	1	QUàm bonus *eſt* Deus, *ò* Iſraelitæ, his qui recto ſunt corde.
Mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei:	2	Mei *quidem* pedes à *fide* pene declinaverant, *&* greſſus mei *in impietatem* fermè erant effuſi:
Quia zelavi ſuper iniquos pacem peccatorum videns.	3	Æmulabar enim iniquis, *qui me vexant, Babyloniis*, proſperitatem *horum* improborum videns.
Quia non eſt reſpectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum.	4	Nimirùm nihil ipſis grave *in vitâ* accidit unde mortem timeant; &, *ſi quæ illis contingat*, calamitas non eſt diuturna.
In labore hominum non ſunt; & cum hominibus non flagellabuntur.	5	In ærumnis, quæ *cæteros* homines premunt, non verſantur; nec cum *reliquis* hominibus affliguntur.

ANNOTATIONES.

Pſalmus Aſaph. Codex Reg. 138. *Pſalmus Aſaph. vox Chriſti ad Patrem de Judais.* 918. [illegible] &c. *Pſalmus Aſapho. canticum ad Aſſyrios. initium tertii libri.* Colb. 158. *Hucuſque ſecundus liber: hec quod ſcribitur defecerunt laudes David filii Jeſſe. ad finem ejuſdem libri pertinet: Pſalmus verò Aſaph principium eſt tertii libri. LXXII. vox Prophetarum ad Dominum de Judais.*

mei autem &c. eſt objectio contra doctrinam primi verſus: eáque objectio uſque ad ſeptimum decimum profertur verſum, in quo Vates objectionem ſolvere incipit uſque ad verſum 21. ubi verſum 3. & ſequentes reſumit; tum verſu 23. doctrinam probat quam in primo verſu propoſuerat.

reſpectus. Rabbini: *ligamenta*, hoc eſt placidè & abſque dolore moriuntur. Præluxerat. Aquila qui, Theodorito teſte, vertit *acerbitates*; & conſentit Euthymius, qui ita explanat: *mors qua eis obvenit abnuenda aut reſpicienda non eſt veluti qua & ſecundum naturam advenit & nulla cum violentia.* Sed hæc explicatio ſecundæ verſus parti repugnat, ut eam expendenti perſpicuum fiet. Vulgatæ verſioni favet B. Hieronymus dum Symmachum, ab Heracleotâ & Theodorito laudatum, ſequutus interpretatur *non recogitant de morte ſuâ.* Legebat in ſuo Codice ſanctus Doctor חשבי pro חרצבית. Noſtri legiſſe videntur חשבין.

S Aug. habet *non est declinatio.* Porrò instituta, ex ærumnis insontium & improborum felicitate, querela vetus est & multis negotium conflavit. Eâ utitur *a* Plautus cum Danae quadam *b* Athenæo prolatâ. Ejusdem querelæ *c* Plato, *d* Aristoteles, & *e* Plutarchus meminere; eamque Cotta pontifex, à *f* Cicerone productus, pluribus tractat. Sed illam, post Vatem nostrum, egregiè retundunt *g* Lactantius, *h* Titus Bostrensis, S. *i* Ambrosius, S. *k* Augustinus, S *l* Chrysostomus, *m* Nemesius, S. *n* Cyrillus Alexandrinus, *o* Theodoritus, *p* Eucherius, *q* Salvianus, *r* Gaudentius Brixianus, *s* Junilius Africanus, S. *t* Gregorius magnus, *u* Æneas Gazæus, *x* Philo, *y* Plotinus, & *z* Seneca: cujus disputatio eximia est, si hanc tollas conclusionem *licere unicuique, quum adversis ferendis impar est, seipsum eo dolore solvere.*

a in Rud. scen. 3.
b lib. 11 c. 7. p. 593.
c lib. 10. de Legib. p. 899. 900 905. & 2. de Rep. p 364.
d in Problem. sect 29.
e de Placit Philosoph. lib. I. c. 7. p. 881 C.
f lib. 3. de Nat. Deor.
g lib 3. Instit. c. 17.
h lib 2 contr. Manich.
i lib I. offic c 12.
k lib I. de Civ. c. 8. & in Psal. 36 & 136.
l homil. 33. in Gen. homil 13. in Matth. & libris de Provid.
m d Nat hom c. 44.
n lib. 4. adv. Jul.
o in libris 5. postremis de Provid.
p in Parænesi.
q in libris de Provid.
r Præf. ad Benevol.
s lib. II. de part. div. leg c. 21.
t Moral. XIV. 13. 14. XVIII. 83 XXI. 4.
u in Theophr
x apud Euseb. de Præp: VIII. 14.
y in libris duobus de Provid.
z lib. de Provid.

6 *Ideò tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate suâ;*

Idcircò superbiunt, suntque ex scelere & flagitio concreti;

7 *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum: transierunt in affectum cordis.*

Eâque illorum iniquitas ex eorum prodit felicitate: *quâ abusi*, omnes cordis suis cupiditates explent.

8 *Cogitaverunt & loquuti sunt nequitiam; iniquitatem in excelso loquuti sunt.*

Nil aliud cogitant ac loquuntur quàm nequitiam; & palàm atque apertè scelera sua prædicant.

9 *Posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum transivit in terrâ.*

Imò in ipsum Deum debacchantur; & *impius*, quo *eum proscindere audent*, sermo in terram *Babylonicam latè* manat.

10 *Ideò convertetur populus meus heic, & dies pleni invenientur in eis.*

Hoc autem ideò *utuntur sermone quia* meus, *qui Deum colit*, populus in has *captivitatis* calamitates devenit, & dies *mœrore* plenos transigit.

11 *Et dixerunt: Quomodo scit Deus; & si est scientia in excelso.*

Hinc enim *Babylonii sic* argumentantur: Quî fieri potest ut *Hebræorum* Deus notitiam *humanarum rerum* habeat; sitque *ille*, qui *ab iis* altissimus *dicitur*, scientiâ præditus.

ideò tenuit eos superbia. eodem recidit Rabbinica versio *ut torques cingit eos superbia:* quanquam existimo LXX. legisse אחזתמו, pro ענקתמו verbo in Rabbinicam sententiam aliàs non accepro.

prodiit &c. Symmachus apud Heracleotam: *exciderunt præ pinguedine ab oculis suis.* Rabbini: *egressi sunt præ adipe oculi eorum.* Nostrorum sensum Psalmus XVI. 11. firmat; & sequuntur *a* Plato, *b* Aristoteles, *c* Thucydides, *d* Terentius, & *e* Cicero qui ex pinguedine divitiarum iniquitatem procedere, & superbiam ex abundantiâ oriri tradunt. *Juxta hunc sensum*, inquit Euthymius, *abundat dictio quasi.* Sed ea *adipe* implicitè contineri videtur: quippe qui felicitati seu opulentiæ heic comparetur à Vate qd, ex illorum opu-

a in Eryxia: Δοκεῖ &c. p. 396. D.
b lib. II. Rhet. c. 16.
c lib. 3. Ἀλλ' ἡ μὲν πενία &c.
d Hecyr. Act. 3. sc 5.
e de lege Agrariâ contr. Rull. & lib. VII. Ep. 13.

letiâ quasi ex adipe prodit &c. ut rectè interpretatur Jansenius.

transierunt in affectum cordis. Rabbini à Synonymicâ lege abeuntes ; sed Symmacho, quem Heracleota profert, adhærentes vertunt *transeunt cogitationes cordis*, hoc est sunt feliciores quàm putant. Nostro, prout à LXX. Senibus vertitur, vati succinit in loco jam laudato Plato. Sanctus Augustinus legit *dispositionem* pro *affectum* : quem Genebrardus picturam vel imaginationem cordis non malè vocat ad Hebræam attendens vocem משכיות, pro quâ LXX. Senes legisse videntur במשכיות, & quidem in singulari.

cogitaverunt. Rabbini : *dissolvunt* sup. piorum animos suis superbis dictis. LXX. pro ימיק legisse videntur ומפי ; eàque lectio Rabbinicæ sine dubio præstat.

in excelso. Heb. *de excelso* : idest de Deo ut quidam explicant : me non assentiente ; etsi id locum habere posse credam si Synonyma intertexta heic admitterentur. Nihilo meliùs alii *de excelso* explanant de excelsâ felicitatis sede in quâ collocantur.

ideò, accipitur heic pro *propterea quod* ut Psal. XLI. 8.

populus meus. ita loquebantur Prophetæ ut alibi observavimus. Rabbini : *populus ejus* ; sensu eodem.

dies pleni &c. Rabbini, non rectè : *aqua* (calicis) *pleni exprimuntur eis*. Nostri legebant ימי pro מי ; & ימצאו pro ימצו. Theodoritus per *dies plenos* senectutem minùs benè intelligit ; nec meliùs ex isto versu colligit Psalmum iis convenire qui jam reversi erant ; quique ea, quæ Babylone acciderant, narrabant.

Ecce ipsi peccatores & abundantes in sæculo, obtinuerunt divitias,	12	Quum *igitur* improbi illi *Babylonii* & *bonis* in mundo abundarent, & divitiis affluerent,
Et dixi: Ergo sine causa justificavi cor meum, & lavi inter innocentes manus meas :	13	Dicebam *ego in meâ perturbatione :* Ergo cor meum ad pietatem inutiliter adjungo, & innocentiæ operam *frustrà do :*
Et fui flagellatus totâ die, & castigatio mea in matutinis,	14	*Quum pietas hæc mea non impediat quominùs ærumnarum* flagellis totâ die cædar, & castigatio mea ab *ipso* diluculo incipiat.
Si dicebam: narrabo sic, ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.	15	Si *verò*, *postquam hunc sermonem habuissem*, dicebam : *dum* in ea, *quæ narravi*, verba erumpo, ecce tuos damno cultores : *quippe qui nullis incommodis deterreantur à virtute, neque existiment se frustrà pietatem coluisse si vel maximis calamitatibus obruantur.*

si dicebam narrabo sic. Nulla in his verbis est transpositio ut vult Kimchius qui ea non intelligit.

ecce nationem &c. S. Ambrosius : *ecce generationi filiorum tuorum sic disposui.* S. Augustinus testatur quædam exemplaria habere *ecce generationem* filiorum tuorum *cui concinui.* Theodoritus pro *reprobavi* habet *pacta violasti*, non benè ; sed *filiis* Israelitas designari rectè ex Exod. IV. 22. ait cum Euthymio, qui Theodoritianæ meminit lectionis. Eam S. Athanasius non sequitur.

16 *Existimabam ut cognoscerem hoc; labor est ante me.*

Si, inquam, ita disserebam, arbitrabar perspectam mihi esse divinam providentiam; *at mox* videbatur mihi res hæc multùm difficultatis & laboris habere: *nec me his nodis expedivi.*

17 *Donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in novissimis eorum.*

Donec *sacrarum literarum* sanctuarium ingressus fui, *ibique* horum, *qui nos vexant, hostium* finem intellexi.

18 *Verumtamen propter dolos posuisti eis, dejecisti eos dum allevarentur.*

Verùm enim verò *pœnam* illis propter *eorum* pravitatem impones, eósque dejicies, *ô Deus*, quum in altum sublati fuerint.

19 *Quomodo facti sunt in desolationem! Subitò defecerunt; perierunt propter iniquitatem suam*

Quam citò exterminabuntur! Subitò deficient; *&*, propter iniquitatem suam, *è mundo* abibunt

20 *Velut somnium surgentium: Domine in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.*

Velut somnium quod ab evigilantibus evanescit: *&*, *Principalem* ipsorum imaginem, quam in urbe tuâ *Hierosolymâ in signum adepti dominii* collocarunt, ad nihilum rediges Domine.

existimabam. Rabbini non rectè: ***cogitabam***, aut ***cogitavi.*** Confer Gen. XXXVIII. 15. I. Reg. I. 13. S. Augustinus: ***& suscepi cognoscere. hoc labor est.***

in sanctuarium Dei. quominus id templo Hierosolymitano, adeóque de reditu in patriam intelligatur impedit historia: nam Judæi, antequam Hierosolymas pervenissent, Babyloniorum eversionem viderant. Illud ego sanctuarium de oratione, quæ Deo non secùs ac in templo exules sistit, ex Psal. LXII. 3. aliquando exponere volebam; sed, cum Abdia Sipporno, malui de sacrâ intelligere Scripturâ: in quâ videlicet Babyloniorum clades prædicta erat.

propter dolos &c. Rabbini minùs benè, quanquam eodem ferè sensu: ***in lubricis posuisti eos, corruere facies eos in desolationes.*** LXX. vocem חלקות in eam acceperunt sententiam quâ gaudet in Psal. LIV. 24. & post verbum ***posuisti*** subaudiunt ***mala***: quam dictionem dativa vox למו petit; & legunt Theodoritus, Euthymius, ac Græcus Corderii Paraphrastes. Præterea LXX. præpositionem ל in nomine למשואות interpretantur ***in*** ut Psal. XV. 11. hoc est ***in elevatione***, seu dum allevarentur. Denique LXX. legisse videntur למשאותם ***in elevatione eorum.*** S. Ambrosius, ***posuisti eis bona.***

propter iniquitatem suam. Rabbini insulsè: ***à terroribus.*** LXX. pro מן בלהות legisse videntur בעותם.

in civitate tua. Joseph Kimchius vertit ***in suscitando***; sed Aben-Ezra nostris consentit Senibus: qui, per civitatem Dei, Hierosolymas intelligunt ut Psal. XLV. 4. XLVII. 1. 7.

imaginem illorum. hoc ideò dictum quia Babylonii, captâ Hierosolymâ, imaginem Principis

Principis in eà collocaverant, (ut solent victores) in signum dominii: quod etiam *signis* ac *vexillis* in portâ aut editiore Urbis loco positis denotatur, ut patet ex Psal. LXXIII. 6. & docet Varro sæculi nostri *a* Carolus Fresnius *du Cange*: *b* qui quum *imaginiferos* adducat, viros nempe portantes vexillum in quo depicta erat imago Principis, ansam conjiciendi præbet *imaginem* versus nostri à *signis* Psalmi LXXIII. 6. non differre, & nihil esse aliud quàm signum seu vexillum in quo Principis Babylonii imago depicta erat.

a in Glossario ad vocem *vexillum*
b ibid. ad voc. *imago*.

Quia inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt: & ego ad nihilum redactus sum, & nescivi;	21	*Porrò* etsi cor meum, *ob Babyloniorum prosperitatem* æstuaverit, meúsque animus in perturbatione, *eandem ob causam*, *versatus fuerit:* imperitúsque ego exstiterim, atque indoctus;
Ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum:	22	*Et* in capiendis sapientiæ tuæ consiliis jumento solertior non fuerim, attamen à te nunquam recessi:
Tenuisti manum dexteram meam; & in voluntate tuà deduxisti me, & cum gloriâ suscepisti me.	23	*Unde* curam mei geres; &, pro tuâ bonitate, ductor eris meus, méque *in patriam perductum* gloriâ cumulabis.
Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?	24	Quid ergo est in cœlo quod velim, & quid in terrâ est quod amem præter te?
Defecit caro mea & cor meum; Deus cordis mei; & pars mea Deus in æternum:	25	Deficit caro mea & cor meum *præ amore tui*; mihíque *ò* Deus cordi eris; & pars mea, *ô* Deus, perpetuò existes:
Quia ecce, qui elongant se à te, peribunt; perdidisti omnes qui fornicantur abs te.	26	Probè enim scio eos, qui à te discedunt, perituros; téque exitio daturum omnes qui à te abeunt ut *Idolis* serviant.
Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Deo spem meam.	27	Mihi igitur utile fuerit Deo adhærere, & meam in eo spem ponere:
Ut annuntiem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion.	28	Ut *scilicet tuà, qui eorum qui tibi adhærent & in te sperant vota non frustraris, benignitate servatus* omnes, *quas mereris*, laudes in portis Sionis canam.

quia. כי accipiendum videtur pro *etsi* ut Ezech. III. 9. Dan. IX. 9. Theodoritus eodem ferè sensu interpretatur *cùm.* ταῦτα &c. *hæc, inquit, cogitabam quum ab illorum iniquitate*

accensus essem. Genebrardus Psalterianum *quia* ad versum 23. malè trahit.

inflammatum est &c. optimè Theodoritus : αἰθάλωσε &c. *resumsi exordium quia zelavi super inimicos : &, quod ibi zelum vocavit, cordis ardorem hoc loco nominat.*

reges mei commutati sunt. est repetitio ; & *renes* sumuntur pro cogitationibus seu animo earum fonte. Vide annot. ad Psal. VII. 10. & confer Psal. XXV. 2. Jer. XII 2. X. 11. 10. XX 12. & IV. Esdr. V. 34.

ad nihilum redactus sum & nescivi. Idem utrâque phrasi dicit : quod optimè intellexit Symmachus, à Theodorito laudatus, qui vertit : *imperitus eram & ignorans.* Hinc verò non abeunt LXX. quia enim ratio hominem constituit, eâ qui caret in hominum numerum non adscribitur, adeòque ad nihilum reductus videtur.

tenuisti manum dexteram meam. Plerique hoc versu rationem præcedentis contineri putant qd. semper ego tecum fui seu à pietate non defeci quia tenuisti manum dexteram meam quominus in impietatem prolaberer ; sed obstant sequentia. Confer Gen. XXI. 18. IV. Esdr. X. 30. & Theodoritum consule S. Augustinus : *manum dextera mea.*

voluntate. voluntatem pro benevolentia sumit cum *a* Cicerone non uno in loco. Rabbini ineptè, *consilio.* LXX. legebant ברצ נך pro בעצתך. Vide Psal. XXIX. 6. 8. L. 19.

fornicantur abs te. Hoc ideò dictum quia conjugium quoddam inter Deum & homines interest : unde quum homo à Deo ad Idola aut vitia abit, fornicari censetur. Quam in rem cum fructu leges *b* Philonem, *c* Tertullianum, S *d* Augustinum, S. *e* Cyrillum Alexandrinum, & S *f* Bernardum: præmissis Judicum VIII 27. I Paralipomenων V 25. atque Ezechielis VI. 9. testimoniis.

in portis filia Sion. Deest in Hebræo ; sed erat olim, ut colligitur ex Psal. IX. 14.

a II. de Orat. III. Famil. ep. 6. & Pet. Consul.

b lib. de victim. offer.
c de Pudic ca. 2.
d tract. 42 in Joh.
e lib. 6. in Joh.
f de modo benè vivendi serm. 23. de Fornicat.

ARGUMENTUM.

PSALMI SEPTUAGESIMI TERTII.

GROTIUS in eâ est sententiâ tabernaculum, cujus destructio versu 7. memoratur, esse tentorium Silo ubi erat Arca ; & repræsentari, hoc in Psalmo, historiam quæ I. Sam. IV. describitur. Sed illam sententiam vel ipse primus versus labefactat : is enim calamitatem à multis annis cœptam innuit, quod in prædictum tempus non quadrat ; ut taceam montis Sionis vers. 3. mentionem, quæ dicto jam tempori convenire nequit. Theodorus, Græcus Corderii Paraphrastes, Jansenius, Bellarminus, compluresque alii iis, quæ tempore Antiochi Illustris acciderunt, Psalmum accommodant ; sed versus 8. cum hac opinione non constat : nequiquem loco I. Macchab. IV. 38. (ubi portæ exustæ memorantur) producto: unde hæc opinio à Theodorito jure optimo explosa est;

Eusebius, S. Athanasius, S. Augustinus, Theodoritus, Euthymius, aliique non pauci Psalmum de Hierosolymarum vastitate à Romanis illatâ exponunt; sed, tantorum pace virorum, dixerim eorum sententiam probabilem non esse: quum enim vastitas illa æternùm sit duratura, mandatæ versibus 2. 3. 4. 11. 12. 19. 20. 21. 22. 23. 24. preces intempestivæ videntur etsi Judæi in fine mundi sint salvandi. Adde quod Judæi illi, post occisum Christum, indigni sunt qui *oves pascuæ Dei, congregatio ejus, virga hæreditatis ejus, animæ ipsi confitentes, & pauperes ejus* vers. 1. 2. 3. 20. appellentur. Denique versus 9. 11. 19. 20. 23. 24. calamitatem in odium religionis & cultus veri Dei importatam & à viris piis deploratam repræsentant; at Romani Judæos ob eorum rebellionem devastarunt: divino simul servientes consilio quo Judæi, ob illatam Christo necem, pœnis à Romanâ gente infligendis addicti erant. Credo ego descriptam in Psalmo vastitatem eandem esse atque eam cujus auctor fuit Nabuchodonosor; ipsumque Psalmum à Judæis, sub finem captivitatis Babylonicæ, usurpatum fuisse. Nec me decimus, qui ab Eusebio & Theodorito opponitur, versus qui nullum jam esse Prophetam queritur, ab eâ opinione avertit existimantem nomen *propheta* pro viro futura nuntiante (cujusmodi eâ tempestate Aggæum, Zachariam, aliósque fuisse confiteor) in laudato Psalmi versu non sumi; sed accipi pro *viro eloquente* qui misericordiam ab hostibus facundiâ suâ impetrare possit: quomodo vox hæc sumitur Exod. VII. 2. & Daniel. III. 38. qui ultimus locus eò notandus est magis quòd, qui ibi loquitur & non esse in tempore hoc Prophetam asserit, Azarias Danielem, Jeremiam, Ezechielem, aliósque insignes prophetas habebat coætaneos.

TITULUS.

Intellectus Asaph.

PSALMUS LXXIII.		PARAPHRASIS.
VT quid Deus repulisti in finem; iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ?	1	QUare, ô Deus, tamdiu nos deseris; & furor tuus in oves ardescit quas suscepisti pascendas?
Memor esto congregationis tuæ quam possedisti ab initio.	2	Memor esto plebis tuæ *Israeliticæ* quam, *vinculis Babylonicis explicatam*, in peculium priscis jam temporibus tibi delegisti.
Redemisti virgam hæreditatis tuæ, mons Sion in quo habitasti in eo;	3	Hæreditariam tuam, quæ nihil est quàm mons Sion in quo habitas, possessionem *à Babyloniorum* potestate exime;
Leva manus tuas in superbias eorum in finem. Quanta malignatus est inimicus in sancto!	4	*Et* tandem manus tuas attolle ut eorum superbiam contundas. Quanta, *Deus bone*, inimicus ille *populus* patravit mala in sancto tuo templo!
Et gloriati sunt qui oderunt te in medio solemnitatis tuæ.	5	Osores *illi* tui insolenter gloriati sunt in medio *ejusdem*. templi in quo solemnitates tuæ peragi solebant.
Posuerunt signa sua signa, & non cognoverunt; sicut in exitu super summum.	6	Vexilla sua *in trophæum ibi* erexerunt neglectâ *loci* sanctitate; *eáque signa* in summo *hujus templi loco* sicut in portis *civitatis* collocarunt.

ANNOTATIONES.

intellectus Asaph. Cod. Reg. 138. *intellectus Asaph vox Ecclesiæ de Judæis.* Colb. 158. *intellectus Asaph, vox Christi de Judæis.*

memor esto &c. Heracleota: Μνήσθητι &c. *memor esto congregationis tuæ quam redemisti ab initio & possedisti sceptra hereditatis tuæ* (*sic enim Symmachus exposuit*) *& duxisti ad Sion montem sanctum tuum istum.*

ab initio. idest olim. Confer Psal. LXXVII. 2. Is LII. 4.

redemisti. præteritum pro futuro imperativi locum tenente ut Psal. LIX. 2. LX. 3. LXIII. 2. Ægyptiacam liberationem respicit. Confer Deut. IX. 26.

virgam. ad virgas mensorias seu funes quibus terra Israelitica dividebatur alludit. Confer Deut. XXXII. 9. Jerem. X. 16.

hæreditatis tuæ. Confer Psal. LX. 5. LXXVIII. 1. CXXVI. 4. S. Aug. pro *mons Sion* &c legit *montem Sion istum quem inhabitasti in ipso.*

& non cognoverunt &c. Symmachus ab Eusebio & Heracleotâ laudatus, *posuerunt signa sua* ὡς ἐν εἰσόδῳ &c. *insigne indicium ad ingressu supernè.* Idem à Theodoro productus: ἐπισήμως &c. *insigniter indicium ad ingressum supernè.* Hieronymiaster. *Symmachus... posuerunt signa sua manifeste in editu in introitu portarum.* Rabbini cum Symmacho legunt יודע ; idque Theodoritus in suâ explanatione sequitur. Sed Symmachus in suo Codice Hebræo habebat במביא pro כמביא. LXX. legisse videntur * ולא ידעי כבמוצא: Quæ lectio iis omnibus, qui Synonymicæ legis studiosi erunt, probabitur: hæ enim voces *sicut in exitu super summum* explicant ista *& non cognoverunt* qd. sacrum atque profanum non internoverunt: siquidem (ἀντὶ τοῦ κοινοῦ) signa sua posuerunt *in editiore templi loco sicut in porta urbis.* S. Aug. *sicut in egressu desuper.*

* Eodem sensu legissent כבמביא *sicut in ingressu*: nam porta civitatis ingressui servit ut exitui. Confer Prov. VIII. 3. Ezech. XXVI. 10. XLIV. 5.

super summum. Dices: quomodo in summo templi loco hostes trophæa erexerunt quum templum ab iis crematum fuerit? Respondeo erectionem cremationi præivisse: toto nimirum tempore quod Nabuzardan, in diripiendis templi divitiis, consumsit IV. Reg. XXV. 13. 14 15.

Quasi in sylva lignorum, securibus exciderunt januas ejus in idipsum, in securi & asciâ dejecerunt eam.	7	Ejusdem *templi* januas securibus (quasi in sylvâ lignorum *versarentur*) penitùs exciderunt, easque bipenni & asciâ dejecerunt.
Incenderunt igni sanctuarium tuum, in terrâ polluerunt tabernaculum nominis tui:	8	*Tum* incenderunt sanctuarium tuum, *&* tabernaculum nomini tuo in terrâ *Israeliticâ* consecratum polluerunt:
Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul: quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terrâ.	9	Horúmque hominum natio toto animi affectu & unanimiter dixit: desinere faciamus in terrâ *Israeliticâ* omnia Dei festa.
Signa nostra non vidimus: jam non est propheta; & nos non cognoscet ampliùs.	10	*Adhæc,* miracula nostræ *olim* genti exhibita non videmus *impræsentiarum*: nullus adest orator *qui libertatem nostram impetrare possit*; & nemo nos ampliùs curat; *sed despectui sumus omnibus.*

quasi in sylva &c. Rabbini ineptè: *notum est (aut notus est) sicut adducens supernè in perplexitatem ligni* (seu *perplexum lignum*) *secures*: *& nunc sculpturas ejus pariter securi & malleis dejecerunt.* LXX. legerunt ולא ידעו כבמוצא למעלה כבסבך עץ בקרדמות יחשבו pro יודע כמביא למעלה בסבך עץ קרדמות ועת פתוחיה יחד בכשיל וכלפות יהלמוה. פתוחיה יחד בכשיל וכלפות יהלומון. Legem qui Synonymicam & nitidum sensum amabunt, Vulgatam lectionem Rabbinicæ sine dubio anteponent. Sed, inquies, quî excisæ sunt januæ quum templum versu sequenti incensum dicatur? Respondeo excisas primùm fuisse januas us scilicet opes templi diriperentur: quod ubi factum fuisset, & januæ ac cæteræ templi partes incensæ fuerunt.

cognatio eorum simul non tam benè S. Hieronymus vertit *postori eorum*; sed Rabbini pessimè interpretantur *depopulemur eos simul.*

a Epist 135.

quiescere faciamus &c. Rabbini: *incenderunt omnia Dei tabernacula in terrâ.* Hanc lectionem lex Synonymica & sensus damnant: præter B a Hieronymum, qui testatur se transtulisse *hoos & quiescere faciamus*; additque LXX. *juxta Hexaplorum veritatem transtulisse* QUIESCERE FACIAMUS; *itémque sextam editionem*; *Theodotionem verò* SUCCENDAMUS; *Quintam* COMBUSSERUNT; *Aquilam & Symmachum* INCENDERUNT. Adscripta B. Hieronymo versio habet *incenderunt*: unde aliqua mihi contra hanc versionem suspicio oboritur. LXX. legebant השבתני *cessare faciamus* pro שרפו *succenderunt*, eámque lectionem probabunt qui locum Os. II, 11. legerint. S. August. *venite comprimamus.* Theodoritus: *venite & quiescere faciamus.*

11 *Usquequo Deus improperabit inimicus? irritat adversarius nomen tuum in finem?*

Quousque, ô Deus, probris te *Babylonii* afficient? *quousque* tandem adversarii nomen tuum contumeliis lacessent?

12 *Ut quid avertis manum tuam & dexteram tuam de medio sinu tuo in finem?*

Quare manum tuam & dexteram tuam è medio sinu tuo tamdiu avertis *ut tuis nos bonis prives*?

13 *Deus autem rex noster, ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ.*

Salutem *Israelitis*, in medio terræ hostilis, ante *aliquot* sæcula, attulisti ô Deus rex noster.

Exod. XIV. 22. 27.

14 *Tu confirmasti in virtute tua mare; contribulasti capita draconum in aquis.*

Tu *nempe* mare *rubrum* fortitudine tuâ consolidasti *ut præfati Israelitæ transirent; at Ægyptiorum*, draconibus *immanitate* similium, capita aquis obruisti *in eodem mari.*

15 *Tu confregisti capita draconis, dedisti eum escam populis Æthiopum.*

Tu *ipsius Pharaonis* caput demersiisti; eúmque *Principem* populis Æthiopicis dedisti comedendum.

Exod. XVII. 6.
Num. XX. 11.
Jos. III. 15.

16 *Tu dirupisti fontes & torrentes: tu siccasti fluvios Ethan.*

Tu fontes & torrentes *ex scissâ petrâ* eduxisti: tu fluvium ingentem & aquis redundantem siccasti *Jordanem in gratiam eorundem Israelitarum.*

ut quid avertis &c. Theodoritus, Heracleotæ vestigiis insistens, ait: Κόλπος &c. *Sinus Dei bonorum thesaurus. Manus verò operatio. Curnam consueto more bona non suppeditas; sed à sinu manum aufers? Hoc autem positu ex translatione eorum qui plenum* (bonis) *sinum habent; &, cùm orantur ut dent, largiri nolunt sed manum retrò trahunt*: seu, ut ait Euthymius, *cùm irascuntur manum à sinu avertunt; nec illuc amplius eam mittunt ut consueta amicis bona largiantur.*

in finem. B. Hier. *consumens.* Alii: *consume.* Alii *prohibe* seu profer è sinu: sed hæc non probo; & nostris adhæreo Senibus qui vocem כלה optimè interpretati sunt: quum enim, sub hac voce, *perfectionis* sententia subjiciatur, verti ea potest *in finem*: nulla namque est perfectior castigatio quàm ea quæ nunquam desinit, sed continuò exercetur.

in medio terræ sup. Ægyptiacæ, ut optimè notat Kimchius: qui versum hunc cum cum Exod. VIII. 22. componit. Unde eos explode Interpretes qui ex hoc versu Hieroso-

lymam in medio terræ sitam esse colligunt *a* Josepho consentientes; sed à *b* Platone recedentes ac *c* Cicerone, qui medium terræ Delphos vocant. Illud ego medium non investigo; sed de eo heic agi nego. Theodoritus, *in medio terra* explicat *omnibus videntibus*.

populis Æthiopum. Sinus Arabici, ubi Ægyptiacus exercitus submersus est, vicini erant Æthiopes: quúmque eorum nonnulli humanâ carne vescerentur ut ex *d* Plinio intelligimus, rectè ait Vates Pharaonem Æthiopibus *escam datum fuisse*: postquam scilicet submersi hujus Principis corpus ad littora Æthiopica appulisset

fluvios Ethan Isidorus *e* Pelusiota *Ethan* accipit pro loco in Palæstinâ sito, fluviisque irriguo: & Josephum adducit docentem fuisse locum duobus passuum millibus ab Urbe Hierosolymâ distantem qui *Ethan* vocaretur, pratisque atque hortis & laticibus perquàm amœnus esset. Non longè inde abeunt quidam apud Heracleotam, quibus *Etham* est locus saltuosus & aquis irriguus atque arbustis consitus, in quem Salomon ad venationem exibat Verùm auctores illi hallucinantur: siquidem loquutio hæc *fluvios Ethan* idem sonat ac fluvii fortitudinis; sicque vocatur Jordanis quia quum eum Deus exsiccavit Jos III. 15. *fortis erat ac vehemens* ob ingentem aquarum copiam. Dicitur autem pluraliter, *fluvii* quia multi *fluvii* in eum influunt ut docet Kimchius. Confer Exod. XIV. 27. Symmachus Theodorito prolatus & probatus in doctè verterat *fluvios antiquos*.

a lib. 3. de Bell. Jud. c. 4.
b lib. 4. de Republ.
c lib .. de Divinat.
d lib. VI 30. col. 146. lin. 5.. VII. 2. col. 14 lin. 11
e lib. II, epist. 66.

Tuus est dies & tua est nox: tu fabricatus es auroram & solem.	17	Tuus est dies & tua est nox: tu auroram & solem fabricatus es.
Tu fecisti omnes terminos terræ: æstatem & ver tu psalmasti ea.	18	Tu omnes terræ limites fecisti: æstatem & ver tu formasti.
Memor esto hujus: inimicus improperavit Domino, & populus insipiens incitavit nomen tuum.	19	*Hujus tuæ potentiæ* memor esto, *& illius nunc specimina præbe:* siquidem *Babylonii* Dominum contumeliis vexant, & stultus *ille* popopulus tuum convitiis nomen consectatur.
Ne tradas bestiis animas confitentes tibi; & animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.	20	Ne *diutiùs* tradas bestiis *illis Judæos* præconium tibi tribuentes; nec pauperum tuorum *Israelitarum* perpetuò obliviscaris.
Respice in testamentum tuum: quia repleti sunt, qui obscurati sunt terræ, domibus iniquitatum.	21	Ad tuum, *quo terram Israeliticam nobis promisisti*, pactum attende: nam obscurissimi terræ populi *Babylonii* domos nostras per scelus occupant.

fabricatus es auroram & solem. S. Augustinus: *perfecisti solem & lunam.* Rabbini: *lumen & solem.*

æstatem & ver. Rabbini; *æstatem & hyemem*: quà de re Genebrardum lege

hujus. Sixtina editio addit *creatura* cum S Athanasio, S. Augustino, & Hesychio. Heracleota autem, Theodoritus, & Theodorus pronomen *hujus* referunt ad congregationem. Alii ad ea quæ sequuntur convitia. Neutri benè, ut mihi quidem videtur.

confitentes tibi. Rabbini, *turturis tuæ*, eodem sensu; sed diversâ lectione: hi enim legunt תורך; LXX. Senes legebant תודך. S. Hieronymus Rabbinicam vocem legebat: sed, eam à vocabulo תורת deducens, interpretatus est *animam eruditam* LEGIS TUÆ.

qui obscurati sunt terræ. Quanquam Babylonii gloriâ & potentiâ florerent, obscuri à Vate vocantur quia (ut I. Reg. II. 30 dicitur) qui Deum contemnunt sunt ignobiles. Quidam vertunt *repleta sunt tenebrosa loca terræ domibus iniquitatum*; idest tota hæc regio, in qua exules agimus, prædonum lustris plena est. Sed hæc explicatio cum *testamento* heic memorato minùs benè congruit.

Ne avertatur humilis factus confusus: pauper & inops laudabunt nomen tuum.

22 Ne, *quæso*, miser *populus Hebræus*, *tibi supplicans*, à te discedat pudore suffusus *ob non exauditam orationem*: *sed potiùs* afflictus *ille* & inops *populus* ansam nominis tui laudandi habeat *impetrato, quem petit, favore.*

Exsurge Deus, judica caussam tuam; memor esto improperiorum tuorum eorum quæ ab insipiente sunt totâ die;

23 Exsurge Deus, caussam tuam defende: & injuriarum, quibus jugiter ab insipiente *Babyloniorum* gente agitaris, recordare;

Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum: superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.

24 Nec tuorum *illorum* inimicorum voces oblivioni dederis: *nam* superba *illorum*, qui te odio habent, *inimicorum* vociferatio assiduè crescit.

inimicorum tuorum. S. Augustinus, *deprecantium te.* Consentiunt Theodoritus & Sixtina editio; nec longè abeunt alii libri Græci qui habent *οἰκετῶν famulorum.* Vulgata Hebræo textui consonat. Plura leges apud B. [a] Hieronymum.

[a] Epist. 135.

ARGUMENTUM.

PSALMI SEPTUAGESIMI QUARTI.

EUSEBIUS Symmachianis, quæ apud Theodoritum exstant, vestigiis insistens incorruptionem, quæ Sanctis in futuro fine reposita est, tractari hoc in Psalmo docet. Theodorus existimat prædici in eo victoriam quam Ezechias ab Assyriis reportavit. Heracleota & Theodoritus eum dictum putant ex personâ captivorum qui Babylone erant. Alii tempus, quo inter domum Saulis & domum Davidis pugnatum est quodque II. Reg.

Reg. II. deſcribitur, recoli heic cenſent. Heracleotæ & Theodorito ego aſſentior, & Pſalmum Judæis Babylonico jugo addictis accommodo; addóque eum eſſe Captivorum cum Deo dialogum, cui loca Iſ. LI. 17. 22. Jer. XXV. 15. 17. 18. 19. 24. 25. 26. 27. 28. 29. LI. 7. 9. plurimam lucem afferunt.

TITULUS.

In finem ne corrumpas. Pſalmus cantici Aſaph.

PSASMUS LXXIV.		PARAPHRASIS.
Confitebimur tibi Deus: confitebimur, & invocabimus nomen tuum;	1	*VATES.* Laudabimus te ô Deus: laudabimus, & nomen tuum celebrabimus;
Narrabimus mirabilia tua quum accepero tempus. Ego juſtitias judicabo	2	Tuá*que* miracula enarrabimus quum, *in patriam reducti, idoneum ad hanc laudem* tempus nacti fuerimus. *DEUS.* Jus *vobis & Babyloniis* juſtè dicam, *vos in patriam reducendo; & illos caſtigando.*
Liquefacta eſt terra, & omnes qui habitant in eo: ego confirmavi columnas ejus.	3	Vaſtata *quidem* eſt terra *Iſraelitica*, omnéſ*que* ejus incolæ exanimati ſunt: *ſed* columnas illius firmabo *ſic ut hoſtilibus armis in poſterum non concutiatur, atque ita incolæ ejus non exanimentur.*

ANNOTATIONES.

in finem &c. Cod. Reg. 138. *in finem ne corrumpas Pſalmus Aſaph cantici. vox Chriſti.* Colb. 158. *in finem ne corrumpat. Pſalmus Aſaph. vox Chriſti de judicio futuro.*

ne corrumpas. veteris carminis, ad cujus modos hic Pſalmus fuerit decantandus, initium hæc verba repræſentant ut docet Aben-Ezra: quem Kabvenakio aliíſque antepono qui interpretantur *ne corrumpas* ſeu *ne perdas Saulem* aut *Iſraelitas.*

& invocabimus nomen tuum; Narrabimus. Rabbini: *& propinquum eſt nomen tuum; Narraverunt mirabilia tua.* Hanc lectionem Synonymica lex & bonus ſenſus non probant; refellúntque Pſalmi IX. 1. CXV. 4. 7. ex quibus Vulgata verſio confirmatur; & planum fit LXX. Senes legiſſe וקראני בשמך ספרנו, pro וקרוב שמך ספרו. Sixtina editio cum S. Auguſtino legit *enarrabo* pro *narrabimus*, eodem ſenſu.

quum accepero tempus. Euthymius aliíque nonnulli hæc verba Deo tribuunt qd. conſtituto à me tempore: ſeu, quum pœnitentiam egerint Iſraelitæ, æquum judicium pronuntiabo. Sed Cyrenſem ſecutus ſum Epiſcopum qui præfata verba ad Captivos trahit dicen-

tes : *quum reversi fuerimus & in sacrum tuum templum convenerimus, tunc te secundùm legem laudabimus... Nunc enim exclamamus : quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Nec verò persona singularis *accepero* obstat : nam Vates mox suo nomine mox nomine Israelitarum loquitur ; & utroque modo captivos repræsentat Judæos. Aquila & Symmachus, Theodorito memorati, vetterant *cùm accepero synagogam.*

Dixi iniquis : nolite iniquè agere ; & delinquentibus : nolite exaltare cornu.	4	*VATES. Hac spe fretus*, dico impiis *Babyloniis :* nolite iniquè agere, *Deū nostrum ridendo;* & improbis *illis* dico : nolite cristas erigere.
Nolite extollere in altum cornu vestrum ; nolite loqui adversus Deum iniquitatem :	5	Nolite caput superbè efferre, nolite de Deo contumeliosè loqui:
Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente ; neque à desertis montibus : quoniam Deus judex est.	6	Quia neque ab oriente, neque ab occidente ; neque à desertis montibus *prodibit quisquam qui vobis salutem afferat :* Deus enim pro tribunali sedebit, *& suum cuique reddet.*
Hunc humiliat ; & hunc exaltat : quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto ;	7	Populum *Babylonium* deprimet; *Judaicum verò* exaltabit : habet namque Dominus in manu poculum vini meri cui plurimum est *amaritudinis* admixtum ;
Et inclinavit ex hoc in hoc. Verumtamen fæx ejus non est exinanita ; bibent omnes peccatores terræ.	8	Effundétque ex *Judaico* populo in *Babylonium.* Nec tamen fæx ejus, *à Babyloniis epotata*, exhaurietur ; *sed* ex eâ omnes telluris improbi bibent.

adversus Deum iniquitatem. Heb. בצ׳אר עתק *in cervice veteri* ut vertit B. Hieronymus, aut *collo durum* ut interpretatur Muisius. LXX. legebant בצור עתק ; eáque lectio Rabbinicæ præstat.

ab oriente &c. denotatos *oriente*, *occidente*, & *desertis montibus* populos invenies apud Jer. XXV. qui alios addit. Erant ii Babyloniis amici ; sed eos servare non potuerunt ut Jeremias LI. 9. ait Psalmistæ consentiens.

à desertis montibus. Boreales & Australes partes intelligit Theodoritus : *hæ enim*, inquit, partes, *ob nimium frigus & calorem prorsus inhabitabiles permanserunt.* Mihi hæc explicatio non arridet : nam si partes illæ sint inhabitabiles, frustrà monet Vates salutem inde non venturam. Rabbini pro *montibus* vertunt *exaltatio* reclamante Hebræâ voce הרים. Psalterianos autem *montes* Arabiæ Petreæ adscribo ; & dictos puto *desertos* quòd à culturâ deserti essent non à plebe.

hunc humiliat &c. Hesiodus : Ῥεῖα μὲν &c. idest, *nam facilè extollit, facilè clarúmque repellit ; & clarum obscurans, obscuri nomen adauget.*

vini meri plenus mixto. Si merum, quomodo mixtum ? Respondet R. P. de la [a] Cerda miscere idem esse ac propinare ad bibendum, atque heic significari vinum merum paratum ad bibendum ; sed repugnat *vox plenus.* Alii alia dicunt. Nostra, opinor, explanatio faciet satis. Theodoritus : οἶνον &c. *vinum supplicium vocat : utpote quod, ebrietatis instar, robur*

[a] in Adversar. sacris.

aufert; & membrorum compages dissolvit: aut, ut ait Theodorus, *eò quòd qui puniuntur, instar ebriosorum circumagantur & succumbant plaga Dei.*

ex hoc in hoc. Grotius duos heic calices fingit; & Homerum, qui huc alluserit, profert. Sed errat vir doctus: nam unus est calix variis gentibus porrectus ut apparet collatis locis Is. LI. 17. 22. 23. Jer. XXV. 15. 16. 17. 18. 19. &c. LI. 7.

fax ejus. Theodoritus: τὴν χαλεπωτέραν τιμωρίαν &c. *graviorem pœnam facem nuncupavit.*

omnes peccatores terra. Eos recenset Jeremias cap. XXV. 19. 20. & seq.

9 *Ego autem annuntiabo in sæculum, cantabo Deo Jacob.*

Túmque ego divinas laudes perpetuò prædicabo, & præconium Deo Jacobæorum *semper* tribuam:

10 *Et omnia cornua peccatorum confringam: & exaltabuntur cornua justi.*

Omnésque improborum, *qui bello me lacesserint*, vires frangam; & justi *populi Judaici* imperium evadet clarum.

cornua peccatorum. Eos, cum Theodorito, intelligo qui, ex variis gentibus collecti, bellum in Judæos, post reditum, susceperunt; & quibus profligatis, Judæi illustres & clari evaserunt. Vide Is. XLIX. 23. LX. 14. I. Macchab. V.

justi. sing. pro plur. ut Psal. XXXVI. 12. &c. Heracleota: Δικαίους &c. *justos autem ipsos appellat* (Judæos) *comparatione Assyriorum aut Babyloniorum.* Theodoritus per *justum* intelligit Zorobabelem, non tam rectè.

ARGUMENTUM.

PSALMI SEPTUAGESIMI QUINTI.

ETSI versus 2. 3. 4. 12. hujus Psalmi non parvam ad Psal. XLV. 5. 6. 9. XLVII. 4. 5. 7. similitudinem habeant, nihilominùs ex titulo & Nah. II. 3. victoriam, in Assyrios ab Ezechiâ partam, heic cani existimo cum Heracleotâ, Theodorito, Theodoro, & Euthymio: qui mihi magis arrident quàm Kimchius & Kabvenakius Psalmum de bello Gog & Magog exponentes.

TITULUS.

In finem in laudibus. Psalmus Asaph. Canticum ad Assyrios.

PSALMUS LXXV. — PARAPHRASIS.

1 *NOtus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus.*

CElebertimus factus est in Judæâ Deus, & nomen ejus inter Israelitas illustrissimum evasit.

2 *Et factus est in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion:*

Nimirum versatur ille *Hierosolymis*, & in Sione habitat:

3 *Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, & bellum.*

Ibique *degens* confregit validos arcus, scutum, gladium, & bellica omnia instrumenta *Assyriorum*.

4 *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis; turbati sunt omnes insipientes corde:*

Tu nempe *Domine* mirum è montibus *Hierosolymitanis*, longos per annos mansuris, auxilium porrexisti; *subitòque* omnes *illi* stulti *Assyrii*, *qui bellum nobiscum susceperant*, turbati sunt:

5 *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.*

Suúm*que hujus vitæ* somnum dormierunt; & omnes *illi* viri, qui, *dum viverent*, divitias suas ostentabant, nihil invenerunt in manibus suis *quum*, *ex hoc mundo decedentes*, evigilarunt.

6 *Ab increpatione tuâ Deus Jacob, dormitaverunt omnes qui ascenderunt equos.*

Irâ tuâ, *ô* Deus Jacobæorum, territi, qui artem equestrem scire se gloriabantur, *Assyrii* subitam mortem oppetierunt.

ANNOTATIONES.

in finem &c. Cod. Reg. 138. *in finem in laudibus Psalmus Asaph canticum ad Assyrios. vox Ecclesiæ ad Christum.* Colb. 158. *in finem in laudibus Davit Psalmus Asaph canticum Assyriis. vox Ecclesiæ ad Christum.* 1339. *in finem in laudibus Psalmus Asaph. Canticum ad Assyrium.* Memm. 2. *in finem in carminibus* &c. Theodoritus testatur additionem illam *ad Assyrios* inventam à se non fuisse in Hexaplo, sed in quibusdam exemplaribus.

& factus est. & pro *quia* ut Psal. I. 3. CXLII. 7. Similia exempla apud *a* Virgilium, *b* Ovidium, *c* Martialem, & *d* Quintilianum invenies.

pace. Heb. *Salem.* idest *pax.* vetus fuit Hierosolymarum nomen Gen. XIV. 18. Jos. *Ant.* I.11. unde *Solymi* Homero & Chœrilo noti ut ostendit Jos. *Ant.* VII.3. & I. contr. Ap. p. 1047.

illuminans. Confer Psal. XLII. 3. LXVI. 1. XCVI. 12. & Symmachum non probabis vertentem *illustris factus es.* LXX. legebant מאיר pro נאור.

à montibus æternis. Hierosolymas intelligit. Vide Psal. XXIII. 7. CXXXI. 15. atque annot. ad Psal. LXVII. 16. & Aquilam explodes ac Symmachum: quorum ille *à montibus captivitatis*, hic autem *à montibus prædæ* seu *venationis* interpretantur apud Heracleotam & Theodoritum. LXX. legebant מהררי קדם pro מהררי טרף.

turbati sunt &c. Rabbini: *spoliati sunt fortes corde.* LXX. pro אבירי לב legisse videntur נבלי לב; & *spoliationem* ad mentem non ad vestimenta rectè traxerunt.

dormierunt somnum suum. vitam somno comparat cum Job. XXVII. 19. quod imitatus *e* Lucianus ingeniosè confinxit *somniorum insulam, & civitatem cujus incolæ reges, Dii; somnia etiam varia: templum ibi noctis, somnii impostura.* Vide *f* Anonymum ab Heracleota productum ac *g* Pinedam binis in locis. Confer Nah. II. 4.

viri divitiarum. divitias non damnat; sed divitiis gloriantes & suam in eis spem aut animum ponentes: quomodo intelligendus est locus B. Matth. VI. 19. ex quo Cælestius falsò putabat omnem rerum non necessariarum possessionem, quas divitias vocamus, prohiberi. Lege Beatum Paulum I. Tim. VI. 17. & sanctum audi *h* Ambrosium. *Discant non in*

a Eclog. 9. *Audieras* &c.
b Fast. 6. *Nec tu aliud* &c.
c lib. XIV. epigr. 9.
d lib. I. c. 1. *Has primum* &c.
e lib. 2. ver. hist.
f in Cat. Cord. p. 564. 565.
g ad Job. XX. 8. & XXVII. 19.
h lib. VIII. in cap. 19. Luc.

facultatibus crimen haerere, sed in iis qui uti nesciant facultatibus: nam divitiæ ut impedimenta improbis ita bonis sunt adjumenta virtutis. Id Abrahami, Jobi, aliorúmque exempla confirmant; nec refellunt Matth. XIX. 23. verba: hæc enim divites in pecuniis confidentes petunt ut apparet collato loco Marc. X. 24. Atque hinc responsio patet ad *a* Platonicum effatum ut & ad auctoritatem *b* Lactantii.

a de Leg. V. pag. 742. & 743. A
b Instit. lib. VII. cap. 1.

in manibus suis. Symmachus, ab Heracleotâ & Theodorito prolatus, vertit: *omnes viri qui robusti manibus suis*; indéque non abeunt Rabbini qui interpretantur, *omnes viri roboris manus suas.* Sed illi ex loco Job. XXVII. 19. textui Psal. XLVIII 18 comparato refutantur. LXX. habebant in suis codicibus ביריהם pro ידיהם.

dormitaverunt. Theodoritus: διὰ &c. *verbo dormitaverunt mortis proclivitatem declaravit: quemadmodum enim homo nictans, facilè, si voluerit, dormit; sic illi subitum vitæ finem acceperunt.* Id Theodoritus ex Theodoro sumsit Heracleota ut ex ejus patet *c* Commentario: in quo, ex serie & Theodorito, reponendum omninò videtur διὰ τῶ ἐνύσταξαν, pro διὰ τῶ ὕπνωσαν. Rabbini minùs benè interpretantur *consopitus est & currus & equus.* LXX. legebant נרדמי רכבי סוס pro נרדם ורכב וסוס. Confer Esth. VIII. 14. Ezech. XXIII. 23. XXXVIII. 15. Zach. X. 5.

c apud Cord. p. 564.

7 *Tu terribilis es; & quis resistet tibi ex tunc ira tua?*

Nec mirum: tu *enim*, *qui pro nobis pugnabas*, terribilis es; & nemo tibi resistere potest ex quo iracundia tua *semel exarserit*?

8 *De cœlo auditum fecisti judicium; terra tremuit & quievit:*

Castigatis autem Assyriis celebre, *in gratiam Judæorum*, tulisti judicium; terrá*que Israelitica*, *quæ* fuerat timore perculsa, quievit *& in pristinam tranquillitatem revocata est:*

9 *Quum exsurgeret in judicium Deus, ut salvos faceret omnes mansuetos terræ.*

Quum *scilicet* Deus pro tribunali sedisset ut omnes terræ *Israeliticæ* incolas, *mœrore dejectos*, *erigeret ac* servaret.

10 *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi; & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.*

Tantum ob beneficium animus *Israelitarum* ad te laudandum intentus erit; & suas omnes, ad festum diem tibi agendum, cogitationes conferent.

11 *Vovete; & reddite Domino Deo vestro omnes qui in circuitu ejus. Affertis munera*

Hoc verò ut fiat ô populares, vota nuncupate; eáque Domino Deo vestro, omnes ejus cultores, persolvite: *atque* afferte munera

12 *Terribili & ei qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terræ.*

Terribili *Domino* qui vitam principibus adimit *quando vult*; & terrenis, *quum ipsi lubet*, regibus terrorem incutit.

auditum fecisti judicium. Judicare dicitur Deus quum bonos defendit & impios castigat: justitiæ enim partes sunt duæ, bonos remunerare, improbos punire. Prior pars in

Psal. XXV. 1. secunda in Psal. XXXIV. 1. attingitur. Utraque in hoc Psalmo continetur: prior explicitè in isto versu & sequenti; altera implicitè in versibus 5. 6. 7.

cogitatio hominis. Cogitatio & reliquia cogitationis idem sunt ait Heracleota: cujus explicationem sum sequutus post Theodoritum. Rabbini, inepto & ridiculo sensu, vertunt: *ira hominis confitebitur tibi, residuum irarum accinges.* LXX. legebant כי זמת אדם. תודך שארית זמות תחגוג, pro כי חמת אדם תודך שארית חמות תחגור.

vovete. Hoc ideò dictum quia non solùm ante victoriam; sed etiam, postquam ea parta erat, sacrificia publicè vovebant. Ex hoc autem loco retunduntur Hæretici qui rerum, à Deo non imperatarum, vota improbant: ipsis iniquiores Paganis qui vota hujusmodi concipiebant & solvebant; eósque qui secùs facerent damnabant, ut patet ex *a* Horatio, *b* Virgilio, *c* Ovidio, *d* Livio, & *e* Plinio: quibus si *f* Origenem, S. *g* Chrysostomum, B. *h* Augustinum, S. *i* Joh. Damascenum, S. *k* Thomam, aliósque *l* Bellarmino prolatos adjunxeris, votorum, præsertim monasticorum, inimicos contemnes. De variâ vovendi ætate laudatum vide *m* Bellarminum: cui adde Concilia *n* Arelatense II. *o* Turonense II. *p* Toletanum X. & *q* Triburiense; nec non S. *r* Hieronymum, S. *ſ* Ambrosium, *t* Majorianum, *u* Capitularia Karoli M. *x* Clementem III. & Alexandrum III. *y* præter *z* Rufinum, & Cæsarium, * Cyprianum, S. *a* Aurelianum, *b* Ferrandum, *c* Theodorum Cantuariensem, & *d* Surium ex quibus prædictam ætatem conjicies.

qui in circuitu ejus. sup. estis. periphrasis Israelitarum qui, in templo degentes, *in circuitu Dei* erant: unde in Psal. CXLVIII. 14. dicitur ille populus *Deo appropinquans*, quod nos Gallicè diceremus, *qui ont l'honneur de l'approcher & d'estre à l'entour de sa personne.*

affertis. præs. pro fut. imperativi locum tenente. S. Augustinus & Theodoritus futurum exhibent cum Hebræo textu & Codicibus Reg. 138. 222. Colb. 1. 1339. & Memm. 2. Regiisque ac Colbertinis Codicibus Græcis.

principum. principum & regum nomen magnatibus Sennacheribi dat quemadmodum in Psal. LXVII. 15.

a lib. 1. *Et Thure* &c.
b Æneid. 1 *Di quibus* &c. ad quem locum lege Macrob III Sat. 2.
c Fast. 5. *Si mihi bellandi* &c.
d lib. 5. *Camillus identidem* &c lib. 10. ubi de Appio.
e Epist. ad Traj. lib. 10. ep 44.
f homil 24. in Num.
g ad Psal XLIX 15.
h ad Psal. LXXV. 11. & Epist. 45
i in vita Josaph. & Barl. cui adde vitam Euphrasiæ ab incerto sed veteri Scriptore compositam. in Vit. Patr. Rosvv. quem lege etiam in vit. S. Pachomii.
k 2. 2. q. 88. art. 3. 4. 7. 9. 11.
l to. 2. lib. II. c. 17. 18. 20. 21. 22. 23. 24. & sq.
m lib. cit. cap. 35.
n can. 52.
o can. 20.
p can. 6.
q an. 895. can. 24.
r Epist. ad Marcellam ubi de Asella.
ſ lib. 3 de Virginib.
t Constit. 8.
u lib I. c. 46. 107.
x in Decretali *Quum virum de Regularibus*
y in Decretali *Ad nostram de Regularibus.*
z in Vit. Patr. lib. II. c. Vit. S. Joh.
& in Reg c. 5.
* in vitâ S. Cæsarii lib. I. c. 1.
a in Reg. c. 17.
b in vita S. Fulg. c. 14.
c apud Acher. in spicil to 9. p 62.
d in vit. S. Villib. ad diem 7. Jul.

ARGUMENTUM.

PSALMI SEPTUAGESIMI SEXTI.

THEODORITUS, Theodorus, & Græcus Corderii Paraphrastes Psalmum Judæis, è Babylonicâ captivitate reversis & ancipites cogitationum motus, quibus in exilio acti fuerant, enarrantibus accommodant; iisque ego, ob primi & secundi versus finem, assentior.

TITULUS.

In finem pro Idithun Psalmus Asaph.

PSALMUS LXXVI.

1 *VOce meâ ad Dominum clamavi, voce meâ ad Deum; & intendit mihi.*

PARAPHRASIS.

VOce meâ Dominicam opem imploravi, voce meâ Dominum invocavi; & mihi *roganti* autem præbuit *vinculis me Babylonicis explicans.*

In die tribulationis meæ Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum: & non sum deceptus.

2 *Iis quum illigarer vinculis*, preces Deo adhibui, manibus meis noctu ad eum *expansis*: & non sum spe falsus *quippe qui in eam, quam sperabam, libertatem vindicatus fuerim.*

Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus sum; & exercitatus sum & defecit spiritus meus.

3 *Quum autem Babylone essem*, anima mea consolationem omnem respuebat: &, *si quando* Dei memor, delectationem aliquam capiebam; tum, *ærumnam meam meditatus*, deficiebam animo *præ nimiâ quâ opprimebar, ægritudine.*

Anticipaverunt vigilias oculi mei: turbatus sum; & non sum loquutus.

4 Noctes ducebam insomnes: turbabar; nec loqui poteram *ob eam, in quâ jacebam, perturbationem.*

Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui:

5 *Scilicet* cogitabam longos *illos* dies *qui ab initio nostræ captivitatis effluxerant*, & multos *illos ex quibus in exilio eramus*, annos memoriâ repetebam:

Et meditatus sum nocte cum corde meo & exercitabar; & scopebam spiritum meum:

6 *Idque* noctu mecum ipse reputabam ac meditabar; & animo iterum atque iterum agitabam, *dicens:*

ANNOTATIONES.

in finem &c. Cod. Reg. 138. *in finem pro Idithun Psalmus Asaph. vox Christi ad Patrem.* Colb. 158. *in finem pro torcularibus Psalmus Asaph. vox Christi ad Patrem.* Memm. 2. *in finem pro Idithum Psalmus David.*

manibus meis &c. Kimchius & Rasi: *plaga mea nocte defluit & non quiescit*, non benè & contra legem Synonymicam. S. Hieronymus: *manus mea nocte extenditur, & non quiescit*: eodem nobiscum sensu; sed variâ lectione. Nam doctissimus Presbyter legebat ut hodie legimus ידי לילה נגרה ולא תפוג; nostri autem Senes in suis Codicibus habebant ידי לילה נגדי ולא אפוג: eâque lectio primo, quem Vates heic repetit, versui magis respondet quàm Hieronymiana.

& delectatus sum Rabbini, Dei dignitati & Vatis sanctitati parùm consulentes, vertunt: *& tumultuabar.* Nostros Senes probabunt qui Ez. XXVI. 13. & Amos. V. 23. legerint.

exercitatus sum. Hoc verbo LXX. Senes *meditationem* heic & Psal. CXVIII. 15. exprimunt, non malè: nam in eâ exercemur re quam meditamur. Sanctus Augustinus, *garriebam.*

anticipaverunt vigilias oculi mei. Rabbini eâdem sententiâ; sed barbarâ & in Scripturis inusitatâ loquutione: *tenuisti vigilias oculorum meorum.* LXX. pro אחזת שמרות עיני legerunt קדמי אשמרות עיני, atque hæc lectio vera est ut patet ex Psal. CXVIII. 148. S. Augustinus, cum Psalteriis Arabico & Æthiopico ac Sixtinâ editione: *anticipaverunt vig*

gilias omnes inimici mei. S. Hieronymus cum Symmacho legebat, ut nos, in primâ personâ; sed vertebat *inhibebam*.

in mente habui. Rabbini cum sequenti, quæ corrupta est, voce conjungunt; & depravatè ineptéque vertunt: *recordabar cantici mei.* Confer Psal. XLVIII. 3. Proverb. XV. 28. XXIV. 2. Is. XXXIII. 18. nostrósque Rabbinis antepones Senes; eósque pro נגינתי legisse והגיתי cernes.

scopebam. Quidam ad purgationem à culpâ referunt. Ego de frequenti cogitationum retractatu cum B. *a* Hieronymo expono; putóque LXX. legisse אחפש pro ויחפש: quæ posterior versio priori concedere debet eò quod sensum relinquat imperfectum, omittendo quid scrutetur spiritus. Aquila, *quasi effodit & scalpsit.* Theodotio, *scrutatus est.* S. Augustinus, *& scrutabar spiritum meum.*

a Epist. 135.

7 *Nunquid in æternum projiciet Deus; aut non apponet ut complacitior sit adhuc?*

Num in perpetuum projiciet nos Deus; &, nusquam ne posthac præbebit se placatum *nobis*?

8 *Aut in finem misericordiam suam abscindet, à generatione in generationem?*

Num misericordiam suam perpetuò, & sempiternis sæculorum ætatibus abstrahet *à nobis*?

9 *Aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in irâ suâ misericordias suas.*

An *nostrum* misereri obliviscetur Deus? num præ irâ suâ misericordias suas æternùm reprimet, *sic ut in nos non defluant.*

10 *Et dixi: nunc cœpi; hæc mutatio dexteræ excelsi.*

Hunc in modum mecum ipse colloquebar; sed *postea* dicebam: nunc incipio *benè sperare & bono esse animo; eàque* mutatio Deum habet auctorem.

11 *Memor fui operum Domini; quia memor ero ab initio mirabilium tuorum:*

Nimirùm, divino concitatus instinctu, opera Domini in memoriam revocabam; & miraculorum, quæ olim *in gratiam Patrum nostrorum edidisti Domine*, memor eram:

12 *Et meditabar in omnibus operibus tuis, & in adinventionibus tuis exercebor,*

Omniáque *illa* tua opera considerătam; & tua *admiranda* consilia contemplabar, *attendens quòd,*

13 *Deus in sancto via tua, quis Deus magnus sicut Deus noster? tu es Deus qui facis mirabilia.*

Tuam piis misericordiam impertitus fueras *ò* Deus, quòd nullus Deus magnitudine Deum nostrum æquaret, & quòd tu esses Deus qui admiranda faceres.

abscindet. Rabbini: *deficiet*, eodem sensu. Sed addunt *consummabitur* seu *deficiet verbum*: Symmachianis, quæ Heracleota & Theodoritus etiam sequuntur, inhærentes vestigiis, quæ mihi suspecta habentur audienti ex B. *b* Hieronymo *prædictas voces rectè non haberi in Latino quia & in nullo habentur Interpretum.*

b loc. cit.

nunc

nunc cœpi &c. multi, cum Aben-Ezra, ineptè & contra Vatis mentem, vertunt. *Ægritudo mea hæc : anni.* (idest *cogitatio annorum*) *dextera excelsi.* LXX. pro חלותי *ægritudo mea* legerunt חחלתי *cœpi* ut patet ex Deut. II. 31. IX. 24. I. Reg. XXII. 15. & vocem שנית pro *mutatione* rectè acceperunt ex formâ מלכית. *Mutationem* divinæ dexteræ *pœnam* interpretatur Theodoritus post Heracleotam; sed illis sequentes versiculi adversantur.

in sancto via tua. Theodoritus: *Symmachus sic, Deus in sanctificatione via tua. Aquila verò in sanctificato.* Neutrum laudabis interpretem si Psalterianæ orationis contextum expendas, & Psal. XVII. 29. XXIV. 10. 14. LXVI. 2. LXXXIV. 7. consideres.

mirabilia. S. Augustinus & Theodoritus adducit vocem *solus*, quæ ex Psal. LXXI. 19. fluxisse videtur.

14 *Notam fecisti in populis virtutem tuam; redemisti in brachio tuo populum tuum filios Jacob & Joseph.*

Scilicet aiebam : populis *Ægyptiacis* fortitudinem tuam manifestasti; *&, potenti* tuo brachio, plebem tuam *nempe* filios Jacobi & Josephi ex *populorum illorum manibus* eripuisti.

15 *Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ; & timuerunt, & turbatæ sunt abyssi:*

Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ *in mari Rubro*; ac timuerunt, & conturbatæ sunt undæ *illæ*:

16 *Multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes:*

Mòxque ingens aquarum copia magno cum strepitu decidit, *&* nubes *tonitruosam* vocem emiserunt:

17 *Etenim sagittæ tuæ transeunt; vox tonitrui tui in rotâ,*

Tuá*que* etiam fulgura *per aerem* discurrerunt; vox tonitrui tui medias inter rotas *curruum Ægyptiacorum audita est,*

18 *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ; commota est & contremuit terra:*

Et fulgetra tuà orbi *Arabico* illuxerunt; terrá*que illa* commota est & contremuit tota:

19 *In mari via tua; & semitæ tuæ in aquis multis. Et vestigia tua non cognoscentur.*

Túmque iter per mare fecisti, *deducens patres nostros*; &, multas per aquas ambulasti, *Israelitis præiens.* Sed vestigia tua non fuerunt *Ægyptiis* cognita : *unde non potuerunt mare transmittere, & aquis ejus submersi fuere.*

Joseph. Judaicum, ut Euthymio notatum est, populum intelligit quia Joseph tanta universo populo beneficia in Ægypto præstitit; & tantam omnium curam habuit ut pater omnium Tribuum esse visus sit. Confer Psal. LXXIX. 1.

multitudo sonitus aquarum. sup. *fuit* aut *decidit.* Prætermissam in Exodo pluviam & omissa ibidem tonitrua memorat noster hic versus, quem [a] Josephus confirmat. Rabbini:

[a] Antiq. II. 7. p. 67. F.

inundaverunt seu *inundare fecerunt aquas nubes*. LXX. legisse videntur המון זרם מים pro זרמו מים עבות : quæ lectio ex loco Abac. III. 10. ab imperitâ manu exscripto orta videtur; mihique duplici nomine displicet: 1°. quia Hebraicam non undecunque sapit phrasin quæ sic procederet עבות זרמו מים. 2°. quia verbum זרם *aquis* junctum activam significationem nullibi habet. Confer Jer. X. 13. LI. 43. & meæ, opinor, conjecturæ favebis.

sagitta tua. sunt fulgura: sic poeticè dicta quia instar sagittarum volitant per aerem. Hoc autem in versu & sequenti intertexta (qualia jam alibi observavimus & observabimus in Psal. XC. 5. 6.) habes Synonyma: sicut verba ista *vocem dederunt nubes* & hæc *vox tonitrui in rota* idem sint; & *sagitta tua transeunt* idem sonent atque *illuxerunt coruscationes tua*.

20 *Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi & Aaron.*

His demum peractis, populum tuum ministerio Mosis & Aaronis duxisti *per desertum* non minori curâ & benignitate quàm solet pastor gregem sibi commissum ducere.

ARGUMENTUM.

PSALMI SEPTUAGESIMI SEPTIMI.

QUo tempore Arca in monte Sion à Davide collocata est, Carmen, quod ex Psalmis XCV. & CIV. constabat, [a] decantatum fuit: quúmque Psalmus noster Ægyptiacam, quæ in laudato Psalmo CIV. describitur, liberationem enarret, non dubito quin occasione celebris hujus translationis compositus fuerit; idque ex ultimis, in quibus *Sionis* & *Davidis* mentio fit, versibus apertissimum mihi videtur, maximè si versus accedant 73. & 74. ibi enim præfatam translationem luculentis verbis attingit Vates quum ait de Deo: *& repulit tabernaculum Joseph & tribum Ephraim non elegit; sed elegit tribum Juda & montem Sion quem dilexit.* Quæ verba clarissimam lucem afferunt istis versus 12. *filii Ephrem intendentes.* &c. in quibus explicandis æstuant laborántque Interpretes; nec nodum, meo judicio, solvunt. Quæ-

[a] Vide I. Paralip. XVI.

runt cur debellatorum Ephraimitarum mentio liberationem Ægyptiacam multò vetustiorem antecedat; & varia; eáque, ut quidem ego sentio, à verisimilitudine abhorrentia comminiscuntur omnes, quos mihi videre contigit, explanatores. Caussa tamen in promtu est. Arcæ ex Silo Ephraimitarum urbe in montem Sion translationem proponit sibi describendam Psalmographus: unde ab Ephraimitis primordium capit, & cladem, in quâ Arcam illi amiserunt, memorat; tristémque hunc exitum eorum adscribit peccato. Hujus autem peccati atrocitatem ut augeat, Ephraimitas multiplicium Dei miraculorum & beneficiorum oblitos fuisse ait; indéque ansam sumit edisserendæ exitus Ægyptiaci historiæ: quâ finitâ ad suos Ephraimitas redit, assérítque eos instar suorum, qui in laudatâ Ægyptiaci exitus historiâ non semel vituperati fuerant, Patrum à divinis præceptis descivisse, & Deo bilem commovisse: sic ut Israelitæ, à Deo spreti, in nihilum accisi fuerint, & tabernaculum Silo fuerit repulsum, atque Arca in servitutem data fuerit donec tandem Deus pro eâ, quâ Davidem complectebatur, benevolentiâ tribum Juda loco Ephraimiticæ elegerit; & arcam in montem Sion, repulso Siloæ urbis tabernaculo, collocaverit evecto in regiam dignitatem Davide. Qui quum Psalmi hujus auctor & nobilissimus Christi typus fuerit, non mirum si a. XIII. 35. beatus Matthæus, sublimem, qui in primario (quem aperui) latet, sensum sequutus, secundum Psalmi versum Christo accommodaverit; ipséque Christus, beati Pauli manu atque operâ usus, mysteriorum in literali, quam David tractat, historiâ adumbratorum nonnulla reservaverit I. Cor. X.

TITULUS.

Intellectus Asaph.

Psalmus LXXVII.

1 *Attendite popule meus legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei.*

2 *Aperiam in parabolis os meum; loquar propositiones ab initio.*

3 *Quanta audivimus & cognovimus ea, & patres nostri narraverunt nobis.*

4 *Non sunt occultata à filiis eorum in generatione altera:*

5 *Narrantes laudes Domini, & virtutes ejus, & mirabilia ejus quæ fecit.*

6 *Et suscitavit testimonium in Jacob, & legem posuit in Israel:*

7 *Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera;*

8 *Filii qui nascentur & exsurgent, & narrabunt filiis suis:*

Paraphrasis.

1 Attende popule mi ad id quod sum edocturus, & tuam verbis oris mei aurem præbe.

2 Stilo figurato utar *in his*, *quos habiturus sum*, *sermonibus*; & ænigmaticas, *quæ* jam olim *gestæ sunt*, res eloquar.

3 *Eas*, *inquam*, *res eloquar* quas accepimus & didicimus à Patribus nostris, qui *illas* nobis narraverunt.

4 Non fuerunt *res illæ* à filiis & posteris eorum celatæ:

5 *Nam Majores nostri* narrabant laudes Domini, potentiam ejus, & mira quæ fecit *opera*.

6 *Scilicet* Jacobæis mandatum imposuerat Deus, & legem Israelitis constituerat:

7 Quâ Patribus nostris præcipiebat ut prædictas res filiis suis notas facerent, quò posteri eorum;

8 *Et* qui *ex eis* nascerentur atque orirentur filii *res illas* cognoscerent, & *eas ipsi pariter* filiis suis enarrarent:

ANNOTATIONES.

intellectus &c. Cod. Reg. 138. *intellectus Asaph. vox Christi de Judæis.* Colb. 158. *intellectus Asaph. vox Prophetæ ad Judæos.*

legem. Hæc vox sumitur pro doctrinâ, seu rebus à Vate docendis & dicendis, ut patet ex secundo hemistichio: unde mihi non probatur Eusebius qui ex prædictâ voce colligit versum illum neque Asapho neque Davidi congruere.

parabolam. ideſt, interprete Theodorito, *obſcuram narrationem qua utilitatem occultam continet*. Tales ſunt figuratæ loquutiones: quæ, ſub externo verborum cortice, arcanum quid atque obſcurum & perutile occultant.

propoſitiones. Ænigmata ſic vocat quia proponebantur explicanda ut liquet ex Jud. XIV. 12. 13.

ab initio. ita habet S. Matthæus emendato prolatus *a* Hieronymo qui multa ſcitu digna heic affert; ſed laudatus à me Evangeliſta in libris noſtris ait *à conſtitutione mundi*: quæ lectio cum Pſalterianâ non pugnat ſi, cum vero *b* Hieronymo, obſervemus Evangeliſtas in citandis Scripturis ſenſum non verba ſæpe quærere. Vide interim Pſ. LXXVI. 11. I. LII. 4.

a Comment. in hunc locum.
b lib. 2. adverſ. Ruf.

non ſunt occultata. Rabbini, contrariâ Vatis ſententiâ, vertunt: *non abſcondemus*. LXX. pro נכחד legebant נכחדי; & ita legiſſe S. Hieronymum apparet ex ejus interpretatione.

narrantes. Heracleota: ὅ ꝫ &c. *illa vox narrantes pro narrantibus poſita eſt ut ſervetur figura orationis*.

teſtimonium. idem eſt ac lex: & utroque nomine non Moſaica Lex generatim ſumta; ſed unum Legis hujus intelligitur mandatum, cujus mentio fit in textu Deut. IV. 10. ad quem Vates reſpicere videtur.

Ut ponant in Deo ſpem ſuam; & non obliviſcantur operum Dei, & mandata ejus exquirant,	9	Ut, *rebus illis eruditi*, ſpem ſuam in Deo ponerent, nec operum Dei obliviſcerentur; & mandata ejus cuſtodirent,
Ne fiant ſicut patres eorum: generatio prava, & exaſperans;	10	Nec eſſent ſicut patres ipſorum: gens *videlicet* prava, & *Deum* irritans;
Generatio quæ non direxit cor ſuum, & non eſt creditus cum eo ſpiritus ejus.	11	Gens cujus cor non erat rectum, quæque pio in *Deum* animo non erat.
Filii Ephrem, intendentes & mittentes arcum, converſi ſunt in die belli:	12	*Hæc præfatus, ad rem venio.* Ephraimitæ, bellicoſi homines & artis jaculandi periti, terga verterunt in prælio:
Non cuſtodierunt teſtamentum Dei, & in lege ejus noluerunt ambulare;	13	Non enim cuſtodierant pactum cum Deo initum, & legem ejus ſervare noluerant;
Et obliti ſunt benefactorum ejus, & mirabilium ejus quæ oſtendit eis.	14	Oblitique fuerant beneficiorum ejus, & miraculorum quæ *Genti* ipſorum *olim* oſtenderat, *& quæ talia ſunt.*
Coram patribus eorum fecit mirabilia in terrâ Ægypti, in campo Taneos.	15	Coram patribus eorum prodigia fecit in terrâ Ægypti, in agro Tanitico.

Confer verſ. 40. 4 & infrà.

filii Ephrem. de prælio, in quo cæſus eſt Iſrael & arca capta fuit I. Reg. IV. verba facit; totúmque Iſraelem ex nobiliori deſignat parte, nempe Ephraimitis qui eo tempore arcam in Tribu ſuâ & ſummam imperii habebant.

Taneos. Tanis civitas erat regia & caput Ægypti ubi Rex & Principes ejus ac Sapientes habitabant ut liquet ex Iſ. XIX. 11. 12. 13. XXX. 4. Liber Numerorum XIII. 23. hujus

a lib. 17.
b Ibid.

urbis meminit; eàque *a* Straboni maxima dicitur. Hebraicè vocatur *Tsoan*, cujus appellationis vestigium reperitur apud laudatum *b* Strabonem, ubi ait Taniticum ostium à nonnullis *Saiticum* vocari. In hac urbe Tani atque in circumjacente agro plagæ, de quibus heic mentio factæ sunt.

Exod. XIV. 21, 22.

Interrupit mare, & perduxit eos: & statuit aquas quasi in utre. 16

Secuit mare, illósque transmisit: & aquas, *naturà suà fluidas*, stare jussit non secùs ac si *essent* in utre *inclusæ*.

Exod. XIII, 21, 22. Neh. IX. 12.

Et deduxit eos in nube diei: & totà nocte in illuminatione ignis. 17

Eos nube, *iter ostendente*, duxit interdiu: totâ verò nocte illos igneo, *quod viam etiam monstrabat*, lumine collustratos *deduxit*.

Exod. XVII. 6, 7. Psal. CIV. 40. 1. Cor. X, 4. Sap. XI. 4.

Interrupit petram in eremo; & adaquavit eos velut in abysso multà: 18

Rupit petram in deserto *Raphidim*; & potum *ex eà*, tanquam ex ingenti aquarum copiâ, illis suppeditavit:

Et eduxit aquam de petra; & deduxit tanquam flumina aquas. 19

Eduxit enim aquam ex petrâ illâ; eduxit, *inquam*, aquam tam copiosam ut flumina æquaret.

Num. XI. 1. 5. 34.

Et apposuerunt adhuc peccare ei, in iram excitaverunt Excelsum in inaquoso. 20

Illi nihilominùs *priore, quod in Raphidim commiserant*, peccato non contenti, novum admiserunt, & Excelsum in aridâ solitudine *Sepulchrorum concupiscentiæ* irritarunt:

Et tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis: 21

Etenim decreverunt divinæ potentiæ periculum facere, petendo cibos qui cupiditati ipsorum facerent satis:

a apud Euseb. Præp. IX. cap. 27. p. 436. A.
b Antiq. lib. II. 7. p. 68. B
c in Cat. ad Exod. XIV.
d lib. 2. de honestâ discipl. c. 13.
e lib. 14.
f lib. 5.
g loc. cit.
h lib. I p. 1 B. ubi de Phœnicibus.
i ubi de iisdem Phœnicibus verba facit.
k lib. I. hist. c. 10.

interrupit mare &c. Memphitæ, *a* Artapano memorati, hanc maris Rubri divisionem reciprocationi maris adscribebant, adeóque miraculosam non putabant. *b* Josephus ipse dubitare videtur utrum illa maris divisio voluntate Dei an naturæ sponte facta fuerit: *nam*, inquit, *Alexandri magni ductu Macedonibus Pamphylium mare cessit.* Sed hæc Mosaico miraculo ab impiis frustrà opponuntur. Etenim, quod maris reciprocationem spectat, ea in mari Rubro locum habere non potuit ut egregiè probat Diodorus Tarsensis *c* Lippomano prolatus. Quod autem ad Alexandrum attinet, ejus quidem ductu mare Pamphylium Macedonibus cessit contra atque existimavit *d* Petrus Crinitus; sed Alexander, *e* Strabone teste, maris Pamphylii littora, observatu æstu immissisque umbilico tenus militibus, obliquè legit & superavit; quo sensu *novum iter mari in Pamphyliam* Alexander *aperuisse* dicitur apud *f* Curtium. Porro Mosaicum miraculum Heliopolitani *g* Artapano laudati agnoscebant, innuunt *h* Herodotus, & *i* Festus Avienus; ejusque vestigia profert *k* Paulus Orosius. Rabbini pro *in utre* legunt *velut acervum*, non tam benè quanquam tolerabiliter.

in nube diei. Primarium hujus nubis officium erat Exod. XIII. 21. viam monstrare eò quod in Arabicis, per quæ Israelitæ incessuri erant, desertis nulla viarum exstarent vestigia ob arenas levi ventorum flatu mobiles. Secundarium officium erat tueri ab immoderato solis ardore quo regio illa torrebatur. Psal. CIV. 38. Sap. X. 17. XVIII. 3. Utrumque officium

liber Num XIV. 14. complectitur, nec mihi duplicem nubem fuisse suadet. Hæc autem columna nubis ex Exod. XIV. 24. Num IX. 21. 22. una eademque numero atque columna ignis fuisse videtur; diversè tamen affecta & diverso prædita munere ut sentiunt Hugo Victorinus, Tostatus, Caietanus, & Pererius in suis ad Exod. XIII. 21. XIV. 24. commentariis, ex quibus plura de columnâ nubis & ignis disces.

interrupit petram. Abusus hac historiâ *a* Pausanias finxit Atalantam à venatore siti laborantem, quum saxum venabulo percussisset, aquam elicuisse. Ex nostro autem Psalmo ac *b* Tertulliano mendacia, quæ de Mosis ductu & aquæ ac sitis necessitate *c* Strabo, *d* Democritus, *e* Tacitus, & *f* Plutarchus prodiderunt, corrigas velim.

a in Laconicis p. 109. edit. Græc. Lat Han. 1615.
b Apol. c. 16.
c lib. 17
d apud Suidam.
e Hist. lib 5.
f Sympos. IV. 5.

Et malè loquuti sunt de Deo: dixerunt, nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?	22	Et malè loquuti sunt de Deo, dicentes: nunquid poterit Deus escas dare in *hoc* deserto *in quo est summa rerum omnium penuria?*	
Quoniam percussit petram & fluxerunt aquæ & torrentes inundaverunt,	23	An quia *in Raphidim* percussit petram & *ex eâ* aquæ & copiosi torrentes fluxerunt,	
Nunquid & panem poterit dare; aut parare mensam populo suo?	24	Poterit & *nunc* carnem dare; aut convivium populo suo instituere?	
Ideò audivit Dominus & distulit: & ignis accensus est in Jacob, & ira ascendit in Israel:	25	Quare *hæc* audiens Dominus eos sprevit: & furor ejus contra Jacobæos accensus est, iráque illius adversus Israelitas exarsit:	Num. XI. 1.
Quia non crediderunt in Deo; nec speraverunt in salutari ejus.	26	Quia *nimirum* Deo non confiderunt, nec in salutari speraverunt præsidio, *quod jam ipsis, in deserto Sin*, exhibuerat.	
Et mandavit nubibus desuper, & januas cœli aperuit:	27	*Ibi* enim *Deus* supernis nubibus mandata dederat *ut mittendæ è cælo annonæ viam facerent*; & januas cœli, *eandem ob causam*, aperuerat:	
Et pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis;	28	Pluerátque illis mannam ad manducandum, & panem *hunc* cœlestem dederat illis;	Exod. XVI. 14. & seq.

panem. accipio pro carne cum Aben-Ezra & Kimchio quemadmodū in Num. XXVIII. 2.

distulit. Heb. *iratus est*: in eandem sententiam LXX. accipiunt verbum *distulit*: illud enim sumunt pro *contemtu* quod est maximum divinæ iræ indicium. Confer vers. 65. infrà & Psal. LXXXVIII. 37. verbo autem *distulit* non malè LXX. Senes utuntur: siquidem iis, quos spernimus aut quibus irati sumus, beneficia dare differimus donec se in meliorem frugem converterint.

manna. colligebatur ad satietatem pro quaque familia, asservata corrumpebatur, deficiebat in Sabbato, eximium saporem habebat: iisque nominibus portentosus erat cibus; alioqui mannam in Arabia reperiri plures auctores testantur. Inter admirandas mannæ dotes, ejus (quum incaluerat sol) liquefactionem non adscripsi: nam rem ferè similem de liquore quodam melleo circa Hircaniam refert *a* Curtius. Vetus porrò mannæ miraculum

a lib. 6.

a Hist. Eccl II. 6.

Deus tempore Valentiniani & Aetii renovavit ut videre est apud *a* Evagrium. Vetustiorem renovationem profert Josephus *Antiq* III 1, p. 73 B.

Panem Angelorum manducavit homo, cibaria misit eis in abundantiam.

29 Panémque *illum* Angelico ministerio paratum *Israelitæ* comederant, eísque *Deus hunc* cibum copiosè largitus fuerat.

Num. XI. 31.

Transtulit austrum de cælo; & induxit in virtute suâ africum:

30 *Etsi autem Deo non confiderent Israelitæ*, austrum *ille* è cœlesti thesauro *in terram* transtulit; suâque potentiâ africum excitavit:

Et pluit super eos sicut pulverem carnes; &, sicut arenam maris, volatilia pennata:

31 Et carnes tantâ copiâ, quanta est pulveris, in eos depluit; avésque alatas tam abundanter demisit ut arenam, quæ est in littore maris, numero æquarent:

Et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum;

32 Ceciderúntque *aves illæ* in medium castrorum illorum, & circa tentoria eorum;

Et manducaverunt, & saturati sunt nimis: & desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati à desiderio suo.

33 Eásque *Israelitæ* comederunt, & iis abundè satiati sunt: *sicque* illos Deus voti compotes fecit, *illique* optata consequuti sunt.

Num. XI. 33.

Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos;

34 *Sed*, quum cibus in ore ipsorum adhuc esset, ira Dei in eos exarsit;

Et occidit pingues eorum, & electos Israel impedivit.

35 Atque eorum robustissimos occidit, & Israelitarum fortissimos prostravit.

In omnibus his peccaverunt adhuc; & non crediderunt in mirabilibus ejus:

36 *Nihil tamen* his omnibus *facti meliores* peccaverunt adhuc; nec, prodigiis à Deo editis, *se in terram promissam inducendos esse* persuasum habuere:

Et defecerunt in vanitate dies eorum; & anni eorum cum festinatione.

37 Unde celeriter defecerunt dies eorum, & anni eorum festinanter abierunt.

cibaria. sic vocat mannam quia multorum ciborum vicem gerebat.

transtulit. id verbi in eam, quæ ab Heracleotâ, Theodorito, Euthymio, & Græco Paraphraste affertur, sententiam accipio tum quia sic jubet lex Synonymica tum quia auster & africus idem est ventus ut ait laudatus Paraphrastes. Locus *b* Plinii non destruit sed auget miraculum quod vox ***virtute*** denotat.

carnes. idem quod ***volatilia pennata***, hoc est coturnices. Psalterianæ narrationi seipsâ firmissimæ fidem facit carnis imber à *c* Plinio, *d* Valerio Maximo, *e* Livio, & *f* Dionysio Halicarnasseo memoratus.

b lib. X 23.
c lib. II c 56.
d lib I c. 6.
e lib. 4 Decad. 1.
f lib. 10.

pingues.

pingues. id vocabuli in eam heic sententiam accipitur sub quâ subjectum est in loco Jud. III. 29. quem proinde Kimchius cum nostro rectè confert. S. Augustinus legit *in plurimis eorum.*

vanitate. accipio pro celeritate: nam vanæ plerumque sunt & parvi ducuntur res quæ celeriter transeunt. Quidam minùs benè totum versum sic interpretantur: *ideóque sine ullo operæ pretio cursum vitæ absolverunt, præmaturo fato functi.*

Quum occideret eos quærebant eum, & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum:	38	*Ipsi interim*, quum à Deo cædebantur, quærebant eum, atque ad eum revertebantur, & mane ad eum veniebant *auxilium ejus imploraturi:*
Et rememorati sunt quia Deus adjutor est eorum, & Deus excelsus redemtor eorum est.	39	*Túncque* recordabantur quòd Deus esset adjutor ipsorum, & *quòd* Deus excelsus liberator ipsorum esset.
Et dilexerunt eum in ore suo; & linguâ suâ mentiti sunt ei:	40	Sed ore tenus eum diligebant; &, *amorem* linguâ *testificantes*, ei mentiebantur:
Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento ejus.	41	Eorum namque animus in eum non erat propensus, & legem ejus piâ mente non observabant.
Ipse autem est misericors, & propitius fiet peccatis eorum, & non disperdet eos;	42	Ipse tamen, utpote misericors, peccatis eorum subinde propitiabatur, nec eos disperdebat;
Et abundavit ut averteret iram suam, & non accendit omnem iram suam:	43	Suámque iram sæpe cohibebat, & nihil iracundiæ retinebat:
Et recordatus est quia caro sunt; spiritus vadens & non rediens.	44	Memor *nimirùm* quòd mortales *adeóque satis supérque miseri* essent; & animâ constarent quæ, *in alterum mundum semel profecta*, *in istum* non revertebatur *amplius.*

revertebantur. a Cato: *Scio..., rebus secundis atque prolixis atque prosperis superbiam hominibus atque ferociam augescere atque crescere. Adversæ res se domant, & docent quid opus sit facto.* Verè hoc dictum; & Israelitico comprobatum exemplo: quod eò minùs est laudandum quòd Xenophon, referente b Plutarcho, jubebat secundis maximè rebus homines Deorum meminisse.

a apud Gell. lib. VII. c. 3.

b lib. de tranquillitate animi. p. 465. B.

dilexerunt. ineptè Rabbini: *illexerunt* seu *deduxerunt.* LXX. pro ויפתוהו legisse videntur ויאהבוהו.

fideles. Confer If. I. 26. Zach. VIII, 3.

spiritus vadens &c. Quibusdam est ventus; sed perperam. Aliis textus ita ferè explicandus videtur. Parcebat Deus: memor scilicet quòd undecunque fragiles essent & infirmi, carne constantes cujus innata proprietas est ut cupiditates suas expleat; & spiritum habentes, qui

erraticus est & vagus suâque naturâ ad lapsum properans, ad innocentiam verò propriis viribus regredi non valens. Sed hæc explicatio, quantumvis pia, refellitur ex loco consimili Psal. CII. 14. 15. qui explanationem nostram confirmat; nec immortalitati animorum ullatenus officit, sed mortem duntaxat agnoscit ut pœnam: peccati scilicet originalis contra atque putavere Pelagiani, Nestorius, Theodorus Mopsuestenus, & Rufinus Palestinæ provinciæ presbyter: quorum dogma *a* Auctor Constitutionum Apostolicarum, *b* Vigilius, S. *c* Augustinus, Concilium Milevitanum II. c. 1. seu potiùs *d* Carthaginense an. 418. abs *e* Gennadio & *f* Michaele Glyca prolatum, *g* Moses bar Cepha, & *h* Sacrosancta Tridentina Synodus rejiciunt & damnant. Non eo tamen inficias mortem, aliâ ratione consideratam, nimirùm quâ finem criminibus nostris imponit viámque ad meliorem resurrectionis statum facit & alia commoda à *i* Clemente Alexandrino *k* SS. Gregorio Nysseno *l* Chrysostomo *m* Ambrosio, aliísque descripta nobis importat, esse gratiam seu *medicinam* ut loquitur *n* Theodoritus. Mortem priore modo considerat Vates, cui lucem afferunt Psal. LXXXVIII. 46. 47. LIV. 27. XC. 16.

a lib. VIII c. 11.
b in collat. 4. Concil. generalis V. & apud Phot. Cod. 177.
c lib I. de peccat. mer. lib 6. de Gen. ad lit. c. 22. lib. III de Civ. c. 15. & Ep. 106. adde S. Fulgent. de Incarn. cap. 12.
d can 76. in Concilio Africano, & 109. in Cod. Canonum Eccl. Afric.
e de Dogmat. cap. 33.
f Annal. pag. 1.2.
g Comment. de Parad. part. 3. cap 8.
h Can 1. de peccat. Orig. sess 6.
i Strom. IV. p. 491. fin.
k Catechit. magn. Orat. c. 8. vide Orat. in fun. Pulch.
l homil. 4. in Epist ad Hebr. & sermone in I. Thessal IV. 11. & lib. *ad eos qui scandalisati sunt* c. 7
m lib. de bono mortis. vide S. Greg. N.z. Orat. 42. Tit. Bostr. lib. 2. cont. Manich & Zach. Mityl. de Opif. mundi.
n quæst. 40. in Gen.

45 *Quoties exacerbaverunt eum in deserto, in iram concitaverunt eum in inaquoso!*

Quot vicibus eum in deserto exacerbaverunt, illúmque in aridâ solitudine irritaverunt!

46 *Et conversi sunt & tentaverunt Deum, & sanctum Israel exacerbaverunt!*

Quàm sæpe Deum tentaverunt, & sancto Israelitarum *numini* acerbitatem attulerunt!

47 *Non sunt recordati manus ejus die quâ redemit eos de manu tribulantis.*

Illi *sanè* non sunt recordati *summæ*, quam exhibuit, potentiæ quum eos è manu oppressoris *Pharaonis* liberavit.

48 *Sicut posuit in Ægypto signa sua, & prodigia sua in campo Taneos.*

In memoriam, *inquam*, non revocaverunt signa quæ in Ægypto edidit, & quæ in agro Tanitico fecit prodigia.

Exod. VII. 20.

49 *Et convertit in sanguinem flumina eorum; & imbres eorum ne biberent:*

Ecce ea. Ægyptiorum flumen *Nilum*; omnésque eorum, *quæ super terram erant*, aquas mutavit in sanguinem sic ut nihil esset quod biberent:

Et convertit. Historiæ heic recitatæ ac scripsâ certissimæ fidem adstruunt Xanthus fluvius in sanguinem conversus apud *o* Artemidorum, pluvia sanguinea *p* Plinio memorata, rivi & fontes sanguinei à *q* Valerio Maximo, *r* Julio Obsequente, *s* Livio, *t* Sigeberto, *u* Luitprando, & *x* Sabellico celebrati.

flumina eorum. Heracleota rivulos è Nilo manantes intelligit, Theodoritus aquas fluviatiles. Ego Nilum interpretor, & plurali numero expressum credo ob influentes in eum fluvios: cujus rei exempla in Psal. LXXIII. 16. LXXXVIII. 25. habemus; & indicia præbere videtur locus Exod. VII. 19. 20.

imbres eorum. Quandoquidem *y* Plato, *z* Strabo, * Philo, *a* Josephus, *b* Plinius, & *c* Mela nullas aut raras in Ægypto pluvias esse docent aut innuunt; idque textus Deut. XI. 10. (non impediente Exod. IX. 24.) suadere videtur, pluviatiles, cum Heracleotâ & Theodorito, aquas non expono: quum præsertim S. *d* Augustinus *manationes aquarum* interpretetur vocem Græcam ὀμβρήματα; idemque sit nomen Latinis imber quod Græcis ὄμβρος sive ὄμβρημα mutatâ literâ o in i ut notat *e* Jansenius. Locus consimilis Psal. CIV. 29. habet *aquas*; iisque eas, quæ suprà terram erant, cum *f* Pseudo-Justino tantùm

o de Insomn. lib. V. cap 6.
p Hist. natur. lib. II. cap. 56.
q lib 1. c. 6.
r de Prodig. *Cum sanguinis* &c.
s lib. 26.
t circa ann. 461.
u lib. 4. circa ann. Christi 936.
x Ennead. IX. lib. 1.
y in Epinom. p. 987. A.
z lib. 16.
* lib 1. de vitâ Mosis. ante med.
a Antiq lib. II. cap. 5. p. 64 B.
b lib. II 10.
c lib. III. 9.
d ad hunc Psal.
e ad hunc Psal.
f resp. ad quæst. 26. p. 407.

intelligo : sic habens ex Exod. VII. 24. persuasum aquam subterraneam non fuisse in sanguinem à Mose conversam ; sed à Magis, postquam scilicet Ægyptii puteos circa flumen fodissent. Cur autem prima plaga aquis illata fuerit, doctè edisserit *a* Theodoritus, quem consulas velim.

a quæst. 19. in Exod.

50 *Misit in eos cynomyam, & comedit eos ; & ranam, & disperdidit eos.*

Caninas, quæ illos comederunt, muscas ; & ranas, quæ illos disperdiderunt, immisit eis. — Exod. VIII. 24. 6.

51 *Et dedit ærugini fructus eorum ; & labores eorum locustæ.*

Fructus eorum brucho ; & fruges eorum locustæ tradidit corrumpenda. — Exod. X. 13.

52 *Et occidit in grandine vineas eorum ; & moros eorum in pruinà.*

Vineas eorum grandine ; & moros eorum glacioso lapide perdidit. — Exod. IX. 23.

53 *Et tradidit grandini jumenta eorum ; & possessionem eorum igni.*

Jumenta illorum grandini tradidit occidenda ; & ipsorum pecudes igni fulgurum ac fulminum, *cum quo grando illa descendebat*, permisit ; — Exod. IX. 22. 23. 24.

54 *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem & iram ; & tribulationem, immissiones per Angelos malos:*

Adhæc vehementi furore, indignatione, & irâ percitus alias, per Angelos noxios, plagas eis inflixit: — Exod. IX. 15. 2. 6.

55 *Viam fecit semitæ iræ suæ, non pepercit à morte animabus eorum, & jumenta eorum in morte conclusit ;*

Suæ*que huic* iræ indulgens ipsos morte affecit, eorúm*que* jumenta peste consumsit ;

cynomyam. Psalmus CIV. 30. *b* Philo, Origenes, S. Augustinus, & Theodoritus ita habent ; sed S. *c* Hieronymus legit *cœnomyam*, idest muscam communem seu omne genus muscarum ; eique loca Exod. VIII. 21, & Sap. XVI. 9. favere videntur. Sed utramque lectionem facilè conciliabis, dicendo cynomyam hoc est muscam caninam alias non excludere ; sed præcipuè nominatam fuisse quòd esset, propter insignem molestiam, memorabilior. Huic autem prodigio una Bibliorum auctoritate exploratissimo fides accedit ex muscis lethiferis *d* Aristoteli memoratis, infestissimis Nili muscis *e* Plutarcho prolatis, aliisque similibus à *f* Plinio & *g* Pausaniâ commemoratis : & quarum gratiâ Jovi muscarum abactori litabatur, quod à *h* Pausania proditum confirmat *i* Clemens Alexandrinus.

ranas. *k* Diodorus Siculus, *l* Plinius, *m* Athenæus, atque *n* Orosius permira de ranis & eorum, quæ heic narrantur, similia tradunt, ut vel ipsis impiis ambigere non liceat de Psalteriano signo.

ærugini. ponitur pro brucho locustæ specie ut apparet collato loco Psal. CIV. 34. unde hæc plaga ad octavam Exod. X. 4. pertinet ; uti pruina & ignis ad septimam reduci debent ut necesse non sit plures, quàm decem plagas, cum B. Augustino, admittere. Porrò descriptum à Vate prodigium probabit quisquis sapiet ; nec illud vel ipsi impii negabunt si *o* Plinium, *p* Livium, S. *q* Augustinum, *r* Cedrenum, *s* Anastasium Bibliothecarium, *t* Aventinum, & *u* Johannem Leonem Africanum de locustarum vastatione ac pernicie loquentes audierint.

b lib. I de vita Mosis.
c Epist. 135.
d lib. de mirab. auscult. p. 886. F.
e de Esu carn. orat. priore. p. 694. B.
f lib. X. 28.
g in Arcadicis p. 497. lin. 34. 35.
h in Eliacis p. 313. lin. 5.
i Protrept. ad Gent. p. 24. C.
k lib. 3.
l lib. VIII. 29.
m lib. VIII. 2. p. 333. A. B.
n lib. III. 23.
o lib. VIII. 29. XI. 29.
p lib. 42.
q de Civ. III 31.
r circa ann. 278. [illegible] ἀκρίδες &c.
s apud Baron. to. 9. ad ann. 885.
t Hist. Boiorum lib. 7.
u in descrip. Afric. lib. 9.

a lib. 3. Od. 1. & lib. 1. Ep. 8.
b Annal. part. 4.
c Hist. Eccl. IV. 10.
d de Gest. Franc. lib. 5.
e in Chron. ad an. 919.
f in Chron. ad an. 825.
g lib. 13. hist. Scot. circa an. 1174.
h de reb. Hung. dec. 1. lib. 2.
i & lib. 5. c. 40. circa an. 1121.
k in Antibarb.

grandini. narratæ ab a Horatio, b Glyca Siculo, c Socrate, d Paulo Æmilio, e Frodoardo, f Matthæo Palmerio, g Hectore Boethio, h Ant. Bonfinio, atque i Alberto Crantio Saxone grandineæ plagæ Psalteriano prodigio suâ auctoritate firmissimo robur addunt.

Angelos malos. malos dicit non à malitiâ ipsis insitâ; sed à malo quod infligunt ut docent Theodoritus & Euthymius: quos si Sixtinus k Amama expendisset, Vulgatum non vexasset Interpretem.

viam fecit. Heracleota: Καλῶς &c. *Pulchrè verò & illud viam fecit semita iræ suæ. Quum enim, inquit, hactenus misericordia ejus quodammodo viam iræ occluserant; nunc, inquit, subtrahens miserationes furori viam præbuit.*

Exod. XII. 29.

Et percussit omne primogenitum in terrâ Ægypti, primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham. 56 Et omnes, in terrâ Ægyptiacâ, primogenitos; *atque eosdem*, qui totius laboris eorum nobilior erant pars, primogenitos in domibus Ægypti percussit.

Exod. XIII. 18.

Et abstulit sicut oves populum suum; & perduxit eos tanquam gregem in deserto: 57 Túmque populum suum, tanquam oves *sibi charas*, *illinc* eduxit; illósque tanquam gregem *sibi commissum*, *summâ cum curâ* per siccum mare deduxit:

Et deduxit eos in spe, & non timuerunt; & inimicos eorum operuit mare. 58 Atque *eos, per mare illud*, securos nihílque metuentes traduxit; inimicos autem eorum operuit mare.

Et induxit eos in montem sanctificationis suæ; montem quem acquisivit dextera ejus: 59 *Tandémque Israelitas in Judæam* cultui suo destinatam; in montosam, *inquam*, *illam* regionem potenti sua dexterâ comparatam induxit:

Et ejecit à facie eorum gentes; & sorte divisit eis terram in funiculo distributionis, 60 Et, *quæ regionem illam incolebant*, gentes procul à facie eorum expulit; ipsísque terram, funiculo dimensam, distribuit hæreditario jure possidendam,

Et habitare fecit in tabernaculis eorum Tribus Israel: 61 Atque in hostium *expulsorum* domibus Tribus Israeliticas collocavit:

terra Cham. ita vocatur Ægyptus à Cham patre Misraim primi habitatoris Ægypti Gen. X. 6. quæ ab eo *Mitsraim* Hebraicè dicitur, & vocata est *Ægyptus* ab Ægypto Danai fratre & filio Beli Ægyptii, cui defuncto successit ille in regnum ejecto fratre suo Danao.

l lib. 1. contra Apion.

& abstulit. de exitu ex Ægypto non pauca ex Manethone, Lysimacho, & Chæremone profert l Josephus: qui mendacia, quæ præfati Scriptores huic historiæ asperserunt, doctè confutat.

desertum. accipio pro exsiccato maris rubri alveo. Confer Psal. CVI. 33. Is. L. 2. Jer. LI. 36.

& non timuerunt. timuerant quidem Israelitæ adventante Pharaone Exod. XIV. 10. sed

eos, dum mare transirent, non metuisse ostendit versus noster, & suadet habita à Mose oratio Exod. XIV. 13.

montem. ita appellat Judæam quia montosa est. Vide annot. ad Psal. LXXI. 3.

62 *Et tentaverunt & exacerbaverunt Deum excelsum; & testimonia ejus non custodierunt,*

Tantis licet beneficiis veteres Israelitæ cumulati essent, eorum posteri Deum excelsum tentaverunt atque exacerbaverunt, & mandata ejus non custodierunt,

63 *Et averterunt se: & non servaverunt pactum quemadmodum patres eorum; conversi sunt in arcum pravum:*

Atque à Deo deflexerunt: ejúsque legem, quemadmodum patres eorum, non servaverunt; & pravo, *qui aliud collineat aliud ferit*, arcui similes à divino, *quem sibi ut scopum proponebant*, cultu declinaverunt:

64 *In iram concitaverunt eum in collibus suis, & in sculptilibus suis ad æmulationem eum provocarunt.*

Deúm*que* in collibus suis, *ubi Idolis sacrificabant*, irritaverunt, cúm*que illo Idolorum* cultu ad vehementem iram concitaverunt.

65 *Audivit Deus: & sprevit, & ad nihilum redegit valde Israel;*

Audivit Deus *impias*, *quas Idolis adhibebant*, preces: & Israelitas sprevit, atque ad nihilum redegit;

66 *Et repulit tabernaculum Silo: tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus;*

Deseruít*que* tabernaculum Silo: tabernaculum, *inquam*, suum, ubi inter homines habitaverat, repulit;

67 *Et tradidit in captivitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici:*

Et, quæ eis robur præstabat, *arcam* dedit in captivitatem, *eandém*que arcam, quod eorum decus erat, in manus inimici tradidit: I. Reg. IV. 11.

68 *Et conclusit in gladio populis suum, & hæreditatem suam sprevit.*

Suúm*que* populum gladio hostili objecit, & *Israelitas* despicatui habitos tutelâ suâ privavit.

69 *Juvenes eorum comedit ignis; & virgines eorum non sunt lamentatæ.*

Unde juvenes eorum absumsit bellum; &, quæ illis desponsatæ fuerant, puellæ non sunt defletæ *adeò quisque lugendis suis ærumnis erat intentus.*

æmulationem idest vehementem iram: quâ nimirùm solent corripi qui zelotypiâ laborant. Confer Psal. LXXVIII. 5.

sprevit. Rabbini, *iratus est*; sed res eodem redit: Deus enim majori nunquam irâ ardet quam quum spernit. Præclarè Theodorus: Οὐκ &c. *non intulit plagam, sed sprevit. Hoc autem omni flagello gravius est despici à Deo: solo enim ejus oculo servamur.*

virtutem eorum. Heb. *suam.* Idem ubique sensus: nam Deus, in Arcâ sedens, fortitudinem suam ostendebat; erâtque eadem hæc Arca Judæorum fortitudo.

ignis, idest bellum: ita dictum quia instar ignis ardescit, unde trita loquutio *exarsit bellum.*

lamentata. Didymus: *Aquila, non sunt hymnis celebrata. Symmachus, non sunt laudata* sup. epithalamiis ut solent novæ nuptæ, & firmare conatur Kimchius ex eo quod domus nuptialis Hebræis dicatur *domus laudis.* Versionem nostram sequens versus confirmat; eique Hebræa vox non adversatur.

I. Reg. IV. 11.

70 *Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt; & viduæ eorum non plorabantur.*

Sacerdotes eorum cæsi sunt; &, quas reliquerant viduæ, non sunt ploratæ *eò quòd unusquisque in suis malis occupatus esset.*

71 *Et excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino.*

Verùm Dominus, qui dormientis & viri gravi somno (quali opprimuntur qui crapulam edormiunt) correpti similis fuerat, surrexit *posthac*:

I. Reg. V. 6.

72 *Et percussit inimicos suos in posteriora; opprobrium sempiternum dedit illis.*

Et hostes suos mariscis percussit; *fœdâque hac plagâ* sempiternum opprobrium illis intulit.

73 *Et repulit tabernaculum Joseph & Tribum Ephraim non elegit;*

Nihilominus in repulsione Siloei templi perseverans, noluit ædem suam ampliùs esse in *Silo* urbe Tribus Ephraim filii Joseph;

74 *Sed elegit Tribum Juda montem Sion quem dilexit:*

Sed elegit sibi *templum* in Tribu Judâ, nimirum in monte Sione quem *præ cæteris* dilexit:

elegit Tribum Juda. Ad regnandum, inquit Theodotus, *ex hac enim reges fecit: quorum primus David* ait B. Athanasius: *qui subdit Tribum pro Tribu electam fuisse. Judam pro Joseph; & locum pro loco. montem Sion pro Selom* sive potius Silo. Iis ego Doctoribus non assentior: &, licet ex Jos XXII 11. summam imperii, ante Reges, penes Tribum Ephraimiticam fuisse sciam; atque ex I. Reg. X. 8. XI. 14. primum Judæorum regem Saulem in Galgala oppido Ephraim regnasse exploratum habeam, tamen de unâ religionis seu templi sede heic agi existimo; & comparationem in hoc esse sitam arbitror ut David in locum Josephi suffectus fuerit quò Arca sub ejus tutamine servaretur quemadmodum ejusdem Arcæ tutela Josepho hoc est Ephraimiticæ Tribui ab Ephraimo Josephi filio ortæ commissa erat; & Tribum Juda Ephraimiticæ Tribui subrogatam fuisse ut Arca in Tribu Juda hoc est in monte Sion domicilium haberet quemadmodum antea in Tribu Ephraim hoc est in urbe Silo degebat. Hunc Synonymica lex & versus 78. cum Psal. CXXXI. 14. collatus petunt sensum, cui facta in versibus 76. 77. 78. Davidici regni mentio non officit: hæc enim mentio cum Arcæ tuendæ curâ optimè cohæret quippe quæ Davidem quà regem spectaret eò quod eo nomine teneretur omni operâ adniti ut, quæ Levitis tradita erat, Arca incolumis salvaque maneret. At, inquies cum Hesychio, Sion ad Tribum Benjamin non

ad Tribum Juda pertinebat. 2°. objicies Arcam ex Silo non in Sionem sed in domum Abinadab in Gabaa migrasse, & consequenter domum hanc non autem Sionem Siloeo tabernaculo successisse. Ad primum respondeo ex Jos. XV. 8. 63. XVIII. 28. Hierusalem propriè dictam hoc est civitatem interiorem in sorte Benjamiticâ fuisse; Sionem autem seu civitatem superiorem ad Tribum Juda attinuisse, etsi utraque urbs ad Jebusæum pertineret quo tempore David Sionem expugnavit II. Reg. V. 7. Ad secundum dico Arcam in domo Abinadab depositam tantùm fuisse, eámque domum tabernaculi opinionem apud Judæos nunquam habuisse; atque adeò non domum illam sed Sionem Siloei tabernaculi locum excepisse.

75 *Et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra, quam fundavit in sæcula:*

Et *in hac*, quam ad longos annos duraturam fundavit, terrâ sanctuarium suum instar cornu *Monocerotis validum* ædificavit:

76 *Et elegit David servum suum; & sustulit eum de gregibus ovium, de post fœtantes accepit eum*

Atque *in ejus tutamen* elegit Davidem servum suum; eúmque de gregibus ovium, *quas pascebat*, sustulit, & illum à fœtis vaccis, *quas sectabatur pastor*, avocatum erexit ad solium regale

77 *Pascere Jacob servum suum; & Israel hæreditatem suam.*

Ut Jacobæos famulos suos; & Israelitas, quos sibi in hæreditatem elegit, regeret *loco ovium.*

78 *Et pavit eos in innocentiâ cordis sui, & in intellectibus manuum suarum deduxit eos.*

Eos autem *David* maximâ cum integritate *hactenùs* gubernavit, & summâ cum prudentiâ rexit illos.

sicut unicornium. B. Athanasius: μονόκερως &c. *Unicornis bellua est insuperabilis propter acutum cornu quod in fronte gerit, & omnes feras è medio tollit. Dicit igitur hoc modo divinum templum exstructum ut omnes gentes unitâ ejus virtute inferiores appareant.* Rabbini, pro REMIM *unicornium*, legunt RAMIM *excelsa*, sensu non recto ut patet; ipséque suadet B. Hieronymus qui Vulgatam lectionem REMIM sequitur, vertens *monocerotis.*

in sæcula. S. Augustinus legit *in æternum*, & nostræ meminit lectionis; sed eam, inquit, *in Græcis, quos habuimus, non invenimus.* Longam autem, de quâ in Psalmo nostro agitur, durationem Sionæ tribuo ædi non quòd ipsa, seorsim spectata, ad multos annos duraverit quum quadragenos circiter annos duntaxat steterit; sed quòd ædes hæc (ut patet ex Psal. CXXXI. 14. & I. Macchab. IV. 37.) eadem plerunque censeatur ac ædes Moriensis seu Salomonica quæ diutissimè mansit.

ARGUMENTUM.

PSALMI SEPTUAGESIMI OCTAVI.

JUDÆIS ab Antiocho Illustri vexatis hic Psalmus à B. Athanasio, Theodoro Heracleotâ, Theodorito,

Theodoro, atque Euthymio accommodatur, iisque locus I. Macchab. VII. 17. cum secundo Psalmi nostri versu collatus favere videtur; sed vereor ne hanc probent opinionem qui totum Psalmum accuratè expenderint. [a] Socrates & quidam Apolinario memorati Psalmum Judaicæ, sub Romanis, captivitati minore cum verisimilitudine tribuunt. In eâ ego sum sententiâ Psalmum hunc nostrum Psalmo XLIII. ætate supparem esse, & in eo Hierosolymitanum excidium abs Nabuchodonosore illatum deplorari; ídque ex textibus Psal. XLIII. 15. 28. Jer. VII. 33. X. 25. XIX. 7. XXXIV. 20. Dan. IX. 5. 6. 8. 16. ad Psalmi nostri versus 2. 4. 5. 6. 8. 9. exactis conjicio. Objicies ex Psal. XLIII. 19. 20. Judæos ibi describi *innocentes*, in nono autem Psalmi nostri versu repræsentari ut *peccatores*; atque adeò diversa in ambobus Psalmis tempora recoli. Respondeo Judæos, qui sub ultimis Babylonicæ captivitatis temporibus vivebant, *innocentes* fuisse & *peccatores*: innocentes, quia antiquorum seu paternorum, quæ captivitatem induxerant, scelerum puri erant; &, juxta hunc sensum, laudatos in Psal. XLIII. 19. 20. textus nec non verba Thren. V. 7. usurpabant ut & decantatissimum illis temporibus adagium Jer. XXXI. 29. Ezech. XVIII. 2. *patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt.* Sed iidem Judæi *peccatores* erant quia privatis aliquot criminibus, pro humanâ infirmitate, se alligaverant; &, juxta hunc sensum, dicunt in Psalmo nostro *propitius esto peccatis nostris.* Utraque crimina apud Dan. IX. 5. 6. 7. 16. expressa habes ut & in Psalmi nostri versibus 8. 9. qui tantam, ad præfatum Danielis caput, similitudinem habent ut nulla mihi dubitatio relinquatur quin Psalmus ille noster, sicut & illud Danielis

[a] Hist. Eccl. lib. I. 17. p. 46. edit. Vales. 1668.

Danielis caput, ad Judæos Babylonicam servitutem dudum servientes pertineat.

TITULUS.

Psalmus Asaph.

Psalmus LXXVIII.

1 *Deus venerunt Gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum; posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam.*

2 *Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.*

3 *Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Hierusalem; & non erat qui sepeliret.*

Paraphrasis.

1 Venerunt, ô Deus, Gentes *Babylonicæ* in hæreditatē tuam, profanarunt sanctum templum tuum; & Hierosolymas redegerunt in tuguriola qualia solent esse ea in quibus pomariorum custodes excubant.

2 Servorum tuorum cadavera volucribus aeris devoranda objecerunt, & Sanctorum tuorum carnes bestiis terræ *comedendas præbuerunt.*

3 Sanguinem eorum tanquam aquam, per *totum* Hierosolymarum ambitum, effuderunt; nec erat qui *occisos* sepeliret.

ANNOTATIONES.

Psalmus &c. Cod. Reg. 138. *Psalmus Asaph. vox Apostolorum in passione Christi post passionem Christi.* Colb. 158. *Psalmus Davit. vox Martyrum de eorum effusione sanguinis.*

posuerunt morticina. Hac loqutione *a* Homerus, *b* Sophocles, & *c* Virgilius utuntur in sensum Psalteriano congruentem: à quo longè aberant Magi Persarum, Hyrcani, Parthæ, Caspii & Bactriani qui, recepto & probato apud ipsos more, volucribus & canibus mortuorum cadavera objiciebant dilanianda ut docent *d* Herodotus, *e* Cicero, *f* Plutarchus, & *g* Agathias Scholasticus qui per *h* Ciceronem corrigendus venit.

& non erat qui sepeliret. præ hostium metu: qui scilicet, instar Marii *i* Appiano memorati, occisis sepulturam non solùm negabant, sed quominùs eâ populares suos Judæi afficerent impediebant: divina atque humana jura ipsámque communem naturam lædentes, ut ex iis patet quæ occurrunt apud *k* Euripidem, *l* Sophoclem, *m* Isocratem, *n* Aristidem, *o* Diodorum Siculum, *p* Sopatrem, *q* Pausaniam, *r* Ciceronem, *f* Virgilium, *t* Tacitum, *u* Livium, *x* Ælianum, *y* Senecam utrumque, *z* Valerium Maximum, & Papinium, * Lysiam, *a* Spartianum, *b* Capitolinum, *c* Ulpianum, *d* Modestinum, *e* Dionem Chrysostomum, *f* Tertullianum, *g* Lactantium, *h* Eusebium, S. *i* Gregorium Nyssenum, S. *k* Ambrosium, *l* Isidorum Pelusiotam, *m* Optatum Milevitanum, & *n* Leonem Imperatorem: præter *o* Quintilianum qui, quum *miseratione hominum* custodiri corpora ab incursu avium ferarúmque dicit, Psalterianos damnat hostes, simúlque sepulturam commendat, Quam iis, qui mortem sibi consciscebant, nec non sacrilegis, proditoribus, & majestatis damnatis, cum *p* Diodoro Siculo, *q* Josepho, *r* Plutarcho, *f* Dione Chrysostomo, *t* Plinio,

a Iliad. I. — Αὐτοὺς &c.
b Antigone: Ἐχθροὶ &c.
c Æneid. X. *Alitibus* &c.
d lib. 1. p. 65. D.
e Tuscul. Quæst. 1. *Magorum mos est* &c.
f lib. an vitiositas ad infelicitatem sufficiat p. 499. D.
g lib. 2. τότε δὴ &c.
h loc. cit.
i Civilium I. p. 355. A. edit Gr. Lat. 1592.
k Supplicibus: & Troad.
l Ajace: & Antigone.
m Panathenaico. p. 258. edit. Gr. Lat. 1593.
n Panathenaico. p. 202. edit. Gr. Lat. 1604.
o lib. 5. ὅτι πολεμοῦσι &c.
p τίς πόλεμος &c.
q in Atticis. pag. 61. Bœot. p. 591.
r Orat. pro Quintio.
f Æneid 3. *Non ego* &c.
t Annal. 6.
u lib 8.
x lib. 12. Var. hist.
y Patrem lib 1. contr. 2. Filium: de Benef V. 20.
z lib. V. 1.
& Theb 3.
* Orat. 11. p. 158 Orat. 31. p. 493. edit Gr Lat. 1615.
a in vitâ Caracallæ.
b in M. Ant. Philos.
c l. 14 *Et si quis paragr. interdum* ff. de Relig. & sumpt
d l. 27. *Quidam in suo.* ff. de condit Instit.
e Orat. 75 p. 647. D. Orat. 76. p. 649. C. edit. Gr Lat. 1604
f Apol. c. 37.
g lib. V. 11. VI. 11.
h Hist. Eccl. lib. V. 18. 9.
i Epist. ad Letoium.
k de Tob. cap. 1.
l lib. 2. Epist. 146.
m lib. 6.
n Novell. 53.
o Decl. 6.
p lib. 16.
q lib. 3. de Bell. Jud. c. 14. p. 853. A.
r Antiphonte. p. 833. A.
f Orat. 31. p. 3 6. D. Orat 64 p. 592. D.
t lib. XXXVI 15.

a ad Nicom. V. 5.
b in Supplicibus.
c de Legib. 2.
d apud Plin VII 55.
e *Quidnam sibi saxa cavata* &c.
f lib. VI. cap. 12.
g 2. de Legib.
h in Concionant.
i lib. de excid. Trojæ.
k lib. 5 de ling. Lat.
l 2. de Legib.
m Æneid. 11. *Fuit ingens* &c.
n 10 Atticis. p. 53. fin. 54. & seq.
o l. 3. ff. de *Sepulchro violato.* parage. *Divus Hadrianus*: pro quo Lampridius habet *Antoninum Pium.*
p in Arato p 1047. D.
q in Sentent. tit. ult.
r ad Æneid. 11. cit.
ſ Cod. Theod. lib. IX. tit. 17. l. 6. Adde Cod. III. 44. 6.
t Hist. Franc. lib I. c 44. II. 5.
u lib. 1. p. 131. C 135 E
x lib. 3. pag 148. edit Gr. Lat. Han 1604.
y lib. 17.
z lib. 30. ubi de Valentiniano & lib. 15.
* Tuscul. I. ubi de Persis
a in Tib. Nerone
b lib. 8 ubi de Trajano
c in Theseo p. 17. C in Lycurgo p. 56. B. in Arato p. 1047. E.
d ad Æneid 6. *Sedibus hunc refer* &c.
e de vitâ Constant. lib. IV. cap. 60. 70.
f lib. 2. cap. ult.
g lib. 2. cap. ult.
h Naz. Orat. 10. Nyss. in vitâ Macrinæ.
i Epist. 15.
k Epitaph. Paulæ.
l lib. de curâ pro mortuis agendâ c. 4.
m Etymol. XV. 11.
n Hist. Relig. c 21.
o in vitâ Fulg. a. ult.
p Dial. lib 3. c. 22. lib. 4. c. 50 51. 52. 53. 54.
q Hist. Franc. lib. IV. 5. V. 34. & de Glor. Confess c. 106.
r can. 15. Adde Chrys. homil. 26. in Epist. 2. ad Cor Evagr. IV. 30. Niceph. XIV. 58. & Leonem Imp. Nov 53. ſ capitul 9.
t to. 1. p. 713. 731.
u an. 563 can. 18.
x an. 813. can. 20.
y an. 813. can 52.
z an. 845 can. 72
& can. 6. * can. 17.
a lib. I. c 159. II. c. 47.

& a Andronico Rhodio negatam confiteor; & introductam puto non ob giganteam mandendorum hominum ferocitatem ut sentiebat Moschion, neque ut ortum è terrâ corpus terræ redderetur uti b Euripides & c Cicero innuunt, neque ut spes resurrectionis denotaretur ut d Democrito & e Prudentio visum est; sed ut hominis consuleretur dignitati quæ non sinit ut, qui ad imaginem Dei formatus est, homo bestiis in escam cedat ut indicat f Lactantius. Plura de sepulturis comperies in Gen. XXIII. 11. IV. Reg. XIII. 23. & apud g Platonem, h Aristophanem, i Darem Phrygium, k Varronem, l Ciceronem, m Virgilium, n Pausaniam, o Ulpianum, p Plutarchum, q Paulum, r Servium, ſ Theodosium, & t Gregorium Turonensem qui sepulchra extra muros, in viis publicis, in montibus, in agris, in solitudinibus, & ante portas civitatis exhibent; apud u Herodotum, x Diodorum Siculum, y Strabonem, z Ammianum Marcellinum, & Melam, * Ciceronem, a Suetonium, b Eutropium, c Plutarchum, d Servium, e Eusebium, f Socratem, g Sozomenum, h Gregorium utrumque, S. i Ambrosium, S. k Hieronymum, S. l Augustinum, m Isidorum Hispalensem, n Theodoritum, o Ferrandum, Gregorios p Magnum ac q Turonensem, & r Patres Triburienses qui sepulchra intra urbes, inque domibus, & prope templa, ac in ipsis templis memorant; atque apud ſ Theodulphum & t Hincmarum, nec non in Conciliis u Bracarensi, x Arelatensi, y Maguntino, z Meldensi, & Nannetensi, * ac Triburiensi, & in a Capitularibus Karoli M. quæ sepulchra ab Ecclesiis arcent nisi fortè persona sit Martyris, Sacerdotis, aut cujuslibet justi hominis.

sanctorum. Heracleota: Διὰ τὴν &c. *propter pristinam electionem sanctos vocat eos qui defecerant. sicut Apostolus Rom. XI. 16. sanctos vocat ramos ob impietatem avulsos quia radicis sancta erant.* Assentitur Euthymius. Judæi ergo heic dicuntur *sancti*; sicque vocatos fuisse primos Christianos nemo nescit.

4 *Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio & illusio his qui in circuitu nostro sunt.*

Denique opprobrio vicinis nostris, & ludibrio ac despicatui *nunc* sumus iis qui circum nos habitant *Babyloniis*.

5 *Usquequo Domine irasceris in finem, accendetur velut ignis zelus tuus?*

Verùm Domine quousque tandem irasceris nobis, tuá*que* ira velut ignis in nos ardebit?

6 *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt; & in regna quæ nomen tuum non invocaverunt:*

Tuam *hanc* iram in *Ethnicas*, quæ te non agnoscunt, gentes; & in regna, quæ nomen tuum non invocant, effunde:

7 *Quia comederunt Jacob, & locum ejus desolaverunt.*

Siquidem vastaverunt *Israelitas*, & terram eorum desolati sunt.

8 *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum; citò anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.*

Ne memineris veterum *Gentis* nostræ iniquitatum; *sed* tuæ nobis misericordiæ citissimè adsint quia valdè attenuati sumus.

gentes. gentes & regna plurali heic dicit numero quia Babylonii non solùm, sed Idumæi Hierosolymitano excidio inservierant. Psal. CXXXVI. 9.

antiquarum. Heracleota: Λέγει &c. *dicit pristinas populi idololatrias.* Favet Hesychius.

Adjuva nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui libera nos; & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum:	9	Adjuva nos Deus sospitator noster; *atque è servitute* libera nos propter gloriam nominis tui; & peccata nostra condona propter nomen tuum:
Ne fortè dicant in Gentibus; ubi est Deus eorum? Et innotescat in nationibus, coram oculis nostris	10	Ne *scilicet Babylonii ulteriùs* dicant, ubi est Deus eorum, *surgat & opituletur illis siquidem eâ, quam jactant, potentiâ præditus sit?* Manifesta tandem fiat in Gentibus illis, *&* nostris pateat oculis
Ultio sanguinis servorum tuorum qui effusus est: introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum;	11	Ultio sanguinis servorum tuorum qui effusus est: introeát*que* in conspectum tuum gemitus vinctorum;
Secundùm magnitudinem brachii tui posside filios mortificatorum..	12	*Et*, pro magnâ tuâ potentiâ, nos morti addictos præsta incolumes.
Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum improperium ipsorum, quod exprobraverunt tibi Domine.	13	Iis verò, qui circum nos habitant, inimicis *Babyloniis* contumeliam, quâ *te* vexant, Domine copiosè atque in septuplum redde.
Nos autem, populus tuus & oves pascuæ tuæ, confitebimur tibi in sæculum,	14	*Id quum præstiteris*, nos, qui sumus populus tuus & oves quas suscepisti pascendas, gratias tibi agemus immortales,
In generationem & generationem, annuntiabimus laudem tuam.	15	*Et* laudes tuas perpetuò canemus.

ubi est Deus eorum. Confer Psal. XLI. 3. 15.

ultio. cum verbo *innotescat* non cum verbo *introeat* conjungi debet; nec obstat generis differentia: hujus enim ratio non semper ab Hebræis habetur.

in sinum. in sinum reddere est cumulatè reddere ut quæ in sinum effundi solent. Is. LXV. 7. Unde liquet *in sinum* idem esse atque *in septuplum*: isto enim numero Psalmista multitudinem significare vult ut notat Heracleota. Qui, quum *sinu* inseparabilitatem deootari addit, hallucinatur: hæc namque vox copiam designat ut dixi, & patet ex lege Synonymicâ.

ARGUMENTUM.

PSALMI SEPTUAGESIMI NONI.

NONNULLI Græco, qui Aſſyriorum meminit, titulo freti Pſalmum iſtum Judæis à Salmanaſare Aſſyriorum rege abductis congruere exiſtimant; ſed vel una, quæ in verſu 2. occurrit, Benjamini mentio huic ſententiæ repugnat: Tribus enim Benjamitica non fuit à Salmanaſare abducta. Theodorus ea, quæ Macchabæis acciderunt, narrari ſive prædici affirmat; ſed verſus 17. opinionem hanc labefactat ut Heracleotæ & Theodorito notatum eſt. Noſtri ego Pſalmi verſus 1. 4. 5. 7. 9. 17. cum Pſalmis XLIII. 1. 2. 3. 15. 16. LXXIII. 1. 8. 13. 14. LXXVI. 14. 15. 20. LXXVIII. 4. 14. LXXXIV. 4. comparavi; & mutua eorum collatio Pſalmum ad Judæos Babylonicis vinculis illigatos accommodandum eſſe perſuaſit mihi: quum præſertim opinionem hanc Theodoro Heracleotæ, Theodorito, & Græco Corderii Paraphraſti placuiſſe viderem, ut & Euthymio: qui titulum Græcum huic ſententiæ aptat, dicens per Aſſyriam intelligi Nabuchodonoſorem Babylonium qui de Aſſyriis genus trahebat. An titulum ita intellexerit S. Athanaſius aſſerere non auſim; ſed beatiſſimus Pater Pſalmum ad eos, qui ab Aſſyrio in captivitatem redacti erant, primario ſenſu retulit; &, ſecundùm ſublimiorem ſenſum, de iis expoſuit qui ſpiritalem, ſub ſpiritalibus Aſſyriis & Satanâ ipſorum principe, captivitatem ſuſtinebant.

TITULUS.

In finem pro iis qui commutabuntur testimonium Asaph.

Psalmus LXXIX.		Paraphrasis.
Qui regis Israel intende; qui deducis velut ovem Joseph.	1	Ausculta ô tu qui Israelitarum rector es; *&* qui Judæos, velut oves, *suscepisti pascendos.*
Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Benjamin, & Manasse:	2	Qui Cherubimis *velocissimis animalibus* insides, auxilium Ephraimiticis, Benjaminiticis, & Manasseis *hominibus celeriter* porrige:
Excita potentiam tuam & veni ut salvos facias nos.	3	*Et* tuam, *quæ sopita videtur*, potentiam excita ut salutem nobis præstes.
Deus converte nos, & ostende faciem tuam; & salvi erimus.	4	Reduc nos ô Deus, tecum in gratiam, & tuo nos favore prosequere; atque *ita* servabimur.
Domine Deus virtutum, quousque irasceris super orationem servi tui?	5	Domine Deus omnipotens quousque, ob mea delicta iratus, orationem servi tui respues?
Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in mensura?	6	*Quousque* nos pane lacrymarum cibabis, & largum nobis fletuum potum præbebis?

ANNOTATIONES.

in finem &c. Cod. Reg. 138. *in finem pro his qui commutabuntur testimonium Asaph Psalmus. vox Apostolorum pro Ecclesia & Christo ad Patrem.* Colb. 1. *in finem pro his qui commutabuntur testimonium Asaph.* 158. *in finem pro is qui commutabuntur testimonium Asaph Psalmus Assiriorum. vox sacerdotum Dei.*

Joseph. Vide annot. ad Psal. LXXVI. 14.

qui sedes super Cherubim. ita loquitur, inquit Heracleota, *ut & velocitatem & sublimitatem significaret.* Utiam ego velocitatem ex Psal. XVII. 13. eligo; neque ad propitiatorium Exod. XXV. 22. respici puto eò quòd propitiatorium illud tunc esset destructum.

coram Ephraim, Benjamin, & Manasse. Theodoritus: διὰ &c. *Per has Tribus omnem designavit populum. Horum autem meminit quoniam de Joseph mentionem fecit: Ephraim vero & Manasse filii fuerunt Joseph; & Benjamin frater ejus uterinus.* Hæc, cui S. Cyrillus atque Euthymius subscribunt, explanatio longè præstat ei quæ ex Castrensibus Judæorum profectionibus Num. II. & X. descriptis petitur. Sed, inquies, Ephraim & Manasse Babyloniis non serviebant quippe qui à Salmanasare abducti fuerant: ergo prædicta explicatio vel falsa est; aut Psalmus ad captivos Babylonios non pertinet. Respondeo ex II. Paral. XXX. 1. 10. 18. XXXI. 9. 10. I. Esdr. II. 40. Psal. LXVII. 30. If. XI. 11. 12.

XXVII. 6. Jer. XXX. 3. XXXI. 9. Luc. II, 36. nonnullos de Israelitis decem Tribuum & nominatim Ephraimi ac Manassis in Judæâ remansisse; atque adeò in urbem Babylonem, cum reliquis Judæis, deportatos fuisse: quod vel unus Jeremiæ locus XXXI. 9. ostendit ut observat vir doctissimus Hugo Grotius. Qui tamen decimum octavum Jeremiæ versum ad Israelitas decem Tribuum non reducendos immeritò trahit: in errorem inductus ex non intellectis his loquutionibus *converte me* vers. 18. *& conturbata sunt viscera mea* vers. 20. quibus nihilominùs Psalmi nostri versus 4. 8. 20. Thren. V. 21. & Gen. XLIII. 30. magnam lucem afferebant.

converte nos. à servitute ad libertatem, ab alienâ regione in patriam ait Euthymius Theodoritianis insistens vestigiis quæ Grotius, in laudatum Jeremiæ locum scribens, persequitur. Sed illemet Jeremiæ locus, cum Thren. V. 21. & decimo quinto Psalmi nostri versu collatus, aliò nos vocat; atque ad partes Aben-Ezra & Kimchii adjungit, non impediente Jer. XXX. 3.

servi tui. Theodoritus: Δοῦλοι &c. *Servum ejus populum nominat; nam & alii interpretes in orationem populi tui pro servi tui posuerunt.* Servum ego de Vate dici puto qui suo heic nomine; &, paulò post, nomine populi loquitur: populum utroque modo designans, ut in Psal. XLIII. 6. 7. 8.

cibasti. vocem *usquequò* ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, non solùm heic cum Euthymio; sed & in versu sequenti repeto: etsi Eusebius & Theodoritus cæteros Interpretes vertisse *cibasti* testentur; iisque Interpretibus laudati Patres assentiantur. Confer Psal. XLI. 3.

in mensura. idest plenum ut explicat Theodorus.

7 *Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris, & inimici nostri subsannaverunt nos?*

Quousque nos ad ludibrium vicinorum nostrorum pones, & *quousque* inimici nostri illudent nobis?

8 *Deus virtutum converte nos, & ostende faciem tuam & salvi erimus.*

Deus omnipotens reduc nos tecum in gratiam, & benignus nos aspice; atque *ita* servabimur.

9 *Vineam de Ægypto transtulisti: ejecisti Gentes; & plantasti eam.*

Populum Israeliticum, non secùs ac vineam tibi charam, ex Ægypto, *ubi multiplicari impediebatur, olim* transtulisti in *locum commodiorem: atque ejus gratiâ* ejecisti gentes *Chananæas ex ipsarum terra; ibique* præfatam plantasti *vineam.*

10 *Dux itineris fuisti in conspectu ejus: plantasti radices ejus, & implevit terram.*

Eam autem quum ex Ægypto transferres, ei te præbebas ducem itineris: *deinde* radices ejus altè defixisti, & terram *illa* implevit *amplissimam.*

11 *Operuit montes umbra ejus; & arbusta ejus cedros Dei:*

Nimirùm umbra ejus montosam *Judæam* operuit; & rami ejus altissimas Libani cedros operuerunt:

in contradictionem. vide annot. ad Psal. LIV. 9. & adde iis quoque, quos ridemus,

contradici dum nihil eorum, quæ dicunt aut faciunt, probamus; sed cuncta in vituperium adducimus ac ludibrium.

operuit. in hoc & sequenti versu attingit terræ promissæ limites: quos *umbra* & *palmitis* ac *propaginis* nominibus exprimit ut in figura vineæ persistat. Confer Psal. LXXI. 8.

montes &c. optimè Corderius: *alludit ad Judæam, quæ ferè tota montosa erat; & ad libanum illius limitem cedris altissimis & laudatissimis consertum.*

12 *Extendit palmites suos usque ad mare, & usque ad flumen propagines ejus.*

Suósque palmites *vinea illa* usque ad mare *Palæstinorum*, & propagines suas usque ad fluvium *Euphratem* extendit.

13 *Ut quid destruxisti maceriam ejus, & vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam?*

Quæ quum ita sint, & tanta benevolentiæ signa vineæ tuæ quondam impertiveris, cur sepem ejus destruxisti, & quare eam omnes, qui istac præteriere, *Babylonii* diripuerunt?

14 *Exterminavit eam aper de sylva, & singularis ferus depastus est eam.*

Nabuchodonosor aper sylvestris eam vastavit, & truculenta *illa* fera eam depopulata est.

15 *Deus virtutum convertere; respice de cœlo: & vide, & visita vineam istam.*

Harum quæso ærumnarum misertus ô Deus omnipotens convertere *ad vineam istam à quâ jam dudum* aversus es; eam è cœlo respice: prospice ei, atque in ejus curam incumbe:

16 *Et perfice eam quam plantavit dextera tua; & super filium hominis quem confirmasti tibi.*

Et, quam dextera tua plantavit, *vineam* pristinæ integritati restitue; abjectúmque populum *Judæum*, quem tibi, *multo jam tempore*, asseruisti, *erige*.

17 *Incensa igni & suffosa; ab increpatione vultus tui peribunt.*

Illorum regio exusta est ac vastata; perituríque sunt *Israelitæ* si tua in illos ira perseveret:

maceriam ejus. Theodoritus: φραγμὸς &c. *Maceriem, tutelam vocavit: nam quod est maceries vineæ, hoc Dei providentia est his qui ipsâ digni habiti sunt.*

aper de sylva. a Jeremias Nabuchodonosorum Leoni, Lupo, & Pardo assimilat: sed cum Noster apro agresti comparat ut in metaphorâ vineæ perstet: præcipua enim vitis inimica est hæc fera, ut notat Theodoritus.

singularis ferus. Idem bis dicit: *& singularem feram appellat*, inquit Theodoritus, *qui solivagus vivit quique aliis truculentior est utpote qui, cum cæteris, consuetudinem minimè habet.* Porrò ex Psalterianâ voce ἄγριος *ferus* fluxisse videtur nomen *Hegris*: quod apud b Hermam & c Clementem Alexandrinum reperitur, quódque B. d Hieronymus (qui cor-

a V. 6.
b lib. I. Past. vis. 4 c. 2.
c Strom. IV. p. 503 C.
d in Abac. I. 14.

ruptè legit *Tyri*) pro *Angelo* minùs benè accepisse videtur; nec, meliùs quidam putaverunt esse compendiosam vocem nominis ἐγρήγορος cujus mentio exstat in Daniel. IV. 10. & apud Clementem Alexandrinum in secundo Pædagogi libro, cap. 9. p. 185. D.

& perfice eam &c. Plerique Hebræorum: *& plantam quam plantavit dextera tua & super ramum* (vel filium) *quem roborasti tibi.* Verùm alii Hebræorum Rabbino Aben-Ezra memorati & dictionem כנה in imperativo legentes, nostro favent Interpreti: quem etiam laudabit quisquis adverterit nomine כנה plantam alibi non significari. Quod autem spectat loquutionem istam *filium hominis*, eam probabunt qui ad versum 18. infrà respexerint.

a ad Psal. LXXII. 15. *filium hominis*, idem est ac homo ut a Theodorito notatum est; & homo abjectus ac miser ut patet ex Psal. IV. 3. VIII. 5. XLVIII. 2. Eo autem nomine ut & *viro dextera* Judæum, cum R. P. Deschampneufs & Muisio, intelligo populum: quem *filium hominis* & *virum dextera divina* dici non magis est mirum quàm eum vocari *filium* Exod. IV. 22. Os. XI. 2.

18 *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ: & super filium hominis quem confirmasti tibi.*

Itaque hominibus, quos *potenti* tuâ dexterâ *ex Ægypto olim* eduxisti, auxilium tuum porrige: calamitosis, *inquam*, *Judæis*, quos tibi *peculiari modo quondam* vindicasti, *opitulare.*

19 *Et non discedimus à te: vivificabis nos. Et nomen tuum invocabimus:*

A tuo *nunc* cultu non recedimus: *proindéque* recrea nos. Nomen tuum supplices imploramus;

20 *Domine Deus virtutum converte nos, & ostende faciem tuam; & salvi erimus.*

Unde Domine Deus omnipotens reduc nos tecum in gratiam, sereno nos vultu aspice, atque *ita* servabimur.

ARGUMENTUM.

PSALMI OCTOGESIMI.

THEODORITUS, Theodorus, & Græcus Corderii Paraphrastes Judæorum è Babylone reditum hoc Psalmo cani; eósque, qui hoc beneficium adepti sunt, ad gratiarum actionem excitari arbitrantur. Illam ego gratiarum actionem à Psalmo abesse persuasum habeo: sed nullatenus dubito quin Psalmus iste à Judæis, è Babylone reversis, conditus fuerit ut scilicet divinæ legis observatio in Judæorum animis altè defigeretur, uti in Psalmo

Pſalmo CXI. qui reditum etiam Babylonicum ſpectat, id factum videmus; diversâ tamen ratione. Nam Pſalmus CXI. ad legem divinam præmiis, quæ legis hujus ſtudioſos conſequuntur, invitat; noſter verò Pſalmus ad eandem legem, beneficiis à Deo acceptis & accipiendis ut & manente legifragos ſupplicio, hortatur: eandem atque in Exod. XX. rationem iniens, ut iis planum erit qui Pſalmi noſtri verſus 8. 9. 10. 11. 13. 14. cum Exod. XX. 2. 5. contulerint. Judæi porrò ab exilio Babylonico reducti prædictâ hortatione meritò utebantur: quum enim ſe in exilium, ob violatam Dei legem, ejectos fuiſſe ſcirent, ſua jure putabant intereſſe excitari populares ad divinæ legis ſtudium ne pari, quam ſubierant, pœnâ afficerentur. Quando autem prima cujuſque menſis dies ad refricandam datæ, poſt Ægyptiacam liberationem, legis memoriam inſtituta fuerat ut ex Pſalmo noſtro cognoſcimus, Vates ad inſignem hunc diem canticis & muſicis inſtrumentis celebrandum cohortatur eo conſilio ut Judæi, diem datæ legi dicatum colentes, ad legis ſtudium allicerentur ut ex contextu orationis apparet.

TITULUS.

In finem pro torcularibus. Intellectus ipſi Aſaph.

Psalmus LXXX.

1 *Exultate Deo adjutori noſtro; jubilate Deo Jacob.*

Paraphrasis.

Deum adjutorem noſtrum læti canite; & Deum Jacobæorum exultantibus animis celebrate.

ANNOTATIONES.

in finem &c. Cod. Reg. 138. *in finem pro torcularibus: Domini Aſaph. Pſalmus quinta Sabbati vox Apoſtolorum.* Colb. 158. *in finem pro is qui commutabuntur in finem pro torcu-*

laribus : Domini Asaph quarta Sabbati vox Spiritus sancti ad populum de Spiritu sancto, S. Augustinus habet *quinta Sabbati.*

adjutori nostro. ad auxilium in Ægypto allatum & infrà vers. 6. memoratum respicere videtur potiùs quam ad opem in Babylonicâ porrectam servitute, etsi hujus servitutis liberatio huic carmini componendo locum dederit.

	Sumite psalmum, & date tympanum; Psalterium jucundum cum cithara.	2	Sumite canticum, proferte tympanum; *&* Psalterium jucundum *unà* cum citharâ.
	Buccinate, in Neomeniâ, tubâ; in insigni die solemnitatis vestræ:	3	Tubâ buccinate in Novilunio, in insigni *illo* solemnitatis vestræ die:
	Quia præceptum in Israel est, & judicium Deo Jacob.	4	Id enim Israelitis demandatum fuit, & Jacobæis à Deo imperatum.
	Testimonium in Joseph posuit illud quum exirent de terrà Ægypti; linguam quam non noverant audivit.	5	*Illud nempe* præceptum imposuit *Deus* Judæis quum ex terrâ Ægyptiacâ egressi essent; *& divinam,* (quæ, *utpote nusquam antea percepta*, eis ignota erat) vocem *in monte Sinai* audiissent, *legem ex ore Dei accipientes.*
Exod. I. 11. 14. V. 7. 8. XII. 31. 32. 33.	*Divertit ab oneribus dorsum ejus; manus ejus in cophino servierunt.*	6	*Hanc autem legem priusquam Israelitis daret Deus*, diverterat ab humeris eorum onera quibus *in Ægypto* premebantur; *&* manus eorum, portandis corbibus luto plenis addictas, ab hoc labore liberas fecerat.

sumite. tractum id ex more Musicorum qui, solemne carmen cantaturi, illud in manibus sumunt.

psalterium &c. Heb. *citharam jucundam cum psalterio.* Hunc, in suâ versione, ordinem B. Hieronymus sequitur; sed nostro favet Eccl. XL. 21.

Neomenia. vox hæc primam cujusque mensis diem, quæ à Novilunio incipiebat, non solas Septembris calendas denotat; nec allatæ à Jansenio rationes contrarium suadent. Nam 1°. etsi Calendæ singulorum mensium calendis mensis septimi nonnihil concederent, erant tamen insignes ut patet ex Num. X. 10. I. Reg. XX. 5. 6. Secundò Janseniana distinctio tubarum חצצרות & שופר non est idonea ut apparet collatis locis Num. X. 9. 10. XXXI. 6. Jos. VI. 4. 6. 8. 13. II. Par. XV. 14. Psal. XCVII. 7. Eò accedit quòd, quum ex Exod. XII. 2. XIX. 1. Lex tertio ab exitu mense hoc est Junio data videatur, vero est simile ut initium cujusque mensis potiùs quàm mensis Septembris recolendæ Decalogi dationi dicatum fuerit. Atque hinc mihi non probatur Augustiniana lectio *in initio mensis tuba.*

in insigni die &c. est repetitio: vel ipsis, quorum Aben-Ezra meminit, Rabbinis testibus qui vocem כסה de Novilunio interpretabantur. Unde beatum non laudo Hieronymum vertentem *in medio mense solemnitatis vestra.*

testimonium. Heracleota: Μαρτύριον &c. *testimonium & praeceptum idem sunt: vult enim dicere quod praeceperit & testatus fuerit nobis ut hoc faceremus.*

Joseph. totum populum denotat ob eam, quæ ad Psal. LXXVI. 14. allata est, rationem: quæ mihi magis arridet quàm ista Theodoriti, *quoniam Joseph caussa fuit ut ipsi in Ægyptum pedem inferrent, ex ipso populum appellavit.*

audivit. Heb. *audivi*: non rectè, ut patet

divertit. Heb. *diverti*: minùs benè. Kimchius ex hoc versu colligit celebrari in Psalmo liberationem ab oneribus luti & laterum quæ calendis Septembris contigerit; sed huic sententiæ repugnant cùm Pharaonis ingenium & verba Exod. V. 5. 6. 7. 8. tùm Scripturæ silentium de peculiari hac liberatione postremam sex mensibus præcedente.

7 *In tribulatione invocasti me, & liberavi te: exaudivi te in abscondito tempestatis. Probavi te apud aquam contradictionis.*

Deinde eos in monte Sinai sic affatus est. Quum calamitatibus, *in Ægypto*, frangebaris *ô populi mi* invocasti me, & te *his calamitatibus* liberavi: téque *præterea auxilium meum implorantem* exaudivi quum, *in columnâ nubis & ignis* latens, tempestatem *in mari Rubro* excitavi, *& rotas curruum Pharaonis subverti; omnémque ejus exercitum interfeci. Postea* fidei tuæ periculum feci ad aquas *quæ, à jurgio filiorum Israel*, contradictionis *nomen acceperunt; & te infidelem sum expertus.*

Exod. XIV. 24.

Exod. XVII. 1. 7.

8 *Audi popule meus, & contestabor te. Israel si audieris me non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum:*

Audi *porrò ô* populi mi, & meam tibi voluntatem significabo. Si mihi, ô Israelitæ, obedieritis, Idola non coletis, neque Deos alienos venerabimini:

Exod. XXI. 1. 2.

9 *Ego enim sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terrâ Ægypti. Dilata os tuum; & implebo illud.*

Ego enim *solus* sum Dominus Deus vester qui vos ex Ægyptiacâ, *ubi servitutem serviebatis*, terrâ eduxi. *Mihi si morem gesseritis*, petite quicquid libuerit; & postulatis vestris annuam.

10 *Et non audivit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi:*

Ad hunc quidem modum vestris Majoribus, ô Israelitæ, olim loquutus sum; sed illi voci meæ non paruerunt, & mihi non auscultaverunt:

11 *Et dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.*

Unde eos desiderio cordis ipsorum permisi, *illique* cupiditatibus suis sunt obsequuti.

12 *Si populus meus audisset me, Israel si in viis meis ambulasset,*

Heu si populus *ille* meus mihi obediisset, si Israelitæ præcepta mea servassent,

13 *Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, & super tribulantes eorum misissem manum meam:*

Brevi tempore inimicos eorum depressissem, & hostes illorum *citò* castigassem:

14 *Inimici Domini mentiti sunt ei, & erit tempus eorum in sæcula.*

Illique Israelitarum seu Domini hostes voluntariam (*adeò* Israelitis *subjecti fuissent*) servitutem simulassent, eorúmque miseria æternùm durasset.

Deut. XXXII. 13.

15 *Et cibavit eos ex adipe frumenti, & de petrâ melle saturavit eos.*

Nihilominùs *etsi Majores vestri divinis mandatis non paruissent,* Deus, *quâ est benignitate & fide,* eos, in *terrâ promissâ*, optimo pane cibavit, & rerum omnium affluentibus copiis ditavit.

in tribulatione. Ut versu 5. rem, in aliis Scripturæ libris omissam, Psalmus docuit; ita heic monitum, in iisdem libris prætermissum, enarrat.

Deus recens. idem quod Deus alienus nempe Idola. Confer Deut. XXXII. 17.

dimisi eos &c. gravis pœna de quâ Act. XIV. 16. Rom. I. 24. S. Aug. pro *desideria* habet *affectiones.*

pro nihilo. idem sonat ac brevi tempore; neque ab eâ sententiâ Vulgatus interpres abit, præsertim si nostri ratio habeatur idiomatis, quo dicimus: *Je feray cela en rien, en moins de rien. Il n'y en a que pour un moment, pour un rien.* Græci Patres Heracleota, Didymus, Theodoritus, & Theodorus illud *pro nihilo* interpretantur *facilè* seu *nullo negotio*, non tam benè.

forsitan. deest in Hebræo ut & apud B. Augustinum qui legit *in nihilum omnes inimicos eorum humiliassem.* Heracleota, Theodoritus, Theodorus, Græcus Corderii Paraphrastes, aliique auctores Græci cum Sixtinâ editione legunt *ὡς τῷ μηδενὶ ἂν in nihilo utique.* De voce *forsitan* legendus omninò B. Augustinus ad Psal. CXXIII. 4. cum Jansenio & Genebrardo ad eundem textum.

tempus eorum. Anonymus Heracleotæ memoratus atque à Theodorito exscriptus: *καιρὸν* &c. *tempus vocat calamitates: nam juxta Syros & Hebræos calamitas appellatur tempus.*

& cibavit. qui vertunt *& cibasset*, non satis attendunt ad locum Deut. XXXII. 13.

adipe frumenti. Mannam nonnulli intelligunt; sed adversatur laudatus Deuteronomii locus qui ostendit pertinere hæc ad tempus quo Judæi in terrâ promissâ non in deserto versabantur.

de petra melle. ad dulcissimam aquam; Judæis in solitudine è saxo eductam & quæ illis sitientibus dulcedinem mellis referre visa sit, Theodoritus trahit contra præfatum Deuteronomii locum: quo, ut & nostro, significari videtur maxima rerum omnium affluentia, quam in sententiam *a* Ovidius, Psaltem imitatus, dixit, *Flaváque de viridi stillabunt ilice mella.*

a I. Metamorph.

ARGUMENTUM.

PSALMI OCTOGESIMI PRIMI.

Hic Psalmus Davidicis temporibus accomodatur ab eruditissimo Grotio qui versum 2. de Absalomi sectatoribus exponit; versum autem ultimum Davidi aptat quasi Deus rogetur ut terram per Davidem judicet; ejúsque operâ imperium legémque suam longè latéque proferat. Kimchius caput XIX. secundi Paralipomen... libri, in quo rex Josaphat judices constituisse eósque de suo officio admonuisse dicitur, attendens, Carmen ad illa tempora revocat; illúdque ea complecti putat monita quæ Josaphat judicibus à se constitutis tradiderit. Priori sententiæ versus 3. & 6. refragantur; posteriorem versus 1. 2. 5. 7. 8. refellunt. Ego hanc Psalmi phrasin *judica terram* cum simili Psalmorum LXVI. 4. XCV. 12. XCVII. 10. loquutione componens; & capita Jer. V. 28. Zach. VII. 10. 13. 14. perpendens, arbitror Babylonica tempora in nostro spectari Psalmo; eúmque non omnes aut plures (instar Psalmi XLIX. 18. ac seq. & Jer. VII. 8. 9. & seq.) Israelitici excidii caussas, sed unam tantùm persequi; ac docere terram Israeliticam vastatam fuisse: seu, ut loquitur beatus Vates, terræ hujus fundamenta fuisse commota, ejúsque judices exilio mulctatos fuisse quia jus æquabiliter non dicebatur. Hoc autem ut poetico more Psalmographus depingat, fingit Deum, antequam Judæam hostili furori traderet, in Senatum venisse, judices de officio admonuisse; eósque, in culpâ postmodùm deprehensos, exilio addixisse damnatâ priùs ad vastationem Judæâ. Tum Vates, illius

calamitatem miseratus, Deum precatur ut tandem surgat; & Judæam, cujus curam abjecerat quámque Ethnicis possidendam ac regendam tradiderat, gubernet ipsemet. Hic est, ni fallor, verus sensus Psalmi: qui circa finem captivitatis Babylonicæ compositus esse videtur ad erudiendos eos qui, post solutam captivitatem, officio judicum fungi poterant, & ad deprecandam terræ Israeliticæ vastitatem. Illis decessorum pœnam proponit ut eam effugiant; huic verò Deum optat moderatorem. Sed priorem partem Vates potissimùm attingit eo consilio ut judices, spectatâ decessorum suorum pœnâ, eos non imitarentur ne terræ Israeliticæ vastationi locum ampliùs darent.

TITULUS.

Psalmus Asaph.

PSALMUS LXXXI.		PARAPHRASIS.
DEus stetit in synag[...] Deorum; in medio autem Deos dijudicat.	1	DEus *pridem* stetit in cœtu judicum *Judeæ*; &, in medio *ipsorum positus*, judices *illos* officii sui *sic* admonuit.
Usquequo judicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis?	2	Quousque sententias iniquas feretis, & improbis favebitis ob eorum dignitatem ac potentiam?
Judicate egeno & pupillo: humilem & pauperem justificate.	3	Jus dicite egeno & pupillo: justitiam misero & pauperi administrate.
Eripite pauperem; & egenum de manu peccatoris liberate.	4	Eripite pauperem *ab oppressione*, & egenum è manu impii, *ipsum vexantis*, eruite.

ANNOTATIONES.

Psalmus Asaph. Cod. Reg. 158. *Psalmus Asaph· vox Ecclesiæ ad Judaos.* Colb. 158. *Psalmus Asaph. vox Christi ad Judaos ad alienigenam.*

in synagogâ Deorum. Deos vocat judices quia Dei vices in terrâ gerunt II. Paralip. XIX. 6. unde Princeps, justitiam colens, appellatur à a Plutarcho *simulachrum Dei*; & Antiqui-

a adverf. Princip. indoct. p. 780. E.F.

tas, teste *a* Athenæo, justitiam coluit ut *Deam*, jurísque studiosos *b* Ulpianus appellat *Sacerdotes*. Heb. pro *Deorum* legitur *Dei*; sed idem est sensus: nam judicum Senatus dicitur Senatus Dei quia in nomine Dei judicia exercet. *c* Tertull. *Deus Deorum stetit in Ecclesia Deorum: in medio autem Deos dijudicabit*. S. *d* Cypr. legit *discernens* pro *dijudicat*. S. Aug. *discernere*.

a lib XII 12. p. 546 C. *b* l. juri paragr *Cujus* ff. *de justitia & jure*.
c lib. I. adv. Marc. c. 7. p. 368
d lib. 2. Testim. p. 251.

5 *Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant: movebuntur omnia fundamenta terræ;*

Hæc *illi* monita non sunt sequuti, atque in tenebris ambulaverunt *jura omnia pervertentes*: unde omnia terræ *Israeliticæ* fundamenta concussa sunt *illatâ ei vastitate*;

6 *Ego dixi Dii estis vos & filii Excelsi omnes:*

Deúsque iniquos, qui præcipua hujus vastitatis caussa fuerant, judices ita est alloquutus. Vobis *quidem* ego dixeram *ô judices*, Dii estis vos & filii Excelsi omnes:

7 *Vos autem sicut homines moriemini; & sicut unus de principibus cadetis.*

Verùm in exilium ejiciemini sicut abjectissimi homines; &, instar Principum *de solio dejectorum, è magnâ gloriâ in extremam miseriam* cadetis.

8 *Surge Deus; judica terram: quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.*

Hanc certè pœnam nobis meritò imposuisti ô Deus; sed tandem surge; *&* terram *Israeliticam deinceps* rege: nam omnes, *qui ex eâ oriundi sunt*, Judæi tua sunt hæreditas quam *proinde administrare debes ac gubernare.*

moriemini, mortem heic accipio pro captivitate quæ mortis est species; quæque eo nomine non semel à Prophetis donatur, qd. in captivitatem ducemini; atque huc nos ducit Zach. VII. 14.

hæreditabis &c. Id universim explicari sic ferè solet: judica terram quia imperium in omnes gentes habes, & tuum est judicare. Sed generalis ille, si benè attendatur, sensus heic non probabitur. S. *e* Cyprianus legit *exterminabis*. S. Aug. *disperdes*.

e lib. 2. Testim. p. 259.

omnibus gentibus. Judaicas intelligo quemadmodum in Psal. LVIII. 6. LXVI. 2. 3. 5.

ARGUMENTUM.

PSALMI OCTOGESIMI SECUNDI.

NULLUM, in reliquis Scripturæ libris, bellum describitur in quo tot recenseantur populi quot in isto

Psalmo videmus; nec tamen inde Psalterianum bellum in cæteris Scripturæ libris fuisse prætermissum colligo: in illis enim major & præcipua hujus belli pars enarratur, idque ad conjungendam utramque narrationem sufficit. Neque mirari debemus nonnulla Psalmo esse adjuncta quæ ab aliis Scripturæ libris absint: hoc namque est in more institutóque omnium Scriptorum positum ut alius quarundam mentionem faciat rerum quas alter omittit: quæ descriptionum varietas rei descriptæ diversitatem non arguit, modò, ut dixi, utraque narratio in præcipuâ parte conveniat. Talis porrò convenientia heic reperitur, quod sic ostendo. Principes belli auctores sunt Moabitæ & Ammonitæ ut ex octavo versu apparet: atqui nonnulla exstant in aliis Scripturæ libris bella à Moabitis & Ammonitis suscepta; unde sequitur bellum, de quo Psalmus agit, cum aliis Scripturæ bellis componi posse. Superest ut bella hujusmodi investigemus, & quid de Psalmo sentiendum videatur aperiamus. Tria sunt potissimùm loca ubi Moabitæ & Ammonitæ aut alterutri memorantur: nimirùm in II. Reg. VIII. 12. II. Paral. XX. 1. & I. Macchab. V. 6. In secundo Regum libro David Moabitas & Ammonitas, nec non Philistæos, Amalecitas, & Idumæos in Psalmo laudatos cædit, quod Grotium impulit ut Psalmum ad ea tempora revocaret. In secundo Paralipomenων libro Josaphat cum Moabitis atque Ammonitis ut & Idumæis, qui ibi filii Esau & mons Seir vocantur, pugnat: unde Psalmum ad ea tempora pertinere asserit Kimchius, qui addit vocabulo עמונים (quod, transpositis literis, mutat in מעונים populos scilicet quos in bello Josiæ cum Arabibus annumeratos & in lib. Jud. cap. XII. nominatos fuisse ait) cæteras, quæ in Psalmo commemorantur, gentes designari. Denique in primo Macchabæorum

chabæorum libro Judas Ammonitas, Idumæos, Arabes, aliósque populos percutit, & de hoc bello Psalmum exponit Bellarminus: docétque Assyriis, in versu 7. memoratis, denotari Samaritanos qui Moabitas & Ammonitas adversùs Judæos adjuvabant, quíque à Juda Macchabæo debellati fuerunt. Hanc autem opinionem doctissimus Cardinalis eò potissimùm est sequutus quòd illa Assyrios Moabitarum & Ammonitarum adjutores constituat, quod frustrà alibi quæsitum iri vir summus affirmat. Una ex tribus illis opinionibus seligenda nobis est: nam minùs probabiles videntur aliæ sententiæ cùm Theodoriti, Theodori, & Euthymii qui Psalmum de Judæis è Babylone reversis exponunt: quibuscum finitimæ gentes, barbaris aliis adjunctæ, bellum susceperint ut novam divini templi ædificationem impedirent; tum B. Augustini qui Psalmum inimicis veritatis populum Dei subjugare molientibus aptat. Missis igitur duabus his sententiis, ad alias venio: & primam explodendam censeo eò quòd duo nostri primarii hostes Moabitæ scilicet & Ammonitæ nuspiam à Davide simul cæsi fuerint quanquam utriusque populi cædes in eodem capite memoretur, quod miror Grotium non advertisse; nec eum etiam cogitasse Tyrios beato Davidi fuisse amicos qui tamen inter hostes in Psalmo adscribuntur. Tertiam sententiam eodem argumento subruo: Moabitæ enim, quod pace viri maximi Bellarmini dictum sit, in laudato Macchabæorum capite non recensentur. Addo veri non esse simile ut Samaritæ per Assyrios intelligi debeant, etsi id Heracleotæ & Theodorito, antè Bellarminum, placuisse sciam. Solàm probo Kimchii sententiam: quippe quæ Moabitas & Ammonitas cum Josaphato dimicantes repræsentet; atque Agarenorùm, Gyblio-

rum, Amalecitarum, Philiſtinorum, & Aſſyriorum conjunctionem locare ferè poſſit cùm in eorum vicinitate, aut inveterato odio; tum in his II. Paralip. XX. 2. verbis: *venerúntque nuntu & indicaverunt Joſaphat dicentes, venit contra te multitudo magna de his locis quæ trans mare ſunt & de Syriâ.*

TITULUS.

Canticum Pſalmi Aſaph.

Psasmus LXXXII.

1 *DEus quis ſimilis erit tibi? ne taceas, neque compeſcaris Deus:*

2 *Quoniam ecce inimici tui ſonuerunt; &, qui oderunt te, extulerunt caput.*

3 *Super populum tuum malignaverunt conſilium, & cogitaverunt adverſus ſanctos tuos;*

4 *Dixerunt: venite, & diſperdamus eos de gente; & non memoretur nomen Iſrael ultra.*

Paraphrasis.

NEmo tibi *potentiâ* ſimilis eſt ô Deus. Eam *ergo* ne cohibeas, neque retardes ô Deus.

Nam ecce inimici tui ſonum vocis ſuperbè intenderunt; &, qui oderunt te, caput inſolenter extulere.

Malignum conſilium contra populum tuum inierunt, atque adverſus cultores tuos conſultaverunt;

Tum, mutuò ſe cohortantes, dixerunt: conveniamus & *Judæos* ſic exterminemus, ut Gens ampliùs non ſint, & nulla Iſraelitici nominis memoria ampliùs ſuperſit.

ANNOTATIONES.

Canticum &c. Cod. Reg. 138. *Canticum. Pſalmus Aſaph. vox Eccleſia ad Dominum de Judais.* Colb. 158. *in finem pro is qui commutabuntur Pſalmus David. vox Eccleſia de Judais & perſecutoribus.*

quis ſimilis tibi. Rabbini, minùs benè: *ne* (ſit) *ſilentium tibi*, ſeu *ne taceas* ut vertit ſanctus Hieronymus. LXX. pro אל דמי לך legiſſe videntur מי דמה לך. Confer Pſal. LXXXVIII. 9.

ne taceas. Heracleota: *σιγᾷν* &c. *tacere Deus dicitur, quando impios elatos non perſequitur.*

ne compeſcaris. ſup. ab exerendâ potentiâ & ope ferendâ ut patet ex lege Synonymicâ; & Hebræo textu qui habet *ne quieſcas*: quieſcere enim & dormire cenſetur Deus quum potentiam non exſerit & nobis non opitulatur Pſal. XLIII. 25. S. Auguſtinus teſtatur quoſdam interpretatos eſſe *neque miteſcas*; idque, poſt Symmachum, ſequuntur Heracleota &

Theodoritus qui explanant *ne usitatâ patientiâ utare* : quæ mihi explicatio non tam arridet quàm nostra, etsi utraque eodem ferè cadat.

malignaverunt &c. Heb. *callidè inierunt consilium* : sed res eodem redit : nam astutum consilium malignum est. *Alii codices*, ait B. Aug. *habent* : *astutè cogitaverunt consilium*.

sanctos tuos, Heb. *absconditos tuos*. Idem ubique sensus : sancti enim seu pii vocantur absconditi, quia eos Deus tegit ac protegit, & sub umbrâ alarum suarum abscondit.

5	*Quoniam cogitaverunt unanimiter simul adversum te; testamentum disposuerunt tabernacula Idumæorum & Ismaelitæ,*	*Ne, inquam, tuam potentiam cohibeas* : siquidem unanimi consensu adversus te conspiraverunt, fœdúsque pepigerunt Idumæi & Ismaelitæ,	
6	*Moab & Agareni, Gebal, & Ammon, & Amalec, alienigenæ cum habitantibus Tyrum;*	Moabitæ & Agareni, Gyblii, Ammonitæ, Amalecitæ, Philistini cum incolis Tyri;	
7	*Etenim Assur venit cum illis, facti sunt in adjutorium filiis Lot.*	Assyriíque etiam se illis adjunxerunt, & venerunt ut *Moabitis & Ammonitis* à Lotho oriundis opem ferrent.	
8	*Fac illis sicut Madian; & Sisaræ, sicut Jabin in torrente Cisson,*	Fac illis sicut *olim* fecisti Madianitis; & *anteà*, juxta torrentem Cisson, feceras Sisaræ & Jabino,	Jud. VII. 1. 22. & seq. Jud. IV. 2. 7. 17. 21. 23. V. 19. 21.
9	*Disperierunt in Endor; facti sunt ut stercus terræ.*	*Qui* perierunt in *regione* Endor; *atque* ad stercorandos agros insepulti jacuerunt.	

tabernacula. sunt urbes Psal. LXXXVI. 2. hîcque metonymicè sumuntur pro incolis qui in urbibus habitant, non verò pro populis qui in tabernaculis more Nomadum vivant. Vide Euthymium hoc loco.

Idumæorum. illi originem ducunt ab Esau qui dictus fuit Edom. Vide Gen. XXV. 30. XXXVI. 1. 43.

Ismaelitæ. orti sunt ab Ismaele quem Abraham ex Agar ancillâ suscepit Gen. XVI. 16. Hos cum Agarenis confundit S. [a] Johannes Damascenus qui eosdem dici Saracenos ait quasi *ex Sara vacuos*; quòd ab Agar dictum fuerit Angelo *Sara vacuam me dimisit*. Hanc Saracenorum etymologiam [b] Nicetas Choniates & [c] Euthymius probant : sed aliam afferunt S. [d] Hieronymus; &, ex Georgio Syncello, Georgius Cedrenus qui asserunt Saracenos id nominis usurpasse quòd servili Agarenorum appellatione nuncupari dedignarentur. Alii verò affirmant Saracenos nomen tulisse ab Arabicâ voce *Sarak* quæ *latrocinari* significat, & quam ipsis vicini populi per contemtum imposuerint. Ut ut sit de etymo, nullam Saracenorum mentionem invenio vetustiorem iis quæ apud [e] Dionysium Alexandrinum, [f] Ammianum Marcellinum, & [g] Spartianum occurrunt. Ad Damascenum revertor; & dico verisimile, ex Psalmo nostro, esse ut Agareni ab Ismaelitis alii fuerint, nempe populi genus ducentes à filio quem Agar genuit ex alio marito cui nupsit postquam ab Abrahamo dimissa fuit. Adstipulatur Euthymius.

[a] de Hæres. apud Cotel. to. 1. Monum. Eccl. Gr. p. 316. Hær. CI.
[b] in MS. Colb. apud Cotel. to. cit. Monum. Eccl. Gr. col. 791.
[c] in Panopliâ.
[d] ad Is. XXI.
[e] apud Euseb. Hist. Eccl. VI. 42.
[f] lib. 14.
[g] in Nigro.

Moabitæ & Ammonitæ. Sunt populi qui à Moab & Ammone Lothi filiis Gen. XIX. 36. 37. 38. descendunt.

Gebal. sunt Gyblii, de quibus III. Reg. V. 18.

alienigenæ. sunt Palæstini ut notavi ad Psal. XVII. & observat hoc loco Theodoritus qui addit: ἔτι &c. *Hi soli, ex genere Chanaan relicti & juxta Israelem habitantes, meritò alienigenæ potissimùm nuncupati sunt.* Aliam nomenclationis rationem ad laudatum Psalmum attulimus; neque hujus etiamnum pœnitet rationis.

Madian historiæ ordinem heic, ut & in Psal. [a] LXXVII. & CIV. non servat, nec mirum; nam Poetæ, vel ipso teste [b] Petronio, ordinem rerum gestarum non exequuntur.

Endor. Erat in Tribu Manasse prope Thanac & Mageddo quæ memorantur Jud. V. 19. Vide Jos. XVII. 11.

[a] in describendis plagis Ægyptiacis.
[b] cap. 78. *Non enim res gestæ versibus comprehendendæ sunt, quod longe melius historici faciunt &c.*

Jud. VII. 25. VIII. 3. 5. 21.

Pone principes eorum sicut Oreb & Zeb, & Zebee & Salmana,

10 Fac principibus illorum quod *quondam* fecisti Orebo & Zebo *principibus Madianitarum*; nec non Zebeo ac Salmanæ *regibus Madianitarum.*

Confer II. Paralip. XX. 11.

Omnes principes eorum qui dixerunt: hæreditate possideamus sanctuarium Dei.

11 Omnes, *inquam, sic tracta* principes hostium nostrorum qui dixerunt; *Urbem Hierosolymitanam* Deo sacram vindicemus nobis.

Deus meus pone illos ut rotam; & sicut stipulam ante faciem venti,

12 Eos Deus mi similes fac rotæ *in præceps ruenti nec consistenti donec confringatur*; & stipulæ quam ventus huc atque illuc raptat *donec dissipetur & evanescat.*

Sicut ignis qui comburit sylvam; & sicut flamma comburens montes;

13 Uti *etiam* ignis sylvam absumit; & flamma, *inde volitans, ipsos* comburit montes;

Ita persequeris illos in tempestate tuâ, & in irâ tuâ turbabis eos.

14 Ita perde illos iracundiæ tuæ tempestate, illósque irâ tuâ consume.

Imple facies eorum ignominiâ; & quærent nomen tuum Domine.

15 *At primùm* eos ignominiâ perfunde; & tuum, Domine, nomen quærant *interrogantes cum timore ac tremore quisnam sit is Deus qui ipsorum copias fuderit.*

Erubescant; & conturbentur in sæculum sæculi: & confundantur, & pereant:

16 Erubescant, *inquam, hac petitione*; tum lucis usurâ perpetuò priventur: pudore, *ut dixi*, suffundantur, *túm*que pereant:

Et cognoscant quia nomen tibi Dominus, tu solus altissimus in omni terra.

17 Et *suo vel interitu* discant tibi nomen esse Domino, téque solum toti terræ præesse.

persequeris. fut pro imp. ut patet ex versibus 15. 16. Huic autem verbo *perdendi* significatio hoc in loco, quemadmodum in Deut. XXVIII. 22. Is. XIV. 6. inesse debet; alioquin comparatio claudicabit. Idem de verbo *turbabis* dic; & confer Psal. XX. 9. LXXXIX. 7. CXLIII. 7.

conturbentur. id verbi in eandem accipiendum videtur sententiam ac *turbabis* in superiore versu, hoc est pro perire ut quarto hujus versus membro, ipsi respondente, apparet : sicque P.alreriauâ loquutione *conturbentur in sæculum sæculi* idem significabitur ac istâ Psal. XLVIII 20. *&* *usque in æternum non videbit lumen*. Quominùs autem verbo illo *conturbavi* ut & verbo *erubescant* intelligam salutarem illam conturbationem & ignominiam quæ ex pudore culpæ pœnitentiam parit quæque à S. a Gregorio Nazianzeno eleganter dicitur *τῆς πειθῦς φάρμακον* *persuasionis pharmacum* : quominùs, inquam, huuc sensum sequar ; &, cum Theodorito existimem bona inimicis peti hoc est ut, per ignominiam, divinam cognitionem reportent impediunt cùm veterum Judæorum animus ad vindictam præsertim erga Ethnicos propensus, tum dictio *pereant* quæ verba *erubescant & confundantur* immediatè excipit. a Orat. I. apolog.

nomen tibi Dominus. intelligo nomen Tetragrammaton יהוה quod quum Deum significet existentem à se, summam importat potentiam tali Enti debitam.

ARGUMENTUM.

PSALMI OCTOGESIMI TERTII.

Ευχαριστήριος &c. *Hic Psalmus*, inquit Diodorus, *est gratiarum actionis eorum qui ex Babylone redibant.* Hanc opinionem sequitur; &, iisdem verbis, exscribit Græcus Corderii Paraphrastes. Heracleota Psalmum Judæis Babylone degentibus & reditum desiderantibus aptat cum Theodorito, qui geminam vaticinationem in hoc Psalmo contineri affirmat : *prædicit enim*, inquit, *non modò Judæorum revocationem, sed etiam totius orbis salutem.* Verùm Diodori sententiæ versus 8. adversatur; nonus autem versus opinioni Heracleotæ non favet. Kimchius Psalmum de Davide Saulem fugiente & in terrâ Philistæorum exule ac locum arcæ & altaris videre cupiente exponit, eíque subscribit Grotius ; sed utrumque refellit montis Sionis mentio quæ in versu 7. occurrit. Hunc ego Psalmum Davidi Absalomum fugienti & templum sitienter appetenti accommodo ex collatione Psalmi LXII. & dico vel unum hunc Psalmum ostendere quam meritò *vir juxta cor Dei* appellatus fuerit David utpote qui, regiâ dignitate deturbatus & bonis eversus omnibus, nec regni nec divitiarum studio flagraverit, sed unâ videndi in Cat. Cord p 730.

templi cupiditate arserit. Ex quo documentum nos capere Deus voluit quid esset afflictis & fortunâ spoliatis exoptandum : nimirum debere eos templi non solùm terreni sed & superni desiderio teneri ; eòque, quamdiu in hac lacrymarum valle degimus & à cœlesti patriâ exulamus, inflammari : optando quamprimùm videre æterna tabernacula, & cum B. Paulo identidem dicendo *cupio dissolvi & esse cum Christo.*

TITULUS.

In finem pro torcularibus filiis Core Psalmus.

PSALMUS LXXXIII.		PARAPHRASIS.
QUàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.	1	QUàm amabilis est ædes tua Domine omnipotens ! desiderat & deperit anima mea atria Domini.
Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.	2	Cor meum & caro mea Deum vivum *in templo* videre gestiunt.
Etenim passer invenit sibi domum & turtur nidum sibi ut ponat pullos suos :	3	Ipsi vel passeres domum sibi & turtures nidum sibi inveniunt ut pullos suos ponant :
Altaria tua Domine virtutum, rex meus, & Deus meus.	4	*Liceat pariter & mihi locum habere ubi degam, nempe* altaria tua Domine omnipotens, rex mi, & Deus mi.

ANNOTATIONES.

in finem &c. Cod. Reg. 138. *in finem pro torcularibus filiis Chore. Psalmus vox Christi ad Patrem.* Colb. 158. *in finem pro torcularibus filiis Chore. Psalmus David is* (pro iis) *qui fidem sunt consecuti. vox Christi ad Patrem de Ecclesiâ.*

tabernacula. plur. pro sing. ut Psal. LXVII. 37. & patet versu 5. infrà.

turtur. Rabbini : *hirundo.* Sed nostros Senes Rabbinis doctiores & vetustiores sequi præstat. S. Hieronymus vertit *avis.*

altaria tua &c. Kimchius ista superioribus annectit ut sensus sit : utinam paris essem conditionis cum aviculis illis quæ liberè ad tua nidos componunt altaria à quibus exulo. Multi Kimchium sequuntur, quod non miror sciens multos esse exscriptores : sed illud mirum mihi videtur ita sentire Kimchium qui eodem loco annotat avibus in templo nidificari non licuisse ne quid immunditiæ afferrent ; eâque de caussâ in ipso Templi tecto

affixum fuisse quid ad abigendas aves ne ibi hærerent, illúdque vocatum fuisse כילא עירב *prohibens corvum.*

5 *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.*

Beati qui habitant in domo tuâ Domine, *quique* perpetuò te *ibi* laudant.

6 *Beatus vir cujus est auxilium abs te; ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum in loco quem posuit.*

Felix *ille* vir qui in te uno nititur; *& qui*, *dum* est in *hac* lacrymarum valle, omni mente & cogitatione versatur ut ascendat in locum quem sibi *Deus Hierosolymis* constituit.

7 *Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.*

Felix, inquam, est vir ille qui uno Deo nixus ad ejus templum anhelat: etenim *ibi* Prophetæ bonum maximum largiuntur *legem divinam docendo*, progressus fit de virtute in virtutem, *&* Deus Deorum *Dominus* videndum se præbet in Sione.

ascensiones &c. vide quæ annotavi in Præf. p. 45. & observa LXX. Senes nomine *ascensiones* usos fuisse ut innuerent agi heic de templo Hierosolymitano: ad quod, utpote in loco alto positum, ascendebatur.

in loco quem posuit. idest quem sibi Deus elegit in habitationem. Confer Deut. XVI. 16. Psal. CXXXI. 14. 15.

benedictiones dabit, ineptè Rabbini: *piscinas operit pluvia*; neque Ezechielis loco, quem adducit Grotius, adjuvantur. Verba Hebræa aliter atque Rabbini non legerunt LXX. Senes; sed, perspicuitati consulentes, verterunt *dabit benedictiones*, pro *benedictionibus amicietur.* Quæ autem sint illæ *benedictiones* (seu *bona*: id enim vox hæc plerunque significat ut Gen. XXVII. 29. XLIX. 25. Deut. XXVIII. 2. XXXIII. 23. Psal. XX. 3.) si à me quæratur, respondebo non alias esse ab iis quas divini verbi prædicatio affert: atque hujus meæ responsionis fundum dabo locum IV. Reg. IV. 23. ex quo Aben-Ezra & Rabbi Moses Çotlensis rectè colligunt pios diebus festis ad Prophetas adiisse ut divinæ legis expositionem ab iis audirent. Hi sanè Prophetæ diebus festis in templo versabantur: unde conficio eos ibi de divinâ lege disseruisse ferè ut moris est hodierni in Ecclesiâ Catholicâ ubi, diebus festis, verba de lege divinâ à concionatoribus fiunt. Atque hæc est prima utilitas quam David perceptam fuisse notat ab iis qui in templum ascendebant.

legislator. S. Hieronymus vertit *doctor*; eíque locus Joel. II. 23. favet præter titulum libri quem Maimonides inscripsit מירח נביכים *doctor perplexorum* seu *dubitantium*. LXX. Senes per nomen *legislator* intelligunt prophetam: qui sic vocatur quia legis ferendæ potestatem habebat testibus * Hebræorum magistris, qui Samuelis & Eliæ exemplis in margine adductis, aliisque id probant. Hoc qui attenderint; & Prophetarum munus, ab Aben-Ezra & Mose Cotsensi in superiori annotatione explicatum; suo ponderaverint momento, nostram suspicient versionem, cui Hieronymiana etiam versio favet: nam Prophetæ erant doctores, atque ad docendum populum præcipuè incumbebant ut loco Joelis & multis aliis apparet.

ibunt de virtute in virtutem. Secundam attingit utilitatem, quam Dominica ædes afferc-

* Notatum id Grotio lib. V. de verit. Relig. Christ. ubi ait. *Ipsi Hebræorum Doctores normam hanc ponunt: Ad imperium Prophetæ, idest miracula facientis, qualecunque præceptum intrepidè violari posse, excepto illo de unius Dei cultu.* Tum in annot. laudatus Grotius ista subjungit. *Ad imperium Prophetæ &c. Ponitur hæc regula in Thalmude titulo de Synedrio. Sic ad præceptum Josuæ violata lex Sabbati Jos. VI. Et extra locum lege præscriptum, sacrificarunt Prophetæ, ut Samuel I. Sam. VII. 17. XIII. 8. & Elias I. Reg. XVIII. 38.*

bat, videlicet incrementum virtutum: quæ cum Hebraicâ voce, *fortitudinem* propriè significante, congruunt quum virtutes animam adversùs diabolicas potestates firment, eique eximiam præstent fortitudinem.

videbitur Deus Deorum in Sion. Tertia describitur utilitas quæ in templo seu Sione capiebatur & propter quam felices erant dicendi qui ibi versabantur aut versari cupiebant, nimirum divinæ præsentiæ copia beneficio arcæ in quâ Deus residebat: unde orta versus nostri loquutio ut & ista quæ ei lumen affert Deut. XVI. 16. *apparebit omne masculinum in conspectu Domini Dei tui*; & hæc Psal. XXIII. 6. *quærentium faciem Dei Jacob*, & sexcentæ aliæ quæ illam, cujus memini, divinæ in Templo præsentiæ copiam adstruunt. Triplicem autem, quæ à Davide proponitur, utilitatem Ecclesiis Christianis, quàm Hierosolymitano templo nobiliùs convenire nemo est qui non videat; simúlque concludat præclarum à Davide suppeditari Argumentum quo nostri concionatores in Ecclesiarum præconis utantur.

8 *Domine Deus virtutum exaudi orationem meam; auribus percipe Deus Jacob.*

Quum ergo tantas commoditates divina Domus contineat, orationem meam Domine Deus omnipotens exaudi; *meisque precibus*, ô Deus Jacobæorum, aurem præbe *reducendo me in domum tuam.*

9 *Protector noster aspice Deus: & respice in faciem Christi tui:*

Respice nos ô Deus protector noster; & Davidis, quem in regiam dignitatem extulisti, miserere *eum in ædem tuam revocando:*

10 *Quia melior est dies una in atriis tuis super millia;*

Melior est enim una dies, in *templi tui* atriis transacta, quàm mille anni *alibi* acti;

11 *Elegi abjectus esse in domo Dei magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.*

Et malim in Dominicâ domo abjectus esse *ad ejus limen accubando*, quàm habitare in palatiis impiorum.

12 *Quia misericordiam & veritatem diligit Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus;*

Cæterùm, ô commilitones mei, quandoquidem misericordiam & in servandis promissis fidem diligit Deus Dominus, miserebitur mei & gloriâ me afficiet, *restituendo me in regnum*;

13 *Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentiâ. Domine virtutum beatus homo qui sperat in te.*

Nec bonis privabit eos *qui à partibus meis stant* qui*que* innocentiam colunt. Domine Deus omnipotens felix est homo qui suam in te spem ponit.

protector noster. Hinc & versibus 12. 13. conjicio Davidem verba Psalmo mandata usurpasse coram iis qui se ad partes ejus adjunxerant eùmque sequuti fuerant: quámque socii isti

isti vehementissimo Davidicæ in regnum restitutionis desiderio tenerentur, ad eorum se rationes sapientissimus Imperator fingebat; eósque faciebat certiores se regno redditum iri, ipsósque opes consecuturos modò innocentiæ studerent. Magis mihi hæc explicatio arrisit quàm Theodoritiana: juxta quam Vates rationem præcedentium reddit qd. melior est una dies in atriis tuis quia ex illis misericordia, veritas, gratia, gloria, & bona omnia scaturiunt? Templi *commoda* jam explicata, *dilectio veritatis*, & mentio *ambulantium in innocentiâ* huic non favent explanationi.

quia misericordiam &c. Rabbini: *quia Sol & scutum nobis Deus, gratiam & gloriam dat Dominus; nec prohibet bonum ambulantibus perfectè.* LXX. metaphoram explicarunt; & quidem doctè: nam misericordia *luce* denotatur Psal. XLI. 11. XLII. 1. LXVI. 3. & veritas *scuto* exprimitur Psal. XC. 5. En *Sol* & *scutum* eruditè explanata.

ARGUMENTUM.
PSALMI OCTOGESIMI QUARTI.

MIRATUS non semel fui Grotium præstanti virum ingenio habuisse sic persuasum describi in hoc Psalmo reditum in Urbem devicto Absalomo: id, inquam, Grotio persuasum fuisse miror utpote quod omni prorsus probabilitate careat; atque ex ipsis Psalmistæ verbis refellatur. Nam 1° reditum heic describi non posse ostendunt versus 4. 5. 6. 7. qui pro reditu orant. 2°. versus 5. exilium supponit quod multis ab hinc annis cœpisset; Davidis autem exilium (si fuga ejus hoc nomine sit donanda quod non facilè concesserim) ad breve exiguúmque tempus duravit. 3°. versus 13. terram innuit vastatam & nullos fructus ferentem; id verò temporibus Absalomiticis nunquam accommodes si usitatas hominibus loquutiones disturbare nobis. Sed, ut omnes illi versus sententiam Grotii evertunt, ita suadent Carmen istud ad ultima Babylonicæ servitutis tempora pertinere; atque à Judæis captivis conditum fuisse ut libertatem à Deo impetrarent. Eam Vates à primo versu usque ad octavum poscit: quúmque ex Is. LVI. 1. LVIII. 1. 2. 7. 8. atque ex peculiari revelatione vers. 8. libertatem Judæis pœnitentiâ ductis promissam esse didicisset, illos ad pietatem hortabatur asserendo misericordiam ipsis à

Nnnn

Deo impertitum iri quum ſanctitati ſtuderent ; ipſorúmque probitatem eis pro duce fore in patriam. Laudatos Iſaiæ textus & Zach. VIII. 3. 8. 11. 12. 16. 19. cum Pſalmi noſtri verſibus 9. 10. 11. 12. 13. 14. confer : & meæ, ni fallor, ſententiæ adhærebis potiùs quàm Theodoritianæ (unde Heracleota & Græcus Corderii Paraphraſtes non longè abeunt) opinioni quæ Pſalmum aptat Judæis qui bonum libertatis nuntium accepiſſent; ſed nondum hanc fuiſſent conſecuti. Illud tamen Heracleotæ, Theodorito, & Græco Paraphraſti lubens aſſentior umbram ſimul & veritatem in Pſalmo noſtro præcini ſic ut in Judaicæ captivitatis ſolutione, ſub finem Pſalmi prædictâ, adumbretur totius orbis terrarum ſalus, ſeu univerſa natura humana in acerbam Diaboli captivitatem redacta & à divino noſtro liberata Soſpitatore qui, apud [a] Iſaiam, ait ſe à Spiritu Domini unctum & miſſum fuiſſe ut captivis remiſſionem prædicaret.

[a] cap. LXI. 1.

TITULUS.

In finem filiis Core Pſalmus.

PSALMUS LXXXIV.	PARAPHRASIS.
Benedixiſti Domine terram tuam, avertiſti captivitatem Jacob. 1	Benedic Domine terræ tuæ *Judeæ quæ vaſtata eſt*, & Jacobæos ex captivitate *Babylonicâ* educ.

ANNOTATIONES.

in finem &c. Cod. Reg. 138. *in finem filiis Core Pſalmus. vox Apoſtolica.* Colb. 158. *in finem filiis Core Pſalmus David. vox Apoſtolorum de novo populo ad Dominum de oratione ſuper agrum.*

benedixiſti. præteritum hoc ut & iſta *avertiſti, remiſiſti, operuiſti, mitigaſti, avertiſti* verſ. 1. 2. 3. Heracleotam, Theodoritum, & Græcum Paraphraſtem impulerunt ut Pſalmum Judæis libertate donatis tribuerent ; ſed hanc ſententiam explodunt verſiculi ſequentes præſertim tertius cum quinto collatus eò quod ille iram undecumque mitigatam prædicet; hic verò inflammatam deſcribat : quæ contradictio componi non poteſt etiamſi, cum Muiſio, verſum 4. & ſequentes trahas ad vicinarum gentium odium & aſſiduas incurſiones

quibus felicitas Judæorum in patriam reversorum sæpe turbata est. Alii duplicem captivitatem, Ægypriacam scilicet & Babyloniam commenti heic sunt; & docuerunt solutionem Ægyptiacæ servitutis in versibus 1. 2. 3. describi ut Babyloniæ captivitatis solutio in versibus sequentibus impetretur. Sed illam vel primus versus opinionem labefactat: siquidem Deus, Israelitas ex Ægypto educens, dici propriè non potest benedixisse terræ suæ quum ea nondum ei sacra esset, túncque ad populos pertineret Ethnicos à quibus, quadragenos tantùm post annos, ablata fuit & Deo dicata. Adde quod in more Psalmographi positum est ut, quum de liberatione Ægyptiacâ verba facit, vel *dies* commemoret *antiquos* vel ipsam *Ægyptum* aut *desertum* nominet ut Psal. XLIII. 2. LXXIII. 13. LXVII. 8. CXIII. 1. quam quum consuetudinem in ℣. 1. 2. 3. non teneat, consequens est ut de Ægyptiacâ servitute sermonem illic non habeat. Præfata ego præterita pro futuris imperativorum loco tenentibus accipio. Vide annot. ad Psal. LIX. 1. LXIII. 2. LXXIII. 3.

2 *Remisisti iniquitatem plebis tuæ; operuisti omnia peccata eorum.*

Plebi tuæ crimina, *quibus obstricta est*, remitte; omniáque ejus peccata dele.

3 *Mitigasti omnem iram tuam, avertisti ab ira indignationis tuæ.*

Iram tuam penitùs cohibe, *atque* à vehementi tuâ indignatione desiste.

4 *Converte nos Deus salutaris noster, & averte iram tuam à nobis.*

Reduc nos tecum in gratiam ô Deus sospitator noster, & tuam à nobis iracundiam averte.

5 *Nunquid in æternum irasceris nobis, aut extendes iram tuam à generatione in generationem?*

Num perpetuò irasceris nobis, aut immortalem iram servabis?

6 *Deus tu conversus vivificabis nos; & plebs tua lætabitur in te.*

Deus, *benignè* ad nos conversus, nobis, *miseriâ exanimatis*, *vitam tribue*; & plebs tua lætos tibi hymnos concinet.

7 *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.*

Tuam nobis, Domine, misericordiam imperti, & salutare tuum auxilium porrige nobis.

8 *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam,*

Hæc ego, ô socii, precatus, iis *nunc*, quæ mihi intus dicturus est Dominus, aures præbebo attentas: nam res felices loquetur populo suo,

9 *Et super sanctos suos, & in eos qui convertuntur ad cor.*

Suísque cultoribus, & illis qui ex animo resipiscunt.

operuisti. Qui ex hoc & similibus locis remissionem peccatorum in non imputatione ponunt Calvinistæ & nobis non credunt, textui, quem suspiciunt, Hebræo credant; &, quum in eo textu viderint *abstulisti* pro *remisisti*, fateantur *remissione* veram peccati ablationem importari; & verbum *operuisti* in eandem sententiam ex lege Synonymicâ accipi debere.

in me. Deest in Hebræo; sed olim fuisse suadent cùm versio nostra tum similis phrasis Os. I. 2. Quomodo autem fiat hæc, cujus Vates meminit, loquutio disces ex S. *a* Basilio, S. *b* Epiphanio, S. *c* Hieronymo, S. *d* Chrysostomo, *e* Hieronymiastro, & *f* Valesio.

a ad Psal. 18 p. 182. C. D.
b Hær. 48. quæ est contra Phrygastas sive Montanistas. pag 403. D. 404. D. 405.
c Præf. Comment. in Nah. & in Hab. I. 1.
d homil. 19. in Epist. 1. ad Cor.
e ad Psal. LXXXIV. 8.
f in not. ad lib. V, c, 16. Euseb. hist.

10 *Verumtamen propè timentes eum salutare ipsius, ut inhabitet gloria in terra nostra.*

Certè *b* *socii* præstanda ab ipso salus propinqua est iis qui ipsum reverentur; nec morabitur *divina* bonitas in terrâ nostrâ gloriosè micare.

11 *Misericordia & veritas obviaverunt sibi; justitia & pax osculatæ sunt.*

Misericordia & æquitas obviabunt sibi; benignitas & probitas mutuò sese osculabuntur.

12 *Veritas de terra orta est; & justitia de cœlo prospexit:*

Hoc est, æquitas ex hominibus orietur *Israeliticis*; & benignitas è cœlo prospiciet *illis*:

13 *Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum;*

Nimirum Dominus bona *Judæis* dabit, & nostra, *quæ nunc inculta ac vastata est*, terra suos, *ut antea*, fructus proferet;

14 *Justitia ante eum ambulabit, & ponet in via gressus suos.*

Probitásque *Israelitici populi* ei pro duce erit *in patriam*, & se viæ committet *ut eum in Judæam ducat.*

verumtamen. non superfluum est ut ait Heracleota; sed idem valet ac *certè* ut Psal. XXXVIII. 8. Confer Is. LVI. 1.

gloria. divinam ex Is. LVIII. 8. bonitatem intelligo quæ *gloria* vocatur quia Deo maximè gloriosa est ut notavit ad hunc locum Grotius.

misericordia & veritas &c. poetica loquutio quâ significatur misericordiam Dei tum demùm captivis affulsuram Judæis quum illi sanctitatem colent & æquitatem. Unde patet *misericordiam* ad Deum; *veritatem* ad Judæos referri ut clarè in sequentibus explicatur versibus qui nostri sunt explanatio versiculi: in quo *misericordia* & *justitia* idem sunt & Deo tribuuntur; *veritas* item & *pax* idem sonant & Israelitas spectant. Quod autem Psaltes poetico more describit, solutâ id oratione exprimunt Is. LVI. 1. LVIII. 7. 8. 9. 10. & Zach. VIII. 12. 16. qui clarissimam huic versui & sequentibus lucem afferunt.

g Andr. *Id ne verum est* &c.
h lib. 4. Belli Gall. *Negat verum esse* &c.
i pro Mur. pro Quint. pro Domo suâ, pro Dejot. aliisque locis.
k lib. 1. ep 7 lib. 2. Satyr.
l Æneid. 12. *Me verius unum* &c.
m lib. 32 *Cæterùm* &c.
n lib. 11 epigr. 5.
o ad Job. l. 1. num 52. 53 54.

veritas. sumitur heic pro sanctitate seu æquitate quomodo à Zach. VIII. 3. 19. accipitur, ut & ab exteris auctoribus, sacros imitantibus, *g* Terentio, *h* Cæsare, *i* Cicerone, *k* Horatio, *l* Virgilio, *m* Livio, & *n* Martiali. Vide *o* Pinedam.

justitia &c. accipitur hoc loco pro misericordiâ ut Psal IV. 1. & LXVIII. 32. Vide annot. ibid. *Pax* autem pro æquitate seu justitiâ (ut Psal. LXXI. 3. & Zach. VIII. 16. 19.) sumitur, & rectè: nam, æquitate vigente, summa est inter cives concordia & pax.

terra. accipitur pro Judæa ut alibi sæpe, & metonymicè pro Israelitis Judæam incolentibus ut Psal. XCIX. 1.

etenim. Heb. *etiam*, eodem sensu: hic enim versus & sequens sunt & probatio & repetitio præcedentis.

justitia ante eum ambulabit. Luculentus est hujus versiculi interpres Isaias LVIII. 8. cui nihil habeo quod addam nisi quod pronomen *eum* refertur ad *plebem* seu *populum* vers. 2.

8. non officiente distantiâ ut patet ex annotat. ad Psal. II. 9. & Symmacho, cæterisque interpretibus qui, apud Eusebium & Heracleotam, vertunt *uniuscujusque* pro *ejus*.

ARGUMENTUM.

PSALMI OCTOGESIMI QUINTI.

PRODUCTUS in Catenâ Corderianâ Diodorus hæc docet τὸν αὐτὸν &c. *Psalmus LXXXV. & LXXXVI. idem habent argumentum : dicti sunt enim ex personâ Ezechiæ & eorum qui cum ipso erant ; sed octogesimus quintus quasi Civitate adhuc ab Assyriis obsessâ quando per manum Angeli fuerunt interfecti.* In eandem sententiam Heracleota, Theodoritus, ejusque, hoc in loco ut & in aliis non paucis, exscriptor Græcus Corderii Paraphrastes eunt : & sanè negari non potest quin aliqua inter hunc Psalmum & orationem ab Ezechiâ [a] adhibitam similitudo intercedat ; & signi cujusdam, Ezechiano [b] tempore ut & in [c] Psalmo nostro, mentio fiat. Sed primum Psalmi versum Ezechiæ non rectè aptes ; eidémque Regi totam Psalmi seriem vix accommodes. Nonnullam Psalmus hic noster similitudinem ad Psal. LIII. habet : unde eadem in utroque tempora repræsentari aliquando suspicabar ; sed, majorem quum similitudinem nostrum inter Psalmum & vigesimum quartum deprehendissem, visum est mihi Absalomitica tempora heic respici ; ídque etiam ex versu 12. cum Psal. LXXXVII. 4. 5. 6. CXLII. 4. collato confici posse persuasum fuit mihi Psalmi titulum insuper spectanti : quod non impedit quin versus 8. admirandam de Gentium omnium salute, à Christo afferendâ, prædictionem contineat.

a IV. Reg. XIX 19.
b Ib. ỳ. 29.
c vers. 8. 16.

TITULUS.

Oratio ipsi David.

PSALMUS LXXXV.

1 *INclina Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops & pauper sum ego.*

2 *Custodi animam meam quoniam sanctus sum; salvum fac servum tuum Deus meus sperantem in te.*

3 *Miserere mei Domine quoniam ad te clamavi totâ die; lætifica animam servi tui quoniam ad te Domine animam meam levavi:*

4 *Quoniam tu Domine suavis & mitis; & multæ misericordiæ omnibus invocantibus te,*

5 *Auribus percipe Domine orationem meam, & intende voci deprecationis meæ.*

6 *In die tribulationis meæ clamavi ad te, quia exaudisti me;*

7 *Non est similis tui in Diis Domine, & non est secundùm opera tua:*

PARAPHRASIS.

1 INclina Domine aurem tuam, & exaudi me: nam inops & pauper sum ego.

2 Vitam meam tuere quoniam cultui tuo addictus sum; & servum tuum, in te sperantem, serva Deus mi.

3 Miserere mei Domine quoniam opem tuam jugiter imploro; & servi tui animam lætifica quoniam te Domine invoco:

4 Quúm*que* tu Domine bonus sis ac clemens; multâ*que*, erga eos qui te invocant, misericordiâ præditus,

5 Aurem præbe Domine orationi meæ, & meas exaudi preces.

6 Eas, aspero *isto* tempore, tibi adhibeo quia me, duriore fortunâ conflictatum, aliàs exaudisti;

7 Nec ullus inter eos, quos *impii* pro Diis habent, tibi similis est Domine tuisque operibus imitandis par est *ut eventus aliquando ostendet*:

ANNOTATIONES.

oratio &c. Cod. Reg. 138. *oratio ipsi David per jejunium. vox Christi ad Patrem.* Colb. 158. *oratio ipsi David per jejunium. vox Christi ad Patrem de onesta oratione.*

sanctus sum. Rabbini: *misericors sum*; sed hanc explicationem secunda versus pars refellit; & nostram confirmat. Confer Psal. IV. 4.

animam meam levavi. Idem quod invoco seu oro te: nam oratio nihil aliud est quàm mentis ad Deum elevatio.

mitis. Heb. *parcens* ſeu *venia largitor*, eodem ſenſu : qui enim mites ſunt facilè ignoſcunt.

8 *Omnes gentes, quaſcunque feciſti, venient ; & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum.*

Futurum eſt *enim tandem* ut omnes, quas feciſti, gentes veniant ; & te ſolum Domine adorent, tuámque unius potentiam prædicent *repudiatâ falſorum Deorum ſuperſtitione.*

9 *Quoniam magnus es tu ; & faciens mirabilia tu es Deus ſolus,*

Quando *igitur* magnus es tu ; & ſolus tu es ô Deus qui miracula patras,

10 *Deduc me Domine in viâ tuâ : & ingrediar in veritate tuâ ; lætetur cor meum ut timeat nomen tuum.*

Mirâ erga me miſericordiâ utere Domine : & fac experiar tuam in promiſſis ſervandis fidem ; lætitiâque cor meum perfundatur ut *promtius* ſit ad colendum nomen tuum.

11 *Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum*

Te *porrò* Deus mi toto pectore laudabo, & perpetuis nomen tuum præconiis efferam

12 *Quia miſericordia tua magna eſt ſuper me ; & eruiſti animam meam ex inferno inferiori.*

Quum immenſa tua miſericordia mihi affulſerit ; meámque à ſepulchro, *à quo non procul abeſt*, vitam eripueris.

13 *Deus iniqui inſurrexerunt ſuper me ; & ſynagoga potentium quæſierunt animam meam, & non propoſuerunt te in conſpectu ſuo.*

Quod ut facias, conſideres velim, ô Deus, quòd iniqui adverſum me inſurrexerunt ; & potentium *virorum* turba vitam mihi adimere ſtudet nullâ tui, *qui me ad regnum evexiſti*, ratione habitâ.

14 *Et tu, Domine, Deus miſerator & miſericors, patiens & multæ miſericordiæ, & verax*

Hæc quum ita ſint ; & tu, Domine, *ſis* Deus miſericors, clemens, lenis, optimus, & verax in promiſſis

deduc me &c. rectè hæc cum præcedenti verſu cohærent : nam inſigni ac mirâ opus erat miſericordiâ ut ex Pſal. IV. 4. intelligimus & periculoſo, cui David implicatus erat, bello.

lætetur cor meum. Rabbini non benè, *uni cor meum.* Confer Exod. XVIII. 9. Pſal. CXVIII. 32, & verſionem noſtram probabis.

ut timeat nomen tuum. Quod heic notat Heracleota & exſcribit Theodoritus de religioſo vivendi genere, quod lætitiæ ſit mater, veriſſimum eſt ; ſed parùm, ni fallor, ad Pſalterianam

accommodatum literam quæ, ut prædictæ explicationis compos esse posset, hunc peteret ordinem : cor meum seu animus meus timeat hoc est revereatur nomen tuum ut lætificetur.

iniqui. Heb. *superbi*, eodem sensu : siquidem superbi, præter cæteros, sunt iniqui.

15 *Respice in me & miserere mei: da imperium puero tuo; & salvum fac filium ancillæ tuæ.*

Respice me & miserere mei: tuóque servo imperium, *de quo dejectus est*, da ; & ancillæ tuæ filium serva.

16 *Fac mecum signum in bonum ut videant qui oderunt me ; & confundantur quoniam tu Domine adjuvisti me, & consolatus es me.*

Ede signum bonitatis erga me tuæ ut, *eo viso*, hostes mei pudefiant : *cernentes nimirùm* quòd, tu Domine, me, *quem à te derelictum aiunt*, adjuveris, & consolationem mihi attuleris.

puero tuo. puerum dicit pro servo juxta veterum morem Hebræorum qui, ut omnem servis contumeliam detraherent, eos vocabant *pueros* ; quod Græci & Latini imitatione expresserunt : unde *παῖς* apud *a* Aristophanem atque *b* Epicratem, & apud *c* Virgilium *pueri* : quà in voce Servius rectè notat pietatem. Cujus vestigia in his antiquorum servorum nominibus *Marcipor* & *Quintipor* invenias, nec non in Ulysse qui, narrante *d* Eumæo, paternà, in servos, benignitate erat, in Epicuro qui, teste *e* Seneca, servos vocabat *amicos*, atque in Heracleotis qui Maryandinos servos suos appellabant *donatarios* acerbitati nominis (uti ad Aristophanem observavit vetus interpres *f* Callimachus) parcentes. Quod & Spartiatæ in suis Elotibus, in suis Penestis Thessali, atque in Clarotis Cretenses, teste *g* Athenæo, fecerunt ; & Romani, dum servis nomen *familiares* *h* Senecæ & *i* Macrobio memoratum dabant aut in eos patrum & magistrorum officio, ut ait *k* Priscus, fungebantur, imitati sunt : laudabili profectò humanitate, quam S. *l* Paulus, S. * Barnabas, *m* Cicero, *n* Auctor Constitutionum Apostolicarum, *o* Clemens Alexandrinus, *p* Hieronymus sive Paulinus, S. *q* Augustinus, *r* Seneca, & *s* Dion Prusæensis commendant ; *t* Jóbque, Athenienses ab *u* Hyperide Rhetore, *x* Xenophonte, ac *y* Demosthene memorati, Satyrus ab *z* Achæo laudatus, Numa & Plutarcho prolatus, & * Lucilius ac *a* Plinius egregiè coluerunt, & colent qui ex *b* Aristotele, *c* Anaxandride, *d* Philone, *e* Seneca, S. *f* Basilio, & *g* Isidoro Pelusiota observaverint eandem esse omnium hominum naturam, & voces *servus* ac *dominus* non esse naturæ sed fortunæ nomina.

filius ancillæ tuæ. Idem his dicit : nam ancillæ filii erant servi apud Hebræos quemadmodum apud Romanos.

a Vespis. p. 857. &c.
b in Dyspraco apud Athen VI. 18 p. 262. D.
c Eclog. 3. fin.
d apud Homer. Odyss. 14 pauló post initium.
e Epist. 107.
f apud Athen. VI. 18. p. 263. E.
g eodem mox citato.
h Epist. 47.
i Saturn I. 11.
k in Except. Legat.
l Coloss. IV. 1.
* in Epist. p. 15. ed. Cot.
m de Offic. I
n lib. IV. 12. VII. 13.
o Pædag. III. 11. p. 262. A Strom. IV. p. 500. A.
p Epist. 14. ad Celantiam.
q de Morib. Eccl. Cath. Tu Dominis &c.
r lib. I. de Clem. c. 18. & Epist. 47.
s Orat. 14.
t cap XXXI. 13.
u Orat. contr. Mantich. apud Athen. VI. 8. p. 265. F.
x de Republ. Atheniens.
y contra Midiam.
z in Omphale apud Athen. VI. 18. p 267. D
& in Numa pag. 75. E.
* vide Senec. Epist. 47.
a vide ejus Epist ad Paulinum. lib. V. Ep. 19.
b Polit I. 2. p 222 F.
c in Anchise apud Athen. VI. 18. p. 263. B.
d de Special. legibus post med.
e de Benef. III 18. 20. & Epist. 31. 47.
f lib. de Spirit. sancto. cap. 20. p. 195 B. C.
g lib I. Epist. 471. p. 101. ed. Gr. Lat. 1585.

ARGUMENTUM.

PSALMI OCTOGESIMI SEXTI.

DIODORUS & Græcus Corderii Paraphrastes Psalmum de Hierosolymâ Assyriis liberatâ exponunt assentiente, in plerisque, Theodoro Heracleota.

Hæc

Hæc quanquam opinio locis Pſal. LXVII. 35. & Joel. II. 28. aliquantulùm adjuvari poſſit, mihi non probatur Babylonios, Philiſtinos, & Tyrios ad Deum, poſt reportatam ex Aſſyriis victoriam, converſos non cernenti; atque exiſtimanti verſum ſextum, prout à LXX. vertitur & verti debet, præfatæ opinioni nullatenùs congruere. Fuit quum ex textibus Iſ. LXVI. 23. Jer. XXXI. 33. 34. Ezech. XI. 19. XXXVI. 26. Mich. IV. 2. Zach. XIV. 16. cum Pſalmo noſtro LXXXVI. 3. 4. 5. 6. 8. collatis ſuſpicarer enarrari iſto in Pſalmo copioſam divinæ gratiæ vim in Judæos è Babyloniâ reverſos effuſam, & aliquatenùs communicatam cum Ægyptiorum, Babyloniorum, Philiſtinorum, Tyriorum, atque Æthiopum nonnullis: qui, maximis, quæ Deus in gentem Iſraeliticam contulerat, beneficiis conſpectis, facti fuiſſent Proſelyti. Sed eam à me ſuſpicionem removerunt cùm Eſdræ, Nehemiæ, & Macchabæorum libri præfatos Proſelytos nuſquam commemorantes; tum B. Hieronymus qui laudatos Iſaiæ, Micheæ, & Zachariæ textus prædictis Proſelytis non accommodat. Hæc quum expendiſſem; & Pſalmum noſtrum ſuis ponderaſſem momentis, vero ſimilius nihil mihi occurrit quàm hæc, cui adhæſi, opinio: præconium urbis Hieroſolymæ Pſalmo noſtro mandatum eſſe; illúdque à Davide fuiſſe compoſitum quum, Arcâ in hanc tranſlatâ urbem, cœpit ea religionis eſſe ſedes & urbium omnium nobiliſſima ob inſtitutum in illâ divinum cultum; datámque ipſi, ſingulari modo, Dei notitiam. Hoc autem Hieroſolymarum encomium, à Davide in duobus primis verſibus celebratum, confirmat Deus in ſequentibus.

TITULUS.

Filiis Core Psalmus Cantici.

Psalmus LXXXVI.		Paraphrasis.
Fundamenta ejus in montibus sanctis:	1	*VATES.* Ejus, *quam cano*, *Urbis* fundamenta in sanctis montibus *Sione & Moria* posita sunt:
Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.	2	Diligit*que* Dominus portas *Hierosolymæ* plusquam cætera Jacobæorum oppida.
Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei:	3	*DEUS.* Præclara de te, *ô* Civitas Dei, dicuntur: *& meritò quidem*:
Memor ero Raab & Babylonis scientium me,	4	*Si enim* memorem eos qui me in Ægypto, Babylone,
Ecce Alienigenæ & Tyrus & populus Æthiopum, hi fuerunt illic.	5	Palæstinâ, Tyro, & Æthiopiâ norunt, pauci ecce *homines hujusmodi* fuerint in iis locis.
Nunquid Sion dicet? homo & homo natus est in eâ; & ipse fundavit eam Altissimus.	6	Nunquid *verò* ita de *Hierosolymâ* dicetur *videlicet paucos in eâ esse viros qui mei notitiam habeant? Quinimò* permulti in eâ nati sunt homines qui me norunt; ipse*que* Altissimus *urbem* illam fundavit, *& totam sui cognitione imbuit.*
Dominus narrabit in scripturis populorum, & principum horum qui fuerunt in eâ;	7	*Facilè* numeret Dominus, in *reliquorum* populorum & principum annalibus, *pios* qui fuerint apud eos nati;
Sicut lætantium omnium habitatio est in te.	8	*Verùm longè aliter apud te, ô Hierusalem, res se habet: siquidem* tantus in te habitat *piorum* numerus ut Angelicum æquet.

ANNOTATIONES.

filiis Core. &c. Cod. Reg. 138. *in finem filiis Chore Psalmus Cantici. vox Apostolica de Ecclesia.* Cod. Colb. 158. addit vocem *dicit.*

Raab. est Ægyptus sic dicta à superbiâ. Vide Is. LI. 9, atque Aben-Ezra & Kimchium ad Psal. nost.

scientium me. Proselytos domicilii intelligo de quibus *a* alibi scripsi; & quorum nonnullos in Ægypto, Babylone, & cæteris, quæ heic memorantur, regionibus fuisse vero fiet simile iis qui Judaicum in Ægypto incolatum, & amplissimas Davidis victorias, ipsorúmque justitiæ Proselytorum (de quibus ad Psal. XLVI 7. & in Arg. dixi) meminerint.

a Reflex. Relig. Chrest. to. 2.

hi fuerunt illic. Hebraica quæ eodem cadit & quam Aquila Symmachus & Theodotion ab Eusebio laudati sequuntur, Scriptura habet *hic natus est ibi*: hoc est, ut explicat Kimchius, pauci inveniuntur illic, nempe in Ægypto, Babylone &c. nam vox *illic* ad eas regiones refertur, non ad Sionem.

nunquid. Hebraicum ו, quod nonnulli eodem sensu vertunt *&* seu *at.* Nostri interroganter legebant ut Psal. XL. 9. Unde *b* Bellarmino non assentior colligenti Hieronymiastrum non calluisse linguam Hebraicam ex eo quod dixerit illa verba, *nunquid Sion dicet homo*, esse ex Hebraicâ veritate. Mihi, etsi sciam *nunquid* sæpiùs exprimi per ה, Hieronymiaster indoctus non videtur hoc loco; neque in isto. LXX. Interpretes ita transtulerunt *nunquid Sion dicet homo. Spreverunt ergo multi nec intellexerunt μή τι σιών quid est; & addiderunt ρ & legunt μήτηρ σιών mater Sion.* Vitiosa hæc lectio apud S. Athanasium, Heracleotam, Diodorum, S. Augustinum, atque Euthymium aliósque reperitur; & tritæ, quæ parum mihi heic probatur, opinioni de gentium omnium vocatione locum dedit qd. Vates. Ægyptii, Babylonii, Æthiopes &c. Sionem nuncupabunt *matrem suam.*

b de Scriptoribus Eccles. in S. Hieronymo.

Sion. est dativi casus ut ex Hebræo liquet, & subauditur *sic* ante verbum *dicet*, & *quis* post.

homo & homo. hujus, quæ præcessit, loquutionis (*hic natus est ibi*, seu *hi fuerunt illic*; hoc est hic aut ille seu hi aut isti, unus aut alter idest pauci) est antithesis: hæc enim phrasis *homo & homo* idem sonat ac *quilibet* seu *quicunque* ut apparet Exod. XXX. 33. 38. Levit. XVII. 13. Ezech. XIV. 4. 7. Hæc Symmachum latuerunt ac Theodotionem quorum ille apud Eusebium & Heracleotam vertit: *de gentibus autem dicetur ab unoquoque homo iste natus est ibi*, hic autem apud Eusebium interpretatur: *& Sioni dabitur vir & vir natus est in eâ. c* Tertullianus legit, *Quoniam Deus homo natus est in illâ, & ædificavit eam voluntate Patris.*

c adv. Prax. cap 17. pag 516. C. D.

narrabit &c, Idem bis dicit. S. Hieronymus transfert *numerabit* pro *narrabit.* Utraque significatio sub Hebræo verbo יספר subjicitur, & eodem fermè recidit: nam qui gesta v. g. alicujus narrat eorum numerum init. Priorem significationem sequitur, apud Heracleotam & Theodoritum, Symmachus qui vertit *numerabit scribens populos hic natus est ibi*: posteriori autem adhæret, apud Eusebium, Theodotion qui ita interpretatur: *narrabit in Scriptura populus hic natus est ibi* qd scriptis facilè mandabit populos qui ibi nati fuerint sup. pios: quod, ut vides, ad significationem *numerabit* accedit.

principum. Hebræus, cui (ut ex dictis patet) Symmachus & Theodotio insistunt, textus in sequentem versum id nominis rejicit; & alio puncto affectum mutat in *cantores* ut fit, interprete Grotio, proverbialis loquutio *sicut cantores ita & chorus*, hoc est maximi minimíque sunt in hac re similes. Muisius vertit *& cantores ut tibicines*, hoc est tam frequentes sunt in istâ urbe egregii musici & cantores quàm alibi tibicines. Senum nostrorum lectio optima est ut ex sequentibus apparebit.

horum qui fuerunt in eâ. Quod versu quarto dixerat heic repetit Vates; & paucos illos, qui in exteris regionibus inveniebantur, Dei cultores innuit. Unde vox *ea* jungi debet non cum *Sione* sed cum regione sup. exterâ ut patet ex Hebræo textu: qui, quum de exteris illis gentibus sermonem habet, utitur vocabulo שם *ibi*; usurpat autem vocem בה *in ea* quum de Sione verba facit.

latantium. Angelos intelligo ex Psal. LXVII. 18. quumque ex eo loco atque ex ejus germano Heb. XII. 22. doceamur permultos esse Angelos, non dubito quin ad magnum eorum numerum Vates respiciat. Scio Hebræam, quæ in laudato Psalmo reperitur, vocem aliam esse ab eâ quæ in textu nostro exstat: sed, quando eadem est utriusque vocis significatio (modò in Psalmo LXVII. 18 legatur ut legi debet שמחים pro שנאן) nihil obstat quominùs eadem res denotari possit. Hebræa porro Scriptura, quâ LXX. Senes utebantur, ita in duobus postremis versibus habuisse videtur יהוה יספר בכתיב עמים ושרים זה ילד שם סלה כחיללים כל מעין כך, pro hodiernis verbis luxatis ac depravatis יהוה יספר בכתיב עמים זה ילד שם סלה ושרים כחוללים כל מעיני כך.

ARGUMENTUM.

PSALMI OCTOGESIMI SEPTIMI.

JUDÆIS ærumnas, quibus in captivitate Babylonicâ premebantur, enarrantibus atque ut ab iis liberarentur petentibus accommodatur hic Psalmus à Diodoro, Theodorito, & Græco Corderii Paraphraste; sed iis versus 8. nullatenùs favet: Judæi enim unà cum notis suis in Urbe Babylone versabantur ut jam observavimus; &, quamvis hunc Psalmum ab aliquo Judæo, cujus cognati aut amici vel in Judæâ remansissent vel in Cedaræam aut aliam Nabuchodonosoreæ ditionis regionem abducti essent, compositum fuisse concederemus, ii saltem cognati aut amici præfatum Judæum *abominationem sibi non posuissent*: unde laudatum versum atque adeò totum Psalmum Babylonicis temporibus abjudicandum esse consequitur. Hujus ego Psalmi versus 3. 4. 5. 6. 8. 11. 12. 13. 16. 19. cum Psalmis VI. 5. XXIV. 18. XXIX. 3. 11. 12. XXXVII. 11. 12. LXXXV. 12. CXLII. 4. contuli; mihíque Psalmum nostrum ad Absalomitica tempora pertinere persuasum fuit. Quod si objicias fieri non posse ut, qui in plerisque Psalmis prædicta tempora spectantibus, est quodam incredibili robore animi septus, David perculso heic atque abjecto animo sit, respondebo varios illos motus & credi & componi facilè posse si Davidem ut Messiæ typum spectemus; & dicamus regium Vatem initio conjurationis Absalomiticæ timuisse; paulò post animum erexisse: item initio suæ, ex Hierosolymâ, expulsionis animum contraxisse, paulò post celso & erecto animo fuisse. Injectum, initio conjuratio-

nis, timorem Psalmus LIV. 2. 3. 4. 5. arguit; erectum, paulò post, animum Psalmus VI. 8. prodit: sic tamen ut maximam hujus temporis partem timor occupaverit ut ex laudati Psalmi initio & toto Psalmo XXXVII. liquet. Rursus abjectum & jacentem, initio expulsionis, animum ostendunt Psalmus XXXVIII. 14. 15. & CXLII. 4. præter nostrum, qui ad hoc tempus pertinere videtur, Psalmum; celsi autem animi, paulò post expulsionem, indicia in Psalmis XXXVI. XLVIII. LXI. LXII. habemus. Primo, secundo, & tertio tempore mortem reformidabat David: &, primo quidem ac secundo tempore, morbus atque habita conjuratio hunc timorem afferebant; tertio autem tempore metus ex imminentibus belli periculis oriebatur. Atque hinc alia solvi potest objectio quam in argumento Psalmi VI. aperui; quæque heic proponi potest ut efficiatur non modò Davidicum morbum metaphoricè esse accipiendum; sed illum, quando in nostro Carmine tangitur, satis esse argumenti Carmen illud Davidi ægroto non ab Urbe pulso tribuendum esse: quum præsertim in versibus 8. 11. mortem deprecetur, & notos suos à se elongatos esse dicat quemadmodum ait in Psal. VI. 4. 5. XXXVII. 11. 12. Respondeo *mortis deprecationem* in Psal. VI. morbo reali, & realiter in Psal. XXXVII. ac XL. descripto, niti; eandem autem deprecationem in Psal. LXXXVII. morbo metaphorico, & metaphoricè in Psal. CXLII. enarrato, innixam esse. Discriminis rationem ex ipsis, quos laudavi, Psalmis peto: nam, quando Psalmi VI. XXXVII. & XL. invicem collati, clandestinam; &, quidem dum adhuc in Urbe atque in solio regali esset David, oppugnationem supponunt; atque infirmum & sanatione egentem hominem carnémque ægrotam memo-

rant, realem; & quo David, in Urbe adhuc degens, laboraverit, morbum innuere videntur. At quia Pſalmi LXXXVII. 6. 16. & CXLII. 3. 11. 12. apertum; & quidem, dum de ſolio dejectus eſſet atque extra terram Hieroſolymitanam verſaretur, bellum deſcribunt, nullámque infirmi hominis aut ægrotæ carnis mentionem faciunt, metaphoricum; & quo David, Urbe exactus, tentatus fuerit, morbum hoc eſt calamitates importare videntur. Duas etiam elongationes diſtingo: *elongationem* in Pſalmo XXXVII. 11. 12. metaphoricè ſumo; realiter autem in Pſal. LXXXVII. 8. 19 accipio. Duplicis autem morbi & mortis auctores idoneos habeo Scriptores ſacros qui morbum & mortem realem pluribus in locis deſcribunt; & ſub metaphorâ exprimunt in Pſal. LXV. 8. LXVII. 7. LXXXIV. 6. Iſ. I. 6: Ezech. XXXVII. 1. 2. Duplicis ſimiliter elongationis exempla apud eoſdem occurrunt Scriptores qui elongationis realis mentionem faciunt in Pſal. LIV. 7. allegoricam autem proponunt in Pſal. LXX. 13. aliiſque benè multis ubi Deus à nobis elongatus repræſentatur quum nobis infenſus eſt & ſuo nos favore non proſequitur: quo ſenſu exteri auctores *alienum* ab alio dicunt qui ei inimicus eſt & malè erga eum affectus. Cæterùm in Davide, fortitudinis pleno & tamen meticuloſo ac mortem deprecante, adumbratum habemus Chriſtum: qui, ut veritatem carnis confirmaret, uti ait B. [a] Chryſoſtomus, metu præditus fuit & mortem in horto olivarum deprecatus eſt, etſi eximiâ polleret fortitudine, & tantos animos Martyribus olim eſſet additurus ut ad interitum ruerent voluntarium & morti ſe acriter offerrent.

[a] Homil. 32. de Conſubſt. p. 370. D. 371. D.

TITULUS.

Canticum Psalmi filiis Core in finem pro Maheleth ad respondendum, intellectus Eman Ezrabitæ.

PSALMUS LXXXVII.

1 *Domine Deus salutis meæ, in die clamavi & nocte coram te.*

2 *Intret in conspectu tuo oratio mea, inclina aurem tuam ad precem meam:*

3 *Quia repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit.*

4 *Æstimatus sum cum descentibus in lacum, factus sum sicut homo sine adjutorio; inter mortuos liber:*

PARAPHRASIS.

1 Domine Deus sospitator mi, opem tuam diu noctúque imploro.

2 Annue orationi meæ, & preci meæ aurem tuam præbe:

3 Nam repleta est malis anima mea, & non procul absum à periculo vitæ.

4 *Jam* inter eos numeror qui in sepulchrum descendunt, similisque sum homini ab ope divinâ projecto *qualis est defunctus*; & desertus sum ab officiis *Dei* non secùs ac mortuus:

ANNOTATIONES.

Canticum Psalmi &c. Etsi plerique tituli idonei non sint de quibus accuratè quæratur, attamen observabo in eâ me esse sententiâ Auctorem nostri tituli monitos nos voluisse hunc Psalmum datum fuisse filiis Core alternis vocibus decantandum ad modulos veteris carminis quod à voce *Maheleth* incipiebat; cùmque Psalmum dignum esse qui perpetuò caneretur, atque eximiis rebus esse refertum, & auctorem habere Emanem Ezrahitam, cum opinor, de quo III. Reg. IV. 31. Cod. Reg. 138. *Canticum Psalmi filiis Chore ad respondendum in finem pro Melech intellectus Eman Hisraelita. vox Christi de passione sua ad Patrem.* Reg. 222. & Colb. 1. *Canticum Psalmi filiis Chore in finem pro Maeleth ad respondendum intellectus Æman Ezraita* Colb. 158. *Canticum Psalmi filiis Chore in finem pro Amalech & ad respondendum intellectus Eman Ezraelita. vox Christi de passione ad Patrem.* Memm. 2. *Canticum Psalmus filiis Core in finem pro Meloch* (Colb. 1339. *Malech*) *ad respondendum intellectus Eman Ezraita* Pro ultimâ hac dictione quæ etiam in Cod. Colb. 1339. legitur, Græci omnes cùm Regii tum Colbertini Codices cum S. Augustino, Theodorito, Græco Corderii paraphraste, Euthymio, & Sixtinâ editione habent τοῦ Ἰσραηλίτῃ *Israelita*, Eusebius legebat Ζαραΐτῃ *Zaraita*, eodem sensu: nam Æman erat ex Israel oriundus utpote ex Zara qui erat filius Juda filii Israel ut notat B. Athanasius: cujus commentario fœda à Scriptoribus aspersa est labes quæ Corderium interpretem in errorem induxit in his verbis λέγεται &c. *Porrò dicitur esse Psalmus Æman in Ægypto πρὸ Μωσέως à Moyse compositus.* P. 786. sub init. Scripserat beatissimus Pater πρὸ Μωσέως *ante Mosem*; & verbum πεποιημένος non de compositione Psalmi, sed de Æmanis generatione intellexerat ut patet ex his Eusebii verbis in eadem paginâ adductis: τούτους &c. *Hos* (qui I. Par. II. 6. memorantur) *dixit Hebræus in Ægypto ante Moysem* πρὸ Μωσέως *genitos fuisse* γενομένους; *atque illorum hunc Psalmum & sequentem esse.*

lacum. idest *sepulchrum*, ut docent huic Eusebius atque Euthymius ; & patet ex Psal. XXVII. 1. XXIX. 3. CXLII. 8. Toto hoc versu & duobus sequentibus mortuo se assimilat David ; & iis, quas usurpat, allegoriis magnitudinem calamitatum suarum exaggerat. Quò autem illa mortui comparatio spectet indicat versus 4. ex quo docemur dicere Psaltem in tantas se angustias adductum esse ut videatur Deus sui curam abjecisse quomodo à mortuorum curatione (si ordinarium statum spectemus) vacat ; eam, quâ in vivos incumbit, curam in iis non ponendo : dum scilicet sua non confert studia ut eos in mundum revocet ; ibique illos, ut cæteras creaturas beneficiis suis afficiat. Confer Psal. III. 2. LXX. 12.

sine adjutorio. Quanquam hæc verba in eam accipi possent sententiam quæ ad Psal. XXIV. 18 declarata est, malim tamen ut Vates in comparatione mortui persistat ; & dicat se haberi ut mortuum qui abs divinâ curâ derelictus est eo, quem notavi, sensu.

inter mortuos liber. Ως ϗ &c. *Quemadmodum enim*, inquit, *mortui non sperant amplius ullam opem humanam, sic & ego ab exspectatione boni cujuspiam liberatus sum* : idest *desperata mihi omnia sunt undique* ait, post Heracleotam, Græcus Corderii Paraphrastes. S. Ambrosius legit cum Appollinario & Sixtinâ editione *projecti* post *vulnerati*.

5 *Sicut vulnerati dormientes in sepulchris quorum non es memor amplius, & ipsi de manu tuâ repulsi sunt.*

Assimilórque iis qui, vulnerati *ferro confectique* in sepulchris dormiunt, hominibus quorùm non recordaris amplius *ut eos mortali huic vitæ, quâ functi sunt, restituas*, & quos in hunc mundum, *à quo discesserunt*, revocandos non *amplius* curas.

6 *Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, & in umbrâ mortis.*

Compulerunt me *hostes mei* in profundum *miseriæ* lacum, ad summas me angustias adduxerunt, & me in discrimina, mortem undique minitantia, contulerunt.

7 *Super me confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me.*

Ad hæc premit me undequaque furor tuus, & omnes *iracundiæ tuæ* fluctus induxisti super me.

8 *Longè fecisti notos meos à me, posuerunt me abominationem sibi.*

Achitophelem aliósque nonnullos, amicos *olim* meos, à consortio meo distraxisti, *ipsique* me *nunc* abominantur.

9 *Traditus sum ; & non egrediebar : oculi mei languerunt præ inopia.*

Adductus sum *in angustias maximas* ; nec video quo pacto *ex eis* egrediar : meí*que* oculi languent præ eâ, *in quâ versor*, ærumnâ.

posuerunt. Heb. *posuisti*, Lectionem nostram Psal. CXLII. 3. 4. confirmat, & legendum jubet *satuni* pro *satani*.

lacu inferiori. profundam intelligit foveam è quâ emergere non sit facile : istámque *foveam* ut & nomen *tenebricosis* & phrasim *umbra mortis* metaphoricè sumit pro summis angustiis calamitatibus ac periculis. Confer Psal. XXII. 4.

ocul

oculi mei languerunt. Hoc ideò dictum quia in oculis præcipuus se exerit animæ vigor qui emarcescere solet ubi quis ærumnis premitur, Confer Psal. XXXVII. 10.

10 *Clamavi ad te Domine totâ die; expandi ad te manus meas:*

Rebus meis eò redactis, auxilium tuum Domine jugiter imploro; *&* manus meas ad te expando, *rogans ut morte me liberes, ac dicens:*

11 *Nunquid mortuis facies mirabilia; aut medici suscitabunt: & confitebuntur tibi?*

Nunquid miraculum edes in gratiam mortuorum *eos ad vitam revocando*; aut medici *arte suâ* eos à morte excitabunt: *ipsique mortui, in lucem miraculo vel arte reduces facti*, laudes tuas *hoc in mundo* canent?

12 *Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam; & veritatem tuam in perditione?*

Nunquid aliquis in sepulchro misericordiam tuam prædicabit; & tuam, *in promissis servandis fidem*, decantabit in loco ubi perditur *rerum omnium memoria*?

13 *Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua; & justitia tua in terrâ oblivionis?*

Nunquid in tenebris *sepulchralibus* admiranda misericordiæ tuæ opera cognoscentur; & tua, *in promissis solvendis*, æquitas in obliviosâ *tumuli* terrâ *nota erit*?

14 *Et ego ad te Domine clamavi; & mane oratio mea præveniet te.*

His ego *verbis* ad te clamo; & *hanc*, matutino tempore, orationem ad te adhibeo.

15 *Ut quid Domine repellis orationem meam, avertis faciem tuam à me?*

Verùm Domine, quare orationem meam repellis, tuámque à me faciem avertis?

16 *Pauper sum ego; & in laboribus à juventute mea: exaltatus autem humiliatus sum & conturbatus.*

Pauper sum ego; & *magnos*, à juvenili ætate, labores excepi: *erectusque ad thronum* depulsus inde fui ad *calamitatem istam*, & conturbatus sum *totus*.

nunquid mortuis &c. De ordinariâ mortuorum conditione agit qd. Quandoquidem, ô Deus, miracula ut mortuos in mundum revoces, edere non soles; medicique eos in lucem reducere nequeunt; & cadavera, in sepulchro jacentia, misericordiam & fidem tuam nec enarrant nec noscunt, ne mortem me occumbere sinas si enim semel mortuus fuero, miraculum, ut mortali me vitæ reddas, non patrabis; nec me medici à morte excitabunt, atque adeò tuam in hoc mundo misericordiam & fidem nec prædicabo nec cognoscam. Du-

rum erat piis Judæis Deum in mundo non celebrare; neque eum cognoscere quo tempore à cæteris omnibus populis nec laudabatur neque iis notus erat: unde mortem deprecabantur ut præconium Deo tribuerent, & notitiam ejus haberent quandiu aliis orbis populis ignotus erat atque in eorum ore non versabatur. Optima expetendæ vitæ ratio quæ; ut ad Psal. VI. 5. notavi, immortalitati animorum non officit; sed ad unam respicit paucitatem cultorum Dei. Nostri hinc ægroti docentur vitam eo consilio optare ut Deum laudibus efferant & cognoscant in mundo ubi paucos etiamnum habet cultores, etsi multos vocaverit.

aut medici suscitabunt. Rabbini: *an mortui resurgent?* Utramque versionem Hebræa verba patiuntur; sed nostram sensus magis probat.

oblivionis. S. Augustinus legit *oblita* minus bene: non enim heic agitur de oblivione cui mortui tradantur; sed de oblivione mortalium rerum quæ eos in sepulchro capit. *Lethæum* campus memoratur Platoni *a* qui flumen Amelitam, ad eandem oblivionem spectans, posuit: imitatorem habens *b* Virgilium qui Lethæi fluminis meminit cum plerisque Latinis Poetis.

a lib. X de Republ.
b Æneid. 6.

exaltatus autem humiliatus sum. Rabbini: *portavi terrores tuos.* LXX. pro אימיך *terrores tuos* legerunt אמיך *humiliatus sum*; & verbum נשאתי non in Kal cum Rabbinis, sed in Niphal acceperunt: idque optimè, ut ex sensu patet.

In me transierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbaverunt me. 17 Tuam in me iracundiam *severè* exerces; &, *asperrimis*, quibus *me* implicas, ærumnis terrorem mihi incutis.

Circumdederunt me sicut aqua tota die; circumdederunt me simul: 18 Totâ die *ærumnæ illæ* circumdant me quemadmodum aquæ *solent collapsum in eas*; nec una calamitas post aliam me obvallat, *sed* me simul universæ cingunt:

Elongasti à me amicum & proximum; & notos meos à miseria. 19 *Et, mihi solatium quod fuisset in his ærumnis maximum, segregasti à* me *Achitophelem aliósque nonnullos* amicos *olim* ac familiares meos: & viros *illos, mihi quondam conjunctissimos*, à meâ elongasti miseriâ *sicut eam suis non permulceant consolationibus.*

elongasti &c. Eos, quorum in vers. 8. meminerat, *amicos* & *proximos* nempe Achitophelem, aliósque sibi inprimis charos iterum memorat, quia ab amicis hujusmodi, in rebus adversis, derelinqui acerbissimum est; idoneáque est hæc calamitas quæ semel & iterum defleatur.

à miseria. LXX. metaphoram *à tenebris*, quæ est in Hebræo, explicarunt: tenebris enim miseria significatur, ut necesse non sit eos sequi qui explanant, *noti mei in tenebris delitescunt, nec prodeunt ut opem mihi ferant.*

ARGUMENTUM.

PSALMI OCTOGESIMI OCTAVI.

HEBRÆIS servitutem Babylonicam servientibus & libertatem atque imperii Judaici gloriam, ex promissione Israeliticæ genti, inprimis Davidi factâ, urgentibus ego cum Heracleotâ, Diodoro, Theodorito, Euthymio, ac Græco Corderii Paraphraste accommodo; & dico præclari hujus Psalmi (quem imperitus Hispaniæ Rabbinus Kimchio memoratus immeritò respuebat; & in quo divinam, in promissis servandis, fidem obliquè perstringi alii perperam dixerunt) auctorem præcipuæ, quæ ex promissione petitur, rationi duas addere: quarum prior ab humanâ petitur conditione quæ satis miseriarum ex moriendi necessitate habeat sine captivitatis ærumnis; posterior à divinâ depromitur gloriâ quam impii Babylonii infringebant, Deo *exprobrantes commutationem Christi sui.*

TITULUS.

Intellectus Ethan Ezrahitæ.

PSALMUS LXXXVIII.	PARAPHRASIS.
1 *MIsericordias Domini in æternum cantabo;*	DIvinas, *erga gentem Israeliticam*, misericordias perpetuò canam;
2 *In generationem & generationem, annuntiabo veritatem tuam in ore meo:*	Et tuam, *Domine, in iis quæ Judaico populo fecisti promissis præstandis*, fidem semper ore meo prædicabo:

ANNOTATIONES.

Intellectus &c. Cod. Reg. 138. & Colb. 158. *intellectus Æthan Israhelitæ. vox Christi*

ad Patrem de Judais. Theodoritus, cum Sixtina editione & Regiis ac Colbertinis Codicibus Græcis, legit etiam *Ifraeliτa* : fed Vulgata lectio *Ezraita* melior eft ut patet ex III. Reg. IV, 31.

Quoniam dixifti, mifericordia in æternum ædificabitur in cœlis ; præparabitur veritas tua in eis.	3	Dixifti enim, mifericordiâ, *quâ erga Ifraelitas uti volo*, tamdiu durabit dum cœli ftabunt ; *dixifti etiam* quòd tua, *in exfolvendis, quas Hebrææ Genti fecisti, promiffionibus*, fides perftabit quamdiu iidem cœli manebunt.
Difpofui teftamentum electis meis ; juravi David fervo meo : ufque in æternum præparabo femen tuum ;	4	*Nimirum in hæc verba erupifti.* Pepigi fœdus cum *Ifraelitis* electis meis ; *&* Davidi fervo meo promiffum, juramento interpofito, feci *iftud* : fempiternam ftirpi tuæ durationem dabo ;
Et ædificabo in generationem & generationem, fedem tuam.	5	Tibique regale folium exftruam, quod per omnes ætates fit permanfurum.
Confitebuntur cœli mirabilia tua Domine ; etenim veritatem tuam in ecclefia fanctorum :	6	Cœleftis *Ifraelitarum* gens *mecum unà* mirabiles tuas *illas* mifericordias laudat Domine ; &, quam *in promiffionibus nobis factis fervabis*, fidem etiam decantat in cœtu *Judæorum :*
Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, fimilis erit Deo in filiis Dei ?	7	*Et meritò quidem decantat :* nullus enim eft, inter Angelos, tibi æquandus ; & nullus eft, inter eofdem Angelos, qui tibi fit fimilis ?
Deus qui glorificatur in confilio fanctorum ; magnus & terribilis fuper omnes qui in circuitu ejus funt.	8	Deus qui fufpiceris in concilio Angelorum ; *quique* major es atque admirabilior *iifdem*, qui circa te funt, Angelis.

dixifti. Rabbini legunt *dixi* : ineptè, ut ex fenfu patet.

ædificabitur in cœlis. Vates, fe ipfe in duobus, qui fequuntur, verfibus explicans, oftendit *ædificari in cœlis* nihil effe aliud quàm *ædificari in generationem & generationem*, quamdiu fcilicet cœli durabunt. Oftendit etiam Vates *præparari in cœlis* idem effe *atque præparari* feu *firmari ufque in æternum*, hoc eft mundi finem quamdiu nimirùm cœli confiftent. Refpicit autem Vates ad verf. 29. 36. infrà & II Reg. VII. 8. 9 10. & feq.

electis. Rabbini *electo* ut ad Davidem referatur ; fed contrarium fuadetur ; fimulque verfio noftra firmatur ex II. Reg VII. 9. 10. ubi Judæi unà cum Davide nominantur in promiffione de quâ hîc fermo.

coeli. idem ac *sanctorum* : & utroque nomine Judæi heic designantur. Vide Psalm. XCVI 6.

mirabilia tua. misericordias intelligo sic dictas quia Deus potentiam suam parcendo maximè & miserando manifestat. Confer Psal. LXXXVII. 13.

nubibus. Angelos ex lege Synonymicâ intelligo: eósque ita vocari agnoscit S.* Dionysius qui hujus appellationis caussam doctè explicat. * Cœlest. Hier. c. 15.

filiis Dei. Est repetitio; eâque Angeli denotantur hoc in loco ut Job. I. 6. XXXVIII. 7.

concilio sanctorum. voce *sanctorum* Angeli heic designantur ut Job. V. 1. Dan. VIII. 13. Zach. XIV. 5 Cæterùm in hoc ac præcedenti versu & sequentium nonnullis divina potentia atque suprà Angelos excellentia commendatur, opportunè : quum enim Vates misericordiam & veritatem Dei à popularibus suis jure extolli probare velit, & utraque dos, præsertim secunda, locum habere non valeat sine summâ potentiâ, ab eâ exordium capit, tum veritatis meminit : deinde ad potentiam reversus, eam multis exemplis confirmat. Postea misericordiam & veritatem complectitur, asserendo utrâque dote divinum solium sustentari, & neutram à Deo, quacunque iverit, disjungi. Hac (ut patet) ratiocinatione Vates propositionem suam (nempe misericordiam & veritatem Dei ab Israelitis meritò cani) demonstrat : quod postquam egit, Israelitas, qui Dei misericordiæ & veritati præconium tribuere norunt, beatos esse infert quippe qui divinam tandem illam misericordiam sint experturi eò quòd Deo confidant ejusque nitantur promissis, quæ jam tetigerat & quæ fusiùs persequitur. Confer Psal. LXXXV. 7. 9 10. ac seq & ordinem nostro affinem invenies.

Domine Deus virtutum quis similis tibi, potens es Domine; & veritas tua in circuitu tuo.	9	Domine Deus omnipotens parem habes neminem, poténsque es Domine! *atque ita penes* te est adimplere quod promittis.
Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas.	10	Tu imperium habes in mare quantumvis tumescens, & fluctuum ejus motum tu compescis.
Tu humiliasti sicut vulneratum superbum, in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.	11	Tu superbum *Pharaonem* dejecisti pari facilitate ac si tibi res fuisset cum homine vulnerato; tuósque inimicos *Ægyptios* valido tuo brachio prostravisti.
Tui sunt cœli & tua est terra: orbem terræ & plenitudinem ejus tu fundasti; Aquilonem & Mare tu creasti.	12	Tui sunt cœli & tua est terra: orbem & quicquid eo continetur tu condidisti; Aquilonarem plagam ac Meridionalem tu creasti.

Domine Deus virtutum. Locus eximius de divinâ omnipotentiâ: quam *a* Plinius, Philosophi aliquot à *b* Plutarcho memorati, Marcio *c* Tertulliano prolatus, Saturniliani, Marcosii, Colurbasii, & Manichæi à B. *d* Epiphanio exagitati non agnoverunt; quam *e* Theophilus Antiochenus, *f* Tertullianus, S. *g* Cyrillus Hierosolymitanus, S. *h* Gregorius Nyssenus, S. *i* Chrysostomus, S. *k* Augustinus, *l* Theodoritus, S. *m* Fulgentius, *n* Eusebius dictus Emissenus, *o* Arnobius, *p* Rhabanus Maurus, *q* Guitmundus Aversanus, & *r* Richardus Victorinus cum *s* Platone & *t* Callimacho egregiè defenderunt atque ornarunt; quam *u* Plotinus & *x* Petrus Abelardus, Diodorum *y* Ciceroni & S. *z* Hieronymo memoratum, sequuti nimis arctarunt asserentes Deum nihil aliud, præter id quod volitus est aut molie-

a lib. II. 7.
b de Placit. Philosoph. cap. 7.
c lib. I. contr. Marc. cap. 11.
d lib. I. to. 2. hær. 23. to. 3. hær. 34. 35. lib. II. to. 2. hær. 66.
e lib. 1. & 2. ad Autolycum.
f lib. 2. contr. Marc. cap. 11.
g Catech. 8.
h lib Catech. p. 478.
i Serm. 2. de Incomprehens.
k Serm. 72. de Temp. cap 6. serm. 119. de Temp. cap. 1.
l Serm 4. adv Græc.
m lib de Fide ad Petr. c. 3. 3
n homil. 1. de Symb.
o in Disput. contr. Serap.
p lib. 1. de Univers. cap. 1.
q lib. 3. de veris Euch.
r lib. 1. de Trinit. cap. 21
s in Timæo & apud ejus Interpretem Ciceronem lib. de Univers.
t apud Plutarch lib. 5. de Placit. Philos. cap.
u Ennead. V. lib. 9. cap. 11.
x lib 3. Introd. Theol. cap 5.
y lib. de Fato.
z Dial. 1. contr. Pelag.

tur, procreare posse; & quam nimis protulerunt sive *a* Titus Bostrensis docens Deum posse quidem malum facere sed non velle, sive *b* Petrus Damiani affirmans penes Deum esse efficere ut quod factum est infectum sit. Has sententias ut & eas, quæ Dei potentiam, ad mortem obeundam aliáque id genus divinæ essentiæ repugnantia extendunt, confutant *c* Origenes, S. *d* Hieronymus, S. *e* Ambrosius, S *f* Chrysostomus, S. *g* Augustinus, S. *h* Cyrillus Alexandrinus, *i* Isidorus Pelusiota, *k* Hugo Victorinus, *l* Honorius Augustodunensis, *m* Hugo Etherianus, & S. *n* Thomas cum Agathone Poetâ cujus meminit *o* Aristoteles.

Mare. est meridie ut patet ex Psal. CVI. 3. (unde refellitur Hebræum ימין *dextrum* in Psal. nost.) ac. Theodotione apud Theodoritum interpretante ***Notum***. & Quintâ editione quæ ***Notum*** etiam vertit apud Heracleotam, qui optimè addit. Δεξιᾶ &c. ***videtur, per duo ista latera & orbis extremitates, universum orbem declarare: dicendo enim Aquilonem & Meridiem omnia climata designat.*** Quæ Didymus in Catenâ Corderianâ pag. 827. fin. affert, mihi omninò placuissent si Ægyptiorum mentio in versu 11. non præcessisset.

Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt. Tuum brachium cum potentiâ,	13	Thabor & Hermon *montes* tuum *etiamnum* nomen laudant: *nam* brachium tuum potentiæ suæ specimina *ibi* dedit;
Firmetur manus tua & exaltetur dextera tua. Justitia & judicium præparatio sedis tuæ;	14	Et manus tua validam se *ibidem* præbuit, tuáque dextera præclarè *illic* emicuit *prosternens Israelitarum hostes. Denique* misericordia & *in promissis solvendis* fides thronum tuum sustentant;
Misericordia & veritas præcedent faciem tuam. Beatus populus qui scit jubilationem;	15	Bonitásque & constantia *promissi* tibi, *quacunque perrexeris*, præeunt. *Unde Judaicus*, qui *hoc* tibi præconium tribuere novit, populus beatus *tandem* erit;
Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt totâ die, & in justitiâ tuâ exaltabuntur:	16	*Atque* in lumine favoris tui Domine ambulabunt *Israelitæ*, & de benignitate tuâ jugiter exultabunt, tuâque misericordiâ exaltabuntur:
Quoniam gloria virtutis eorum tu es: & in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum	17	Nam suam *hanc* exaltationem in tuâ ponunt fortitudine, *quâ factas ipsis promissiones præstare vales:* imperium, *inquam*, nostrum, pro tuâ benevolentiâ, erigetur
Quia Domini est assumtio nostra, & sancti Israelis regis nostri.	18	Quia Domino, *in promissis veraci*, nitimur; & in sanctum Israelitarum regem nostrum, *nempe Deum promissis stantem*, incumbimus.

a lib. 2. contra Manich.
b Opuscul. 36. cap. 1.
c lib. 4. contr. Cels.
d Epist ad Eustoch. de virg serv.
e annot. in Num. ad Chromat
f homil 35 in Joh. & homil 51. in Act.
g Enchir ad Laur. c. 93. lib. de Spiritu & literâ c 1 & 35 de Civit V. 10. Serm 109 de Temp. & lib. 26 contr. Faust cap 5. 7.
h lib contr. Anthropom. cap. 13. & lib. 2. Comment in Joh c. 6.
i lib. 3. Epist. 335.
k lib. 1. de Sacram. fid. part. 1. cap. 22.
l lib. de Prædest. & lib. arb.
m lib. 1. contr. Græc. cap 15.
n 1. part. q. 25. art. 4.
o Ethic. Nich. VI. 2. pag. 56. E.

Tunc locutus es in visione sanctis tuis, & dixisti: posui adjutorium in potente, & exaltavi electum de plebe meâ.

19 *Scilicet* sanctis tuis *prophetis Samueli ac Nathani* olim per visum loquutus es, & dixisti: fortem constitui virum qui populum meum sit adjuturus; & eximium, è plebe meâ, *hominem* ad regiam dignitatem evexi.

Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum.

20 Inveni, *inquam*, Davidem servum meum, & regem eum creavi.

Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum.

21 Manus mea auxiliabitur ei, & brachium meum roborabit illum.

Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei.

22 Nullus eum hostis superabit, nec ullus inimicus ipsi nocebit.

Et concidam à facie ipsius inimicos ejus, & odientes eum in fugam convertam.

23 Cædam coram eo inimicos ejus, & illos qui eum oderint in fugam vertam.

Et veritas mea, & misericordia mea cum ipso; & in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

24 Implebo quod ei promisi, & misericordiâ erga ipsum utar; ejúsque regnum, me opitulante, florebit.

Et ponam in mari manum ejus; & in fluminibus dexteram ejus.

25 Imperium ejus proferam usque ad mare *Ægypti*; & dominationem ejus extendam usque ad fluvium *Euphratem*.

Ipse invocabit me: pater meus es tu, Deus meus, & susceptor salutis meæ;

26 Ipse invocabit me, *dicendo*: pater meus es tu, Deus meus & vitæ meæ defensor;

Thabor & Hermon, ad loca Jos. XI. 17. XII. 1. Jud. IV. 14. 15. respicere videtur: nec eos probo qui duobus his montibus orientem & occidentem denotari putant, aut qui montis Hermon mentionem ad exsiccatum Jordanem referuut.

in visione. S. Augustinus, qui iu præcedenti versu legebat *susceptio* pro *assumtio*, legit heic *in aspectu* pro *in visione*: utrobique eodem sensu.

sanctis tuis. Theodoritus, post Heracleotam, testatur Symmachum vertisse *filiis tuis*. Hanc observationem mihi dubiam facit S. [a] Hierouymus, dicens *omnes Hebraicam dictionem* לחסידיך *transtulisse* τοῖς ὁσίοις σου, idest *sanctis tuis*; *& solam sextam editionem interpretatam esse prophetis tuis. sensum magis quam verba exprimentem & in* κοινῇ *tantùm pro sanctis filios se reperisse*. Textus Hebræus hodiernus habet לחסידך *sancto tuo*; sed in vetere erat לחסידיך *sanctis tuis* ut ex laudatâ B. Hieronymi auctoritate patet. Per illos autem *sanctos* intelligo Samuelem & Nathanem ex I. Reg. XIII, 14. II. Reg. VII. 5. & seq. I. Paralip. XI. 2. 3. XVII. 3. 11. 12. 14.

[a] Epist. 135.

oleo sancto meo. Sixtina editio *in misericordiâ sanctâ*, & ita legit S. Hier. in cap. LV. II. ℣. 3. S. Augustinus: *in oleo sancto meo.*

nihil proficiet &c. His Psalmus LIX. ℣. 2. 3. non repugnat: Idumæi enim tandem victi sunt, etsi suis incursionibus aliquod Judeæ damnum anteà intulissent.

a apud Cord. p. 8 2. fin.

ponam in mari manum ejus &c. a Heracleota: παρίζω &c. *præbebo ipsi imperium à mari Ægypti usque ad fluvium Euphratem.* Vide annot. ad Psal. LXXI. 8. Euphratem autem plurali numero (ut Jordanem Psal. LXXIII. 16.) exprimit quia multa flumina in eum intrant quemadmodum observat Kimchius. Unde necesse non est ad flumina Mesopotamiæ cum Jansenio recurrere, multò minus Jordanem Euphrati cum Muisio jungere.

27 *Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ.*

Ego verò eum efficiam nobilissimum, *atque* illustrissimum Regum terræ.

28 *In æternum servabo illi misericordiam meam; & testamentum meum fidele ipsi.*

Meo illum favore semper prosequar; &, quod *cum eo* pepigi, fœdus firmum erit.

29 *Et ponam in sæculum sæculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies cœli.*

Posteritatem ejus æternùm conservabo, & thronum ejus durationi cœlorum æquabo.

30 *Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint:*

Quòd si filii ejus legem meam deseruerint, & secundùm præcepta mea non vixerint:

31 *Si justitias meas profanaverint, & mandata mea non custodierint,*

Si statuta mea violaverint, & mea non custodierint mandata,

32 *Visitabo in virgâ iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum:*

Ab iis flagitiorum pœnas expetam, & peccata eorum puniam:

33 *Misericordiam autem meam non dispergam ab eo; neque nocebo in veritate meâ,*

Meam tamen misericordiam, *propter crimina filiorum*, non auferam *à patre ipsorum* Davide; neque datam ei fidem fallam,

34 *Neque profanabo testamentum meum, & quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita.*

Nec initum *cum eo* fœdus violabo, neque ea faciam irrita quæ ex ore meo prodierunt.

primogenitum. Solet interdum Scriptura viros inclytos appellare *Dei filios* ut apparet Gen. VI. 2. quúmque Reges maximè sint inclyti vocantur *Dei filii* ut exemplo liquet Salomonis II. Reg. VII. 14. & Judicum Psal. LXXXI. 6. Qui porrò inter reges eminent dicuntur *primogeniti*, denominatione sumtâ ab antiquo Hebræorum jure quo primogeniti fratribus præstabant: &, quidem ante legem Mosaicam & post diluvium, sacrorum curâ quæ ad eos spectabat ut docent B. b Hieronymus, c Misna, atque Auctor d Bereschit rabba; & colligitur cùm ex B. e Paulo cui Esau, ob venditum primogeniti jus, dicitur *profanus*; tum ex ceremoniâ sistendorum in templo & quinque siclis redimendorum primogenitorum postquam eis Levitæ suffecti fuissent per legem Mosaicam: quâ etiam primogeniti inter fratres eminebant utpote qui duplicem in bonis paternis partem caperent ut patet ex f Deuteronomio,

b Epist. 116. & in Trad. Heb. ad Gen. XXVII. 15.
c tit. *Zebachim* cap. 14.
d fol. 71. col 1.
e Heb. XII. 16.
f XXI. 17.

ronomio, & *a* Misná. Plura de primogenitis invenies apud *b* Pererium, & *c* Pinedam. Porrò etsi David imperium non habuerit tam amplum atque habebant v.g. Assyrii reges, fuit tamen regum omnium illustrissimus ob oriundum ex familiâ suâ Messiam. S. Augustinus minùs benè legit *apud reges terra* pro *præ regibus terra*.

a tit. *Baba Bathra* :. 8.
b ad Genes. XXV. 31. num. 75. 76. 77. 78. 79. 80.
c ad Job. l. 5. num. 17.

Semel juravi in sancto meo: si Davidi mentiar, semen ejus in æternum manebit:

35 *Nimirùm* firma sunt promissa quæ, per sanctum meum *cœlum*, semel juravi *dicens*: Davidi non mentiar, posteritas ejus æternùm durabit:

Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo; & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis.

36 Ejúsque thronus tamdiu stabit dum sol in conspectu meo fulgebit; atque instar lunæ perpetuò duraturæ *semper manebit*, & utrumque astrum fidus erit in cœlo testis *durationis hujusce throni.*

Tu verò repulisti & despexisti; distulisti Christum tuum.

37 *Ita promisisti & ita futurum speramus.* Interim *Sedeciam*, *Davidicâ stirpe satum atque* in regiam dignitatem à te evectum, deseruisti & despexisti; *atque* in eum iratus es.

Evertisti testamentum servi tui, profanasti in terrâ sanctuarium ejus.

38 Evertisti coronam servi tui *Sedeciæ*, & sacrum ejus diadema proculcasti.

Destruxisti omnes sepes ejus, posuisti firmamentum ejus formidinem.

39 Omnia ejus munimenta destruxisti, ejúsque propugnacula demolitus es sic ut in iis *nunc* timeant qui in iis *antea* tuti erant.

juravi. Theodoritus: Βεβαίαν &c. *firmam enim quum fecerim ipsi promissionem hanc, ad finem perducam: verbum namque juravi confirmandi gratiâ posuit.*

in sancto meo. idest *cœlo*. Confer Psal. XIX. 7. Deut. XXXII. 40. Is. LXIII. 15.

semen ejus in æternum manebit. *d* Grotius hanc æternitatem explicat de longâ regni Davidici duratione, quæ scilicet per annos plus quingentos prorogata fuerit. Verum, etsi vox *æternum* de tempore hujusmodi imò minori aliquando sumatur, certè heic de æterno tempore, hoc est de tempore quod ad finem mundi duraturum sit, accipi debet ut apparet collatis versibus 25. 35. 36. Unde consequitur Judæis, nisi in Christianam sententiam ire & Christum Dominum ex stirpe Davidicâ satum ac sempiternis sæculorum ætatibus regnaturum agnoscere velint, necessitatem esse Scripturam sacram de mendacio postulandi. Hinc tamen colligi nolim Vatem, hoc in Psalmo, Dominicum adventum primario sensu petere. Sciebat ille salutarem illum & cunctis sæculis desideratum adventum nonnisi quingentos circiter post annos affulturum: unde, quas pro captivis Babylone Judæis concipiebat, preces ad felicissimum Messiæ tempus directò spectare non poterant. Sed, quando noverat æternam regiæ Davidis stirpi durationem esse promissam regiámque hanc stirpem in Zorobabele non solùm

d ad II. Reg. VII. 15.

Davidicâ familiâ orto sed & in Asmonæis (qui, licet originem ex Leviticâ gente ducerent, sceptrum Juda adeóque Davidis tenere censendi erant juxta textus Gen. XLIX. 10. Psal. CXXI. 5. Jer. XXX. 9.) regibus perseveraturam donec tandem veniret Christus qui regnum, cujus non foret finis, iniret : quando, inquam, Vates noverat futuros adhuc nonnullos principes qui Davidicum regnum instaurarent, eos in Psalmo poscit contra atque existimarunt Didymus, Diodorus, ac Theodoritus.

testamentum. sic vocat coronam quia præcipuum est ornamentum quo reges insigniri debent ex pacto quod Deus cum ipsis init dum eos in regiam dignitatem erigit. Confer Eccl. XLVII. 13. & Synonymicæ legis recordare.

sanctuarium. idest diadema ut explicant Hebræi ; & apparet collato loco Psal. CXXXI. 19. S. Augustinus legit *sanctitatem* ; & S. Athanasius ac Theodoritus *templum* intelligunt non benè.

40 *Diripuerunt eum omnes transeuntes viam, factus est opprobrium vicinis suis.*

Omnes *ejus inimici*, qui iter *juxta ejus regionem* fecerunt, diripuere illum ; *&* factus est vicinis suis ludibrio.

41 *Exaltasti dexteram deprimentium eum, lætificasti omnes inimicos ejus :*

Superiores fecisti hostes ipsius, omnésque ejus inimicos lætificasti *victoriâ ab eo reportatâ :*

42 *Avertisti adjutorium gladii ejus ; & non es auxiliatus ei in bello.*

Sedeciani autem gladii aciem retudisti ; eique in bello, *quod cum eo hostes susceperunt*, non es opitulatus.

43 *Destruxisti eum ab emundatione ; & sedem ejus in terram collisisti.*

Splendore, quo nitebat, spoliasti eum ; & regale ejus solium ad terram allisisti.

44 *Minorasti dies temporis ejus ; perfudisti eum confusione.*

Breves fecisti dies regni ejus ; eúmque, *regali sede citò dejectum*, pudore perfudisti.

45 *Usquequo Domine avertis in finem, exardescet sicut ignis ira tua ?*

Verùm Domine quousque tandem faciem tuam *à nobis* avertes, tuáque ira velut ignis *adversus nos* exardescet ?

46 *Memorare quæ mea substantia : nunquid enim vanè constituisti omnes filios hominum ?*

Recordare cujusmodi sit vita nostra : nec enim frustrà creasti homines *sicut vitam ipsorum, satis ex naturâ suâ miseram, novis jugiter calamitatibus affligeres ?*

ab emundatione. Theodoritus, Heracleotam sequutus, ait : *Symmachus autem sic, fecisti ut ejus munditia desineret : non enim potest aspersionibus expiari cùm in potestate sit hostium, & procul à templo suo vivat.* Secunda versûs pars huic explicationi repugnat, & nostræ favet.

temporis. Sic antonomasticè vocat tempus regni, de quo heic sermo juxta Kimchium :

qui, cum B. Hieronymo, interpretatur *adolescentia ejus*; cujus loco S. Augustinus, cum Sixtinâ editione, habet *sedis ejus*.

memorare. Vereor ne versuum transpositio à scriptoribus heic facta sit: nam, quando præcedens sermo promissiones Davidi datas & à Sedeciâ aversas describit, versus 48. videbatur immediatè post 45. collocandus, & præponendus versibus 46. 47. Conjecturam non assertionem propono.

quæ mea substantia. loquitur Psaltes ex personâ totius populi ut patet ex versu 49. & *substantiam* ut Psal. XXXVIII. 7. sumit pro *vitâ*: non brevi, ut vulgò creditur; sed mortali ut liquet ex versu sequenti qui hujus est explicatio. Confer Psal. LXXVII. 44. CII. 14. 15.

Quis est homo qui vivet & non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi?	47	*Recordare, inquam,* nullum esse hominem qui ita vivat ut non sit moriturus, qui*que* vitam suam è manu sepulchri eruere possit; *atque adeò eum, utpote morti obnoxium, satis esse infelicem ut opus non sit aliis eum malis atterere?*
Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine, sicut jurasti Davidi in veritate tua?	48	*Ad hæc* veterum, quas, juramento interposito & datâ fide, promisisti Davidi, misericordiarum meminisse, *easque nobis impertire velis:*
Memor esto Domine opprobrii servorum tuorum, quod continui in sinu meo, multarum gentium:	49	Memor *denique* esto opprobrii servorum tuorum, quod *clam concoquere ac velut* in sinu nostro portare cogimur, *&* quo multæ nos gentes afficiunt.
Quod exprobraverunt inimici tui Domine, quod exprobraverunt commutationem Christi tui.	50	*Memento, inquam,* Domine, contumeliæ quam inimici tui *in nos, & consectariè in te* intorquent: exprobrantes te mutasse sententiam; nec ea velle tribuere beneficia quæ Davidi, in regiam dignitatem à te *olim* evecto, pollicitus es.
Benedictus Dominus in æternum: fiat, fiat.	51	Laudetur perpetuò Dominus: fiat, fiat.

misericordiæ tuæ antiquæ. misericordias queritur non fractas; sed oblivioni traditas à Deo: qui oblivisci dicitur quando suam à nobis misericordiam amovet. Psalterianæ orationis contextum expende, atque annot. ad Psal X.I. 1 vide; & confer Is. LXIII. 11. 15.

commutationem. Symmachus & Theodotion, apud Heracleotam & Theodoritum, vertunt *vestigia*: quod B. Hieronymus & Rabbini sequuntur; immeritò, ut ex sensu liquet.

ARGUMENTUM. PSALMI OCTOGESIMI NONI.

PSALMUS iste Mosi tribuitur ab Hebræis, & nominatim ab Allegoricis eorum Interpretibus qui Medraschim audiunt; nec non à Rabbinis Salomone Jarchio & Kimchio qui hunc non modò Psalmum sed decem alios sequentes Mosi adscribunt. Sententiam hanc B. [a] Hieronymus tuetur; sed ei S. Augustinus adversatur, dum ait. *Non enim credendum est ab ipso omninò Moyse istum Psalmum* (89.) *fuisse conscriptum, qui ullis ejus literis inditus non est, in quibus ejus cantica scripta sunt.* Augustinianæ rationi duas addit eruditissimus Bellarminus: quarum priorem petit à vitæ humanæ spatio Mosaicâ ætate non tam decurtato atque in Psalmo repræsentatur; alteram verò desumit è nomine *Samuelis* quod in Psal. XCVIII. 6. reperitur, & cujus mentionem à Mose fieri non potuisse autumat eò quòd præfatus Psalmus narrationem contineat non prædictionem. Hæ rationes opinioni S. Hieronymi labefactandæ mihi idoneæ non videntur. Nam quod ad primam rationem spectat, ea parum urget quum incertum sit an omnia Mosis cantica in Pentateuchum relata fuerint. Major secundæ rationi vis inest; sed ea nihilominus infirmandæ S. Hieronymi sententiæ impar videtur. Non me latet Mosem ad annum 120. pervenisse, & Aaronem fratrem ejus summi Sacerdotii dignitate ornatum fuisse quum annorum esset octoginta trium; sed inde non sequitur vitæ humanæ tempus nostro longius tunc fuisse. Scilicet amborum fratrum vita solitos terminos singulari gratià excessit: quod multis, post eos, viris accidisse scimus ut

[a] Epist. 139. ad Cyprian.

Joiadæ Pontifici qui annos 130. vixit, Mardochæo, Zorobabeli, & Josue filio Josedec qui vitam ultrà annos centum produxerunt, Arganthonio qui, teste Anacreonte, centum quinquaginta annis vixit vel centum viginti juxta [a] Herodotum (qui parem, vel etiam majorem, ætatem Æthiopibus [b] tribuit) Edebali qui, referente [c] Johanne Leunclavio, annum 120. attigit, cuidam è Gargaridum gente qui, narrante [d] Maffeio, annos 335. superavit, Johanni de Temporibus qui trecentis sexaginta & uno annis superstes, [e] Gaguino teste, in terrâ fuit, & multis aliis quos [f] Phlegon Trallianus, [g] Cicero, [h] Plinius, [i] Valerius Maximus, & [k] Censorinus recensent. Tot annos homines illi, præter consuetudinem, vixerunt: & quemadmodum ex longâ eorum ætate colligere non licet vitam humanam, quo tempore illi florebant, nostrâ longiorem fuisse, ita ex Mosis aut Aaronis ætate conficiendum non est communem vitæ humanæ cursum ultra annos 70. aut 80. proferri tunc fuisse solitum. Sed, inquies, [l] Josephus auctor est vitam humanam ad Mosem usque annis centum viginti definitam fuisse. Respondeo terminum hunc non esse metam quam omnes promiscuè attingerent, sed metam esse ultra quam progredi liceret nemini nisi peculiari favore ornaretur, quomodo intelligendi sunt [m] Trebellius Pollio atque [n] Aper humanam vitam centum viginti annorum spatio circumscribentes. Quod de Mosaici sæculi vitâ dixi verum esse deprehendet quisquis Regum Ægyptiorum Mosis æqualium indicem, à Manethone traditum atque à [o] Josepho, [p] Eusebio, & [q] Georgio Syncello exscriptum, consulet: observabit enim Regum illorum vitam ab eâ, quam reges hodierni vivunt, non multùm discrepare. Tertia ratio mihi, tempus præteritum pro fu-

[a] lib. I. p. 75. A.
[b] lib 3. pag. 192. D.
[c] in hist. Musulm. Turc. lib. 3.
[d] lib. II. hist. Lusit.
[e] lib. 6. rer. Gallic.
[f] de Longævis.
[g] de Senect.
[h] lib. VII. 48.
[i] lib. VIII. 13.
[k] de Die Nat. c. 17.
[l] Antiq. I. 7.
[m] in Claudio.
[n] apud Tacitum aut alium in Dial. de Orator.
[o] lib. 1. contr. Ap.
[p] in Chronic.
[q] in Chronogr.

turo apud Vatem ſæpe poni attendenti, non ſatis firma, ad evertendam B. Hieronymi ſententiam, videtur. Itaque tres rationes à Bellarmino allatas non probo : ſed multò minus ipſe mihi Bellarminus probatur quum titulum noſtrum recipit ; aitque Pſalmum Moſi inſcribi quòd Moſem loquentem David introducat. Hoc, inquàm, mihi non probatur, nam cum eâ, quàm de longo ævi Moſaici tempore Cardinalis eruditiſſimus tradidit, doctrinâ non benè cohæret : ſiquidem, eâ doctrinâ ſemel admiſsâ, Moſem niſi falſa loquentem David introducere non potuit. Quanquam autem argumenta, quibus S. Hieronymus oppugnatur, non comprobem ejus tamen ſententiam non laudo : ſic, ex Pſalmis LXXXIV. 4. 6. 9. LXXXVIII. 45. & Iſ. LVI. 1. 2. LVIII. 7. 8. 9. 10. 11. 12. Pſalmo ỳ. 3. 7. 13. noſtro comparatis, habens cum Heracleota, Diodoro, Theodorito, Theodoro, & Græco Corderii Paraphraſte perſuaſum calamitates, quibus populus Iſraeliticus in captivitate Babylonicâ fractus fuit, hoc in Pſalmo enarrari ; & captivos repræſentari Judæos Deum obſecrantes ut ab iis liberarentur ærumnis quas perferebant, & in quibus humanæ naturæ fragilitas in melius (à Chriſto) commutanda adumbrabatur.

TITULUS.

Oratio Moyſi hominis Dei.

PSASMUS LXXXIX.

1 *DOmine refugium factus es nobis à generatione in generationem:*

PARAPHRASIS.

DOmine Genti noſtræ opitulatus es ab omni ævo:

ANNOTATIONES.

Oratio &c. Cod. Reg. 138. *Oratio Moyſi hominis Dei. vox Apoſtolorum ad Patrem.* Colb. 158. *hucuſque liber tertius, oratio Moyſi hominis Dei. vox Apoſtolorum.* Qui *Moſis*

nomen io hoc titulo posuit Auctor in eâ, nisi fallor, sententiâ erat Psalmographum de peccato Adami ejusque pœnâ loqui: quúmque Mosem in eodem Argumento versatum esse sciret, Psalmum illi adscripsit; judicio parùm firmo, quum animadvertere debuisset vitæ humanæ spatium, 70. aut 80. aonis præcisè definitum, non esse pœnam peccato primorum parentum impositam quum eâ experti fuerint illi, quippe qui vitam ad 500. & ampliùs annos produxerint; brevissimam utique vitam (si quidem brevitate illâ peccatum eorum plectendum foret) acturi utpote qui majori in culpâ essent quàm ipsorum posteri.

2 *Priusquam montes fierent aut formaretur terra & orbis, à sæculo; & usque in sæculum tu es Deus.*

Nam ante omnes res genitas, ante montes & terram atque orbem universum tu es; & sempiternis sæculorum ætatibus eris. *Unde, quum sis æternus atque ita omnibus temporibus coexistas, Majoribus nostris semper patrocinatus es.*

3 *Ne avertas hominem in humilitatem: & dixisti, convertimini filii hominum.*

Quando igitur tuam nationi nostræ opem, ab omni ævo, porrexisti, ne *quæso*, nos malis undique cinctos *nunc* despicias: tu *præsertim* qui *per Prophetas tuos* dixisti, convertimini *ô Israelitæ, & bonitate erga vos utar.*

4 *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ præteriit:*

Ne, inquam, Israeliticos, qui in captivitate versantur, homines despicias: satis namque miseriæ aliunde habent. Ut enim vivant mille annos, *hi* eorum anni, cum tuâ æternitate collati, sunt tanquam dies hesterna quæ præteriit:

5 *Et custodia in nocte quæ pro nihilo habentur, eorum anni erant.*

Imò tanquam una ex nocturnis vigiliis, *quarum singulæ tribus tantùm horis constant atque adeò exiguam* nihilique habendam *continent durationem.*

ne avertas &c. Theodoritus: Ἱκετεύω &c. *obsecro... ne penitus nos tot tantisque malis cinctos despicias.* Homines & hominem pro Israelitis habes in Psal. XXXV. 7. LXXVII. 29. Rabbini ineptè: *convertis hominem.* Erroneæ eorum lectioni locum dedisse videtur duplex, quam Nostri legebant, vox אל אל: quarum ultimam, quum imperitus scriptor superfluam judicaret, omisit nesciens priorem vocem esse *el* idest *Deus*, secundam *al* idest *non.*

& dixisti &c. ὅτι εἶπας &c. *Quia dixisti*, inquit Heracleota, *convertere, conversi sumus. Ne igitur avertas nos in humilitatem: avertit autem quando propter peccata deserit hominem.* Eodem, sed nitidiore, sensu ait B. Athanasius: Σὺ εἶπας &c. *Tu dixisti, inquit*, Domine, *convertimini filii convertentes; & sanabo contritiones vestras. Cùm itaque con-*

versi simus, ne avertas nos in humilitatem. Confer Isaiam LVI. 1. 2. LVIII. 7. 8. 9. 10. 11. 12. ad Psalteriana tempora respicientem, & Joelem II. 12. alia, sed eodem sensu, tempora describentem. Hinc autem nec mihi probatur Aquila Theodorito prolatus atque edens: *& dicis* pro *& dixisti*: neque etiam mihi probatur Græcus Corderii Paraphrastes dicens post eos, quorum meminit Heracleota: *Dixisti aut pro dic, idest decerne ut nos filii servorum tuorum revertamur* è captivitate ut supplet Heracleota: qui, etsi Theodoritum à partibus suis stantem habeat, mihi non arridet dum scribit *sensum Psalteriani versus esse per transpositionem positum: sic ut illa verba* MILLE ANNI *cùm priori versu construenda sint* qd. *ne avertas hominem in humilitatem, quia mille anni* &c. *illud autem dixisti convertimini in medio inferi debeat.*

quoniam mille anni &c. *a* Plutarchus Psalterianæ consentit sententiæ; sed ejus scopum attigisse non videtur Eusebius quum mille annos à primâ templi ædificatione usque ad totalem Judæorum eversionem numerat: qd. Vates: ne tradas nos in omnimodam desolationem quia, quum paululùm (idest mille annos) floruissemus, exaruimus.

vigilia in nocte. Theodoritus: φυλακὴν &c. *nocturnam custodiam quartam partem noctis appellavit: nam illi, quibus custodire injunctum erat, noctem in quatuor vigilias dividebant.* Harum, quæ *b* Censorino & *c* Suidæ etiam memorantur, vigiliarum unaquæque tribus horis constabat ut docet S. *d* Hieronymus Primam autem habes apud *e* Livium, secundam apud *f* Ciceronem, *g* Lucanum, & B. *h* Lucam; tertiam apud eundem *i* Ciceronem nec non apud *k* Cæsarem & *l* Apuleium ac S. *m* Lucam; quartam apud *n* Photium & SS. *o* Matthæum ac *p* Marcum. Plura de vigiliis suppeditabit *q* Tiraquellus.

quæ pro nihilo habentur anni eorum. Rabbini non benè: *inundas eos somnus sunt.* LXX: pro שנה זרמתם legisse videntur כבעש שניתם. Confer Psal. LXXX. 13. Prov. X. 20. Heracleota & SS. *r* Hieronymus atque Augustinus vocem *habentur* cum *annis* conjungunt. Ego custodiæ, collectivè acceptæ indéque plurale verbum sortitæ, jungo.

a Consol. ad Apollon. pag. 111. C.
b de Die Nat cap. 23
c in voce φυλακή.
d Epist. ad Cyprianum.
e Decad 3. lib. 1.
f lib 3 Epist. 7.
g lib. 5.
h XII 38.
i Orat. 3. in Catil.
k lib 1. de Bell Gall.
l lib. 3. Metamorph.
m loc cit.
n lib. X. 21.
o XIV 25.
p VI. 48.
q Comment in Alex. ab Alex. lib. 4 c. 20.
r Epist. ad Cypr.

Mane sicut herba transeat, mane floreat, & transeat; vespere decidat, induret, & arescat.	6	*Sed millenaria hæc ætas, utcurque parvi ducenda, non eis conceditur siquidem* mane sicut herba virescunt, mane florent, & pullulant; vespere decidunt *in mortem*, durescunt, *in cadavere*, & arescunt *in pulvere.*
Quia defecimus in irà tuà; & in furore tuo turbati sumus.	7	*Idque contingit nobis* ob tuam, quâ consumimur, iram; & propter tuum, quo exterminamur, furorem.
Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, seculum nostrum in illuminatione vultus tui:	8	*Nimirùm* posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, *& impurum* vitæ nostræ cursum ante splendidam tuam faciem statuisti:
Quoniam omnes dies nostri defecerunt, & in irà tuà defecimus.	9	Inde enim fit ut omnes dies nostri *velociter* abeant, atque à te irato *celeriter* absumamur.

transeat. subaudio *in pullulationem* ut ex Hebræâ voce, sic apud Jobum XIV. 7. sumtâ, intelligimus; ac sensu, quem Jansenius perspectum habuit ita scribens: *transit per augmentationem ad perfectiorem staturam.*

induret. non est in hodierno Hebræorum textu; sed erat in antiquo ut ex nostrâ patet versione ac tribus, quæ præcessere verbis, *transeat, floreat, transeat*, quibus totidem respondere debent.

seculum

sæculum nostrum. ideſt, inquit Heracleota, *omnis vita nostra.* Aſſentitur Didymus, cum *a* Altero qui ait: *vita noſtra & ineà prava actiones apparent faciei tuæ.* Rabbini: *abſcondita noſtra*, intempeſtivè: quæ enim captivitatem Babylonicam induxerant peccata non erant abſcondita. B. *b* Hieronymus teſtatur dictionem Hebræam, quam ipſe ex Symmacho reddiderit *negligentias*, Quintam editionem reddidiſſe *adoleſcentiam*; Aquilam *errores ſive ignorantias.* Symmachus ſenſum attendit; LXX. literam ſpectarunt.

a apud Corderium to. 2. p. 64.

b Epiſt. 139. ad Cypr.

10 *Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur, dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni:*

Ad hæc, quum vita eſt longior, annos noſtros traducimus *meditabundi & curarum pleni non ſecùs ac aranea *quæ operoſam, texendæ telæ, meditationem ponit*, diéſque annorum noſtrorum *terminantur* ſeptuaginta annis:

11 *Si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor*

Vel, ſi quis optimo habitu maximiſque viribus floreat, *vita ejus* octoginta *terminatur* annis: ſic tamen ut amplior *annorum* illorum pars laboribus & doloribus ſit referta

12 *Quoniam ſupervenit manſuetudo, & corripiemur*

Eò quòd *jugis nobis* afflictio ſuperveniat, atque *abs te* ita caſtigemur

13 *Quis novit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare.*

Ut nullus magnitudinem tuæ *in nos* iræ capere, & iracundiam tuam habere perſpectam valeat, adeò *nos* ſeverè corripis.

ſicut aranea &c. Rabbini: *tanquam ſermo ſeu meditatio*, non rectè. LXX. legebant כשמם הגי, pro כמי חנה quod S. *c* Hieronymus interpretatur *quaſi ſermonem loquens*; & cum lectione LXX. ſic conciliat: *quomodo enim loquentis ſermo prætervolat; ita & opus aranea in caſſum texitur.*

meditabuntur. *d* Theodoritus: *nihil firmum aut conſtans natura humana habet; ſed inſtar aranea facilè convellitur* Græcus Corderii Paraphraſtes: *adeò imbecillis erat vita noſtra* (in Babyloniâ) *atque tela aranearum.* Aliam ego viam inivi.

amplius &c. optimè Heracleota: ὃ πλεῖον αὐτῶν &c. *maxima eorum pars cum moleſtiâ & labore tranſigitur.* Symmachus, teſte S. *e* Hieronymo, dixerat *contra opinionem*, pro *in potentatibus* quod à ſancto Doctore vertitur *multum.*

manſuetudo. Heracleota, Didymus, & Theodoritus moderatam interpretantur pœnam; ſed acrem verſiculus ſequens ſupponit Pœnam autem LXX. vocant *manſuetudinem* quia manſuetos reddebat Judæos : qui, eâdem de causâ, alibi dicuntur *manſueti* eò quòd mala ſibi inflicta patienter tolerarent Rabbini totum verſum ita interpretantur: *quoniam recedit citò & avolamus*; aut *tonſio eſt velox & avolabimus* *f* Aquila: *quoniam præterivit vir & avolavit.* Symmachus: *ſuccidimur enim repente & avolamus.* Quinta editio: *quoniam tranſivimus celeriter & diſſolvimur.* B. Hieronymus: *quoniam tranſivimus citò & avolavimus.* Theodotio, qui edidit *quoniam ſupervenit manſuetudo & corripiemur*, veram, poſt

c loc. cit.

d loc. cit.

e loc. cit.

f vide Euſeb. in Cat. Cord. pag 865 Hier. loc. cit. & Nobilium.

LXX. Senes, lectionem nactus fuit, quæ habuisse videtur כי באח ענוה pro hodierna כי גז חיש. Puritatem servavit vox בעיפה, eáque à Nostris optimè translata fuit teste Job. XI. 17.

pra timore tuo. timorem pro pœnâ sumit ut Psal. LXXXVII. 17. nec malè: nam timorem ac terrorem pœna incutit. Rabbini, Symmachum Theodorito prolatum, sequuti vertunt *& secundum timorem tuum indignationem tuam.* LXX. legebant מיראתך pro כיראתך.

14 *Dexteram tuam sic notam fac; & eruditos corde in sapientiâ.*

Verùm Domine potentiam tuam ostende *non puniendo; sed eam* sic notam fac ut, *qui corde defecimus ad vitia incumbentes*, in sapientiâ *deinceps* instituamur *te unum toto animi affectu colentes.*

15 *Convertere Domine. Usquequò? & deprecabilis esto super servos tuos.*

Sereno nos *tandem* vultu respice Domine. Usquequò *nobis irasceris?* Tuis, *quæso*, servis præbe te placatum.

16 *Repleti sumus mane misericordia tua; & exultavimus & delectati sumus omnibus diebus nostris.*

Tuam quamprimùm misericordiam experiamur; atque exultemus & lætemur omnibus diebus nostris.

17 *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala,*

Læti dies & anni eos consequantur quibus nos in *captivitate istâ* affligis, & quos in mœrore traducimus.

18 *Respice in servos tuos & in opera tua; & dirige filios eorum:*

Servos tuos & opera tua *Israëlitas* benignus aspice; eorúmque filios fortuna:

19 *Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige super nos, & opus manuum nostrarum dirige.*

Radiétque in nos splendidus Domini Dei nostri favor, & quicquid aggredimur prosperè per te procedat, nostrásque actiones ad bonos exitus provehe.

dexteram tuam &c. Rabbini, corruptæ voci ימינו adhærentes & verbum למנת cum eâ conjungentes, insulsè vertunt: *ut numeremus dies nostros sic notum fac & adducemus cor sapientiæ.* LXX. legerunt ימינך pro ימינו, & habuerunt ונביני לבב בחכמה pro ונביא לבב חכמה. S. Augustinus, cum Didymo, legit *compeditos*; monétque alios Codices non habere *compeditos* sed *eruditos.* Hujus porro versiculi intelligentiam refero acceptam Heracleotæ, etsi *institutionem in sapientiâ* de bonorum fruitione non exponam cum eo ejusque exscriptore Græco Corderii Paraphraste. Secum autem non pugnat Vates quum eruditum cor postulat postquam ℣. 3. se conversum esse indicavit. Secum, inquam, non pugnat: nulla enim conversio impedit quominùs magis ac magis virtutem efflagitare debeamus. Vide lib. 1. de Imit. cap. 19. & Ecclesiam audi quotidie, dicentem in Completorio *converte nos Deus salutaris noster* &c.

repleti sumus. &c. ὁ χεῤῥὸς &c. *Tempus*, inquiunt Heracleota & Theodoritus, apud *Septuaginta mutatum est: nam Aquila & cæteri legunt imple*. Addit Heracleota, *mane*: idest *velociter, vult enim dicere citò repleamur misericordiâ tuâ* &c.

lætati sumus &c. Καὶ &c. *Heic etiam*, ait Theodoritus, *tempus similiter mutatum est: nam Symmachus & cæteri dixerunt lætifica nos.*

& opus manuum nostrarum dirige Hæc verba S. * Hieronymus refert ex LXX. sed S. Augustinus ait à diligentibus & doctis prænotari asterisco. * Epist. ad Cyp.

ARGUMENTUM.

PSALMI NONAGESIMI.

EUSEBIUS a, b Heracleota, & Theodoritus hunc Psalmum Ezechiæ aptant; sed ea ille recolere videtur tempora quæ I Reg. XIX. describuntur. Discimus ex illo capite Davidem duo declinasse pericula nempe lanceam à Saule Dæmoniaco vibratam & lictores ab eodem Principe missos ut ipsum comprehenderent. Prius periculum interdiu invectum fuit; nec contrarium divina Scriptura suadet quum, periculo illo recitato, addit *& salvatus est nocte illa*: ultima enim hæc verba non cadunt in tempus vibratæ hastæ sed in tempus adeptæ salutis; nec innuunt noctem fuisse quum Saul Davidem lanceâ configere nisus est, sed noctem terras occupasse quum eum Michol uxor per fenestram depositum salvavit. Hujus meæ responsionis fundum do ipsum textum sacrum qui, in versibus 9. 10. seipse explicans, prædictæ responsioni favere videtur dum, vibratæ hastæ casum enarrans, noctis non meminit: hoc enim silentium non leve est diei tunc lucentis indicium. Et certè res ipsa, eo quo describitur modo, clamat casum hunc interdiu accidisse, quod etiam ex I. Reg. XVIII. 10. colligi potest: quum enim textus ille, casum laudato similem describens, spiritum malum in Saulem in-

a in Cat. Cord. pag. 882.
b Ib. 876. 877.

terdiu invadere solitum fuisse his verbis (*post diem autem alteram* & *per singulos dies*) innuat, vero est simile ut narratus in capite XIX. casus contigerit dum dies solaribus radiis perfunderetur. Quod si de posteriore isto casu fateri nolis, inficiari non potes de priore ; idque adstruendæ opinioni meæ sufficit : etenim prior ille casus ante congressum Davidis cum Samuele accidit ut ex dictis jam locis apparet. Alterum periculum noctu adiit David ut liquet ex I. Reg. XIX. 11. 14. 15. Beatus autem David, duobus, quæ memoravi, periculis perfunctus, ad Samuelem in Naioth in Ramatha venit, ibique cum cuneo Prophetarum vaticinantium versatus est ut ex eodem capite perspicuum est. His ita explicatis, meam de Psalmo sententiam aperio. Duo pericula, diurnum unum & alterum nocturnum effugerat David quum ad Samuelem in Naioth in Ramatha degentem adiit : &, quando ibi prophetarum vaticinantium cuneus erat, probabile est Davidem, ubi huc accessisset, pericula, ex quibus evaserat, exposuisse Samueli ejusque sociis qui ipsum de divino, in paribus (si post hac à Saule, ut multus ab eo metus impendebat, offerrentur) periculis aliisque, auxilio certiorem fecerint ; & unà cum eo vaticinia in Psalmo nostro expressa ediderint ; omnesque Psalmum, (quem deinde David scriptis mandaverit) simul condiderint. Quod ex Psalmi formâ, quæ est dramatica & in modum dialogi facta, colligo : sic ut existimem tres, quæ in illo Psalmo comparent, personas non alias esse ab illis quæ in Naioth in Ramathâ versabantur, nempe Davide, cuneo Prophetarum, & Samuele : quorum primus initio carminis loquatur, alii in medio Psalmi sermonem habeant, postremus autem in fine Psalmi, nomine Dei, verba faciat.

TITULUS.

Laus Cantici David.

Psalmus XC.		Paraphrasis.
QUi habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur,	1	DAVID. Qui in auxilio Altissimi requiescit, & sub divinâ tutelâ versatur *David*,
Dicet Domino: susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus; sperabo in eum:	2	Dicit Domino: spes mea es tu, refugium meum, & Deus meus; *atque* in eo sperabo:
Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium; & à verbo aspero.	3	Ipse enim me ab impiorum insidiis; & ab acerbâ, *quâ vexor*, persequutione liberabit.
Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis ejus sperabis;	4	CUNEUS PROPHETARUM. *Meritò dixisti te spem in Deo ponere: nam* alis suis teget te, & sub pennis illius tutus eris;
Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis à timore nocturno;	5	Ejus*que*, *in promissis servandis*, fides erit tibi instar scuti *quod te omni ex parte communiet: unde* nocturna, *si quæ à Saule postmodum injiciantur*, terricula non timebis;

ANNOTATIONES.

Laus &c. Etsi Vulgatus titulus in Hebræis Codicibus desideretur; & Eusebius Auctor commentarii B. Hieronymo adscripti Theodoritus, atque Euthymius Psalmum titulo carere asserant, & S. Augustinus nullam Vulgati tituli mentionem faciat, retinendus tamen est utpote qui doctè fuerit appositus; & Davidem habeat auctorem, ejusque res spectet ut dixi in argumento. Cod. Reg. 138. *Psalmus Cantici David.* Colb. 158. *Laus Cantici ipsi David. oratio nocturne tempore.*

liberavit me. Hebræus textus, S. Athanasius, Heracleota, S. ª Hieronymus, Euthymius, Græcus Corderii Paraphrastes, & Sixtina editio habent *ῥύσεταί σε liberabit te*; sed Theodoritus legit *ῥύσεταί με liberabit me*, adstipulante S. Augustino qui habet *ernet me*: quæ bona est lectio, ut patet. ª in Is. XXIII.

scapulis suis. S. Augustinus & Sixtina editio: *inter scapulas suas.*

sperabis. Id verbi in eam sumitur sententiam quam vox *spe* habet in Psal. IV. 10. & LXXVII. 58.

circumdabit te. Rabbini eodem ferè sensu, sed inusitatâ, in hanc sententiam, dictione סחרה *& clypeus.* LXX. legebant יסחרך; eámque lectionem priori anteponendam esse fatebuntur qui in Hebræis voluminibus tantisper erunt exercitati.

à timore nocturno &c. intertexta (qualia non semel notavimus) Synonyma in his versibus habemus ita ut hæ phrases *à timore nocturno* & *à negotio perambulante in tenebris* idem

significent : nempe terriculum nocturnum, hoc est, negotium Davidi noctu conflatum à Saule. Hæ etiam loquutiones *à sagitta volante in die* atque *ab incursu & dæmonio meridiano* eandem rem denotant : nimirum hastam interdiu vibratam à Saule qui in Davidem hastâ illâ incursaret quum, circa meridianum tempus, à dæmone divexaretur. Mirari autem non debemus pericula, è quibus David jam eductus erat, heic proponi vitanda : nam, quando caussa suberat timendi non solùm ne Saul Davidi insidias noctu iterum strueret mortémque ipsi, medias inter tenebras, machinaretur; sed etiam ne *in die* hoc est, ut in secundo hemistichio explanatur, meridiano tempore à malo spiritu correptus Davidem *sagittâ volante* idest lanceâ rursus peteret : quando, inquam, duo, quæ anteà declinata fuerant, pericula metuenda erant, amborum memoriam cuneus Prophetarum meritò refricavit.

A sagittâ volante in die : à negotio perambulante in tenebris : ab incursu & dæmonio meridiano:	6	Neque lanceam *ab eodem Principe* interdiu vibratam *formidabis: non timebis, inquam,* negotium *à Saule* in tenebris *adversus te tractatum*; nec occursum *malum, Saulem* videlicet à dæmonio, meridianis horis, exagitatum *metues:*
Cadent à latere tuo mille & decem millia à dextris tuis ; ad te autem non appropinquabit.	7	Cadént*que* ad latus tuum millia *hostium*, & decem millia *inimicorum* ad dexteram tuam *cadent*; tu verò nihil damni accipies.
Veruntamen oculis tuis considerabis ; & retributionem peccatorum videbis.	8	Quin potiùs oculis tuis videbis; & improbos, *afflictores tuos*, *merita* supplicia dantes, aspicies;
Quoniam tu es Domine spes mea, Altissimum posuisti refugium tuum,	9	*Et quia dixisti :* tu es Domine spes mea, tuám*que* in Altissimo fiduciam collocasti,

sagitta. Lanceam, quâ Saul, ad configendum Davidem, usus est, intelligo : tum quia sagittæ instar in Davidem vibrata est, tum quia nomen Hebræum חץ (quod derivatur à radice חצן (quæ significat *scindere, exscindere*) prædictæ lanceæ (utpote quæ non minus quàm sagitta exscinderet) convenire potest ; eóque magis quod nomen קטב, in secundo hemistichio adhibitum, *scissionem & excisionem* significat non secùs ac verbum חצן à quo dictio חץ ortum ducit.

in die. idest meridie ut ex hemistichio ipsi respondente apparet; & colligi potest ex Catullo cui *de die convivia facere* est epulari meridie ut notavit Salmasius.: adstipulante *a* Cicerone qui *de die* dicit pro in luce clarissimâ adeóque meridianâ quæ cæteris diei horis clarior est ac lucidior.

ab incursu &c. Rabbini sensu (si tractatam à Vate historiam attingeret) non malo: *à lue* (quæ) *vastat in meridie.* LXX. legebant ושד pro ישוד; & totum hemistichium optimè verterunt ut patet cùm ex Symmacho apud Heracleotam vertente *ab incursu dæmoniaco in meridie,* atque ex Deut. XXXII. 17. & declaratâ in argumento historiâ de Saule qui in *die* seu in clarissimâ meridiei luce à malo spiritu agitatus *sagittam volantem* idest lanceam in Davidem vibrabat I. Reg. XVIII. 10. 11. XIX. 9. 10. tùm ex Veterum opinione qui Dæmonas meridie infestos esse credebant ut ex *b* Theocrito patet ac *c* Lucano.

millia subaudio *hostium* cum Heracleota & S. *d* Bernardo.

a 2. Phil. 87.
b Idyll. I. paulò post initium ubi Αἰπόλος idest *Caprarius* pastori Thyrsi ita loquitur. Οὐ θέμις, ὦ ποιμὰν, τὸ μεσαμβρινὸν &c. idest. *Non fas, ô Pastor, meridie; non fas est nobis tibia canere. Pana metuimus : certè enim à venatione quando defatigatus quiescit est acerbus & ei acris bilis in nare sedet.*
c lib. 3. circa medium. *Non illum* (lucum) *cultu populi propiore frequentant; sed cessere Deis : medio quum Phœbus in axe est aut nox atra tenet, pavet ipse Sacerdos accessus, Dominúmque timet deprendere luci.*
d in Psalmum 90. serm. 7.

veruntamen. illa vox; inquit Heracleota, *nihil hic significat.* Accipio ego pro *certè, sanè* &c. ut Psal. XXXVIII. 8.

quoniam tu es &c. Theodoritus, Heracleotam exscribens, ait: ἐλλείπει &c. *orationi structura hoc deest* DIXISTI *tu Domine spes mea.*

10 *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.*

Nullum tibi detrimentum importabitur, & nulla domum tuam pernicies infestabit.

11 *Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis:*

Nimirum Angelis suis curam tui demandavit *Deus præcipiens* ut te, quocunque perrexeris, custodiant:

12 *In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum:*

Unde omnigenam tibi opem afferent, ut ne exiguum quidem damnum patiaris:

13 *Super aspidem & basiliscum ambulabis; & conculcabis leonem & draconem.*

Atque hostes tuos, instar aspidis & basilisci *acerbos*, proteres; *eosdémque hostes*, instar leonis & draconis *crudeles*, conculcabis.

14 *Quoniam in me speravit liberabo eum; protegam eum quoniam cognovit nomen meum.*

SAMUEL NOMINE DEI. Davidi fiet ut dicitis: Nam, quando in me sperat, illum ab *omnibus, quæ recensuistis, periculis* liberabo; illúmque protegam quoniam potenti nominis mei auxilio nititur.

15 *Clamabit ad me; & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum:*

Me invocat; & ego exaudiam eum: adero illi in angustiâ, cúmque *ex eâ* eripiam, & gloriâ ipsum afficiam:

16 *Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.*

Eíque vitam longam concedam, & salutarem meam opem porrigam illi.

Angelis suis. Davidis custodiam pluribus Angelis commissam Psalterianus proponit versus: ad cujus elucidationem dico Angelos custodes à veteribus non solùm Patribus *a* Clemente Alexandrino, *b* Origene, *c* Eusebio, S. *d* Athanasio, *e* Methodio, *f* Didymo, S. *g* Gregorio Thaumaturgo, S. *h* Basilio, S. *i* Hieronymo, S. *k* Ambrosio, S. *l* Cyrillo Alexandrino, aliisque passim obviis; sed etiam ab Ethnicis *m* Platone, *n* Stoicis, *o* Euclide Socratico, *p* Empedocle, *q* Menandro Comico, *r* Pindaro, *s* Aristotele, *t* Hierocle, *u* Epicteto, *x* Apuleio, *y* Chalcidio, *z* Plutarcho, & Plotino, * Proclo, *a* Censorino, *b* Porphyrio, *c* aliisque agnitos fuisse; eósque piis non modò hominibus (uti S. *d* Hilarius, S. *e* Basilius, S. *f* Chrysostomus, atque Anastasius uterque *g* Nicænus scilicet & *h* Sinaita existimasse videntur) assignatos fuisse; sed eos omnibus promiscuè hominibus additos fuisse *m* docent B. *i* Hieronymus, *k* Primasius, *l* Theodoritus, *m* Gennadius, *n* Theophylactus,

a Stromat V. pag 591.
b homil. 11. & 20 in Num. & lib. 8. contr. Cels.
c Demonst. IV. p. 100. ed. Gr. Paris. 1544.
d de Com. essent. pag. 3. 2. fin. to. 1.
e in Sympos de Castit. apud Damasc. in Eclog. ter. 53.
f apud eund. Damasc. loc. cit.
g orat. in laudem Origenis.
h de verâ Virg. p 740. D. to. 1 & lib. de Spir. sancto cap. 13. to. 2.
i ad Is. XIV. & lib. 3. Comment. in Matth.
k lib. 1. in Luc. cap. 26
l lib. 4. contr. Jul.
m apud Clem. Alex. Strom V. p. 592.
n apud Senec. epist. 110.
o apud Lucilium in Satyr.
p apud Plutarch. lib. de tranquill. animi.
q apud Plutarch de tranq. an. Clem. Alex. Strom. V. & Euseb. Præp XIII. 13. p. 689.
r Olymp. 13.
s ap Clem. Al. Str. 6. p. 641.
t in Carmen aur.
u apud ArrianumDiss. lib. 1. cap. 14.
x de Deo Socratis.
y in Timæum.
z de Gen. Socr p. 588. E. & Ennead. III. lib. 5. cap. 4.
* Comment. ad Alcib. 1. Pl t.
a de Natali die cap. 3.
b apud Iambl de Myst.
c Hesidio apud Plutarch. de Gen. Socr p. 593 D. & Clem. Al. in Protrep p. 26 B Iamblicho ap Marsil Ficin. In Comment. lib. 3 Ennead. 2 in Plot Plura de Ang cust Lylius Gyraldus Synt. 15 J Iua Sirenius lib V. de Fato cap 4 Alexander ab Alex lib. 6. cap. 43 ibique Tiraquellus.
d can. 18 in Matth.
e ad Psal. 33 & 48
f homil. 3. in Epist. ad Col.
g Quæst. 71.
h lib. 5 Hexaëm.
i ad Matth. XVIII. 10. is 65.
k in Epist. ad Heb c. 1.
l quæst. 3 in Gen. & orat. 3. contr Græc.
m lib de Præscript.
n ad Matth. XVIII. 10.

&c. *a* Paschasius Radbertus. Quod verò Angelorum custodum numerum spectat, unicum Angelum singulis hominibus præpositum esse laudatorum à me Auctorum plerique affirmant; sed Vates noster cum Gen. XXXII. 1. IV. Reg. VI. 17. plures Angelos viris eximiis ad custodiam interdum dari ostendere videtur: quod *b* Origenes ad unumquemque nostrum minùs benè profert. Nostrum porrò versum *c* Diabolus Domino nostro olim accommodavit, *falso ac perperàm*, inquit *d* Apolinarius: qui Arianos prædictum versum de Christo interpretantes carpit. In eà ego sum sententià Psalterianum versum, de Davide in primariam sententiam dictum, Christo, qui in Davide præcipuè adumbratus fuit, sublimiore sensu convenire; atque adeò eum ipsi à Diabolo aptatum non immeritò fuisse: sed tutelam in prædicto versu descriptam malè à mendaci illo Spiritu intellectam fuisse, ut & ab Arianis qui eà ad labefactandam Christi divinitatem imperitè utebantur, quum illa in solam ejus humanitatem cadat.

a Comment. ad Matth. lib. 88.
b homil. 10 in Jos.
c apud S. Matth IV 6.
d in Cat. Corder. pag. 884.

ad lapidem. Theodoritus; ὁ σμικρὸν &c. *parum mali per offensionem ad lapidem indicavit.*

super. aspidem &c. Theodoritus de robustissimis & acerbissimis feris exponit. Ego, ob regulam Synonymicam, de unà acerbitate seu crudelitate interpretor: sic tamen ut in acerbitatem illam comprehendam linguæ virulentiam; eámque Basilisco designari putem cum Ægyptiis qui, teste Horo-Apolline, hominem accusatione & conviciis alterius malè affectum, significare cupientes, Basiliscum pingebant eò quod Basiliscus propiùs accedens ore & afflatu suo perimere dicatur. Saulem ejusque socios, virulentæ linguæ venenum in Davidem effundentes, adumbratos in Basilisco habes ut & in aspide, leone, & dracone. Confer Psal. LVI. 5. LVII. 4. 6. Etsi autem *e* Galenus Basiliscum se nunquam vidisse affirmet; & *f* Paulus Ægineta hanc quæstionem rarò oculis hominum occurrere proindéque in hujus curatione nihil se expertum esse scribat, attamen Psalmographi, *g* Dioscoridis, *h* Nicandri, *i* Plinii, *k* Solini, *l* Hieronymi Mercurialis auctoritate freti credere debemus Basiliscum in rerum naturâ reperiri.

e lib. 10. de med. simol.
f lib. V. 10.
g lib. VI 54 71.
h in Theriacis.
i lib. VIII. 2.
k cap 30.
l lib. I 21.

ARGUMENTUM.

PSALMI NONAGESIMI PRIMI.

OMISSA, quæ in Derasch recitatur, opinione de Adamo hunc Psalmum decantante in honorem Sabbati cujus adventu sententiam mortis declinasset: missâ etiam Salomonis Iarchii sententiâ quæ Psalmum ad alterum refert sæculum quod totum est Sabbatum. Prætermissâ quoque Rabbinorum Ataiæ & Kimchii opinione quæ Psalmum de tranquillis ac quietis Messiæ temporibus primario sensu explanat. His, inquam, omnibus omissis monitum volo Lectorem istud carmen Ezechiæ Judæóque populo, gratias pro Assyriorum internecione agentibus, accommodari ab Heracleota, ut & à Græco Corderii [m] Paraphraste qui eum etiam

m p. 893.

etiam Judæis Babylone captivis aptat. Ultimæ sententiæ versus 6. 7. 8. 9. cum Psal. XIII. 1. LXXII. 18. LXXIII. 23. 24. LXXXVIII. 50. LXXXIX. 2. collati aliquam verisimilitudinem afferunt; sed versus 14. ei non favet. Nostrum ego Psalmum cum Psal. XXXVI. contuli: quúmque in utroque *fœni* comparationem, *peccatorum*, *justi*, *libani*; &, quod rei caput est, *senectutis* mentionem deprehendissem, non dubitavi quin Psalmus ille noster à Davide, ad agendas, pro debellatis Absalomitis, gratias compositus fuerit. Nec me ab hac sententiâ, quartus Psalmi nostri versus cum II. Reg. XVIII. 33. XIX. 1. comparatus, avertit: quæ enim ex his Regum locis peti potest objectio minùs est firma; atque à nobis facilè diluetur in annotatione ad prædictum Psalmi versum.

TITULUS.

Psalmus Cantici in die Sabbati.

PSALMUS XCI.

1 *Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo Altissime:*

2 *Ad annuntiandum mane misericordiam tuam; & veritatem tuam per noctem,*

3 *In decachordo Psalterio cum cantico in citharâ:*

PARAPHRASIS.

Æquum est laudare Dominum, & nomen tuum celebrare ô Altissime:

Tuámque misericordiam matutino tempore prædicare; & tuam, *in promissis servandis*, constantiam noctu decantare,

Idque decachordo Psalterio & cantico ad citharam accommodato:

ANNOTATIONES.

Psalmus &c. Cod. Reg. 138. & Colb. 158 *Psalmus Cantici die* (al. *in die*) *Sabbati*. *vox Ecclesiæ*. Theodoritus legit *in diem Sabbati*. Illa vox *Sabbati* fluxisse videtur ex usu Synagogæ quæ Psalmum nostrum Sabbato canere consuevisset.

mane &c. *mane* dicit & *nocte* ut innuat misericordiam & veritatem Dei die noctéque canendam esse.

4 *Quia delectasti me Domine in facturâ tuâ; & in operibus manuum tuarum exultabo.*

Me enim Domine iis, quæ *meâ causâ in bello Absalomitico* fecisti, *miraculis* exhilarasti; & propter manuum tuarum opera *in mei gratiam, eodem in bello*, edita gaudio sum perfusus.

5 *Quàm magnificata sunt opera tua Domine, nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ!*

Quàm magna sunt tua *illa* opera Domine, *& quàm* admirandæ sunt cogitationes *quas, de me servando & inimicis meis profligandis,* suscepisti!

6 *Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc:*

Impii, *quibuscum certamen mihi erat*, viri non cognoscebant, & iniqui *illi homines* non intelligebant hæc *quæ sequuntur:*

7 *Quum exorti fuerint peccatores, sicut fœnum; & apparuerint omnes qui operantur iniquitatem*

Nimirùm florere improbos sicut fœnum *quod velociter arescit*; omnésque, qui in flagitio versantur, conspicuos esse *in mundo*

8 *Ut introeant in sæculum sæculi: Tu autem Altissimus in æternum Domine;*

Ut, *paulò post*, lucis usurâ æternùm priventur. *Non ita est de te* Domine: tu *enim* summâ semper potestate præditus es;

9 *Quoniam ecce inimici tui Domine: quoniam ecce inimici tui peribunt; & dispergentur omnes qui operantur iniquitatem:*

Ideóque inimici tui Domine *qui in me, à te electum, rebellaverant:* inimici, *inquam, illi* tui perierunt; omnésque *illi* scelerati exterminati sunt:

10 *Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum; & senectus mea in misericordiâ uberi:*

Et meum, *unde deturbatus fueram*, regnum evasit firmum instar cornu monocerotis; meá*que* senectus, *quæ ad inopiam compulsa fuerat*, ubertimis misericordiæ *divinæ* bonis cumulata est:

delectasti. David quidem, superatis Absalomitis, tristitiæ se tradidit II. Reg. XVIII. 33. sed unum lugebat filium ut ex laudato loco & II. Reg. XIX. 1. apparet; luctusque ille non impediit quominùs de victoriâ in rebelles subditos partâ gavisus fuerit ut ex II. Reg. XIX. 22. colligere est. Unde versus noster Regali historiæ non repugnat.

introeant. integram loquutionem habes in Psal. XLVIII. 20. Non longè hinc abeunt ista Lucani: *tolluntur in altum ut lapsu graviore ruant.*

unicornis. vide annot. ad Psal. LXXVII. 75. & *a* Diodorum lege.

senectus mea &c. Rabbini: *perfusus sum oleo viridi.* Nostri metaphoras *olei* & *viridis* doctè explicarunt, & dictionem בלתי *senectutem* optimè interpretati sunt uti ex historiâ in Psalmo tractatâ liquet; & Symmacho qui, apud Theodoritum, vertit: *vetustas mea*, ac S. Hieronymo qui ex Hebræo transfert *senectus mea.*

a In Cat. Cord. pag. 903. fin.

11 *Et despexit oculus meus inimicos meos; & in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.*

Meúsque oculus inimicos meos vidit postratos; & auris mea improborum, *qui in me insurrexerant, subditorum* interitum audivit.

12 *Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur:*

Neque verò mihi tantùm benignè fecit Deus; sed & justi mei commilitones palmam, *quæ semper viret & foliis semper vestitur*, imitati perpetuâ felicitate utentur; & Libanco, *qui ramorum copiâ abundat*, cedro similes multiplicibus bonis affluent:

13 *Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt:*

Atque, in æde Dominicâ & in atriis domus Dei nostri plantati, *virtutibus* florebunt:

14 *Adhuc multiplicabuntur in senectâ uberi, & benè patientes erunt ut annuntient*

Insupérque in felici, *quam agent*, senectute multo pollebunt robore, & benè valentes erunt ut prædicent

15 *Quoniam rectus Dominus Deus noster; & non est iniquitas in eo.*

Quòd justus est Dominus Deus noster; & quòd ab omni iniquitate vacuus est, *suum cuique tribuens.*

despexit. Theodorus: ὁ ἐπεῖδεν &c. *illud despexit idem est quod videre inimicos cernentes & perculsos ab iis qui ex adverso sunt. Ratio est quia inimicos, sic perculsos, despicere solemus.* Favent Eusebius, Heracleota, & Theodoritus qui interpretantur: *calamitosum impiorum finem cernam.*

justus. collectivè sumitur ut patet ex sequenti versu. In hanc sententiam in Psal. XXXVI. non semel accipitur.

ut palma. b Tertullianus legit *ut Phœnix*; nec mirum: nam φοῖνιξ Græcè *Phœnicem* significat & *palmam.* Ex quâ duplici significatione factum est ut textum alii de palmâ alii de alite intellexerint; & palmam phœnici Ezechielus poeta *c* Eusebio atque *d* Eustathio exscriptus ac *e* Plinius conjunxerint: indéque etiam evenit ut in *f* Nili opusculis (quemadmodum notavit doctissimus *g* Cotelerius) vir illustris *Urbem Phœnicum*, quæ ex Scripturis est *civitas palmarum*, interpretatus sit: errore huic ferè germano quo captus est ille qui, ut eruditissimo *h* Mureto observatum, ἐγκέφαλον φοίνικος in Plutarcho *cerebrum Phœnicis* transtulit quum significetur *medulla palmæ.* His porrò, quæ de palmâ ad Psal I. 3. notavi, adde locum B. *i* Ambrosii & Commentarios Heracleotæ, Timothei, Theodoriti; atque Euthymii qui, cum Heracleota ac Theodorito, versum nostrum rectè opponit ei in quo peccatores fœno assimilati sunt suprà.

b lib. de Resurrect. c. 13

c Præp. IX. 29.

d in Hexaëm pag. 25. 26

e lib. XIII. 4.

f pag. 115.

g to 1. Monum. Eccle. Gr. col 606.

h Var lect. lib XIII 12.

i Serm 24. de temp p. 196. H.

ficut cedrus. Hæc arbor (uti Libanus) diuturno tempore permanere dicitur à Theodorito; Timotheus autem & Euthymius prædictæ arbori suaveolentiam, imputribilitatem, & ramorum copiam adscribunt. Copiam ego ob loca Job. VIII. 7. 11. XII. 23. Psal. LXXII. 12. elegi: Synonymicâ (quæ servatur dummodò utrumque hemistichium ad idem subjectum pertineat) regulâ illæsâ; quanquam fateor eandem regulam cum diuturnitate & imputribilitate rectiùs constare.

florebunt. ad virtutem retuli cum Timotheo.

senecta uberi. plenam seu summam senectutem Heracleota & Theodoritus exponunt; sed huic explicationi non favet vox דשנים quæ *pinguem* seu florentem ac virentem hoc est felicem senectutem significat: quemadmodum intelligit, apud Theodoritum, Symmachus qui *optimos & floridos* interpretatur. Vates autem *senectutis* meminit quia veteranæ copiæ Davidi adhæserant.

benè patientes. Heb. *virides*, eodem sensu: qui enim viridi seu firmâ sanitate fruuntur laboris patientes sunt. S. Augustinus legit *tranquilli*.

ARGUMENTUM.

PSALMI NONAGESIMI SECUNDI.

QUANDO Moabitæ, Ammonitæ, Syri, aliíque *aquis* in Psal. XLV. 3. comparantur, & Sennacheribus *aquis fluminis fortibus & multis* Judæam inundaturis, ab Isaia VIII. 7. assimilatur: Regésque cùm Josaphat tum Ezechias *aquas* illas, porrectâ *è templo* Hierosolymitano ope, coercuerunt; & nostro in Psalmo *fluminum* & *aquarum* ac *domus Dominicæ* mentio fit, suspicatus interdum fui victoriam ab alterutro rege partam vers. 1. 2. 6. 7. describi; &, quæ de exaudiendis orationibus in templo fusis Deus in Deut. XII. 11. III. Reg. VIII. 29. 30. fecerat, promissa laudibus in ℣. 7. efferri; indéque concludi decere Judæos ut, qui eximiam beneficio templi victoriam retulerant, piè ac sanctè in eo semper versarentur. Verùm, collatis Psalmi nostri versibus 1. 2. 3. 7. cum Psal. LXIV. 5. LXXIV. 3. LXXXIX. 2. XCV. 6. 9. XCVI. 1. CXLV. 9. Is. XL. 8. 28. LII. 7. Ezech. XX. 33. 34. 35. 36. 37. Mich. IV. 7. de meâ discessi suspicione; &, cum Græco Corderii Paraphraste, existimavi reditum ex Babylone heic significari: sic ta-

men ut sublimior Psalmi sensus Unigenitum respiciat advenientem ut propriis iterum sceptris subjiciat humanum genus: quod, à Dei regno desciscens, Satanæ tyrannidi obnoxium fuerat uti ait B. Athanasius.

TITULUS.

Laus Cantici ipsi David in die ante Sabbatum quando fundata est terra.

PSALMUS XCII.		PARAPHRASIS.
DOminus regnavit decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem & præcinxit se;	1	DOminus *in Judæâ* regnat robore indutus, & fortitudine amictus ac præcinctus;
Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur.	2	Terrámque *Israeliticam*, *hostili furore conquassatam*, sic firmavit ut eo *in posterum* non sit vastandâ.
Parata sedes tua ex tunc; à sæculo tu es.	3	*Id verò Domine ideò præstitisti quia* supremum tibi ex æterno tempore dominium inest, & ab omni æternitate existis: *inde enim facilè tibi fuit nos, etiam post diuturnos captivitatis annos, servare.*

ANNOTATIONES.

laus &c. Cod. Reg. 138. *laus Cantici ipsi David in die ante Sabbatum quando inhabitata est terra. vox Ecclesiæ de regno Christi.* Ita Cod. Colb. 158. nisi quòd vocem *ipsi* non habet; &, pro nomine *Christi* exhibet vocabulum *Dei.* Cod. Memm. 2. *laus Cantici David in die dominicâ.* Cod. Reg. 222. Colb. 1. & 1339. cum Vulgatâ legunt *ante Sabbatum*; sed, pro *fundata est*, habent *inhabitata est*, eodem tamen sensu manente: nimirùm Psalmum hunc solitum fuisse apud Judæos cantari feriâ sextâ quâ in patriam pervenerant; & terra Israelitica, quæ priùs vastata fuerat ac deserta, reconcinnari atque habitari cœperat. Hæc est opinor, Psalteriani sententia tituli qui à doctâ manu profectus est, tametsi Theodoritus hæc solùm verba, *laus Cantici Davidis sine titulo apud Hebræos*, repræsentet; & voces *sine titulo apud Hebræos*. neque in Hexaplo neque apud Eusebium haberi testetur.

regnavit. Theodoritus, Eusebium exscribens, ait: Οὐ γὰρ &c. *Non quæ non habebat assumsit; sed quæ habebat demonstravit.*

qui non commovebitur. Quum heic & Psal. LXXIV. 3. terram Israeliticam in posterum non concutiendam audis, intellige si Judæi ad pietatis studia incumberent: nam in omnibus promissis & minis Dei tacita subest conditio ut rectè observat Grotius ad Ezech. XXXVII. 19. Dan. IX. 3. Græcorum porrò Doctorum Heracleotæ & Græci Paraphrastis ille mihi

non arrifit fenfus quo tres primos verfus [illegible] ferè explicant. Quum omnipotens & ominitenens exifteret Deus, atque univerfum orbem creaverit & inconcuffum reddiderit; ac fempiternus rex fit, non mirum fi univerfæ terræ regem fe effe oftenderit, & nos à captivitate liberaverit.

ex tunc. Heracleota rectè exponit *ab initio*, hoc eft *à fæculo* ut in fecundo explicatur hemiftichio.

Elevaverunt flumina Domine; elevaverunt flumina vocem fuam.

4 *Babylonii equidem, tanquam exundantia* flumina, ediderant Domine; ediderant flumina *illa* horrendum fragorem *fuis nos vexationibus cruentes*.

Elevaverunt flumina fluctus fuos, à vocibus aquarum multarum:

5 *Hæc, inquam,* flumina *tumefcentes iracundiæ fuæ* fluctus *in nos* extulerant, poftquam *fluctus illi ingenti*, multarum (*quibus nos identidem oppreſſerant*) *ærumnarum confluentium & inter fe collidentium*, ftrepitu creviffent:

Mirabiles elationes maris; mirabilis in altis Dominus:

6 Dirúmque in modum populorum *illorum, feroci* mari fimilium, fluctus *nos* jactaverant; *fed* Dominus, in cœlo degens, admirandum fe præbuit *fluctus illos compefcens & res noftras tranquillum in ftatum reducens:*

Teftimonia tua credibilia facta funt nimis: domum tuam decet fanctitudo Domine in longitudinem dierum.

7 *Sicque* teftimonia, *quibus per Prophetas falutem nobis promiferas Domine*, amplam *ubique* fidem invenerunt. *Quæ quum ita fint, atque eximio libertatis beneficio nos* Domine *ornaveris*, decet ut in templo tuo fanctè & piè, per totam vitam noftram, verfemur.

flumina. Græcus Paraphraftes: Ποταμοὺς &c. *flumina heic figuratè vocat Babyloniorum multitudinem.*

à vocibus aquarum multarum. Hæc verba Theodoritus cum fequentibus jungit; fed Vulgatum ordinem fervat Græcus Paraphraftes: qui, cum Theodorito, habet *elevabunt flumina illifiones fuas*. Quæ voces à Sixtinâ editione abfunt; fed in Regiis ac Colbertinis Codicibus Græcis reperiuntur. S. Aug. *elevaverunt flumina voces fuas.*

maris. Græcus Paraphraftes: Θάλασσαι &c. *mare iterum hic vocat illam ipfam Babyloniorum multitudinem; elationes verò fluctus*. S. Aug. pro *elationes* legit *fufpenfura*.

ARGUMENTUM.

PSALMI NONAGESIMI TERTII.

PSALMUM istum Judæis Babylonico jugo mancipatis tribuo cùm ex auctoritate Theodori Heracleotæ & Græci Paraphrastis tum ex collatis illius versibus 2. 3. 4. 7. 8. 23. cum Psal. XIII. 1. 2. & Psal. LXXII. 6. 8. 11. 12. 18. 19.

TITULUS.

Psalmus ipsi David quarta Sabbati.

PSALMUS XCIII.		PARAPHRASIS.
DEus ultionum Dominus: Deus ultionum liberè egit.	1	DEus scelerum vindex: Domine, *inquam*, Deus scelerum vindex splendidam sume vindictam *de impiis Babyloniis.*
Exaltare qui judicas terram, redde retributionem superbis.	2	Solium tuum conscende ô judex orbis, & superbis *Babyloniis* meritas pœnas redde.
Usquequò peccatores Domine, usquequò peccatores gloriabuntur?	3	Quousque Domine improbi *illi*, quousque improbi *illi* insolescent?
Effabuntur, & loquentur iniquitatem? loquentur omnes qui operantur injustitiam?	4	Debacchabuntur, & contumelias in te jacient? *quousque, inquam*, scelerati omnes *Babylonii* conviciis te consectabuntur?
Populum tuum Domine humiliaverunt, & hæreditatem tuam vexaverunt:	5	Populum tuum Domine atterunt, & *Israelitas* vexant:

ANNOTATIONES.

Psalmus &c. Cod. Reg. 138. *Psalmus ipsi David quarta Sabbati. vox Ecclesia de Judais ad Christum.* Colb. 158. *Psalmus Davit quartà Sabbati. vox Ecclesia ad Dominum.* Theodoritus: *Psalmus Davidi quarta Sabbati sine titulo apud Hebraos*; tum de istà inscriptione sic scribit. *Perspicuum est inscriptionem quosdam alios apposuisse non Prophetam, nec eos qui hunc à principio interpretati sunt.*

quarta Sabbati. Fluxisse hæc videntur ex usu Synagogæ quæ Psalmum istum feriâ quartâ canere solita fuerit.

egit. præt. pro futuro imperativi locum tenente ut patet ex serie; atque Aquila qui, referentibus & assentientibus Heracleotâ & Theodorito, dixerat ***appare***: unde non abeunt Rabbini vertentes ***affulge.*** Ab hoc sensu LXX. non recedunt: nam qui *liberè* hoc est sine metu rem facit aliquam, palàm & apertè atque splendidè eam facit. Confer Psal. XI. 6. S. Aug. legit *fidenter egit.*

iniquitatem. Confer Psal. LXXIV. 5.

Viduam & advenam interfecerunt, & pupillos occiderunt;	6	*Nullàque sexus, hospitalitatis, atque ætatis ratione habitâ*, viduas *nostras, nos* peregrinos, & pupillos *nostros* occidunt;
Et dixerunt: non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob.	7	Dicúntque: non videt *hæc* Dominus, nihilque *horum* novit Deus *Israelitarum.*
Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite.	8	Intelligite *tamen ò Babylonii* populorum insipientissimi, *vósque ò* stulti *Babylonii* tandem sapite.
Qui plantavit aurem non audiet; aut qui finxit oculum non considerat?	9	Num is, qui aurem *capiti* affixit, non audiet; aut, qui oculum formavit, non videbit?
Qui corripit gentes non arguet? Qui docet hominem scientiam	10	An, qui Gentes *alias olim* castigavit, non puniet *vos quasi impia vestra facta ignoraret? Certè* qui mortales scientiam docet
Dominus scit cogitationes hominum; quoniam vanæ sunt.	11	Dominus vel ipsas hominum, *nobis infensorum Babyloniorum*, cogitationes habet perspectas; *scitque* eas esse nequissimas, *atque adeò eas tandem puniet.*
Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tuâ docueris eum	12	Beatus *interim* est populus *Judaicus: quippe* quem, *mediis in ærumnis quibus premitur*, erudias Domine, & legem tuam doceas
Ut mitiges ei à diebus malis, donec fodiatur peccatori fovea.	13	Ut *eâ* solatium illi, aspero *captivitatis* tempore, afferas donec improbis *Babyloniis* exitium importetur.

occiderunt. Confer Psal. XLIII. 24.

vana Ut veritas pro æquitate sumitur Zach. VIII. 3. ita vanitas, quæ idem atque mendacium non rarò sonat, accipienda heic videtur pro iniquitate.

homo. Confer Psal. LXXVII. 29. LXXXIX. 3.

Quia

14 *Quia non repellet Dominus plebem suam, & hæreditatem suam non derelinquet*

Beatus, inquam, est Judaicus populus: nam eum, *vinculis illigatum*, non deserit Dominus, illúmque non derelinquit, *suis eum consolationibus permulcens*

15 *Quoadusque justitia convertatur in judicium, & qui juxta illam omnes qui recto sunt corde*.

Donec *divina*, *quæ jacere nunc videtur*, justitia judicium in *Babylonios* exerceat, illám*que* sibi pii omnes *Judæi* propitiam sentiant, *libertate potiti*

16 *Quis consurget mihi adversùs malignantes, aut quis stabit mecum adversùs operantes iniquitatem?*

Quam enixè opto, dicens: Utinam surgat *Deus* qui suppetias mihi, *contra improbos Babylonios*, ferat; atque utinam mecum *idem ille Deus* consistat adversus sceleratos *illos ut eorum jugum excutiam?*

17 *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulò minùs habitasset in inferno anima mea:*

Verùm, ut unde paululùm deflexerat oratio redeat & institutum de divinis consolationibus sermonem persequar, addo quòd nisi Dominus opem mihi, *in hac captivitate*, *subinde* tulisset *jam* in sepulchro jacerem:

18 *Si dicebam motus est pes meus, misericordia tua Domine adjuvabat me;*

Sed ubi dicebam, actum est de me, misericordia tua Domine adjuvabat me;

19 *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.*

Et, pro multitudine dolorum qui cor meum cruciabant, consolationes, *quas mihi legis tuæ beneficio adhibui*, *sti*animam meam vicissim lætificarunt.

quoadusque &c. Rabbini: *nam usque ad justitiam revertetur judicium*. LXX. Senes legerunt עד כי pro כי עד, optimáque est Senum lectio. S. Augustinus: *quousque justitia tua convertatur in judicium.*

& qui &c. illud *qui* abest à textu Hebræo. Esse autem *juxta aliquem* est eum habere pro amico ut apparet collato loco Psal. XXXVII, 12. S. Augustinus legit *& qui habent tam, omnes recti sunt corde*. Theodoritus autem testatur Aquilam & Theodotionem vertisse *& post illam* pro *& juxta illam.*

omnes recti corde. iidem sunt atque justi vers. 21. infrà; & utraque loquutione Judæi designantur: qui, ut monet Græcus Paraphrastes, *semetipsos justos appellant comparatione Babyloniorum.*

quis consurget. non interrogat sed optat more Hebræo ut Psalmis XIII. 11. LII. 8. LIV. 6;

apparet, & sensu: nam, quando in versu præcedenti *justitiam* (divinam) *conversum iri in judicium* dixit, caussa non subest cur sciscitetur quisnam futurus sibi sit auxilio. Unde mihi non probatur Euthymius quum sic explanat: *quis mecum consistet? Deus profectò qui & olim persæpe mei curam suscepit. Pene, inquit, periissem si periclitanti mihi Dominus opem non tulisset.*

nisi quia &c. inchoatam versibus 12. 13. 14. materiam resumit ut patet ex vers. 19. 20. infrà.

a in lib. de Spiritu sancto ex versione S. Hieronymi.

consolationes tuæ. S. Aug. *exhortationes tuæ.* Utramque lectionem agnoscit a Didymus.

20 *Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto.*

Tu *siquidem* non es iniquus *Princeps* qui laboriosam sancias legem: *nam tantùm abest ut sancita à te lex molestiam creet, ut miram consolationem afferat utpote quæ melle & favo sit dulcior.*

21 *Captabunt in animam justi, & sanguinem innocentem condemnabunt,*

Hæc quum ita sint, justorum *Judæorum* vitæ insidientur *Babylonii quantùm libuerit*, & innocentes *Israelitas* morti addicant;

22 *Et factus est mihi Dominus in refugium; & Deus meus in adjutorium spei meæ:*

Dominus refugium erit meum; & meam, in auxilio Dei mei, spem ponam:

23 *Et reddet illis iniquitatem ipsorum; & in malitiâ eorum disperdet eos, disperdet illos Dominus Deus noster.*

Ipséque debitam iniquitati eorum pœnam rependet illis; eósque, propter pravitatem eorum, funditùs perdet Dominus Deus noster.

nunquid &c. subtiliùs quàm verius Paraphrastes Græcus versum explicat, quasi Vates diceret Babylonios quodammodo visos esse fingere & creare labores & obstacula præcepto tuo quo jussisti nos reverti. Optimè b Heracleota & c Didymus *sedem iniquitatis* interpretantur tyrannicum principatum. Symmachus, ab Heracleota & Theodorito laudatus, verterat: *nunquid conjungetur tibi sedes injuria qua fingis calamitatem contra præceptum?*

b p. 930. lin. 19. 20.
c p. 336.

ARGUMENTUM.

PSALMI NONAGESIMI QUARTI.

THEODORUS Heracleota & Græcus Corderii Paraphrastes Psalmum tribuunt Judæis è Babylonico jugo eductis, & gratias pro tanto beneficio agentibus; séque invicem, ob illud beneficium, ad lætitiam provo-

cantibus, atque ad pœnitentiam cohortantibus ne deinceps in ſimilem captivitatem inciderent. Huic ſententiæ verſiculus 7. cum Pſal. LXXIII. 1. LXXVIII. 14. collatus favere videtur; ſed eam B. [a] Paulus, juxta noſtra; eáque (ut quidem ego puto) firma, * principia damnat, dum Pſalmum Davidi adſcribit. Theodoritus formatum putat Pſalmum ex perſonâ [b] Joſiæ & Dei ſacerdotum tripudiantium quòd ab impietate Idololatricâ liberati eſſent, & univerſum populum commonefacientium ut pœnitentiam agerent, Deúmque placarent; atque, hoc pacto, intentatam minis Oldicis perniciem declinarent. Verùm hæc opinio cum Paulinâ, quam citavi, auctoritate non conſtat. Exiſtimo ego conditum fuiſſe à Davide hunc Pſalmum ut decantaretur in ſolemni Arcæ in montem Sionem tranſlatione; tréſque ſunt rationes quæ me ad illam ſententiam traducunt. Primam rationem ſumo ex *jubilo* quod in II. Reg. VI. 15. ac I. Paralip. XVI. 23. ut & in primo Pſalmi noſtri verſu invenio. Secundam peto ex lacrymis verſus 6. quæ cum periculo, in I. Paral. XVI. 35. deſignato, optimè cohærere poſſunt. Tertiam depromo ex loquutionibus *præoccupemus faciem ejus* verſ. 2. & *ante Dominum* verſ. 5. quæ, quum templum (ut apparet collatis locis Deut. XVI. 16. Pſal. XXIII. 6. Pſal. LXVII. 3. 5. XCV. 6. XCIX. 2.) ſpectent, innuere videntur ipſas, poſtquam David ædem Deo paraſſet, uſurpatas fuiſſe: quum præſertim beatus ille Princeps, I. Paral. XVI. 25. ædem Deo dicans, iiſdem ferè utatur verbis quæ in tertio Pſalmi noſtri verſu leguntur. Hæc habui de literali Pſalmi ſenſu dicenda. Myſticum docet B. [c] Paulus quem conſulas etiam atque etiam velim, dum ego monebo duos eſſe in Pſalmo interlocutores: Davidem ſci-

[a] Heb. IV. 7.
* Præfat. cap. 8.
[b] IV. Reg. XXII. & XXIII.
[c] Heb. III. & IV.

licet & Deum, quem Vates inducit loquentem ut dictis suis robur addat.

TITULUS.

Laus Cantici ipsi David.

Psalmus XCIV.		Paraphrasis.
VEnite, exultemus Domino: jubilemus Deo salutari nostro.	1	*DAVID.* Adeste, ô *populares*; canamus Dominum: *&* Deum sospitatorem nostrum celebremus.
Præoccupemus faciem ejus in confessione, & in Psalmis jubilemus ei:	2	Ad eum cum laude adeamus, & Psalmos decantemus ei:
Quoniam Deus magnus Dominus, & rex magnus super omnes Deos;	3	Deus enim magnus *est* Dominus, & rex magnus longè omnibus *Ethnicorum* Diis præstans;
Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, & altitunes montium ipsius sunt:	4	Totáque terra usque ad ultimos ejus fines in potestate ejus est, atque ipsius dominio montium cacumina subsunt:
Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud; & siccam manus ejus formaverunt.	5	Pertinétque ad eum mare, & ipse fecit illud; terrámque pariter manus ejus formaverunt.
Venite, adoremus; & procidamus, & ploremus ante Dominum qui fecit nos:	6	Adeste, *iterum ô populares*, adoremus *Deum*; ac procidamus, & ploremus coram Domino creatore nostro:

ANNOTATIONES.

Laus &c. Cod. Reg. 138. & Colb. 258. *laus Cantici David. vox Ecclesiæ ad Dominum pro Judæis* al. *de Judæis.*

super omnes Deos. Theodoritus legit *super omnem terram*; & Psalterium Romanum, cum B. Augustino, addit *quoniam non repellet Dominus plebem suam*: quæ verba, ex Psalterio Romano desumta & minùs benè heic locata, canuntur in Invitatorio præterquam in Epiphaniâ.

& altitudines montium &c. Eximiè Theodoritus: αὐτοῦ &c. *ipsius sunt etiam montium cacumina, licet Dæmones stolidis hominibus millies persuaserint ut eis ibi delubra erigerent.* Laudatum Invitatorium, pro *ipsius sunt*, habet *conspicit* ex Psalterio Romano.

& ipse fecit. Illud *&* pro caussali particulâ à quibusdam accipitur, me non assentiente ob sequentia.

ploremus. Heb. *genuflectamus.* LXX. legerunt נבכה pro נברכה. Profusis, tempore Jo-

fiæ post Deuteronomii lectionem, lacrymis id aptat Theodoritus: quem; ob explicatam in Argumento rationem, non sequor.

7 *Quia ipse est Dominus Deus noster; & nos populus pascuæ ejus & oves manus ejus.*

Ipse namque est Dominus Deúsque noster; nos autem populus ejus *sumus*, & oves quas manu suâ ducendas suscepit. *Unde, quà Dominus Deúsque noster, adorationes nostras meretur; &, quà benignus pater ac pastor noster, fusas pro circumstantibus periculis lacrymas exaudiet.*

8 *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*

DEUS. Hunc Davidis sermonem quum hodie auditis *ô Israelitæ*, nolite obdurare corda vestra

9 *Sicut in irritatione secundùm diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres vestri: probaverunt & viderunt opera mea*

Sicut *olim* factum est quando ad iracundiam concitatus sum quo die mea explorata fuit potentia in deserto *Raphidim*, ubi patres vestri meæ potentiæ periculum facere *voluerunt: quam utique suo tunc usu* comprobarunt; & *postea etiam* experti sunt, *mira* mea opera videntes — Exod. XVII.

10 *Quadraginta annis. Offensus fui generationi illi, & dixi semper: hi errant corde;*

Quadragenos per annos. *Horum ego hominum duritiam cernens*, illos *subinde* castigavi *eo consilio ut resipiscerent*; &, *pœnis monita adjungens*, dicebam assiduè: desipiunt *viri* hi;

11 *Et isti non cognoverunt vias meas: ut juravi in irâ meâ si introibunt in requiem meam.*

At illi, *nec pœnis nec monitis meliores facti*, præcepta mea non servaverunt: unde iratus juravi me non introducturum illos in terram promissam.

manus ejus. Psalterium Romanum *pascua* ejus; & ita habet Psal. LXXVIII. 14.

sicut in exacerbatione. S. Hieronymus vertit *sicut in contradictione*, quomodo legitur in Psal. LXXX. 7. Idem ubique sensus: nam Israelitæ, Mosi contradicendo, Deum exacerbaverunt. Doctissimus Presbyter cum LXX. legebat כמריבה pro hodiernâ voce במריבה: quam, ut & sequentem מסה, Rabbini pro nominibus locorum propriis sumunt, non benè.

quadraginta annis. hæc verba antecedentibus jungo cum beato [a] Paulo & Theodorito, quibus Mosaica favet historia: nam Deus, totis quadraginta annis, Judæos pœ- — [a] Heb. III. 10.

nis non affecit, sed mira, per totum hoc tempus, opera edidit: ex quibus patet hallucinari etiam eos qui particulam copulativam loquutionis *&* *viderunt* interpretantur *etsi*.

[a] Heb. III. 10.

offensus fui. B. [a] Paulus legit *infensus fui*, eodem sensu: à quo Augustiniana & Romana lectio *proximus fui* non abit: subauditur enim puniendo.

requiem meam, majorem hic textus lucem à Psal. CXXXI. 5. 8. 14. quàm à Jer. XXXI. 2. mutuatur: etsi eruditissimus Grotius eum cum Jeremiano textu comparet.

ARGUMENTUM.

PSALMI NONAGESIMI QUINTI.

NOn *consonat Psalmus titulo suo; & aliud portat in fronte, aliud in voce* inquit B. Augustinus: cui succinens Theodoritus, ait post Apolinarium: Ο.Ν. &c. *Nec hanc inscriptionem beatus David conscripsit, nec qui à principio prophetiam interpretati sunt; sed alius quispiam, ut verisimile est, superficie tenùs sensum Psalmi attendens, hunc posuit titulum.* Eximiis, quos nominavi Doctoribus, ego hac in parte non consentio: nam, ex Psalterianis versibus 1. 9. 10. 12. 13. cum Psal. LXVI. 4. XCII. 1. 2. CXLV. 9. Is. XLII. 10. XLIV. 23. LII. 7. LV. 12. collatis habeo persuasum titulum (dummodò pro Augustinianâ lectione *ædificabatur*, reponamus *ædificata fuit*) Psalmo congruere, & primarium Psalmi sensum Auctori tituli optimè fuisse perspectum. Psalmus enim gratiarum actionem pro reditu continet; atque ab Israelitis, quando Ædes post captivitatem Babylonicam, ædificata fuit usurpatus videtur: [b] Davide totam ferè materiam suppeditante; Judæis verò reducibus eam in peculiarem Psalmum dedicantibus: sic tamen ut in literali quem explanavi, sensu nobiliorem sententiam, nempe omnium hominum salutem à Christo afferendam & Ecclesiam toto orbe ædificandam, adumbrarent.

[b] I. Paralip. XVI. 23. & seq.

TITULUS.

Canticum ipsi David quando domus ædificabatur post captivitatem.

PSALMUS XCV.		PARAPHRASIS.
Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra.	1	Cantate Domino canticum novum, canite Dominum omnes terræ *Israeliticæ* incolæ.
Cantate Domino, & benedicite nomini ejus: annuntiate de die in diem salutare ejus.	2	Canite Dominum, & laudate nomen ejus: prædicate, singulis diebus, salutem ab eo *nobis* allatam.
Annuntiate inter Gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus.	3	Gloriosa ejus gesta inter gentes *Judaicas* annuntiate, & miracula ejus inter omnes populos *Israeliticos* narrate.
Quoniam magnus Dominus & laudabilis nimis: terribilis est super omnes Deos.	4	*Narrate* quòd magnus est Dominus ac valdè laudabilis; *&* præ omnibus, *qui ab Ethnicis coluntur*, Diis suspiciendus.
Quoniam omnes Dii gentium Dæmonia, Dominus autem cœlos fecit;	5	*Narrate* quòd omnes *Ethnicorum* Dii Idola sunt nullâ potestate prædita, *& quòd* Dominus cœlos fecit;
Confessio & pulchritudo in conspectu ejus, sanctimonia & magnificentia in sanctificatione ejus.	6	Sé*que* laude & honore dignum præbet in templo suo, *atque* augustum se ac gloriosum ostendit in sanctuario suo.

ANNOTATIONES.

Canticum &c. Cod. Reg. 138. *Canticum David quando Domus ædificabatur post captivitatem. vox Ecclesiæ vocantis ad fidem.* Colb. 158. *Psalmus David quando Domus ædificabatur post captivitatem. vox Apostolorum ad Dominum de confusione Idolorum.*

ædificabatur. Græca vox ᾠκοδόμειτο ab interprete Theodoriti meliùs vertitur *ædificata fuit*: nam Psalmus Templum supponit ædificatum ut patet ex versibus 6. 8.

novum. non materiâ, sed dedicatione quemadmodum in argumento insinuavi.

Dæmonia. id nominis in bonam partem à *a* Platone, *b* Hierocle, & Græcis Theologis *c* Eusebio prolatis accipitur. Sed prædictum nomen LXX. Senibus est *idolum* seu *res nihili* ut patet ex Hebræâ voce & B. *d* Paulo, *e* Clemens Alexandrinus legit *Quòd omnes Dii Gentium sunt idola Dæmoniorum: Deus autem cœlos fecit & ea quæ sunt in cœlo.*

confessio &c. Rabbini: *fortitudo & decor coram eo: robur & gloria in sanctuario ejus.*

a in Timæo.
b Comment. in Carm. aur.
c Præp. IV. 5. p. 141. H. 142. B.
d I. Cor. VIII. 4.
e in Protreptico. pag. 41. C.

Idem ubique sensus: siquidem decor Dei est ipsius fortitudo ut jam notavimus, & laude dignus apparet Deus quum fortitudinem suam exserit.

in conspectu ejus. idem sonat ac in sanctificatione ejus, hoc est in templo ejus: ubi scilicet Deus videndum se præbet, & sanctificatur seu laudatur ab ipsius cultoribus.

sanctimonia. accipio pro laude: quomodo vox *sanctificetur* sumitur in his Dominicæ orationis verbis, *sanctificetur nomen tuum.*

7 *Afferte Domino patriæ Gentium, afferte Domino gloriam & honorem: afferte Domino gloriam nomini ejus.*

Tribuite Domino familiæ *Israeliticæ*, tribuite Domino gloriam & honorem: tribuite Domino gloriam nomini ejus debitam.

8 *Tollite hostias, & introite in atria ejus; adorate Dominum in atrio sancto ejus:*

Afferre victimas, atque in atria *templi* ejus introire; & Dominum, in sancto ejus atrio, adorate:

9 *Commoveatur à facie ejus universa terra, dicite in Gentibus quia Dominus regnavit;*

Omnisque terra *Israelitica* faciem ejus revereatur, atque inter populares *vestros* dicite quòd Dominus regnandi provinciam suscepit *in Judeâ*;

10 *Etenim correxit orbem terræ qui non commovebitur. Judicabit populos in æquitate.*

Orbémque etiam *Israeliticum* sic firmavit ut non sit *hostilibus armis in posterum* disturbandus. *Dicite etiam quòd Dominus* populos *Judaicos* cum æquitate regit.

11 *Lætentur cœli, & exultet terra: commoveatur mare & plenitudo ejus; gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt:*

Sed & lætentur cœli, & exultet terra: gestiat mare & quicquid eo continetur; gaudeant campi & omnia quæ in eis sunt:

12 *Tunc exultabunt omnia ligna sylvarum à facie Domini: quia venit, quoniam venit judicare terram.*

Omnésque pariter sylvarum arbores exultent ad præsentiam Domini: quia *nimirùm* venit qui, *inquam*, venit ut terram *Israeliticam regat.*

13 *Judicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua.*

Eam *sanè* terram gubernabit cum æquitate, & populos *Judaicos* cum solitâ sibi justitiâ moderabitur.

patria. est vox Græca quæ *familiam* significat quemadmodum Hebraica, quæ heic adhibetur, vox.

Gentium. idest Judaicarum ut apparet ex secuturis sacrificiis quæ Ethnici facere non poterant.

terant. In eandem sententiam dictio *gentes* toto in Psalmo sumenda videtur ex contextu orationis.

regnavit; dum Judæi Babylonicam serviebant servitutem, regnabant in Judæâ Ethnici: quos quum expulisset Deus, & Israelitas in patriam reduxisset, præesse eis; & novum, apud illos, regnum iniisse censebatur. Unde intelligis regnum pro singulari curâ ac favore heic accipi: alioqui Deus omni tempore Judæam non solùm sed & omnes mundi regiones administrat ac regit. Vide annot. ad Psal. XLIII. 6. XLVI. 2. atque Heracleotam ad Psal. XCII. 1. XCVI. 1. S. *a* Justinus martyr, *b* Tertullianus, *c* Pseudo-Cyprianus, S. *d* Augustinus, *e* Cassiodorus, *f* Fortunatus aut Theodulphus, aliique cum Psalterio Romano legunt *à ligno* post *regnavit*: sed ea lectio, quum à textu Hebræo, Vulgatâ, Theodoro Heracleotâ, Theodorito, & citato, apud ipsum, Symmacho, Euthymio, ac Græco Corderii Paraphraste absit, irrepsisse in quædam exemplaria videtur ex margine, ad cujus oram Doctor aliquis, sublimiorem (in quâ præfata lectio idoneam omninò sedem habet) sensum attendens, scripserat per modum scholii *à ligno*.

judicabit. idest reget: unde liber *judicum* hoc est rectorum; & reges dicti *judices* quia præcipuæ eorum partes sunt ut jura populis describant.

tunc. idest eodem tempore, hoc est simul seu pariter.

a Dial. cum Tryph. p. 298. C. 299. A.
b adv. Jud. c. 11. p. 156. B. c. 13 p. 199 A.
c de Montib. Sinâ & Sion p. 154.
d Comment. in hunc Psal.
e Comment. in hunc Psal.
f in hymno *Vexilla regis* &c.

ARGUMENTUM.

PSALMI NONAGESIMI SEXTI.

Qui in Græcis (indéque in Latinis) Codicibus exstat & ab Hebræo textu abest titulum à Psalmi sententiâ abhorrere affirmat Theodoritus: qui totius orbis terrarum constitutionem non Judeæ tantùm à Prophetâ celebrari; & primum ac secundum Dei & Salvatoris adventum, Gentiúmque divinam cognitionem, & futurum judicium cani addit. Hunc titulum Grotius aliíque auctores non aspernati censent scriptum fuisse Psalmum in memoriam ejus temporis quo, è vivis sublato Absalòmo, David totum regnum recuperavit. Græcus autem Corderii Paraphrastes hæc de Psalmo docet. Ἐπινίκιος &c. *Etiam hic triumphalis est adversus Babylonios quasi ex personâ populi. Describit autem Dei contra Babylonios victoriam acsi universam creaturam contra ipsos concitasset atque vicisset.* Ego, Psalmi nostri versus 1. 2. 3. cum Psal. 10. LXIV. 6. XCII. 1. XCV. 4. 9. Is. XLII. 4. 10. 12. XLIX. 1. LI. 5. Jer. XXXI. 10. L. 32. comparans, laudato Paraphrasti

faciliè assentior, atque existimo describi in hoc Psalmo Deum qui regnum in Judæâ inierit postquam nube & caligine (vindictæ signis) circumfusus ; & throno misericordiâ ac fide nixo insidens, in Babylonicam regionem perrexisset, suámque in ejus incolas iracundiam exercuisset, eos destruendo; & suæ cùm misericordiæ tum in promissis servandis constantiæ specimina Judæis apud Babylonios captivis præbuisset, illos in libertatem vendicando. Hæc porrò sententia cum B. [a] Paulo, septimum Psalmi versum ad Christum referente, non pugnat tum quia, quum Christus sit Dei Verbum ut in Psal. CI. dicemus & per Verbum omnia facta sint ut ait B. [b] Johannes, dubium non est quin restitutio seu restauratio terræ Israeliticæ à divino Verbo perfecta fuerit ; tum quia sanctus Apostolus sublimiorem spectavit sensum : juxta quem, laudatus non modò versus sed & totus Psalmus Christo congruit humanam naturam à jugo servitutis Diabolicæ liberanti ; & peccatoribus, à tyrannide Dæmonis eductis ac pœnitentiam agentibus, imperanti ut explicat Heracleota.

[a] Heb. 1. 6.

[b] in Evang. cap. 1. ℣. 3.

TITULUS.

Huic David quando ejus terra restituta est.

PSALMUS XCVI.	PARAPHRASIS.
1 *Dominus regnavit, exultet terra ; lætentur insulæ multæ.*	Dominus regnat *in Judæâ*, lætetur terra *Israelitica* ; *&*, qui *multas* per insulas dispersi erant, *Judæi* exultent.

ANNOTATIONES.

huic David &c. Reg. 138. & Colb. 158. *Psalmus ipsi David quando ejus terra restituta est. vox Ecclesiæ de adventu Christi.* Nostri tituli hic videtur esse sensus : compositum fuisse Psalmum quando terra Israelitica, post solutam captivitatem Babylonicam, in pristinum statum restituta fuit ; seu, ut habet textus Græcus, constituta hoc est firmata sic ut bellicis motibus ad longos annos non esset agitanda, sed inconcussa manere deberet ac tranquilla, ut etiam in Psal. XCII. 2. dictum est. Atque hinc patet Auctorem tituli nostri doctum fuisse : etsi, cum Theodorito aliisque nonnullis, omnes Psalmos Davidi esse adscribendos putaret, quod ex apposito *Davidis* nomine colligo.

insula. Ita in Scripturis sacris vocantur loca mari aut fluminibus cincta, ut notavit Grotius: qui tamen nonnullorum (ubi *insula* memorantur) textuum Propheticorum historiam intellexisse non videtur.

Nubes & caligo in circuitu ejus ; justitia , & judicium correctio sedis ejus.	2	*Nimirùm* nubes & caligo Dominum *nuper* circumdederunt ; & benignitas atque, *in promissis exsolvendis*, fides thronum ejus sustentarunt.
Ignis ante ipsum præcedet , & inflammabit in circuitu inimicos ejus.	3	Ignis ei præivit , & *Babylonios* ipsius inimicos undequaque combussit.
Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ : vidit , & commota est terra ;	4	Ejus fulgura orbi illuxerunt *Babylonico : qui*, ubi ea vidit, contremuit *totus ;*
Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini , à facie Domini omnis terra.	5	*Ejúsque* montes , *præ metu* sibi à præsentiâ Domini *incusso*, sicut cera fluxerunt , & terra omnis *Babylonica* ad conspectum Domini expavit.
Annuntiaverunt cœli justitiam ejus ; & viderunt omnes populi gloriam ejus :	6	*Túmque* cœlestis *Israelitarum* gens ejus , *in promissis servandis*, æquitatem prædicavit ; omnésque *Judaici populi* bonitatem *illius* experti sunt *ac dixerunt :*
Confundantur omnes qui adorant sculptilia ; & qui gloriantur in simulachris suis ;	7	Pudore afficiantur omnes qui *Idola* colunt ; & , qui in simulachris suis gloriantur, *erubescant ;*
Adorate eum omnes Angeli ejus. Audivit , & lætata est Sion ,	8	Eum *autem* Deum, *qui omnia illa Idola superavit*, adorent omnes Angeli ejus. *Hæc* quum audisset Sion , gaudio perfusa est ,
Et exultaverunt filiæ Judæ propter judicia tua Domine :	9	*Atque* exultaverunt *Hierosolymæ* propter tuas , ô Domine , *in Babylonios* animadversiones :

nubes & caligo. vindictæ signa Psal. XVII. 14.

justitia & judicium. bonitatis signa Psal. LXXXVIII. 14. Vox autem *correctio* idem sonat ac *praparatio* Psal. LXXVIII. 14. & *praparatio* sumitur pro firmitate ut alibi observavimus, & patet ex Hebræâ voce quæ significat *basis.*

omnis terra. Sixt. edit. *omnis terra* : & ita S. August. in explanatione ; quanquam in textu legatur *omnis terra.*

Sion. Eos intelligit qui in Judæâ remanserant , versu autem sexto ii describuntur qui Babylone erant.

filia Juda. Sixtina editio habet *filia Judea*, non benè. Vox *filia* sumitur pro filia, & significat Hierosolymam in tribu Judà sitam quoad præcipuam sui partem. Confer Psal. XLIV. 14. & vide Theodoritum ad Psal. LXXII. 28.

10 *Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes Deos.*

Quum *nimirùm* Domine toti terræ superiorem te ostendisti, & supra omnes *Ethnicorum* Deos valdè exaltatus fuisti *Babylonios, iis confidentes, exterminando.*

11 *Qui diligitis Dominum, odite malum: custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos:*

Res porrò quum ita se habeant ô populares, iniquitatem odite: Dominus enim, *ut vidistis*, vitam cultorum suorum tuetur, eósque ab impiorum vexatione vindicat:

12 *Lux orta est justo, & rectis corde lætitia.*

Libertas *quippe Judæis*, qui *in captivitate* pietati operam navaverunt, data est; & piis *his viris* lætitia allata est, *dejecto ab ipsorum cervicibus jugo.*

13 *Lætamini justi in Domino, & confitemini memoriæ sanctificationis ejus.*

Tanto autem beneficio ornati ô Israelitæ lætos hymnos Deo canite, & sanctum nomen ejus celebrate.

qui diligitis Dominum. Idem quòd *sanctorum suorum*: & utràque loquutione Judæi periphrasticè designantur.

ARGUMENTUM.

PSALMI NONAGESIMI SEPTIMI.

ἜΤι καὶ &c. *Adhuc etiam*, inquit Græcus Corderii Paraphrastes, *hic Psalmus ejusdem est argumenti & eundem sensum habet: est enim victorialis contra Babylonios.* Hanc sententiam probo; & probabunt quicunque Psalmi nostri versus 1. 2. 3. 4. 5. 9. 10. cum Psal. XCV. 1. 11. 12. 13. Is. XLIV. 23. LII. 10. LV. 12. contulerint. Quod verò laudatus Paraphrastes, post Eusebium ac Theodoritum, addit utrumque salutarem Christi adventum in Psalmo præcini mihi tantùm, quoad priorem

adventum, probatur: existimo enim verbum *judicare* (quod secundi adventus opinioni locum dedit) gubernationem non supremum mundi judicium significare; atque adeò neque in isto Psalmo, neque in Psalmo XCV. 12. 13. (ubi prædictum verbum reperitur) secundum Salvatoris adventum tractari.

TITULUS.

Psalmus ipsi David.

Psalmus XCVII.		Paraphrasis.
Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.	1	Cantate Domino canticum novum, quia admiranda fecit.
Salvavit sibi dextera ejus & brachium sanctum ejus,	2	*Scilicet* dextera ejus & sanctum ejus brachium victoriam sibi in *Babylonios* peperit,
Notum fecit Dominus salutare suum; in conspectu Gentium revelavit justitiam suam:	3	Suúm*que* salutare auxilium *Judæis, apud eos captivis*, attulit; *&* suam, *in promissis servandis*, æquitatem coram Gentibus *Babylonicis* manifestavit:
Recordatus est misericordiæ suæ; & veritatis suæ domui Israel:	4	Recordatús*que* est misericordiæ suæ; & suam, *in promissis exsolvendis*, fidem domui Israeliticæ testatus est:
Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.	5	Omnés*que*, qui in finibus terræ *Israelitis promissæ degebant*, incolæ viderunt salutem *nobis* à Deo nostro præstitam.
Jubilate Deo omnis terra: cantate, & exultate, & psallite.	6	*Eam ob salutem* jubilate Domino omnes terræ *Israeliticæ* habitatores: cantate, exultate, & psallite.

ANNOTATIONES.

Psalmus &c. Cod. Reg. 138. *Psalmus David sermones sunt quos loquutus est quando domus ædificabatur.* Cantate Domino &c. Colb. 158. *Canticum ipsi David sermones quod* (pro *quos*) *locutus est quando ædificabatur domus post captivitatem.*

salvavit &c. Confer Is. LIX. 16. LXIII. 5. & Augustinianam lectionem *sanavit* non probabis, etsi ea in Sixtinâ editione reperiatur.

notum fecit &c. intertexta Synonyma heic habemus, ita ut hæc loquutio *notum fecit salutare suum* isti *recordatus est misericordiæ suæ* respondeat, & utrâque idem significetur; sicut & istis quæ sibi pariter respondent phrasibus *revelavit justitiam suam*, & *recordatus est veritatis suæ*.

omnis terra. Judæam intelligo: nam supervacaneum fuisset alias gentes cohortari ad tractanda hæc instrumenta musica quæ Judæorum erant propria: quanquam non ignoro tubas v. g. corneas Romanis usitatas fuisse ut ex *a* Varrone constat & *b* Vegetio. Tubarum ductilium seu argentearum descriptionem habes apud *c* Josephum & *d* Suidam.

a lib. 4. de Lingua Lat.
b lib. III. 5.
c Antiq. III. 10.
d in voce Βυκάνη.

7 *Psallite Domino in citharâ; in citharâ & voce Psalmi: in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ,*

Celebrate Dominum citharâ; & citharæ sonum psalterii jungite: tubisque ex ducto fusóque argento conflatis, ac tubis corneis *clangite*,

8 *Jubilate in conspectu regis Domini. Moveatur mare & plenitudo ejus: orbis terrarum & qui habitant in eo;*

Et coram rege Domino nostro jubilate. *Sed &* gestiat mare & quicquid in eo est: *universus etiam* orbis terrarum & qui in eo habitant exultent;

9 *Flumina plaudent manu: simul montes exultabunt à conspectu Domini, quoniam venit judicare terram.*

Fluminá*que fluctuum agitatione*, *quasi* complosis manibus, signa lætitiæ edant: simul & montes exultent ob præsentiam Domini, venit enim ut terram regat *Israeliticam*.

10 *Judicabit orbem terrarum in justitia, & populos in æquitate.*

Eam *sanè* cum justitiâ moderabitur, & populos *ejus* cum æquitate gubernabit.

ARGVMENTVM.

PSALMI NONAGESIMI OCTAVI.

SI Dei super Cherubimos *sessio* à Psalmo abesset; vel saltem si per *scabellum* pedum Dominicorum intelligendum esset Templum post captivitatem exstructum, non dubitarem quin Psalmus iste ætate & argumento tribus præcedentibus suppar esset; & de Judæorum è Babylone reditu, cum Theodorito & Græco Corderii

Paraphraste, esset explicandus. Sed quia prædicto *scabello* Arca denotatur; eáque cum *Cherubimis*, utrumque propitiatorii, quo illa operiebatur, latus tegentibus, in secundâ, quæ post reditum ædificata est, æde defuerit, existimo Psalmum ad anteriora tempora pertinere: quum præsertim Theodoritianæ, de Cherubimis quibus Deus insideat territans ac timorem injiciens & de scabello quod templum vocetur, explanationes minùs videantur probabiles eò quod Dei super Cherubimos, quà animalia, sessio velocitatem in Psal. XVII. 13. LXXIX. 2. arguat non terrorem; & templum nunquam appelletur *scabellum* nisi quando Arca (super cujus Cherubimis sedere Deus in I. Reg. IV. 4. IV. Reg. XIX. 15. I. Paralip. XIII. 6. dicitur) in templo erat ut & Thren. II. 2. Unde castigari velim [a] Sixtinum Amamam dum Episcopos secundi [b] Concilii Nicæni & virum maximum [c] Bellarminum carpit sanctarum imaginum venerationem ex quinto Psalmi nostri versu adstruentes. Quæ verò sint anteriora, quorum memini, tempora si à me quæratur, respondebo ea quæ I. Paralip. XVI. describuntur mihi videri: sic ut Psalmus noster occasione introductæ in Sionem Arcæ conditus à Davide fuerit; quod etiam Psalmi hujus versibus 1. 2. 3. cum I. Paral. XVI. 10. 25. 31. collatis non parùm, ut quidem ego puto, suadetur.

a in Antibarb. b pag. 256. c lib. 1. de Beatit. Sanct. cap. 18.

TITULUS.

Psalmus ipsi David.

PSALMUS XCVIII.	PARAPHRASIS.
1 *Dominus regnavit, irascantur populi; qui sedet super Cherubim, moveatur terra:*	Dominus regnat *in Judæâ*, paveant populi *nobis infensi*; regnat, *inquam*, qui Cherubimis insidet, contremiscat terra *hostilis*:

2 *Dominus in Sion magnus, & excelſus ſuper omnes populos.*

Qui *enim* in Sione regnat Dominus, magnus eſt & populis omnibus ſuperior.

3 *Confiteantur nomini tuo magno quoniam terribile & ſanctum eſt; & honor regis judicium diligit:*

Judæi verò magnum nomen tuum celebrent, *ò Deus*, quoniam admirandum eſt & ſanctum; regiá*que* tua majeſtas æquitatem diligit:

4 *Tu paraſti directiones, judicium & juſtitiam in Jacob tu feciſti.*

Túque ſummâ cum rectitudine *Iſraelitas* gubernas, & æquè ac juſtè Jacobæis imperas.

5 *Exaltate Dominum Deum noſtrum; & adorate ſcabellum pedum ejus quoniam ſanctum eſt.*

His, inquam, de cauſſis laudate Dominum Deum noſtrum *ò Judæi*; atque ad Arcam ipſius proſternite vos, nam ſancta eſt.

6 *Moyſes & Aaron in ſacerdotibus ejus, & Samuel inter eos qui invocant nomen ejus:*

Moſes & Aaron ſacerdotes Domini, & Samuel unus ex Levitis qui preces & vota *nomine populi* concipiebant:

7 *Invocabant Dominum; & ipſe exaudiebat eos, in columnâ nubis loquebatur ad eos:*

Illi, inquam, Sacerdotes & Levitæ, coram Arcâ proſtrati, Dominum invocabant *& præconium ei, in oratione, tribuebant*; Dominus *autem* ex nube, quæ columnæ formam habebat, eos exaudiebat, illóſ*que* alloquebatur:

8 *Cuſtodiebant teſtimonia ejus; & præceptum quod dedit illis.*

Hi enim viri, ſanctitatem precibus ac præconiis adjungentes, mandata Dei cuſtodiebant; &, quæ dederat ipſis, præcepta ſervabant.

ANNOTATIONES.

Pſalmus* &c.** Cod. Reg. 138. ***Pſalmus Apoſtolorum ad Dominum de adventu Chriſti. Colb. 158. ***Pſalmus David. vox Apoſtolorum ad Dominum.***

iraſcantur. Heb. ***contremiſcant***, optimè ut ex ſecundo patet hemiſtichio; non repugnante Vulgatâ: qui enim contremiſcunt & perculſo ſunt animo adverſæ fortunæ iraſcuntur.

qui ſedes ſuper Cherubim. Voce ***Cherubim*** animal interdum ſignificatur ut in Pſal. XVII. 13. LXXIX. 2. Verùm ſignificatio illa multis non congruit textibus, qualis eſt v.g. Gen. III. 24. quem Theodorus, (Mopſueſtenum intellige ex coll. 4. Concil. 2. Conſt.) in annot. Pſal. XVII. 13. productus, ad ***animalium quaſdam formas terribiles & potentes tremefacere videntem*** referebat, quo nomine à [a] Patribus Concilii 2. Conſtantinopolitani meritò notatus eſt. Talis eſt & Pſalterianus noſter textus, quem præfatus Theodorus, à [b] Theodorito prolatus, interpretatur ***qui potenter regnat***: quæ explicatio eò magis eſt rejicienda quòd ex erroneâ fluit [c] opinione quæ universè & abſolutè pronuntiat Cherubim ſignificare

[a] Collat. 4. num. 62. pag 56.
[b] quæſt. 40. in Gen.
[c] vide Theodorit. loc. cit.

significare *quicquid est potens*; atque ita Cherubimos ab Angelicis ordinibus segregat contra auctoritatem S. *a* Ignatii, *b* Origenis, S *c* Athanasii, S. *d* Gregorii Nysseni, S. *e* Hieronymi, S. *f* Chrysostomi, S. *g* Augustini, *h* Theodoriti, *i* Dionysii, *k* Hieronymiastri; S. *l* Gregorii Magni, S. *m* Bernardi, aliorúmque Patrum qui inter Angelicos ordines Cherubim recensent. Deus porrò in Psalmo nostro *sedere super Cherubim* dicitur quia suprà propitiatorium, à duobus Cherubimis hinc & inde tectum, sedebat Exod. XXV. 20. 21. Confer I. Paral XIII. 6. & videbis alludi à Vate ad Arcam: quà, in Sionem introductâ, censebatur Deus gubernacula hujus loci totiúsque Judeæ suscepisse.

confiteantur. verbum sine antecedente, ut infrà ℣. 9. relativum sine antecedente exstat pro more Hebræorum qui antecedens sæpe omittunt: quando videlicet antecedens ex subjectâ materiâ aut iis quæ præcedunt facilè potest intelligi. Nostrum heic antecedens subjecta materia prodit.

honor regis. Græcus Corderii Paraphrastes: Τιμὴ &c. *honorem regis vocat regis dignitatem idest regem ipsum. Quemadmodum enim nos* TUAM DIGNITATEM *dicere solemus pro Te, ita etiam hoc loco vult dicere quoniam judicium diligit idest justis amans est ipse rex & dignitas ejus.*

scabellum pedum ejus. ita vocatur Arca quia quum ea, sub propitiatorio, cui Deus insidebat, esset, instar scabelli erat Vide I. Paralip. XXVIII. 2.

quoniam sanctum est. Theodoritus, Euthymius, & Græcus Corderii Paraphrastes cum Sixtinâ editione & Regiis ac Colbertinis Codicibus Græcis legunt ἅγιος *sanctus*, eique lectioni versus ultimus favere videtur cum S. Augustino & Hieronymiastro qui legunt quidem *sanctum*; sed id nominis ad corpus Dominicum referunt. Attamen Vulgata versio literaliter sumta retineri debet ex Psal. CXXXI. 8.

in sacerdotibus. Moses inter Sacerdotes meritò adscribitur ut paret ex Exod. XXVIII. 1. & seq. XXIX. 1. & seq. atque *n* Josepho Mosem Aaroni sacerdotium dantem repræsentantibus.

qui invocant. Confer Num. VI. 23. 27. & Samuelem Levitis cum B. *o* Hieronymo aggrega; non autem sacerdotibus cum SS. *p* Ignatio, *q* Cypriano, *r* Athanasio, *s* Johanne Chrysostomo, & *t* Augustino.

in columna nubis &c. Heracleota: Συλληπτικῶς &c. *Modo complexo id, quod ad particulares spectat, quasi de omnibus enuntiat. Quum enim soli Moysi Deus in nube locutus sit, hoc ipse de omnibus pronuntiat: eodem nempe nomine appellans eos qui eadem erant prædicti virtute. Quod etiam u Paulus fecit in iis qui fide placuerunt: quum enim particulatim actiones & passiones eorum recensuisset, subjunxit: secti sunt, lapidati sunt.* Erudita observatio quæ nostram ad Psal. XLIX. 6. annotationem firmat & illustrat.

a Epist. interpol. ad Trall. num. 5.
b homil. 5. in Num.
c Epist. ad Serap. to. 1. pag. 340. & lib. de com. essent. p. 391.
d homil. 15. in Cant.
e ad Is. 6. Ezech. 28. & lib. 2 contr. Jovin.
f homil. 4. in Gen. & homil 3 contr. Anom.
g ad Psal 79.
h Serm 3. contr. Græc.
i de Cælest Hier. c. 7.
k ad Psal. XXXIII. 21. CXII 12.
l homil. 14.
m lib. V. de Consid. cap. 4. & serm. 19. in Cant.

n Antiq. III. 9.
o lib. 1. in Jovin. to. 2. pag. 45.
p Epist. interpol. ad Magnes. num. 3
q Epist. 65. ad Rogat. pag. 108
r homil de Semente. to. 2. pag. 840. C.
s homil 2. in Epist. 2. ad Timoth.
t de Civ. XVII. 4. & in hunc Psalmum.
u Heb. XI. 37.

9 *Domine Deus noster tu exaudiebas eos Deus, tu propitius fuisti eis; & ulciscens in omnes adinventiones eorum.*

Unde Domine Deus noster tu eos exaudiebas, *illisque ô Deus* favebas; & in populum animadvertebas si quid contra illos molietur.

10 *Exaltate Dominum Deum nostrum; & adorate in monte sancto ejus: quoniam sanctus Dominus Deus noster.*

Tantorum virorum exemplo Dominum Deum nostrum, *coram Arcâ postrati*, laudate; *illúmque* in sancto ejus monte *Sione (ubi est Arca)* adorate: nam sanctus est Dominus Deus noster; *ideóque omni laude & reverentiâ dignus.*

adinventiones eorum. sup. popularium qui more Hebræo subaudiuntur; eóque meliùs quod Jacobi seu Jacobæorum mentio præcesserit. Unde necesse non est pronomen *eorum* passivè accipere pro adinventionibus quæ adversus Mosem & Aaronem struebantur, multò

minùs necesse est adinventiones explicare de pœnis quibus Moses & Aaron mulctati fuerint. S. Augustinus minùs benè legit *vindicans in omnes affectiones eorum*; sed beatissimus Pater rectè legit *æquitatem* pro *directiones* ℣. 4. suprà.

ARGUMENTUM.

PSALMI NONAGESIMI NONI.

JUDÆI Babylone captivi se *Dei opera* in Psal. LXXXIX. 18. appellabant, & dulce *Ovis* nomen sibi in Psal. LXXVIII. 14. tribuebant; ibidémque se Deo, ubi in libertatem vendicati forent, *gratias* acturos promittebant. Quum igitur Psalmus noster Deum canat *conditorem*, & *Ovis* nomen adhibeat; ibíque *gratiarum* actio habeatur, existimo cum Græco Corderii Paraphraste, carmen istud à Judæis è Babylone reversis & Deo, pro redditâ sibi libertate, gratias agentibus usurpatum fuisse: sic tamen ut in eâ gratiarum actione adumbrata fuerit ea quam omnes homines, acerbâ Diaboli servitute liberati, Christo Salvatori debent.

TITULUS.

Psalmus in confessione.

PSALMUS XCIX.

JUbilate Deo omnis terra, 1
servite Domino in lætitia.

Introite in conspectu ejus 2
in exultatione:

PARAPHRASIS.

DEum, exultantibus animis, canite omnes telluris *Israeliticæ* habitatores, & Dominum cum lætitiâ colite.

Templum ejus cum gaudio adite:

ANNOTATIONES.

Psalmus &c. Cod. Reg. 138. *Psalmus in confessione. vox Apostolorum.* Colb. 158. *Psalmus David. vox Apostolorum ad populum.*

confessione. id nominis gratiarum actionem heic significat, non confessionem priorum delictorum ut existimavit Eusebius.

in conspectu ejus. Græcus Paraphrastes : Τὸ ἐνώπιον &c. *Illud in conspectu ejus idest in templum ejus ingredientes &c.*

Scitote quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos & non ipsi nos;	3	*Et* scitote quòd Dominus est Deus, *quòd* ipse fecit nos, & non ipsi *fecimus* nos;
Populus ejus, & oves pascuæ ejus.	4	*Quódque* populus ejus *sumus quem curat*, & oves quas pascit.
Introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis; confitemini illi,	5	*Horum memores*, portas *templi* ejus cum gratiarum actione ingredimini, *atque* in *ejusdem templi* atria cum hymnis introite; *Deumque* laudate,
Laudate nomen ejus: quoniam suavis est Dominus, in æternum misericordia ejus, & usque in generationem & generationem veritas ejus.	6	*Et* nomen ejus celebrate : nam benignus est Dominus, ejúsque misericordia sempiterna est, & fides ejus *in servandis promissis* nunquam non obtinet.

ipse fecit nos. Omnes quidem homines Deus creavit; sed singulari modo creatorem se Judæorum ostendebat eos peculiaribus beneficiis ornans : unde nata Psalmi loquutio, & ejus germana Psal. LXXXIX. 18. quas qui non de creatione sed de favore atque ornatu cum nonnullis interpretibus ex I. Reg. XII. 6. exposuerit, in meam non incurret reprehensionem; quanquam favori creationem adjungi malim.

& non ipsi nos. Symmachus apud Theodoritum : *ipse fecit nos qui non eramus.* Rabbi Saadias legit לו pro לא, atque interpretatur *& ipsius nos sumus.* Neuter benè.

misericordia &c. misericordiam & veritatem memorat quia Deus utramque exhibuerat, Judæos è servitute Babylonicâ educendo. His autem loquutionibus *in æternum* & *in generationem & generationem* utitur Vates quia captivitas Babylonica multos annos duraverat; & Deus, eam solvens, ostenderat misericordiam & veritatem suam brevi tempore non esse circumscriptas, sed ad longissima quæque tempora pertingere.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI.

JUDÆIS Babylonico jugo mancipatis accommodatur ab [a] Heracleota hic Psalmus; eum verò de Josiâ rege exponit Theodoritus : & utramque opinionem, innominatis earum auctoribus, Græcus Corderii Paraphrastes proponit, tertiámque addit eorum qui de providentia

[a] pag. 1019. apud Corder.

& judicio verba in Psalmo fieri dicunt. Primam sententiam versus 8. 10. refellunt: secundæ versus 2. adversatur; tertiam totus Psalmi contextus evertit. Nostrum ego Psalmum in Davidem ab Absalomo pulsum quadrare puto: illéque, ni fallor, Psalmus precem simul & apologiam continet. Precem habemus in duobus primis versibus ubi Psaltes misericordiam & veritatem Dei celebrat; & suam commemorat integritatem ut Deus, pro suâ misericordiâ &, in promissis præstandis, fide se virtutis studiosum in Urbem reducat. Apologiam cernimus in versibus 3. & sequentibus in quibus David anteactæ vitæ rationem reddit ut crimina, quæ Absalomitæ in ipsum accersebant, retundat; Deúmque simul invitet ut sibi, falsis criminibus accusato, misericordiam impertiatur. Suum ergo reditum à Dei misericordiâ & fide, ab innocentiâ cui pulsus operam dabat, atque ab integritate, cui, dum regno potiretur, studebat, David urget; simúlque famæ suæ in hoc consulit Psalmo, quem notato à me tempori patrata à Davide cædes & commissum ab eo adulterium non abjudicant: quia hæc crimina rebellioni locum non dederant; neque impedierant quominùs David multam operam justitiæ navasset: ac proinde eam prædicare; indéque reditum urgere potuerit eo tempore quo ab inimicis rodebatur quasi probitatem non coleret & jura suo non describeret populo.

TITULUS.

Psalmus ipsi David.

PSALMUS C.

1 *MIsericordiam; & judicium cantabo tibi Domine,*

PARAPHRASIS.

MIsericordiam tuam, & tuam, *in promissis exsolvendis*, fidem cano Domine,

2 *Psallam: & intelligam in viâ immaculatâ. Quando venies ad me?*

Et celebro: atque innocentiæ operam do *dum ab Urbe & sacris sum extorris.* Ecquando venies ad me *ut me his miseriis liberes?*

3 *Perambulabam, in innocentiâ cordis mei, in medio domus meæ,*

Hanc ut præstes liberationem, tuæ non solùm misericordiæ ac fidei & mei impræsentiarum ad integritatem studii quæ memoravi, rationem habe; sed ad anteactum attende vitæ meæ cursum, quem sum enarraturus. Regni gubernacula quum tenerem, sanctè ac religiosè inter meos versabar domesticos,

4 *Non proponebam ante oculos meos rem injustam. Facientes prævaricationes odivi;*

Et nihil injusti *coram eis* suscipiebam faciendum. Sceleratos odio habebam;

5 *Non adhæsit mihi cor pravum. Declinantem à me malignum non cognoscebam.*

Nec mihi pravi cordis homo familiaris erat. Improbum, à meâ rectè vivendi ratione declinantem, non adjungebam ad meam necessitudinem.

6 *Detrahentem secreto proximo suo hunc persequebar:*

Eum, qui proximo suo clam obtrectaret, persequebar:

7 *Superbo oculo & insatiabili corde cum hoc non edebam.*

Superbos & arrogantes mensæ meæ non admovebam.

8 *Oculi mei ad fideles terræ ut sedeant mecum; ambulans in viâ immaculatâ hic mihi ministrabat.*

Probos terræ *Israeliticæ* viros eligebam domesticos meos; &, qui innocentiæ erat studiosus, hic mihi ministrabat.

ANNOTATIONES.

Psalmus &c. Cod. Reg. 138. *ipsi David. vox Christi ad Patrem de reliquis sanctorum.* Colb. 158. *Davit Psalmus. vox Christi ad Patrem.* Theodoritus monet aliqua exemplaria habuisse *quarta Sabbatorum.*

misericordiam & judicium. Idem dicit ac Psal. LXXXVIII. 1. & misericordiæ ac veritatis præconium celebrat ut utriusque dotis memoriam Deo refricet; eúmque hoc pacto impellat ad misericordiam sibi impertiendam & exsolvenda, quæ sibi fecit, promissa.

quando. interroganter lego cum Heracleotâ & Theodorito: qui suam de Josiâ sententiam à laudato sumsisse videtur *a* Heracleota, etsi hic *b* Babylonios etiam memoraverit.

a vide pag 1017. apud Cord.
b 1019.

declinantem &c. Rabbini minùs benè vertunt, *recedet à me malum, non agnoſcam.*

cognoſcebam. id verbi in ſignificatum favoris ſumi videtur ut Pſal. I. 6. CXXXVIII. 6. Unde mihi non probatur Theodoritus qui Vatem explanat qd. ſe ne ſentire quidem improborum diſceſſum. Porrò Hebræi heic & toto Pſalmo legunt in futuro quæ Noſtri per imperfectum vertunt. Hos laudabit quicumque rem, de quâ agitur, expendet.

ſuperbo oculo &c. Confer Pſal. CXXX. 1. & videbis utroque hemiſtichio idem dici.

Non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam; qui loquitur iniqua non direxit in conſpectu oculorum meorum.	9	Non habitabat in medio domus meæ qui arroganter ſe gerebat; & ſuam, apud me, fortunam non amplificabat qui ſe vel iniquum exhibebat.
In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut diſperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.	10	Omnes terræ *Hieroſolymitanæ* improbos morti manè addicebam, ut ſceleſtos omnes è Hieroſolymis tollerem.

ſuperbiam. Rabbini: *dolum.* LXX. legebant רימה pro רמיה. Confer Mich. II. 3.

matutino. Hoc ideò dictum quia manè judicia exercebantur ut notat, ad hunc locum, Grotius.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI PRIMI.

ORATIONEM hic Pſalmus exhibet quam SS. Auguſtinus & Gregorius Chriſto partim in ſuâ perſonâ partim in perſonâ corporis ſui nempe Eccleſiæ loquenti tribuunt; Theodoritus autem atque Euthymius & Græcus Paraphraſtes populo Judaico Babylonicam ſervitutem ſervienti adſcribunt. Poſteriorem ſententiam laudo vehementiſſiméque comptobo: ſed, quia verſus 26. 27. 28. (quos B. [a] Paulus Chriſto aptat) prædictæ ſententiæ refragari videntur, diluenda eſt, quæ ex his verſibus peti poteſt, objectio; & novum, ſi poſſumus, lumen cùm Pſalmiſtæ tum B. Paulo eſt afferendum. Omnia per *Verbum* facta eſſe pronuntiat B. [b] Johannes: cui ſuccinunt [c] Plato, Heraclitus ab [d] Amelio laudatus,

[a] Heb. I. 10. & ſeq.
[b] in Evang. I. 2.
[c] in Epinom. to. 2. pag. 986. B. C. & in Epiſt. ad Herm. Eraſt. & Coriſc. to. 3. p. 323. D. Quæ loca refert Euſebius Præp. XI. 16.
[d] apud Euſeb. Præp. Evang. XI. 19.

Amelius ipſe ab [a] Euſebio, S. [b] Auguſtino, & S. [c] Cyrillo productus, Zeno à [d] Tertulliano & [e] Lactantio memoratus, [f] Numenius, [g] Philo, [h] Seneca, [i] Plotinus, [k] Chalcidius, & [l] Chaldæus Paraphraſtes præter Pſalmos CVI. 20. CXLVII. 7. S. [m] Barnabam, [n] Juſtinum, [o] Athenagoram, [p] Theophilum Antiochenum, [q] Tatianum, S. [r] Irenæum, [ſ] Tertullianum, B. [t] Athanaſium, & S. [u] Baſilium qui docent mundum non modò creatum fuiſſe à Verbo, ſed illud humanis rebus conſulere, & miracula, ſingularia auxilia, aliáque id genus, quæ in mundo cernuntur, prodigia ab eo oriri: unde conficitur laudatos Pſalmi verſus, qui de mundi creatione agunt, Chriſto optimè fuiſſe accommodatos utpote qui ſit Dei Verbum & per Verbum mundus ſit conditus. Atque ut uberiùs aperiam quàm recta ſit B. Pauli argumentatio, adducendus eſt Iſaias qui Apoſtolicam non ſolùm ratiocinationem elucidabit ac ſtabiliet, verùm etiam Theodoriti ſententiam confirmabit; inſupérque oſtendet liberationem Babylonicam à Dei Verbo procuratam fuiſſe, adeòque verum eſſe quod diximus miracula atque eximia auxilia à Verbo ortum ducere. [x] Iſaias, primario ſenſu ſpectatus, Judaicam è jugo Babylonico liberationem, pro quâ Pſalmiſta orat, prædicit; eámque Verbo Domini æternùm manenti, & Deo ſempiterno Domino tribuit. Jure ergo optimo S. Paulus laudatos Pſalmi verſus ad Chriſtum retulit; atque ex eorum auctoritate æternitatem ac divinitatem Chriſti probavit: meritóque etiam Theodoritus liberationem à captivis Judæis in Pſalmo poſci exiſtimavit, quum ea & Chriſto ut auctori congruat & reverâ heic reſpiciatur ut apparet collatis hujus Pſalmi verſibus 4. 5. 13. 26. 27. cum Iſ. XL. 1. 5. 6. 7. 8. 28. cujus teſtimonia, ut & omnes Pſalmi verſus, ad acerbam humani

a loc. cit.
b de Civit. Dei lib. X. 29. quum ait, *quidam Platonicus* is enim eſt Amelius ut in Commentario declarat Ludov. Vives: quem legi velim in cap. 23. ejuſdem libri ſcribentem.
c lib. 8. contr. Jul.
d Apol. cap. 21.
e Inſtit. IV. 9. vide Laertium in Zenone.
f lib. de Bono apud Euſeb. Præp. XI. 18.
g lib. 1. *Alleg.* non procul à principio. lib. de *ſacrif. Abel, & Cain.* paulò poſt initium.
h Epiſt. 65. quum ait. *Ratio faciens, id eſt Deus.*
i lib. de tribus Subſt. apud Euſeb. Præp. XI. 17.
k in Timæum.
l ad Iſ. XLV. 12. XLVIII. 13.
m in Epiſt. pag. 1. ubi Sol dicitur opus manuum filii Dei.
n Apolog. I. p. 44. D.
o legat. pro Chriſt. p. 5. C. p. 10. B. edit. Pariſ. Gr. Lat. 1605. cum operibus Juſtini.
p lib. 1. ad Autolyc. p. 74. B. lib. 2. p. 88. B C p. 100. C. D. Ibid.
q Orat. Contr. Gr. p. 145 A. B. C. Ibid.
r lib. III. 8. IV. 75.
ſ loc. cit.
t Orat. 3. p. 210. B. D.
u lib. de Spir. ſancto cap. 16.
x cap. XL. 8. 28.

generis, ſub Diabolicâ captivitate, afflictionem; & ſalutarem redemtionem, à Chriſto factam, ſenſu ſublimiore rectè trahit Theodoritus; & trahenda eſſe ſuadent Matth. III. 3. Marc. I. 3. Luc III. 4. Heb. I. 10. 11. 12. textus: quos defendere etiam poſſumus, dicendo prolata in iis veteris Teſtamenti loca Chriſto jure fuiſſe accommodata quia Iſaias & Pſalmographus, ſub typo reſtaurandæ terrenæ Hieruſalem, ſpiritualis Hieroſolymæ reſtitutionem, quæ à Chriſto exſpectabatur, præſignarunt.

TITULUS.

Oratio pauperis cùm anxiaretur & coram Domino effudit precem ſuam.

PSALMUS CI.		PARAPHRASIS.
DOmine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.	1	DOmine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te perveniat.
Non avertas faciem tuam à me in quacunque die tribulor; inclina ad me aurem tuam,	2	Ne tuam à me faciem avertas *hoc* anguſtiæ meæ tempore; *ſed* aurem tuam præbe mihi *oranti,*
In quacunque die invocavero te, velociter exaudi me:	3	*Atque* in *hac*, quâ auxilium tuum imploro, die velociter exaudi me:
Quia defecerunt ſicut fumus dies mei; & oſſa mea ſicut cremium aruerunt.	4	Siquidem vita mea ſicut fumus evaneſcit; & oſſa mea inſtar aridi, quod crematur, ligni exſiccata ſunt.

ANNOTATIONES.

Oratio &c. Cod. Reg. 238. *Oratio pauperis cùm anxius fuerit & coram Domino effuderit precem ſuam. vox Chriſti & Eccleſia cùm aſcendiſſet Chriſtus ad Patrem.* Colb. 158. *Oratio pauperis cùm anxius fuerit & coram Domino effuderit precem ſuam. vox Chriſti & Eccleſia de pœnitentiâ cum laude.*

pauperis. Vatem intelligo Judæum: qui, in captivitate Babylonicâ, unà cum ſuis degeret popularibus, quorum miſerias & vota in ſuis adumbret ærumnis ac precibus.

ſicut

sicut fumus. a Æschylus vitam hominis appellat *umbram fumi.* a apud Stob. Serm 96.

cremium. torrem aridum interpretatur Theodoritus ; aitque Aquilam vertisse sic *& ossa mea sicut exustio friata sunt* ἐψαθυρώθη, pro quâ voce Heracleota habet ἐπυρώθη *ignita sunt.* B. b Hieronymus *cremium* interpretatur *aridas herbas siccáque virgulta quæ camino & incendio præparantur.* c Columellæ *cremia* suut *surculi aridi, tenuia ligna.* Plinius XII. 19. memorat *sarmenta*, sive *cremia cynnamomi.* Tribus primis *cremium* est *res cremata* ; aliis *res concrematu facilis.* His adhæsi ; & nostrum (juxta quod de homine, qui dolore & miseriâ tabescit, dicimus *il est sec comme du bois*) idioma sequutus, verti *lignum aridum quod fucilè crematur.* b ad Os. X 7 c lib. XII. 19.

Percussus sum ut fœnum ; & aruit cor meum quia oblitus sum comedere panem meum.

5 Exarui ut fœnum *solaribus radiis* percussum ; & cor meum contabuit quia, quem natura exigebat, cibum *præ mœrore* sumere neglexi.

A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ.

6 *Adhæc* propter clamosos gemitus meos os cuti adhæret, *arefactâ pinguedine intermediâ.*

Similis factus sum pelicano solitudinis ; factus sum sicut nycticorax in domicilio.

7 Similis sum pelicano solitudinem captanti ; & factus sum ut bubo qui, in *parietino* domicilio latens, *reliquarum avium consortia fugit.*

Vigilavi, & factus sum sicut passer solitarius in tecto.

8 Diluculò surgo, & sum velut passer qui *summo mane* solus super tectum sedet, *& continuo clamore perstrepit.*

Totâ die exprobrabant mihi inimici mei ; & qui laudabant me adversum me jurabant.

9 Totâ *postmodùm* die inimici mei *Babylonii* probris me afficiunt ; iique, qui me *secundâ olim fortunâ utentem* prædicabant, *Babylonii* perniciem meam *nunc* jurant.

Quia cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam :

10 Præterea cinere utor pro pane, & potum mihi lacrymæ præbent.

percussus sum. Heb. *percussum est* sup. *cor meum*, sensu eodem ; quanquam diversâ lectione : quæ Senibus nostris hæc fuisse videtur הוכיתי pro הוכה, quam sequitur B. Augustinus legens *percussum est.*

pelicano. de pelicano & nycticorace ut & passere Pierium, Conradum Tigurinum, & Ulyssem Aldrovandum lege ; ibique testimonia comperies quæ physicam Psaltis eruditionem produnt.

in domicilio. domicilium Symmachus *parietinas* dixit testibus Heracleota & Theodorito.

laudabant me, Rabbini : *insanientes in me* : non tam benè, ut ei suadebitur qui Berodachi d Baladan historiam (ad quam Vates respicere videtur) recoluerit. d IV. Reg. XX. 12.

adversus me jurabant. Euthymianarum explanationum alteram elegi : posthabitâ eâ

quam Heracleota, Eusebius, ac Theodoritus sequuntur; quæque Vatem statuit ut divinæ execrationis exemplar.

cinerem. sic ferè explicant: nihilo plus palato sapit panis quàm cinis; sed Jeremias Thren. III. 16. cum Psal. XLI. 3. LXXIX. 6. collatus aliò me ducit; & mihi suadet alludi heic ad lugentes qui, quòd in pulvere jacerent, cinerem tanquam panem comedere videbantur.

A facie iræ & indignationis tuæ; quia elevans allisisti me.	11	Dum cogito quòd mihi graviter succenseas; quód*que* me, ad gloriam erectum, depuleris ad calamitatem.
Dies mei sicut umbra declinaverunt, & ego sicut fœnum arui:	12	*Denique* ætas mea umbram, quæ, *inclinato jam sole, sensim evanescit* imitata *pedetentim* effluit, & ego sicut fœnum aresco.
Tu autem Domine in æternum permanes, & memoriale tuum in generationem & generationem.	13	Tu autem Domine in æternum permanes, tuíque memoria per omnes ætates *viget; adeóque salutem nobis afferre vales.*
Tu exsurgens misereberis Sion: quia tempus miserendi ejus: quia venit tempus;	14	*Quum ergo æternùm maneas, atque ita servandi nos potestas tibi adsit,* exsurgens miserere Sionis: nam ejus miserendi tempus venit; tempus, *inquam, illud à Prophetis præfinitum* venit;
Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus, & terræ ejus miserebuntur.	15	Et servi tui *Israelitæ præfatam* Urbem, *licet destructam atque in acervum lapidum redactam*, depereunt, ac *mirè* erga rudera ejus sunt affecti.
Et timebunt gentes nomen tuum Domine, & omnes reges terræ gloriam tuam	16	*Sionis, inquam, miserere*, nam Gentes exteræ tuum reverebuntur nomen, & omnes telluris reges majestatem tuam venerabuntur

a Consol. ad Apollon. pag. 104. B.
b Stromat. IV. pag. 492. B
c Serm. 96.

sicut umbra. Consentiunt Pindarus à *a* Plutarcho laudatus, Aristophanes *b* Clementi Alexandrino memoratus, & Sophocles atque Euripides à *c* Stobæo producti.

in æternum permanes. Promissus erat reditus post annos 70; sed ita si se exsules Judæi ad Deum converterent: unde quum de illâ conversione nihil certi haberent, Hierosolymitanæ restaurationis tempus non erat eis liquidò exploratum ut ex Dan IX. 15. 16. 17. 18. 19. Zach. I. 12. apparet, non officientibus Psalmis 72. 84. 88. Opportunè ergo æternitas divina à Psalte memoratur: quum enim Judæis tempus liberationis liquidò non esset compertum, par erat ut in Deum recumberent æternum qui ipsis, quo vellet, tempore opitularetur. Huic autem æternitati potentia adjungenda est tum quia ejus meminit Isaias XL. 28. tum quia eam æternitas includit ut docet B. Athanasius Epist. ad Afric. p. 723. A. Vates porrò *Dominum* יהוה vocat quem Isaias *Verbum* appellat: unde Verbi persona ac divinitas utriusque textus collatione demonstrantur; nec audiendus est *d* Grotius qui *Verbum in æternum ma-*

d a l Is. XL. 8.

nus interpretatur *prædicta Prophetarum* contra atque suadet ipsemet Isaias ℣. 28.

misereberis. fut. pro Imperat. ut colligere est ex ℣. 24. 25. infrà.

gentes Memoratorum, in sequenti annotatione, Regum subditi huc spectare videntur, eò quòd Regum ad exempla componi soleant populi. Sed, quamvis illis exemplis destitueremur, conjicere liceret laudatas Gentes, propter ingens redemtionis beneficium prædictum à Prophetis atque à Deo Judæis præstitum, aliquam adversus divinum nomen reverentiam adhibuisse. Nec tamen inde velim colligas Gentes, in Psal. XXI. 29. 30. memoratas, easdem cum illis, quarum textus noster meminit, esse; atque adeò præfatum Psalmum XXI. de captivitate Babylonicâ exponendum esse. Id, inquam, nolim colligas: nam, præterquam quòd conversio & adoratio, in Psalmo XXI. decantatæ generalem ac perfectam innuunt conversionem quam à *timore* ℣. 16. Psalmi nostri & laudatis abesse puto Gentibus quæ universas non comprehendunt, quæque Deum quidem veneratæ sunt; sed religioni ejus nomen non dedere: præter, inquam, rationem illam captivis Babylone Judæis versus 18. 19. Psalmi XXI. aptari nequeunt.

& omnes reges terræ. Omnes sumit pro *multis*; &, per *reges*, intelligere videtur Alexandrum Magnum, successores ejus maximè Demetrium: hi enim & in populum & in templum plurima beneficia immunitates & dona contulerunt ut auctor est *a* Josephus. Vide II. Macch. III. 3. Cyrus, Darius, & Artaxerxes Esdræ memorati huc pertinere non videntur, quia eorum dona ædificationem templi aut urbis præcesserunt. *a* Antiq. XII. 8. XII. 2. 3. 5. XIII. 4. 5. 7. 8.

Quia ædificavit Dominus Sion, & videbitur in gloriâ suâ;	17	Quum Dominus *destructam* Sionem ædificaverit, atque *hac restauratione* conspicuus ac gloriosus apparuerit;
Respexit in orationem humilium, & non sprevit precem eorum.	18	Audieritque afflictorum orationem *Judæorum*, & preces eorum non spreverit.
Scribantur hæc in generatione alterâ; & populus qui creabitur laudabit Dominum	19	*Sionis demum miserere*: siquidem ejus instauratio posteris mandabitur; & *Judaicus*, ubi *à mœrore* recreatus fuerit, populus laudabit Dominum
Quia prospexit de excelso sancto suo; Dominus de cœlo in terram aspexit	20	Quum *ille nimirùm* è sublimi *ac* sancto, quem habitat, *loco* prospexerit, Dominúsque è cœlo in terram aspexerit
Ut audiret gemitus compeditorum; ut solveret filios interemtorum	21	Ut audiat gemitum vinctorum *Israelitarum*; *atque eosdem*, qui in mortis discrimine versantur, *Israelitas* è vinculis solvat
Ut annuntient in Sion nomen Domini, & laudem ejus in Hierusalem:	22	Quò *illi* nomen Domini in Sione prædicent, & laudem ejus in Hierusalem *decantent:*

qui creabitur. Dictum id ex eo, quem non semel annotavimus, sensu qui morti comparat exsilium Babylonicum: è quo proinde quum educti fuissent Judæi, ad vitam excitati & quasi de novo creati censebantur. Cave tamen ne, Psalteriana verba cum istis Psal. XXI. Is. XLI. 14.

34. *populo qui nascetur* componens, hunc Psalmum ad captivos Judæos trahas: hoc enim quominùs fieri debeat annotata ad versum 16. suprà impediunt, etsi aliqua inter Psalmos XXI. 25. & CI. 18. similitudo reperiatur.

In conveniendo populos in unum & reges ut serviant Domino.

23 Quando *scilicet* populi & magnates *Judaici, è captivitate reversi,* simul congregabuntur ut Deum in *Sione* colant.

Respondit ei in viâ virtutis suæ: paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

24 *Hanc*, in quâ *Deus præclara* virtutis suæ specimina dabit, reversionem contemplans *pauper, qui hæc carmina scribit, Vates* eum sic affatur: vitæ meæ terminum indica mihi *ut sciam an felicia liberationis nostræ tempora visurus sim.*

Ne revoces me in dimidio dierum meorum, in generationem & generationem anni tui.

25 Ne me, *obsecro*, in medio vitæ meæ cursu *è mundo* revoces *ô Deus* cujus anni sunt sempiterni; *quique proinde vitam mihi, usque ad liberationis tempus, prorogare potes.*

Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli.

26 Initio tu Domine terram fundasti, & cœli sunt opus manuum tuarum.

& reges. Zorobabelem alióſque Judæorum magnates intelligo. Confer Jerem. XXX. 9. Psal. CXIII. 7. & vide annot. ad Psalm. XXXII. 16. LXVII. 25.

respondit. Optimè Euthymius: *respondere hoc in loco posuit simpliciter pro dicere, sicuti aliàs sæpe ponitur apud Scripturam sacram.*

in. idem sonat ac *propter* Gen. XVIII. 28.

via virtutis suæ. Euthymius: *per viam fortitudinis illud tempus intelligit quo vires adhuc aliquas habebat.* Hæc, licet verbis infrà positis *in dimidio dierum meorum*, aliquatenùs firmari & de juvenili, quam Vates agebat, ætate intelligi possit, observatio mihi non tam arridet quàm Theodoritiana quæ ad B. Athanasii atque Heracleotæ explicationem (cui *via virtutis* est Dominica in terrâ præsentia quâ fortem alligavit) efficta videtur, & quæ ait Ὁδὸν &c. *viam virtutis vocat reditum per virtutem Dei populo concessum.* Rabbini legunt עִנָּה בדרך כחי, & vertunt *afflixit in via fortitudinem meam.* LXX. legebant ענהו בדרך כחו *respondit ei in via virtutis suæ*: egregio planè sensu; & rei, de quâ agitur, consentiente; quum Hebræa sententia insulsa sit, & tractatæ in Psalmo historiæ non congruat.

in generationem & generationem anni tui. Idem atque in vers. 13. suprà dicit; nec mihi Theodoritianæ explanationis postrema pars probatur. *Ne in medio cursu vitæ nostræ nos morte afficias: tu enim sine fine naturam habes; & facilè est tibi etiam alios longævos facere: quid enim ab universorum opifice fieri non potest?* Memorata à Vate creatio potentiam quidem arguit; sed creationis hujus meminisse non videtur Vates ut potentiam directò prædicaret, benè quidem ut ex cœlo & terrâ creatis atque in nihilum abituris, occasionem haberet ad commendandam divinæ, quam tetigerat, æternitatis dotem *immutabilitatem* quæ Dei, non cœli aut terræ esset propria.

initio. idem quod in principio Gen. I. 1. quâ *principii* voce a Clemens Alexandrinus, b Origenes, c Tertullianus, d Methodius, S. e Basilius, S. f Ambrosius, & g Acacius intellexerunt *sapientiam* seu *Filium* hoc est *Verbum æternum* rerum omnium principium &

a Stromat. VI. pag. 644. A.
b homil. 1. in Genes.
c lib. contr. Hermog. cap. 19.
d apud Phot. col. 235.
e homil. 1. in Hex. p. 8
f lib. 1 Hex. cap. 2.
g in Catenâ ad Gen. 1. 1.

artifex : quod etiam ipsomet *filii* nomine in laudato Geneseos loco Hebraicè exprimi *a* Tertullianus disputavit & *b* Hilarius affirmavit. At id falsum esse ipsius rei veritas comprobat ut ait, qui Tertullianum & S. Hilarium citat, B. *c* Hieronymus, qui sapienter addit *magis secundùm sensum quàm secundùm verbi translationem de Christo accipi posse illud Geneseos principium* : quanquam dicendum puto literalem Genesiani & Psalteriani textus sensum hunc esse *quum primùm rerum universitas creari cœpit*. Ex utroque autem textu damnatur Aristoteles qui mundum semper fuisse statuit : quam sententiam nemo laudabit qui *d* Atticum Platonicum, *e* Philonem, *f* Justinum, *g* Tertullianum, *h* Methodium, S. *i* Athanasium, *k* Zachariam Mitylenæum, S. *l* Augustinum, S. *m* Fulgentium, *n* Maximum Martyrem, *o* Anastasium Antiochenum, & *p* Joannem Philoponum legerint ; non omisso Clemente Alexandrino Strom. V. pag. 592. C. D.

tu Domine. Hinc confutantur Simon, Menander, Saturnilus aut Saturninus, Basilides, Carpocrates, Cerinthus, & Valentinus : qui, testibus S. *q* Irenæo, *r* Tertulliano, B. *s* Epiphanio, ac *t* Theodorito mundum ab Angelis tanquam minoribus Diis conditum esse dixerunt. Cerdon quoque & Marcion damnantur qui, referente *u* Tertulliano, mundum à malo Deo factum esse hariolati sunt. *x* Plato etiam damnatur qui Deum esse pronuntiat cœlum quod honore nos prosequi & precari æquissimum sit. Adversus illa delitia lege B. *y* Irenæum, S. *z* Athanasium, S. & Hilarium, S. * Basilium, S. † Chrysostomum, S. *a* Cyrillum Alexandrinum, aliósque passim obvios Ecclesiæ magistros.

27 *Ipsi peribunt ; tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent :*

Hæc peribunt ; tu autem permanebis, illáque omnia, instar vestimenti, *assiduo usu & tempore* veterascent ;

28 *Et sicut opertorium mutabis eos ; & mutabuntur. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient :*

Et quemadmodum vestis, *usu & tempore consumta*, mutatur *novâ ejus loco assumtâ*, ita cœlum & terram *usu & tempore attrita* mutabis, *novos cœlos & novam terram inducens ; illæque mundi partes* cœlum *videlicet* & terra mutabuntur, *novo cœlo & novâ terrâ eorum loco inductis*. Tu autem idem ipse eris ; & anni tui fine carebunt :

ipsi peribunt. Qui cœlum duntaxat aereum periturum, aut cœlos sidereos non secundùm substantiam sed secundùm motum aliáve accidentia perituros ; vel ex corruptibilibus in incorruptibiles commutandos, esse dicunt S. *b* Hieronymus, S. *c* Chrysostomus, *d* Theodoritus, *e* Gennadius, *f* Damascenus, *g* Magister Sententiarum, S. *h* Thomas, aliique non satis ad verba *peribunt* sup. *cœli creati* quales sunt siderei ; & *tu autem idem ipse es*. non cœlorum ullus Psal. CI. 26. 27 28. nec non ad verba *transient. solventur* II. Petr. III. 10. 11. attendisse videntur ; ut & ad Apoc. XXI. 23. ubi B. Johannes, de cœlo novo & terrâ novâ ℣. 1. atque à B. Petro ℣. 13. memoratis sermonem habens, ait *civitatem novam Hierusalem non egere sole neque luna ut luceant in eâ* ; inde enim perspicuum est solem & lunam à novis cœlis absore ; atque adeò utrumque sidus & cœlos ea continentia solutum iri ac peritura ut sentiunt S. *i* Irenæus, *k* Pseudo-Justinus, *l* Pseudo-Clemens, S. *m* Cyprianus, S. *n* Hilarius, S. *o* Basilius, S. *p* Gregorius Nyssenus, S. *q* Ambrosius, S. *r* Augustinus, & *s* Cassiodorus cum Ægyptiis *t* Laertio prolatis, Zenone, Cleanthe, & Chrysippo à Numenio apud *u* Eusebium memoratis nec benè intellectis, auctore veteris Tragediæ ab *x* Eusebio laudatæ, Hystaspe & Sybillis à *y* Justino ac *z* Clemente Alexandrino productis ; & Ovidio, * Seneca, & *a* Lucano.

a lib. adv. Prax.
b Comment. in Psal.
c in Trad. seu Quæst. Heb. ad Gen. I. 1.
d apud Euseb. Præp. XV. 6.
e ap. eundem VIII. 14.
f in Confut. Dogm. Arist. 31.
g lib. contr. Hermog. cap. 4. & lib. 1. contr. Marc. cap 12.
h apud Phot Cod. 235.
i Orat. 2. contr. Ar. & Epist. ad Afric.
k de mundi Opif.
l de Civ. XII. 15.
m lib. 3. ad Monim. c. 12.
n lib. de Charit. c. 6.
o edit. Meurs. Lugd. Bat. p 25.
p de æternit. mundi contr. Procl.
q adv. Hæres. lib. I 20. 21. 22. 23. 24. 25.
r adv. Valent.
s adv. Hær. lib. I. 20. 2. Hær. 21. 22. 23. 24. 27. 28 31.
t Hær. Fab. I. 1. 2. 3. 4. 5. 7.
u de Præscript. cap. 51.
x in Epinom. p 977. A.
y lib. II. 1. 2. & seq.
z lib. contr. Gent p. 5 B
& ad Psal CXLVIII. 5.
* homil. 1. in Hex. p. 1.
† homil. 2. in Genes.
a lib. 2. contr. Jul p 54.
b ad Is. LI. 6. LXV. 17.
c homil. 14 in Epist. ad Rom. per quam explicandum est quod in homil. 10. ad pop. Ant. traditur.
d ad Psal. CI. 27. 28.
e de Dogm. Eccl. c. 70.
f lib 2. de Orth. fida cap. 6.
g lib. 4. Dist. 47.
h in 4 Dist 47. quæst. un. art. 4.
i lib. III cap. 6.
k resp ad qu. 93 94. 95.
l lib. 2. Recognit.
m epist. ad Demetr.
n can 4 in Matth.
o homil. 1. in Hexaëm.
p de creat. homin. c. 24.
q lib. I. in Hexaëm c 6.
r de Civ. XX. 21. pag. 1 40. A. edit. Basil cum com. 1542. Aliter sensisse videtur. Ibid 14. 16. & Psal. CI.
s ad Psal CI.
t in Proœmio.
u Præp. XV. 18.
x lib. XIII 13.
y Apol 2
z Strom. 6
& Metam I.
* ad Marciam fin.
a lib. 1.

idem ipse es. Præclarus locus de immutabilitate Dei: quam *a* Lactantius, *b* Novatianus aut alter, S. *c* Hilarius, S. *d* Gregorius Nyssenus, S. *e* Augustinus, S. *f* Prosper, S. *g* Fulgentius, S. *h* Cyrillus Alexandrinus, *i* Arnobius, *k* Proclus Constantinopolitanus, S. *l* Gregorius Magnus, *m* Richardus atque *n* Hugo Victorini, & *o* Rhabanus Maurus cum *p* Platone, *q* Aristotele, *r* Philolao Pythagorico, *s* Alcinoo, *t* Sallustio Philosopho, *u* Proclo, *x* Philone, & *y* Maimonide ornant atque adstruunt: & cui *mundus* in tempore creatus, aut *natura humana* à Verbo assumta; vel *ira* aut *pœnitentia* Deo adscripta non officium ut ostendunt *z* Methodius, S. *&* Hilarius, * S. Augustinus, *a* Isidorus Hispalensis, S. *b* Gregorius Magnus, *c* Hippolytus Portuensis, *d* Petrus Abelardus, & *e* Johannes Philoponus: quos qui consuluerit, ab Origene non solùm & Proclo, mundum Deo (ut immutatus dicatur aut semper omnipotens) coæternum statuentibus, abibit; sed ab Hermogene dissentiet materiam Deo semper fuisse asserente ut Dominus semper haberi potuisset.

a Inst. II. 8.
b de Trinit. cap. 4.
c ad Psal. 2.
d cap. 4 in Psal. to. 1. p. 298 & lib. 12. contr. Eunom. p. 302.
e ad Psal. 89. Serm. 12. de Divers. c. 16. lib. 3. contr. Maxim. c. 12. tract. 23 & 38. in Joh. Epist. 28. lib. 2. de Trin lib. 83. Q q. 19. de Civ. XI. 10. XII. 1.
f Sent. 183.
g Epist. 6. ad Theod. c. 4.
h Orat. de rectâ fide in Concil. Eph. & lib. 2. contr. Nest. p 4. lib. 5. Thes. Dial. 2. de Trin
i conflict. cum Serap.
k Epist. ad Armenos.
l Moral XII. 17. XVIII. 27. XXV. 4. & ad Psal. CI.
m lib. 1. de Trin, c. 3.
n lib. 7. erud. Theol. cap 10.
o lib. 1. de Universit.
p lib. 2. de Republ indéque apud Euseb. Præp. X. II. 3. p. 544. B. C.
q lib 1 de Cœlo c. 9.
r apud Philonem de mundi Opif pag. 23. edit. Paris. Gr. Lat.
s lib. de Doctr. Plat. cap. 10.
t lib. de Diis & mundo.
u Comment. in Remp. Plat. p. 357. 358
x de Immut. Dei & lib. de Nomin. mutat. p. 1048 1054.
y in More Neb: lib. 1. c. 55.
z apud Phot. Cod. 235.
& ad Psal. 2.
* de Civ. XII. 17. XV. 25. lib. de Gen. ad lit. c. 18. in Enchir. c. 33. lib. 83. Quæst q. 52. lib 2. ad Simplic. q. 1. lib. 2. contr. Advers. leg. c. 11. in Psal. 82.
a lib. 1. Sent. c 5.
b Moral. XII 7.
c lib. de Theol. & Incarn. in Collect. Anast. edit. à Sirmondo pag. 210.
d lib. 3. Introd. c. 6.
e de æternit. mundi adv. Procl.

29 *Filii servorum tuorum habitabunt, & semen eorum in sæculum dirigetur.*

Unde, quum æternus ac proinde potens sis, effice quæso ut *Israelitæ*, à servis tuis *Abrahamo Jacobo & Isaaco* oriundi, habitent in terrâ *patribus ipsorum promissâ*; & posteritas eorum*dem patriarcharum* longos *ibi* annos feliciter degat.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI SECUNDI.

Ex Psalmis LXV. 8. LXXXIV. 2. LXXXVIII. 47. LXXXIX. 6. CI. 5. 6. didicimus Judæos, Babylonico jugo addictos, divinam misericordiam modis omnibus sollicitasse. Interdum iniquitates suas deprecabantur; aliàs suam proponebant miseriam: quam quidem adumbrabant, infirmos se ac mortuos appellantes; aut suam ingerentes mortalitatem, vel vitam suam fœno aut flori comparantes. Hujusmodi loquutiones in Psalmo nostro usurpari cogitanti mihi atque eundem Psalmum CII. 3. 5. 15. cum Is. XL. 2. 6. 31. conferenti Theodoritiana, quam Græcus Paraphrastes sequitur, probatur opinio quæ gratiarum actionem, pro reditu *Babylonico* habitam, contineri hoc in Psalmo statuit: sic tamen ut ille hymnus omnibus, qui ab

acerbiori servitute liberati sunt & majori per Christum libertate donati fuere, hominibus sublimiore sensu excellentiùs congruat.

TITULUS.

Ipsi David.

PSALMUS CII.		PARAPHRASIS.
Benedic anima mea Domino; & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.	1	Lauda anima mea Dominum; & omnes animæ meæ potentiæ sanctum nomen ejus *prædicent.*
Benedic anima mea Domino; & noli oblivisci omnes retributiones ejus.	2	Lauda anima mea Dominum; & varia, quæ tibi contulit, beneficia noli oblivisci.
Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas:	3	Scilicet omnes tuas iniquitates condonavit, tuásque omnes calamitates depulit:
Qui redimit de interitu vitam tuam; qui coronat te in misericordiâ & miserationibus:	4	*Et* vitam tuam ab interitu vindicavit; téque, pro suâ misericordiâ ac benignitate, eximiis beneficiis ornavit:
Qui replet in bonis desiderium tuum; renovabitur ut aquilæ juventus tua.	5	*Et*, quæ desideraveras, bona abundè tibi suppeditavit; tuáque juventus aquilam, *quæ novas pennas sumit*, imitata *novas vires accepit.*
Faciens misericordias Dominus; & judicium omnibus injuriam patientibus.	6	Dominúsque misericordias suas *captivis Judæis* impertitus est; & omnes, qui injuriis vexabantur, *Israelitas* liberavit.

ANNOTATIONES.

Psalmus ipsi David. Cod. Colb. 158. *Psalmus ipsi David. vox Ecclesiæ ad populum suum.*

infirmitates tuas. Hæc pars priori respondet hemistichio versus sequentis, cujus postremum membrum priori versus nostri membro respondet.

renovabitur &c. SS. *a* Epiphanius atque *b* Augustinus renovationem Aquilæ ad aduncum ejus rostrum, quod cibum sumere prohibeat, ad petram naturali industriâ attritum referunt. Sed Isaiæ XL. 31. textus, qui Aquilæ renovationem in novis, quæ assumuntur, pennis

a in Physiol. c. 6. p. 195.
b in Psalm. CII.

a Hist. Animal. IX. 12 p 714. H
b lib. X. 3. sub fin.

ponit, hanc refellit explicationem: cui etiam non favent a Aristoteles, & b Plinius, docentes Aquilam fame oppetere dum scilicet superius rostrum in tantum accrescit ut aduncitas aperiri nequeat.

juventus tua. Heracleota: ἐπεὶ &c. *Quum Aquila cæteris volucribus imperare videatur, vult dicere senectutem nostram Babylonicam in regnum denuò renovandam prout eramus aliquando.* Huic explanationi adversatur dictio *juventus*: quam puto memoratam eò quod Psalmi auctor juvenis esset; illéque forsan ipsemet qui, in præcedenti Psalmo, se juvenem esse innuerat dicens: *ne revoces me in dimidio dierum meorum.*

judicium. est repetitio quæ sumitur ex more judicum qui oppressos tuentur ac servant, eósque judiciis suis à vexatione liberant.

Exod. XXXIII. 19. XXXIV. 6.

7 *Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas*

Nimirum mos Dei, *ut ipsemet* Mosi *& cæteris* Israelitis declaravit, ejúsque voluntas in hoc propendet ut sit

8 *Miserator & misericors Dominus, longanimis, & multùm misericors.*

Misericors & clemens, tardus ad iram, & multâ bonitate præditus.

9 *Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur:*

Unde immortalem, *erga nos*, iram non servavit; neque æternas, *in nos*, minas jactavit:

10 *Non secundùm peccata nostra fecit nobis; neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis:*

Nec, pro scelerum magnitudine, pœnas sumsit de nobis; neque nos, prout merebantur iniquitates nostræ, punivit:

11 *Quoniam, secundùm altitudinem cœli à terrâ, corroboravit misericordiam suam super timentes se;*

Siquidem *Judæis*, sui metuentibus, misericordiam exhibuit immensam, qualis est distantia cœli à terra;

12 *Quantum distat ortus ab occidente longè fecit à nobis iniquitates nostras.*

Nostrásque iniquitates tam longè à nobis removit quàm ortus ab occidente dissitus est.

13 *Quomodo miseretur pater filiorum; misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum:*

Et, quemadmodum pater filiorum, *postquam eos castigavit*, miseretur; *ita Israelitarum* cultorum suorum Dominus misertus est, perspectam habens conditionem nostram:

notas fecit &c. comparativè sumit Heracleota, & sic nectit: secundùm magnam misericordiam suam servavit nos injuriam passos à maligno; sicut nimirum etiam olim, justum judicium judicans, liberavit ex Ægypto injuriis oppressos. *Vias* ego pro consuetudine accipio; similitémque in sententiam *voluntates* sumo; & præcedentium caussam reddi, non comparationem institui arbitror.

comminabitur. S. Augustinus: *indignabitur*: unde non abit in suâ versione B. Hieronymus qui

qui habet *irafcetur*. Idem ubique fenfus quamvis Auguftinianus legi Synonymicæ magis quàm nofter confentiat.

Recordatus eft quoniam pulvis fumus, homo ficut fœnum dies ejus; tanquam flos agri fic efflorebit:

14 Memor *nimirùm* quòd pulvis fumus; *&* vita noftra *tantâ velocitate abit quantâ* fœnum *arefcit, quódque in mundo*, ut in agro flos, *breviffimè* floremus:

Quoniam fpiritus pertranfibit in illo, & non fubfiftet; & non cognofcet ampliùs locum fuum.

15 *Et* quòd anima *noftra* corpus *curfim* prætervehitur, atque *in eo diu* non fubfiftit; nec ampliùs ad mundum, *unde femel per mortem* difceffit, revertitur.

Mifericordia autem Domini ab æterno, & ufque in æternum fuper timentes eum;

16 *Non folùm autem Deus, miferiam noftram contemplatus, noftri mifertus eft;* verùm *etiam* Dominica bonitas *Judæis* fui metuentibus perpetuò tribuetur;

Et juftitia illius in filios filiorum: his qui fervant teftamentum ejus,

17 Ejúfque benignitas in eorum extendetur nepotes: eorum *videlicet* qui legem ejus fervaverint,

Et memores funt mandatorum ipfius ad faciendum ea.

18 Et mandatorum ipfius fic meminerint ut illa obfervent.

Dominus in cœlo paravit fedem fuam; & regnum ipfius omnibus dominabitur.

19 *Denique* fuum, in cœlo, thronum Dominus ftabilivit *ut inde fuper Ifraelitas regnet*; atque *hoc* ipfius regnum omnibus dominabitur *imperiis*.

pulvis fumus. hæc verba ultimo fequentis verficuli membro refpondent & mortem denotant: intermediæ verò dictiones unam eandémque rem, nempe humanæ vitæ brevitatem, quadruplici modo exprimunt. Porrò Mofi Gen. III. 20. Vates confonat cum *a* Homero atque *b* Euripide.

homo. Ifraelitas ex præcedenti membro intelligo, quemadmodum in Pfal. LXXVII. 29. LXXXIX. 3.

flos agri. *c* Homerus cum Vate confentit: uterque autem Jobum imitatione exprimit

fpiritus pertranfibit &c. Heracleota: ὁ τῆς ψυχῆς &c. *vult declarare animum in corpore minimè permanentem, fed tranfitorium effe... Locum autem hunc mortalem dicit quem non ampliùs cognofcet: fiquidem ad immortalem & perennem vitam refurgit, non ampliùs ad tranfitoriam.*

mifericordia autem Domini &c. verfus ifte præcedentis antithefim apud Heracleotam & Theodoritum conftituit; mihi verò verfuum 11. 12. 13. continuatio effe videtur.

fedem fuam. Theodoritus hunc verfum Pfalmo CXII. 5. optimè comparat: fic ut Propheticus fermo nos edoceat Dominum in cœlo quidem habere folium; univerfi autem orbis (Ifraelitici) machinam infpiciat & moderetur.

a Iliad. H. ante med. Ἀλλ' ὑμεῖς &c.
b Hypfipyle apud Stob. tit. *eventus rerum fortiter ferendis.* χρῆται &c. & Supplicibus. Εάσατ' &c.
c Iliad. Z. ante med. Οἵη περ φύλλων &c. Iliad. Φ. poft med. φύλλοισιν &c.

20 *Benedicite Domino omnes Angeli ejus potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum ejus.*

His quum nos beneficiis Deus affecerit; nec iis celebrandis par ego sim, Dominum *mecum* laudate omnes Angeli ejus qui robore polletis, qu*ique* jussa ejus exequimini mox ut vocem ejus excepistis.

21 *Benedicite Domino omnes Virtutes ejus, Ministri ejus qui facitis voluntatem ejus.*

Laudate, *inquam*, Dominum omnes Virtutes ejus, Ministri ejus qui voluntatem ejus facitis.

22 *Benedicite Domino omnia opera ejus in omni loco dominationis ejus; benedic anima mea Domino.*

Sed & omnes creaturæ, quocunque in loco dominationis divinæ versemini, laudate Dominum; tú*que* etiam ô anima mea, *cum cæteris creaturis*, præconium Deo tribue.

omnes virtutes ejus. Hic versus præcedentis est repetitio. Quanquam autem Angelicorum ordinum numerus apud Ecclesiæ Patres certus exploratúsque non sit: sancto v. g. *a* Dionysio, *b* Hierouymiastro, & B. *c* Gregorio Magno novem Ordines constituentibus; S. *d* Cyrillo Hierosolymitano Cherubimos cum Seraphimis confundente; SS. *e* Gregorio Nysseno, *f* Augustino, & *g* Theodorito Thronos à Cherubimis non separantibus; S. *h* Augustino Cherubimos eosdem cum Potestatibus & Virtutibus faciente; S. *i* Gregorio Nysseno Virtutes cum Seraphimis permiscente; *k* Cæsario septem tantùm Ordines agnoscente, S. *l* Ignatio, *m* Clemente Alexandrino, *n* Origene, *o* Methodio, *p* Eusebio, S. *q* Hilario, S. *r* Cyrillo Hierosolymitano, S. *ſ* Gregorio Nazianzeno, & S. *t* Gregorio Nysseno quosdam Angelorum gradus à B. Dionysio prætermissos commemorantibus; & *u* Origene, S. *x* Basilio, S. *y* Hieronymo, S. *ζ* Chrysostomo, *&* Theodorito, * Oecumenio, atque *a* Theophylacto Angelicos ordines multos & infinitos numero ac mortalibus ignotos esse affirmantibus. Quanquam, inquam, ex opinione Patrum certus non sit Angelicorum ordinum numerus, unicum Angelorum, nempe ***Virtutum*** seu ***Ministrorum*** qui fortitudine prædíti jussa Dei exequantur, ordinem à Vate constitui nolim ex textu ejus colligi; sed dico eum de hoc tantùm Angelorum ordine verba fecisse quia respiciebat ad Judæos admirandâ Angelorum præpotentium, divinisque erga homines consiliis per signa & miracula quæ ab iis fiunt inservientium, (quales à Magno *b* Gregorio, *c* Isidoro Hispalensi, *d* Hugone Victorino, S. *e* Bernardo describuntur ***Virtutes***) operâ è captivitate eductos. Nolim etiam ex Psalmo nostro colligi Angelos assistentes, à *f* Daniele, S *g* Clemente, S. *h* Irenæo, *i* Minucio Felice, *k* Didymo, S. *l* Gregorio Nysseno, *m* Basilio Seleuciensi, S. *n* Gregorio Magno, *o* Primasio, *p* Isidoro Hispalensi, *q* Theodoro Studita, & *r* Michaele Syncello memoratos, Vati nostro ignotos fuisse. Id, inquam, nolim colligi: hos enim Angelos Psaltes missos fecit non inscitiâ captus sed eâ adductus ratione quam paulò ante attuli. Cæterùm, præter S. Gregorium, Isidorum, Hugonem, & S. Bernardum, Virtutum meminere nonnulli eorum, quos laudavi, Patres, nominatim *ſ* Eusebius: qui, etsi, cum *t* Constitutore Apostolico, Angelorum στρατιᾶς idest ***Exercitus***, memoret, non me impellit ut, cum Rabbinis, heic vertam ***omnes exercitus ejus***, pro ***omnes virtutes ejus***.

a de Cœlest Hier. c. 3.
b ad Psal. XXXIII. 21. & CXII 12.
c homil. 34. in Evang.
d Catech. mystag. 5.
e lib. 1. adv. Eunom.
f ad Psal. XCVIII. 1.
g Comment in cap. I. 16. Epist. ad Col.
h ad Psal. LXXIX. 2.
i loc. cit.
k Dial. 1. resp. ad interr. 44.
l in Epist. interpol ad Trall. n. 5
m in Except. ex Theod. p. 796. col. 1. A.
n to. 1. in Joh p. 169. col 1
o de Resurrect. apud Epiph. hæres. 64. n. 31.
p de laudibus Constant. p. 606
q lib 2. de Trinit. ante med.
r Catech. 16.
ſ Orat. 34. extremâ.
t homil. 15. in Cant. Cantic
u to 1. in Joh pag 168. col. 2. & l. de Princip. cap. 5
x lib. de Spir. sancto cap 16.
y Comment. ad cap. I. 2 Epist. ad Eph.
ζ homil. 4. de Incompreh. Orat 5. contr. Anomæos, & homil. 3. ad Eph. I. 2.
& Comment ad Eph. I. 2.
* Comment. in eund. loc.
a Comment. in eund. loc.
b homil. 34 in Evang.
c Orig. VII. 5.
d Sum. Sent. tract. 2. cap. 5.
e lib 5. de Consid. c. 4. & serm. 19 in Cant.
f cap. VII. 10.
g Epist. I. ad Cor cap. 34.
h lib. II. 6.
i in Octavio.
k lib. I de Spir. sanct.
l homil 8. in Eccles.
m Orat. 1.
n homil. 34 in Evang.
o ad Heb. I. 14
p lib de ord. Creat. cap 2. to. 1. Spic. Acher.
q Catech. 82. 107.
r laud. in Ang. to. 2. auct. Bibl Combef.
ſ loc. cit.
t lib. VIII 12. p. 346. D.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI TERTII.

DEI potentiam ac providentiam Pſalmus iſte canit: ídque præconii Pſalmographus eo conſilio celebraſſe videtur ut Judæos, Babylonicis vinculis illigatos, ſpem in Deo ponendam eſſe edoceret; ſimúlque eorum animos erigeret, oſtendens Deum potentiâ præditum eſſe, eúmque rebus humanis benignè proſpicere. Pſalmum CXLV. 1. 4. Iſ. XLII. 5. Jer. LI. 15. 16. cum Pſalmi noſtri verſibus 3. 28. 34. confer, atque ultimum Pſalmi verſum expende; & meam, niſi me fallit animus, opinionem comprobabis: neque ex ſecundo Pſalmi noſtri verſu, cum Pſal. XCII. 1. XCV. 6. CX. 3. collato, Pſalmum ad Judæos libertate donatos pertinere colliges, etiamſi laus verſuum 1. & 34. huic opinioni favere videantur.

TITULUS.

Ipſi David.

PSALMUS CIII.

1 *BEnedic anima mea Domino: Domine Deus meus magnificatus es vehementer;*

2 *Confeſſionem & decorem induiſti, amictus lumine ſicut veſtimento.*

PARAPHRASIS.

PRæconium Deo, anima mea, tribue: *ſiquidem*, Domine Deus mi, maximum te *in tuis operibus* exhibes;

Laudandúſ*que* ac ſplendidus undequaque appares, *&* gloriâ undique circumfluis.

ANNOTATIONES.

ipſi David. Cod. Colb. 158. *ipſi David. vox Eccleſia laudans Dominum & opera ipſius narrans.*

3 *Extendens cœlum sicut pellem; qui tegis aquis superiora ejus.*

Nimirùm cœlum extendisti sicut pellem *quæ terram complectatur; & superiores ejusdem cœli* partes aquis obtegisti.

4 *Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum.*

Nubibus uteris pro vehiculo, & ventorum pennis graderis *ut tuam ubique penetrantem providentiam declares.*

5 *Qui facis Angelos tuos spiritus, & Ministros tuos ignem urentem.*

Fecisti Angelos tuos tam *celeres ad persequenda tua mandata* quàm *est* ventus *quo nihil est celerius*, & tuos *illos* Ministros *effecisti* tam promtos *ad tua jussa conficienda* quàm *est* flamma ignis *quæ momento pervadit omnia.*

sicut pellem. non in planum ac directum expansam sed cameratam devexitate instar fornicis ut in tentoriis fieri solet. Unde liquet Psalterianum textum nullatenus officere cœlorum rotunditati: quæ, licet à *a* Pseudo-Justino, *b* Lactantio, *c* Diodoro Tarsensi, B. *d* Chrysostomo, *e* Severiano Gabalitano, *f* Theodoro Mopsuesteno, & *g* Procopio impugnetur, admitti, cum *h* Aristotele, *i* Cleomede, *k* Ptolomæo, aliisque Philosophis atque Astronomis, debet cum consectariis inde antipodibus, etsi eæ à *l* Theone, *m* Lactantio, B. *n* Augustino, *o* Zacharia Papa, & *p* Procopio negatæ fuerint. Cæterùm Theodoritus, post Heracleotam, ait per *pellem* facilitatem operis doceri: *sicut enim*, inquit, *homini pellem extendere facile est & tabernaculum efficere, sic Deus ingentes cœlorum orbes extendit verbo solo usus.*

tegis aquis &c. aquas supra firmamentum Gen. I. 6. positas respicit: nec cœlum nubibus, ceu vestimento, contectum cum Job. XXXVIII. 9. heic dicit: neque contignationem in aquis hoc est divinum domicilium in aquis seu nubibus collocatum memorat ut volunt Hebraistæ, falsâ decepti lectione המקרה: pro quâ in veteribus Codicibus המכסה fuisse fatebuntur qui in locis Gen. VII. 20. Job. XXII. 11. XXXVIII. 34. Is. XI. 9. Ezech. XXVI. 19. Abac. II. 14. aquas cum verbo כסה conjunctas viderint; meminerintque eas verbo קרה nusquam alibi jungi; eique, etiamsi fieret, junctioni præfixum non iri literam ב. S. Aug. habet *qui protegit*, pro *qui tegis.*

nubem. Nubium ille concursus ipsius Dei ubique penetrantem providentiam declarat ut docet Heracleota, qui optimè addit: *tantam enim præsentiæ ipsius velocitatem per nubium illum cursum designat ut videatur ipse Deus, ventorum pennis subvectus, ubicumque voluerit adesse. Cùm enim nubes etiam ventorum vehementiâ impellantur, necessariò dixit videri Deum ad omnia pervenire ventorum alis quasi pedibus usum.* Alia notio *nubi* inest Psal. XVII. 14. XCVI. 2. Deum porrò nube vectum in Exod. XVI. 10. XIX. 9. Levit. XVI. 2. II. Paralip. V. 13. Is. XIX. 1. Matth. XXIV. 30. XXVI. 64. Marc. XIII. 26. Luc. XXI. 27. Act. I. 9. habes ut & apud *q* Hesiodum ac *r* Virgilium.

ignem urentem. *s* Claudianus Mamertus ex hoc versu corpus Angelis assignavit, gravi captus errore: in quem *t* Justinus, *u* Clemens Alexandrinus, & *x* Macarius inducti videntur; & cujus puri sanctus non solùm *y* Ignatius, *z* Titus Bostrensis, *&* Eusebius, * Didymus. Gregorii ambo *a* Nyssenus & *b* Nazianzenus, *c* Marius Victorinus, S. *d* Chrysostomus, *e* Nilus, *f* Sophronius Hierosolymitanus, *g* Theodoritus, *h* Junilius Africanus, *i* Leo Papa, S. *k* Gregorius Magnus, & *l* Patres Lateranenses mihi apparent, sed etiam

a resp. ad quæst. 94.
b Instit. III. 24.
c apud Phot. Cod. 223. p. 345.
d homil. 14. in Epist. ad Heb.
e Orat. 3. de mundi Opif.
f apud Joh. Philoponum lib. 3. de mundi Opif. cap. 9. 10.
g Comment. in Genes.
h lib. 2. de cœlo c. 4.
i lib. 1. Meteor.
k lib. 1. mag. constr. c.
l apud Plut. de facie in orbe lunæ p. 924. A.
m loc. cit.
n de Civ. XVI. 9.
o Epist. ad Bonifacium.
p Comment. in Genes.
q dum ait: ἠέρα ἑσσάμενοι &c.
r Georg. I. *Ipse pater* &c.
s lib. 3. de statu animæ.
t Dial. cum Tryph. p. 279. C.
u lib. 1. Pædag. cap. 6.
x hom. I. 4. pag. 43. edit. Morell.
y Epist. interp. ad Trall.
z lib. 1. contr. Manich.
& lib. 4. de Demonstr. c. 1.
* lib. 1. de Spiritu sanct.
a lib. 12. contra Eunom. p. 11. 84.
b Orat. 34.
c lib. 4. adv. Ar.
d homil. 22. in Gen. & homil. 1. in Matth.
e apud Phot. Cod. 276.
f Epist. quæ est in Act. 11. Synod. VI.
g Quæst. 20. & 47. in Gen. quæst. 9. in Exod.
h lib. 1. cap. 2.
i Epist. ad Turib. c. 6.
k Moral. IV. 3. & Dial. IV. 29.
l sub Innocent. III. cap. 1. de fide Catholicâ p. 142. D. to. 11. edit. Paris. 1571.

a Athenagoras, *b* Methodius, *c* Origenes, *d* Tertullianus, *e* Lactantius, S. *f* Hilarius, S. *g* Ephræm, S. *h* Basilius, S. *i* Ambrosius, *k* Theognostus, *l* Severianus Gabalitanus, S. *m* Augustinus, S. *n* Fulgentius, *o* Arnobius, *p* Maximus Taurinensis, S. *q* Cyrillus Alexandrinus, *r* Cassianus, *ſ* Gennadius, *t* Tarasius Patriarcha, & *u* Johannes Thessalonicensis in œcumenicâ septimâ Synodo prolati, *x* Elias Cretensis, *y* Petrus Chrysologus, *z* Rupertus, S. *&* Bernardus, aliique: qui, quum Angelos dicunt aut innuunt corporeos ac materiales vel cum mulieribus congressos falsò asserunt, corporei & materialis significationem, aliter ac fert communis usus, usurpant; hoc nimirum dici corporeum putantes quod definito in loco continetur ac movetur, aut est ingenitum, increatum, nullius indigens, laboris expers; & materiam quandam spiritualem admittentes, atque statuentes Angelos carnem non propriam gestasse sed in carnem humanam ad tempus fuisse *transfigurabiles* ut loquitur * Tertullianus: cui si *a* Methodium, S. *b* Hilarium, S. *c* Augustinum, *d* Cassianum, *e* Gennadium, *f* Boetium, *g* Eliam S. Gregorii Nazianzeni Scholiastem, S. *h* Bonaventuram, & *i* Plotinum adjunxeris, in eâ, opinor, eris sententiâ allatas in gratiam Patrum explanationes multâ verisimilitudine esse fundatas, etsi opiniones, quibus explicationes illæ adhibentur, minùs accuratæ videantur.

Qui fundasti terram super stabilitatem suam; non inclinabitur in sæculum sæculi.

6 Terram proprio pondere fulsisti; nec *ea* unquam loco movebitur *etsi non alio fundamento nitatur quàm suo pondere.*

Abyssus sicut vestimentum amictus ejus, super montes stabunt aquæ.

7 Eam aquis, veluti veste, operuisti *initio creationis*; *illæque* aquæ montes *ipsos* superabant.

Ab increpatione tuâ fugient; à voce tonitrui tui formidabunt:

8 *At illæ, quasi fuissent graviter* à te increpatæ, fugerunt; *& præcepto tuo, tanquam* tonitru, exterritæ *cucurrerunt in locum quem ipsis præscripseras:*

Ascendunt montes; & descendunt campi in locum quem fundasti eis.

9 *Túncque* montes, *qui aquis obruti fuerant*, emerserunt *quasi è terrâ se attollerent*; & valles, *quæ similiter aquis fuerant copertæ, apparuerunt quasi* descenderent: *montesque & valles* in locum, quem ipsis constitueras, concesserunt.

Terminum posuisti quem non transgredientur, neque convertentur operire terram.

10 *Iis demum aquis* terminum circumscripsisti quem non prætergrederentur, & præcepisti ne terram *rursus* operirent.

Qui emittis fontes in convallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ.

11 *Adhæc* fontes per valles emittis, *tuóque imperio* aquæ medios inter montes fluunt.

a legat. pro Christ. pag. 27. D.
b lib. de Resurrect. ap. Epiph. hær. 64. n. 21: & Cod. 234. apud Phot.
c lib. 1. de Princip. c. 8. vide lib. 6. contr. Cels.
d lib. 2. contr. Marc. cap. 8.
e lib. II. 14.
f can. 5. in Matth.
g Serm. de nat. Dei minimè scrut.
h lib. de Spir. sancto c. 16.
i lib. 2. de Abraham cap. 8. Apol. David. cap. 1.
k apud Phot. Cod. 106.
l homil. 1. & 4. de mundi Opif.
m lib. 2. de Trinit. c. 7. serm. 102. de Divers. cap 9. Comment. ad Psal. LXXXV. 12. Vide lib. de Gen. ad lit. VII. 6. VIII. 25. Epist. 174.
n lib. de Trinit. Vide lib. de Fide cap. 3.
o Disput. cum Serap.
p homil. de Solemnit. S. Mich.
q lib. 9. in Joh. Vide lib. 4. in Joh.
r Collat. 7. cap. 11.
ſ lib. de Eccles. Dogmat. cap. 81.
t Act. 5. p. 355. B. to. 7. ed Paris. 1671.
u Ibid. pag. 354. 355.
x ad Orat. 1. Greg. Naz. n 16.
y Serm. 52. de Dæmonib.
z lib. 1. de Trinit. & oper. ejus c. 17.
& lib. 5 de Consid. c. 4. & homil. 5. in Cant.
* lib. de Carne Christi cap. 16.
a de Animâ apud Phot. Cod. 214
b Can. 5. in Matth.
c lib. de Hæres. cap. 86. Ep. 2. & lib. 7. de Gen. ad lit. cap. 6.
d lib. 7. Collat. cap. 3.
e lib. de Eccl. Dogmat. c. 81.
f lib. de Unit. & uno.
g ad Orat. 1. num 16.
h 2. Dist. 3.
i Ennead. II. lib. 4.

non inclinabitur &c. Quod de mobilitate terræ Copernicus Borussus, post *k* Pythago-

k lib. II. de cœlo c. 13. p. 303. D.

ricos Aristoteli prolatos, Nicetam seu Icetam Syracusium *a* Ciceroni ac *b* Laertio memoratum, Aristarchum Samium ab *c* Archimede laudatum, Cleanthem item Samium à *d* Plutarcho productum, † aliosque docet, ex Psalteriano confutatur testimonio: cui Plato, contra atque credidit *e* Aristoteles à *f* Simplicio eo nomine notatus, Aristoteles ipse; &, laudati ab *g* eo, Anaximenes, Anaxagoras, Democritus, Empedocles, atque Anaximander consentiunt; quodque Xenophanes, qui teste testibus *h* Aristotele & *i* Plutarcho, terram in infinitum demissis actisque radicibus suis hærere statuit, opinionem etiam explodit dum terram super stabilitatem suam fundatam canit cum *k* Ovidio.

abyssus &c. Describit faciem universi quum mundi opificium aggrederetur Deus: quâ de re Gen. I. 2. ubi de Abysso tenebris circumfusâ: quam exteri *l* Sanchoniato, *m* Thales, *n* Hesiodus, Orphicorum Scriptor, *o* Anaxagoras *p* Apollonius, *q* Aristophanes, *r* Zeno, *s* Virgilius, atque *t* Ovidius agnoverunt, & nomine *Chaos* ferè expresserunt.

ab increpatione tuâ &c. attingit aquarum in unum locum congregationem de quâ Gen. I. 9. fit sermo; aguntque *u* Philo, S. *x* Basilius, S. *y* Ambrosius, S. *z* Augustinus, & Cicero, aliique passim obvii.

ascendunt montes &c. † Ovidius: *Jussit & extendi campos, subsidere valles. Fronde tegi sylvas, lapidosos surgere montes.*

terminum. nempe arenam: de quâ legendi S. *b* Ambrosius, *c* Basilius Seleuciensis, & *d* Theodoritus cum Job. XXXVIII. 8. 10. 11. Prov. VIII. 29. Jer. V. 22.

qui emittis fontes &c. Aquæ non ita in unum locum coactæ fuere ut aliquæ in terræ visceribus, ad irrigandas stirpes & potandas bestias, non remanserint; idque isto tangitur versu, cui consonat *a* Aristoteles quum ait ad radicem montium oriri semper fontes.

Potabunt omnes bestiæ agri, exspectabunt onagri in siti suâ.	12	Bibunt *ex iis aquis* omnes bestiæ agrestes, suámque *in illis* spem ponunt onagri *siti enecti.*
Super eà volucres cœli habitabunt; de medio petrarum dabunt voces.	13	Juxta eas aereæ volucres habitant; &, *suavi earum susurro recreatæ*, cantillant è medio petrarum *ubi nidulos ponunt.*
Rigans montes de superioribus suis; de fructu operum tuorum satiabitur terra:	14	Montes irrigas ex *illis*, quas supernè emittis, pluviis; & terra pluviis *illis*, operâ tuâ productis, satiatur:
Producens fœnum jumentis, & herbam servituti hominum.	15	*Atque, earundem pluviarum beneficio*, fœnum jumentis producis, & herbam in usum hominum.
Ut educas panem de terrà, & vinum lætificet cor hominis:	16	*Iisdem pluviis* efficis ut *homo* segetem, è quâ conficiatur panis, è terrâ educat, nec non vinum *quod ejusdem* hominis cor lætificet:
Ut exhilaret faciem in oleo; & panis cor hominis confirmet.	17	*Efficisque etiam* ut *terra* oleum producat quo vultum suum *homo* reddat nitidiorem; atque ut factus è segetibus panis cor *ejusdem* hominis corroboret.

exspectabunt onagri &c. Rabbini diversis punctis, sed eodem sensu interpretantur *fran-*

a lib. 1 Acad. Quæst.
b in Philolao.
c de Arenæ numero.
d de facie in orbe Lunæ pag. 923. A.
† Philolaum à Laertio in vitâ ejus prolatum, & Heraclidem Ponticum à Simplicio comment. 51. in lib. II. de Cœlo memoratum. Quibus addendus Numa Pompilius qui in hac opinione fuisse inde videtur quòd, uti narrat in ejus vitâ Plutarchus, templum Vestæ rotundum fecit ad imaginem universi, in quo et is medio constituit æternum ignem ut solarii ignis symbolum.
e de Cœlo II. 13. pag. 34. A.
f Comment. 51. in lib. 2. de cœlo. p. 151. col. 1. edit. Venet. 1584
g lib. cit. p. 364. F. 365. F.
h lib. cit. p. 364. C.
i de Placit. Philos. III. 11.
k Metamorph. I.
l apud Euseb. Præp. I. 10. p. 33 C.
m apud Cic. lib. 1. de Nat. Deor.
n in Theogon. & citatur ab Arist. lib. 4. Phys. cap. 1.
o apud Laert. in vitâ Anaxag.
p in Argonaut.
q in Avibus apud Lucian. in Philopat.
r apud Scholiastem Apollonii.
s Eclog. 6.
t lib. 1 Metam.
u de Opif. mundi.
x homil. 9. in Hexaëm.
y lib. 3 Hexaëm. c. 2
z de Genes. ad lit. lib. I. c. 12.
& lib. 2 de Nat. Deor.
† Metam. I.
a Meteor. I 13.
b lib. 3. in Hexaëm. cap. 22.
c Orat. 6.
d Serm. 4. contr. Græc.

enagri sitim suam. S. Aug. legit *suscipient* pro *expectabunt*, Onager, *a* teste Glyca Siculo, siccissimum est animal, ideòque sitibundum.

fructu operum tuorum. Eusebius: *fructum Dei appellat pluviam.* Optimè, ut patet ex Job. XXXVIII. 28.

ut educas. S. Aug. *ut educat.* Idem ubique sensus, & utrâque lectione innuitur frumenti beneficium Deo esse tribuendum; non Cereri aut Atheniensibus vel Triptolemo, quibus *b* Plato, *c* Aristoteles, *d* Isocrates, *e* Cicero, *f* Lucretius, *g* Diodorus Siculus, & *h* Pausanias acceptum tulere beneficium panis: pro quo Gentes quædam piscibus, glandibus, aliisve fructibus usæ sunt ut narrant *i* Herodotus, *k* Strabo, *l* Theophrastus, *m* Ælianus, *n* Plinius, & *o* Plutarchus.

& vinum lætificet. Hic locus, ut B. *p* Chrysostomo notatum est, utilis est contra Hæreticos *creaturam Dei* nempe vinum *accusantes.* Hæretici illi sunt Severiani ut observat eruditissimus *q* Fronto Ducæus: qui, postquam tria B. *r* Epiphanii, S. *s* Augustini, & B. *t* Chrysostomi testimonia adduxit, beatum profert *u* Ambrosium textui nostro succinentem, dum ait: *Non habes quod accuses vinum: in jucunditatem creatum est, non in ebrietatem ab initio.* Adde B. Chrysostomum to. 5. serm. 59. p. 687.

in oleo. alludit ad morem ungendi Judæis usitatum ut patet ex Judith. XVI. 10. Eccl. IX. 8. Is. LXI. 3. Ezech. XVI. 9. Mich. VI. 15. Matth. VI. 17. Luc. VII. 46. Vide annot. ad Psal. XXII. 7.

a Annal. part. I.
b in Menexeno. Vide lib. 6. de Legib.
c in vitâ eius apud Diog. Laert.
d in Orat. panegyr.
e de perf. Orat. & in Orat. pro Flacco.
f lib. 6. *Primæ frugiferos &c.*
g lib. V. 15.
h in Atticis p. 25. Vide Arcadica pag. 459.
i lib. 2.
k lib. 15.
l lib. IV. cap. 10. de Plantis.
m Var. hist. lib. III. c. 39.
n lib. XVI. 5.
o de esu carn. Orat. 1.
p homil. 1. de Statuis pag. 8. B.
q in Notis ad Chrysost. pag. 5. A.
r Hæres. 45.
s de Hæres. Hær. 24. & 46.
t homil. 59. in Matthæ.
u lib. de Elia & Jejunio cap. 12.

18 *Saturabuntur ligna campi, & cedri Libani quas plantavit. Illic passeres nidificabunt*

Dictis jam pluviis abundè rigantur arbores quæ in campis nascuntur, nec non Libaneæ, quas dextera tua plantavit, cedri. *In his autem arboribus* passeres nidificant

19 *Herodii domus dux est eorum: montes excelsi cervis, petra refugium herinaciis.*

Præeunte sibi Herodiorum turbâ: excelsi *verò* montes cervis hospitium præbent, & petræ receptaculum sunt ericiorum.

20 *Fecit lunam in tempora, sol cognovit occasum suum;*

Præterea lunam fecisti in tempora *noctis*, sol*que tunc* occumbere novit;

21 *Posuisti tenebras, & facta est nox: in ipsâ pertransibunt omnes bestiæ sylvæ;*

Mòxque tenebras inducis, & fit nox: câ*que terram occupante* omnes feræ, *è latebris egressæ* circumcursant;

ligna campi. Hebræus textus, ut Eusebius ac Theodoritus notant, habet *ligna Domini* hoc est arbores proceres ut explicat Heracleota. Idem ubique sensus: nam excelsissimæ arbores in campis esse solent, ubi pluviæ à Deo immissæ beneficio non humanâ arte crescunt.

Herodii domus &c. Rabbini: *ciconia abietes sunt domus*; sed versio nostra retineri debet, & audiri Euthymius dicens: *Herodius genus est avis quæ prima omnium nidum figit.* B. Augustinus pro *Herodii* legit *fulica.*

herinaciis. Ita omnes interpretes transtulisse testatur S. *x* Hieronymus, præter LXX. qui dixerint *leporibus.* S. Augustinus utramque lectionem profert, legendo *hericiis & leporibus.*

x Epist. 135.

in tempora. Una heic nox; non verò dierum aut mensium, per lunam, distinctio intelligi debet ut ex lege Synonymicâ & sequenti versu planum est atque Euthymio.

cognovit. Non velut is qui animam aut sensum habeat, sed velut is qui divinam determinationem non transgreditur: quocirca Creatoris mandatum non secùs videtur cognovisse ac si rationem haberet inquit Euthymius Heracleotæ atque Theodoriti vestigia persequens. Operæ precium feret qui *a* Eusebium legerit edisserentem cur interruptus de rebus cœlestibus sermo heic resumatur.

a in Cat. Cord. to. 1. pag. 83.

22 *Catuli leonum rugientes ut rapiant, & quærant à Deo escam sibi.*

Juvenésque leones cum rugitu *ex antris suis* exiliunt ad prædam sibi comparandam, & escam, Deo opitulante, quærendam.

23 *Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur:*

At ubi ortus est sol, turmatim se *feræ illæ* in suas speluncas recipiunt:

24 *Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vesperam.*

Túmque homines, *absque ullo timore*, prodeunt ad opus suum; *&* agriculturæ, usque ad tempus vespertinum, vacant.

25 *Quàm magnificata sunt opera tua Domine! Omnia in sapientiâ fecisti, impleta est terra possessione tua.*

Quàm eximia sunt tua, *quæ recensui*, opera Domine! *Ea* omnia sapienter fecisti, plenâ*que* est terra rebus *hujusmodi* à te creatis *& sapientiam tuam testantibus.*

26 *Hoc mare magnum & spatiosum manibus: illic reptilia quorum non est numerus:*

Jam verò ingens *illud* & spatiosum, *quod intuemur mare*, innumeram piscium multitudinem habet:

27 *Animalia pusilla cum magnis; illic naves pertransibunt:*

Atque in eo ingentes & exigui pisces promiscuè degunt; *&* naves per ipsum transeunt:

28 *Draco iste quem formasti ad illudendum ei. Omnia à te exspectant ut des illis escam in tempore:*

Transitque etiam balæna quam creasti ut in *mari* illo ludat ac tripudiet. Omnia *porrò, de quibus sum loquutus*, animalia à te exspectant ut cibum ipsis tempore suo des:

29 *Dante te illis colligent, aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate:*

Quúm*que* illis beneficum te exhibes, habent unde vivant; *&*, quando manum tuam aperis, omnia *illa animalia* bonis abundant:

manibus. Deest apud S. Augustinum & in Sixt edit. nec non apud B. Hier. in Nah. I. Qui in Epist. 135. ait illud *manibus*. quod legitur in Vulgatâ, ex Hebraico & Theodotionis editione in LXX. sub asterisco additum esse; & Aquilam & omnes vertisse *spatiosum manibus.*

draco

draco iste &c. Heracleota : Διὰ &c. *Per draconem magna cete insinuavit, quæ maxima maria inhabitare amant. In Hebræo autem est Leviathan.* Ad illudendum *autem pro ludendum dicitur : vult enim per hoc significare latum maris spatium, quod nimirùm tantum sit ut, cum aliis natatilibus quamplurimis, insuper etiam dracones & cete grandia non solùm in eo natitent sed etiam ludant atque tripudient, quod utique non alibi quàm in loco spatiosissime fieri potest.*

30 *Avertente autem te faciem turbabuntur : auferes spiritum eorum, & deficient ; & in pulverem suum revertentur.*

Si autem *illa* deseras, hærent attonita : *mòxque* animam eorum aufers, & moriuntur ; atque in pulverem, è quo formata sunt, resolvuntur.

31 *Emittes spiritum tuum, & creabuntur ; & renovabis faciem terræ.*

Sed *vitalem*, cujus auctor es, spiritum *aliis* largiris *animalibus*, eàque *in locum mortuorum* creantur ; atque *ita* faciem terræ novis ornas animantibus.

32 *Sit gloria Domini in sæculum, lætabitur Dominus in operibus suis.*

Pro his omnibus æternùm laudetur Dominus, & suis Dominus operibus lætetur *audiens laudes quas eorum caussà grati ipsi tribuimus.*

33 *Qui respicit terram & facit eam tremere ; qui tangit montes & fumigant.*

Suis, inquam, operibus lætetur Dominus qui, si ipsum pro iis grato, ut par est, animo non laudaverimus, terram *in quà habitamus* aspiciet, càm*que solo aspectu* concutiet : montes tanget ; &, *solo ipsius tactu,* conflagrati fumabunt, *túncque eum vel inviti suspiciemus.*

34 *Cantabo Domino in vità meà ; Psallam Deo meo quamdiu sum.*

Hanc ego necessitatem non exspectabo ; sed Deo, per totam vitam meam, præconium tribuam ; eúm*que*, quamdiu vixero, laudibus efferam.

35 *Jucundum sit ei eloquium meum, ego verò delectabor in Domino :*

Gratum sit ei præconium *illud* meum, meæ*que* hæ laudes ei placeant :

auferes spiritum eorum. Maximus de animà sensitivà & vegetativà brutorum ac plantarum intelligit ; sed sermo heic fit de hominibus ut [a] ait Euthymius, & patet ex Psal, LXXV. 12. CXLV. 3. Modo autem complexo id, quod ad unum hominem spectat, quasi de omnibus animalibus enuntiat, ferè ut in Psal. XCVIII. 7. quem vide & annot ibid.

[a] In Cat. Cord. pag. 89. 90.

qui respicit terram &c. Quem hoc in versu & sequenti adhibui, nexum acceptum refero Heracleotæ. Nostrum autem versum Æschylus *a* Eusebio prolatus imitatur.

a Præp. Evang. pag. 683. G.

Deficiant peccatores à terrà, & iniqui ita ut non sint. Benedic anima mea Domino.	36	Impii *autem Babylonii, qui Deum pari præconio ac laude non ornant,* tollantur de terrâ, & iniqui *illi* non *ultrà* in mundo sint. *Hoc dum fiat*, lauda Dominum *b* anima mea.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI QUARTI.

QUEMADMODUM hymni, à Davide Arcam in Sionem introducente conditi, posteriorem partem, paucis mutatis, Judæi è Babylone reversi usurparunt in Psalmo XCV. ita priorem ejusdem hymni partem, nonnullis additis versiculis, iidem Judæi adhibuisse videntur hoc in Psalmo. Unde eum ad tempus quo, post solutam captivitatem Babylonicam, Ædes ædificata fuit referendum esse puto: idque, præter exemplum Psalmi CXIII. 1. quartus Psalmi nostri versus mihi suadet tum quia divinam, quæ Templi propria erat, faciem memorat; tum quia pro his vocibus *virtutem ejus* quæ I. Paralip. XVI. 11. leguntur, habet *confirmamini*: hoc enim verbo Vulgatum Interpretem usum fuisse puto quòd tempora solutam captivitatem subsequuta repræsentari heic censeret; sciretque Arcam (quæ *virtutis* nomine in laudato Paralipomenon loco designatur) in secundo Templo defuisse.

TITULUS.

Halleluia.

PSALMUS CIV.

1 *Confitemini Domino, & invocate nomen ejus; annuntiate inter Gentes opera ejus.*

2 *Cantate ei, & psallite ei; narrate omnia mirabilia ejus.*

3 *Laudamini in nomine sancto ejus; lætetur cor quærentium Dominum.*

4 *Quærite Dominum, & confirmamini; quærite faciem ejus semper.*

5 *Mementote mirabilium ejus quæ fecit; prodigia ejus, & judicia oris ejus.*

PARAPHRASIS.

1 Laudate Dominum, & nomen ejus celebrate; ejúsque opera inter populos *Israeliticos* prædicate.

2 Canite eum, & præconium ei tribuite; omniáque ejus miracula narrate.

3 Gloriamini in sancto ejus nomine; & *Judæorum*, qui divinum cultum profitentur, cor gaudeat.

4 Colite Dominum, & constanter *in ejus obsequio* perstate; ejúsque templum, in quo videndum se præbet, semper adite.

5 *Tùm* in memoriam revocate miracula quæ *in Ægypto in gratiam priscorum Patrum* edidit; & prodigia quæ *eorumdem Patrum causâ ibidem* patravit, ac pœnas quibus *ipsorum hostes judicio suo* addixit.

ANNOTATIONES.

Halleluia. Cod. Colb. 158. *ipsi Davit Alleluia. vox Apostolorum de Judais.* Vox ***Halleluia*** (quæ in hodierno textu Hebræo cum extremis verbis præcedentis Psalmi minùs benè conjungitur ut ex Hieronymianâ liquet versione) ***laudate Dominum*** sonat ut docent *a* Eusebius & *b* Theodoritus, quibus hæc vox meliùs quàm S. * Germano perspecta fuit. Fallitur cum suis magistris *c* Hesychius, dicens ***vocis Alleluia interpretationem esse laudem Deo Jao***: ejusque error ex his, quæ addit, verbis apparet: ***vocem autem Jao Hebrai quasi nomen quoddam inexplicabile reliquerunt.*** Nomen illud inexplicabile non est יה quod in voce ***Halleluia*** legitur, sed יהוה quod *d* Clarius Apollo & *e* Diodorus Siculus dicunt ***Jao***; *f* Porphyrius vocat ***Jevo***, *g* Clemens Alexandrinus appellat ***Jaou***, & de quo plura annotavimus ad Psal. VIII. 1. Hanc porrò vocem ***Halleluia*** Ecclesia lætis tantùm diebus usurpat eò quod Deum tunc maximè laudare teneamur. Quia verò antiqui Patres existimabant Deum in funere piorum laudari & glorificari debere ut, præter S. *h* Gregorium Nyssenum, declarat B. *i* Chrysostomus: qui hymnos, *k* Constitutori Apostolico, S. *l* Hieronymo, *m* Socrati, & *n* Auctori vitæ S. Simeonis Stylitæ memoratos, cantari dicit in funere piorum ***ut Deum glorificemus; eique gratias agamus quòd jam coronavit discedentem, quòd à laboribus liberavit, quòd à timore liberatum apud se habet***: quia, inquam, antiqui Patres hymnos in funere piorum Deo esse canendos arbitrabantur illúdque tempus inprimis festivum ab.

a in Cat. Cord. pag. 122.
b in Comment. ad Psal. 104. pag. 816. A.
* in Theoriâ.
c in Cat. Cord. pag. 212.
d apud Macrob. lib. I. Saturn. cap. 18.
e lib. 1. ubi ait: παρὰ Ἰουδαίοις &c.
f apud Euseb. Præp. I. 9. pag. 31. A.
g Strom. V. p. 562. fin.
h in vitâ Macrinæ.
i Homil. 4. in Epist. ad Heb. to. 6. p. 735. C.
k lib. VI. 30. D.
l in vitâ Pauli Eremitæ. to. 1. p. 318. D. & in Epitaph. Paulæ ib. p. 219. A.
m Hist. Eccl. lib. VII. cap. 46.
n can. 22. sub fin. Vide hoc de ritu Græcorum de fun. Christ. cap. 5.

illis habebatur, motis apud eos erat ut in exequiis cantaretur *Hallelnia* quemadmodum à B. *a* Hieronymo edocemur.

quærite Dominum, loquutio templi propria ut liquet ex Psal. XXIII. 6. & summam, qualis in templo exerceri potissimùm debet, pietatem involvens ut ex *b* Heracleotâ & S. *c* Chrysostomo simul sumtis conficitur.

a in Epitaph. Fabiolæ. pag. 258. C.
b in Cat. Cord. pag. 106.
c Ibid. pag. 1 3.

6 *Semen Abraham servi ejus, filii Jacob electi ejus:*

Horum, inquam, prodigiorum mementote ô Israelitæ, qui ab Abrahamo oriundi *&* Dei cultores estis: *vos., inquam, ô Israelitæ*, qui ex Jacobo *Abrahami nepote* originem ducitis *& qui ex omnibus gentibus* à Deo in *populum ejus* electi fuistis * *recordamini judiciorum Dei:*

7 *Ipse Dominus Deus noster in universâ terrâ judicia ejus.*

Ipse *namque* Dominus Deus noster *luculenta* justitiæ suæ exempla in universâ terrâ *Ægyptiacâ* edidit.

8 *Memor fuit in sæculum testamenti sui, verbi quod mandavit in mille generationes;*

Memor *nempe* fuit fœderis sui longos per annos duraturi: fœderis, *inquam*, quod diuturno tempore servari vult;

Gen. XII 7. XIII. 15. XVII. 8.

9 *Quod disposuit ad Abraham, & juramenti sui ad Isaac:*

Quódque cum Abrahamo inivit, & cum Isaaco confirmavit:

Gen. XXVI. 3.

Gen. XXVIII. 13.

10 *Et statuit illud Jacob in præceptum; & Israel in testamentum æternum*

Ac tanquam legem, *cui parere vellet*, cum Jacobo renovavit; & cum *eodem* Jacobo velut testamentum, *quòd diutissimè exequi vellet, confirmavit*

11 *Dicens: Tibi dabo terram Chanaam, funiculum hæreditatis vestræ;*

Dicens *unicuique eorum:* Palæstinam hæreditario jure possidendam tibi dabo;

Abraham. Berosus, Hecatæus, & Nicolaus Damascenus *d* Josepho laudati, Orphicorum Scriptor *e* Clementi Alexandrino atque *f* Eusebio prolatus; Eupolemus, Artapanus, & Melo ab *g* Alexandro Polyhistore producti, & *h* Justinus Abrahami meminere; sed, quod Nicolaus Damascenus & Justinus de regno Abrahami narrant, falsum est ut eruditè ostendit *i* Pererius. Alia mendacia historiæ Patriarchicæ aspergunt Ethnici.

juramenti. Heracleota: Οὐ &c. *Non Abraha quidem promisit, Isaaco autem juravit, Jacobo verò præcepit: sed vult universum dicere ipsum Patriarchis nostris & promissiones dedisse & easdem juramento confirmasse.*

Isaac. Hujus nomen habemus apud Græcos: qui, referente *k* Melone, filium Abrahami vocabant γέλωτα idest *risum.* Ipsum Isaaci nomen exhibet Ph[illegible] non Judæus sed alter *l* Alexandro Polyhistori prolatus.

d Antiq. I. 8. indéque apud Euseb. Præp. IX. 16. p. 417.
e Strom. V. p. 607. C. D.
f Præp. XIII. 12. pag. 665 C.
g apud Euseb. Præp. IX. 17. 18. 19.
h lib. XXXVI. cap. 2.
i ad cap. XII 5. 6 Gen. 20. 3. num. 57. pag. 490.
k apud Euseb. Præp. IX 19. pag. 421. A.
l Ibid. cap. 24. p. 430.

Jacob. Ejus mentio apud Demetrium & Theodotum ab *a* Alexandro Polyhistore memoratos exstat.

Israel, Idem atque *Jacob* qui dictus fuit Israel non quòd Deum viderit ut, post *b* Philonem, *c* auctor Constitutionum Apostolicarum, *d* Clemens Alexandrinus, *e* Eusebius, aliique interpretantur; sed quia Angelo prævaluit ut ex Gen. XXXII. 28. Os. XII. 3. apparet, ac *f* Justino: à quo non longè abeunt *g* Josephus, cui *Israel* est ἀντιστὰς ἀγγέλῳ θεῷ *reluctans Angelo Dei*, & B. *h* Hieronymus cui *Israel* sonat *princeps cum Deo* aut *princeps Dei* sive *directus Dei*. Quo ultimo loco doctissimus Presbyter non aliam (ut eruditissimo viro creditum est) significationem profert & ab ישׁר *Israelem* deducit; sed virum cum Deo pugnantem & prælium cum eo dirigentem intelligit, atque à radice שׂרה derivat ut Oseano superiùs citato liquet testimonio, ad quod sine dubio respexit B. Hieronymus quum Israelem vocavit *directum Dei*.

a apud Euseb. Præp. IX. 21. p. 422. 22. p. 426.
b lib. de Abrahamo ante med & lib. de præmiis & pœnis ante med.
c lib. VII. 36. p. 315. B.
d Pædag. I. 7. p. 110. C. Strom. I. p. 284. D.
e Præp. VII. 8. p. 310. D. XI. 6. p. 519. A.
f Dial. cum Tryph. p. 354. C. ubi post vocem ἀνταγωνος rectè cum viro docto, supp. lebis ἀνδρῶν.
g Antiq. I cap. penult.
h Tradit. Heb. 10. 3 p. 343.

Quum essent numero brevi paucissimi; & incolæ ejus. 12 *Idque promissi Deus laudatis fecit Patriarchis* quum eorum familia exigua esset & paucissimis personis constaret; *ipsi*que in Palæstinâ peregrinarentur, *quo tempore nulla regionis hujus possidendæ spes affulgebat.*

Et pertransierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum. 13 *Postquam autem Deus prædictum fœdus cum Abrahamo pepigisset*, ille ejúsque uxor de natione in nationem, & de uno regno in populum alterius *regni* migrarunt: Gen. XII. 5. 6.

Non reliquit hominem nocere eis; & corripuit pro eis reges. 14 Nec *Deus*, *in variis illis peregrinationibus*, permisit ut quisquam eis noceret; sed *eorum gratiâ* Regum alios castigavit: Gen. XII. 17.

Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari. 15 *Aliis præcepit, dicens*: nolite tangere homines mihi charos, & cultoribus meis injuriam inferre nolite. Gen. XX. 7.

Et vocavit famem super terram; & omne firmamentum panis contrivit. 16 *Posthæc, tempore Jacobi*, famem in Palæstinam Deus induxit; & panem, quo sustentatur vita, incolis *hujus regionis* ademit. Gen. XLI. 54.

Misit ante eos virum; in servum venundatus est Joseph. 17 *Sed in Ægyptum*, ante Jacobum ejúsque familiam, misit Josephum filium ejus *qui famem ab ipsis propulsaret*; venditúsque est Joseph in servum. Gen. XXXIX. 1.

Christos meos. Sic vocat non quòd in suis familiis jus regium obtinuerint ut *i* Grotius ex Nicolao Damasceno & Trogo Pompeio docet; sed quòd Deo chari, ob pietatem, essent ut ex lege patet Synonymicâ.

i in Annot. ad lib. I. de Verit. Relig. Christ. p. 328. edit. Paris. 1640.

prophetis. id nominis idem heic valet ac Dei cultor, seu *vir eximiè sanctus* ut doctè edisserit *a* Pererius.

Joseph. Eum Artapanus & Philo ab *b* Alexandro Polyhistore memorati laudant.

a ad Gen. XX. 7. to. 2 num. 9. p. 654. col. 2.
b apud Euseb. Præp. IX. 23 p. 429. 24. p. 430.

Gen. XXXIX. 20. Gen. XL. 12. 13. 21. XLI. 9. 10. 11. 12.

18 *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransivit animam ejus, donec veniret verbum ejus:*

Deinde Putiphares illum in vincula conjecit; *&* Joseph ferreis catenis vinctus est donec verbum, quod *pincernæ Pharaonis* dixerat:

Gen. XLI. 14.

19 *Eloquium Domini inflammavit eum. Misit Rex & solvit eum: Princeps populorum & dimisit eum.*

Donec, inquam, ignitum *illud* eloquium *quod* Dominus *ipsi* afflaverat *compleretur. Postquam ergo evenisset quod Josephus pincernæ dixerat*, misit Rex; eúm*que vinculis* solvi jussit: Princeps*que ille*, qui imperium in *plurimos* populos habebat, illum è carcere dimitti mandavit.

Gen. XLI. 40.

20 *Constituit eum Dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ*

Tùm domui suæ eum præposuit, atque illum suis omnibus ditionibus præfecit

21 *Ut erudiret principes ejus sicut semetipsum, & senes ejus prudentiam doceret.*

Ut satrapas suos sapientiâ, quâ erat instructus, erudiret, & senatores suos prudentiam doceret.

Gen. XLVI. 6.

22 *Et intravit Israel in Ægyptum, & Jacob accola fuit in terrà Cham.*

Josepho in amplissimà hac dignitate locato, ingressus est Jacob in Ægyptum, *idem*que Jacob in terrâ Ægyptiacâ peregrinus fuit.

Exod. I. 7.

23 *Et auxit populum suum vehementer; & firmavit eum super inimicos ejus:*

Suum autem populum, *in Ægypto degentem*, Deus vehementer auxit, eúm*que* inimicis ipsius fortiorem reddidit:

animam. sumit pro personâ ut in nonnullis, quæ observavimus, locis: nec tamen contemni velim Kimchium qui animam dicit memoratam quia malis corporis affligitur anima. Ex septem exemplis Hippolyti, Tenni, Bellerophontis, Pelei, Myrtili, Timasionis, & Crispi quibus ingens periculum partim creatum partim etiam exitium, à libidinosis (quæ ab eis spretæ ac repudiatæ fuerant) mulieribus allatum fuisse notat *c* Muretus, ad Josephum Myrtilus maximè accedit.

c Var. Lect. lib. I. cap. 12. p. 13. 14. 15. edit. Antuerp. 1580.

eloquium Domini. Idem bis dicit Vates; aptissiméque loquitur ut apparet ex Psal. CXVIII. 140. & Eccl. XLVIII. 1. Loquutionem *venisset verbum* confer cum Jud. XIII. 12.

misit rex. non statim atque prædictionis veritatem exitus comprobasset, sed biennio post Genes. XLI. 1.

ut erudiret &c. Rabbini: *ut alligaret principes secundùm animam suam*: hoc est pro suo arbitrio; sed hanc interpretationem lex Synonymica non probat.

Convertit cor eorum ut odirent populum ejus, ut dolum facerent in servos ejus. 24 *Atque ita perversis* illorum cordibus occasionem dedit ut populum suum odio haberent, *&* malum servis suis inferrent.

Misit Moysem servum suum; Aaron quem elegit ipsum: 25 *Tunc* Mosem servum suum misit *internuncium ad Pharaonem; & cum eo* Aaronem quem ad *hujus officii partem* vocaverat: Exod. III. 10. IV. 14. VII. 1. 10.

Posuit in eis verba signorum suorum & prodigiorum in terrâ Cham. 26 Dixit*que* eis signa se & prodigia in Ægyptiacâ terrâ editurum. Exod. VII, 3.

Misit tenebras, & obscuravit; & non exacerbavit sermones suos; 27 *Mox* misit tenebras, omniá*que* caligine involvit; & *cæteros, quos Mosi atque Aaroni de signis edendis loquutus fuerat*, sermones non fecit irriros: Exod. X. 21.

Convertit aquas eorum in sanguinem, & occidit pisces eorum. 28 *Siquidem Ægyptiorum* aquas in sanguinem convertit, & pisces eorum occidit. Exod. VII, 20.

Edidit terra eorum ranas, in penetralibus Regum ipsorum. 29 Terra illorum ranas produxit, *quæ* in secreta quæque Regiæ loca penetrabant. Exod. VIII. 6.

Dixit, & venit cynomya; & scinifes in omnibus finibus eorum. 30 *Præterea* jussit *Deus*, & caninæ muscæ; ac minutissima, eá*que* molestissima, animalia in omni eorum regione prodierunt. Exod. VIII. 24. Exod. VIII. 17.

Posuit pluvias eorum grandinem; ignem comburentem in terrâ ipsorum: 31 *Adhæc* grandineum imbrem; *&* ignem, qui *obvia quæque* in terrâ ipsorum combureret, immisit: Exod. IX. 22. 23. 24.

convertit &c. non odium infundendo sed odii occasionem præbendo. Plura de induratione cordis humani habes apud *a* Pererium & *b* Bellarminum: quos adeas velim post B. Irenæum lib. IV. cap. 48.

Moysem. Eupolemus, Artapanus, Ezechielus poeta, & Demetrius ab *c* Alexandro Polyhistore prolati, mentionem Mosis fecerunt cum vetustissimo Orphicorum *d* Scriptore, *e* Diodoro, *f* Numenio, *g* Strabone, *h* Plinio, *i* Apuleio, *k* Tacito, *l* Juvenali, ac productis à *m* Josepho Ægyptiis Manethone, Lysimacho, & Chæremone: præter Polemonem, Apionem Posidonii, Ptolomæum Mendesium, Hellanicum, Philochorum, Castorem, Thallum, & Alexandrum Polyhistorem *n* Justino martyri memoratos.

Aaron. Arvas corruptè vocatur à *o* Justino ex Trogo Pompeio.

posuit in eis. Heb. *posuerunt.* Plerique interpretes exponunt de vi miraculorum edendorum Mosi & Aaroni inditâ; sed pronomen *suorum*, & loquutio *exacerbavit sermones suos* ℣. 27. infrà, ac locus Exod. VII. 3. aliò me vocarunt.

a ad cap. XI Exod. de induratione Pharaonis. disputationibus decem.
b Comment. in hunc Psalmum & loco ibi citato.
c apud Euseb. Præp. IX 26 27. 28. 29.
d quem profert Aristobulus apud Euseb. Præp. XIII 12. p 666. A. ubi legendum est ὑδογενὴς pro ὑλογενὴς ex Scalig.
e lib. 1. [illegible] Ιουδαίοις &c.
f apud Euseb. Præp. IX. 8. p 411. D.
g lib. 16.
h lib XXX. 1. sub. fin.
i Apolog. 2.
k Hist 5.
l *Iudaicum ediscunt* &c.
m lib. 1 contr. Apion.
n Parenæs ad Græc. p. 9. 10.
o lib. XXXVI. cap. 2.

Cham. historiæ Scholasticæ auctori est Zoroaster: de quo plura leges apud *a* Pererium, *b* Vossium, *c* Cotelerium, atque *d* Huetium.

tenebras, non ortas à Solis defectu, sed à continuis densisque nubibus cœlum subtexentibus: quales fermè fuerunt ex de quibus *e* Cedrenus, *f* Theophanes, & *g* Zonaras loquuntur.

& non exacerbavit. Duplex ab Heracleota memoratur lectio: videlicet *& non exacerbaverunt*, & *quoniam exacerbaverunt*. S. Augustinus legit *exacerbaverunt*; & addit. *Alii verò. Non exacerbaverunt sermones ejus. Sed quod priùs dixi, in pluribus invenimus. Ubi autem addita est negativa particula vix duos codices potuimus reperire.* Theodritus habet *quia exacerbaverunt.* Vulgata lectio his omnibus præstat.

scinifes. in hujus nominis (quod à LXX. & Philone scribitur σκνῖπες) interpretatione Philonem sum sequutus: posthabitis Josepho, Caietano, Oleastro, aliisque qui *pediculos* exponunt reclamante Mosis narratione, ut rectè observat *h* Pererius quem fructuosè leges.

a ad cap. 7. Exod. disp. 2.
b de Idololatr. lib I. cap. 5. p. 16. 17 edit. Amst 1668. fol to 1.
c in Not. ad lib. 4. Recognit. Col. 367. 368
d Demonstr. Evang. prop. 4 cap. 5.
e circa an. 460. imperante Leone.
f apud Baron. to 9. ad ann. 746.
g Annal. to. 3
h ad cap. 8. Exod, disp. 2.

Exod. IX. 25.	*Et percussit vineas eorum & ficulneas eorum; & contrivit lignum finium eorum.*	32	Et *illo*, *qui mixtos habebat ignes, grandine* vineas eorum ac ficus eorum percussit; &, quæ in regione illorum erant, arbores contrivit.
Exod. X. 13. 14.	*Dixit, & venit locusta & bruchus cujus non erat numerus:*	33	Jussit *iterum Deus*, & continuò venit innumera locustarum & bruchorum multitudo:
Exod. X. 15.	*Et comedit omne fœnum in terrâ eorum, & comedit omnem fructum terræ eorum.*	34	Quæ omnes telluris eorum herbas depasta est, atque omnem terræ ipsorum fructum consumsit.
Exod. XII. 29.	*Et percussit omne primogenitum in terrâ eorum; primitias omnis laboris eorum.*	35	Tum omnes, qui in terrâ *Ægyptiorum* erant, primogenitos occidit; *eósdemque primogenitos, qui totius* eorum laboris nobilior erant pars, interfecit.
Exod. XII. 36.	*Et eduxit eos cum argento & auro, & non erat in tribubus eorum infirmus.*	36	*Hisque peractis, Israelitas* vasis argenteis & aureis onustos *ex Ægypto* eduxit, nec ullus, in Tribubus eorum, infirmus erat;
	Lætata est Ægyptus in profectione eorum: quia incubuit timor eorum super eos.	37	Lætitiám*que ex* illorum profectione Ægyptii perceperunt: ipsos enim timor, *ob plagas quibus Judæorum causâ mulctati fuerant*, invaserat.
Exod. XIII. 21.	*Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem ut luceret eis per noctem.*	38	*Egressis porrò ex Ægypto Israelitis* expandit Deus nubem quæ illos per diem *ab æstu* tueretur, & igneam columnam quæ lucem eis noctu præferret.

cum argento &c. vasa aurea & argentea commodatò sumta auferentes Judæi in furti crimen

crimen non incurrerunt quia hæc acceperunt loco mercedis quâ fraudati fuerunt dum servitutem apud eos servirent. Plura *a* Philo, B. *b* Irenæus, S. *c* Augustinus, *d* Pererius, & citati ab eo auctores afferunt.

infirmus. Manethon, Chæremon, & Lysimachus à *e* Josepho prolati, nec non *f* Justinus & *g* Tacitus caussam expulsionis Hebræorum ex Ægypto fuisse dixerunt morbum & lepram eorum quæ ad alios serperet. Sed hoc figmentum Psalteriana verba explodunt præter *h* Josephum.

a lib. 1. de vitâ Mosis. *b* lib. IV. cap. 4. *c* libro 22. contra Faust. cap 71. *d* ad Exod. XII. disput. 13. *e* apud Joseph. lib. I. contr. Apion. *f* lib. 36. *g* Hist. 5. *h* loc. cit.

39 *Petierunt, & venit coturnix; & pane cœli saturavit eos.*

Illi postmodum carnem ac panem petierunt; eisque *Deus* coturnices adduxit; & mannâ, cœlitùs demissâ, saturavit eos. Exod. XVI. 3. 13. 14.

40 *Dirupit petram & fluxerunt aquæ; abierunt in sicco flumina.*

Petram *in deserto Raphidim* dirupit; atque ex eâ aquæ, *quæ sitim eorum restinguerent*, fluxerunt; &, in siccâ, *ubi tunc erant, solitudine* flumina decurrerunt. Exod. XVII. 6. 7.

41 *Quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum;*

Hæc autem omnia beneficia in Israelitas ideò contulit Deus quia memor erat sanctæ *promissionis* quam Abrahamo servo suo fecerat;

42 *Et eduxit populum suum in exultatione, & electos suos in lætitiâ:*

Et *quam exsolvere volens*, populum suum *Israeliticum* lætitiâ gestientem, suósque electos *Israelitas* gaudio perfusos eduxit ex *Ægypto*:

43 *Et dedit illis regionem Gentium; & labores populorum possederunt*

Illisque regiones Gentium *Chananæarum* dedit; &, quas labore suo populi *illi* comparaverant, divitias *Judæi* possederunt, *Deo sic eos beante*

44 *Ut custodiant justificationes ejus, & legem ejus requirant.*

Ut præcepta ejus custodirent, & legem ejus servarent.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI QUINTI.

PRIMUS hujus Psalmi versus usurpatus fuit cùm à Sacerdotibus & Levitis tempore Salomonis II. Para-

lip. V. 13. VII. 6. tum ab iisdem Sacerdotibus & Levitis è captivitate Babylonicâ reversis I. Esdr. III. 10. 11. Sed ea me similitudo non adducit ut Psalmum illis adscribam temporibus : nam ab iis reliqua Psalmi series abhorret. Primus ille versus nec non sextus in historiâ Judith. VII. 19. XIII. 21. occurrunt ; neque tamen Psalmus ad tempus illud revocandus videtur propter tres ultimos versus qui Judithæ ævo minùs benè conveniunt. Tres porrò versus illi in hymno, quem David Arcam in Sionem introducens I. Paralip. XVI. 34. 35. 36. cecinit, reperiuntur ; at non propterea tempori huic aptaverim Psalmum ob versus 4. 5. 6. 7. 43. 44. qui, invicem collati, ætatem illam non redolent. Putem ego Psalmum ad postrema captivitatis Babylonicæ tempora pertinere, eúmque à Judæis captivis conditum fuisse ut divinam misericordiam implorarent: fatendo se peccasse; sed Dei niti bonitate quæ priscis Judæis, licet flagitiosissimis, ignoverit. Hujus meæ sententiæ fundum do testimonia Psalm. LXIV. 9. LXXVIII. 8. 9. Daniel. IX. 15. 16. 17. 18. cum Psalmi nostri versibus 4. & 6. collata. Accedat & Græcus Corderii Paraphrastes ita scribens. E῎τι &c. *Liceat verò etiam hunc* (Psalmum) *dicere ex personâ eorum qui in Babyloniâ versabantur, quasi Deo in memoriam revocent quomodo Patres ipsorum, quum majora pluráque deliquissent, majorem tamen consecuti sunt clementiam : unde ipsis quoque peccantibus exhibendæ sunt miserationes. Nam postquam plagas Patrum suorum commemorassent, ostendentes quam ob caussam horum meminissent, subjungunt salvos nos fac Domine Deus noster & congrega nos de Gentibus. Auspicantur autem à gratiarum actione : hæc enim conciliatrix est amplioris donationis.*

TITULUS.

Halleluia.

PSALMUS CV.

1 *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.*

2 *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus?*

3 *Beati qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam in omni tempore.*

4 *Memento nostri Domine in beneplacito populi tui; visita nos in salutari tuo.*

5 *Ad videndum in bonitate electorum tuorum; ad lætandum in lætitiâ gentis tuæ, ut lauderis cum hæreditate tuâ.*

6 *Peccavimus cum patribus nostris: injustè egimus iniquitatem fecimus.*

PARAPHRASIS.

1 Celebrate Dominum quoniam bonus est, & perpetuò misericors.

2 Quis *verò* misericordias Domini eloquetur; & omnes, quas *eo nomine* meretur, laudes prædicabit?

3 Qui æquitatem servant & justitiam omni tempore colunt, felices *sunt illi viri quorum est divinam laudare misericordiam.*

4 *Eâ porrò adductus* Domine, memento nostri, tu qui populum tuum *singulari olim* benevolentiâ complexus es; & visita nos, salutiferem tuam opem *nobis* ferendo

5 Ut, quæ tuis electis *Israelitis antiquitùs* largitus es, bona consequamur; & lætitiam, quâ populus tuus *Judaicus quondam* affectus fuit percipiamus; *adeòque novis* apud hæredes tuos *Judæos* laudibus orneris.

6 Peccavimus ut Patres nostri, *fatemur:* injustè egimus, iniqua fecimus *quemadmodum Patres illi nostri.*

ANNOTATIONES.

Halleluia. Cod. Colb. 158. *Halleluia, vox Ecclesiæ ad Apostolos & ad populum.*

potentias. Divinam, cum Heracleota & Græco Paraphraste, intelligo bonitatem: quâ scilicet Deus erga priscos Israelitas usus est tum inimicos eorum castigando, tum Judæos ipsos multiplicibus beneficiis ornando. Dicit autem *potentias* quia quum Deus præfatam bonitatem exhibuit, potentiam suam multifariè manifestavit ut patet ℣. 9. 10, 11, infrà. Confer Psal. LXXXVII, 13.

beati &c. [a] Theodoritus in Catenâ Corderianâ productus ita nectit: qui custodiunt judi- [a] pag. 149.

cium & faciunt justitiam hi soli digni sunt qui potentias Domini loquantur. Hunc nexum magis probat orationis series quàm Muisianum qui Heracleotiano affinis est, & ita habet. *Sed quis celebrandis tuis viribus ac laudibus par esse possit? Nemo. Sat igitur beatos judico qui suas omnes actiones ad unam justitiam referunt.*

nostri. Heb. *mei*, eodem sensu. Sed errant Hebræi quum vertunt *ad gloriandum* seu *ut glorier* pro *ut lauderis*: nam Psalterianus, si benè expendatur, contextus prædictam respuit versionem ut & Augustinianam *ut laudemur.*

Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua; non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ: 7

Hi miracula, quæ *in eorum gratiam* in Ægypto edideras, non recordati sunt; *&* multarum *illarum*, quas iis impertitus fueras, misericordiarum obliti fuere:

Exod. XIV. 11. 12.

Et irritaverunt ascendentes in mare, mare rubrum; 8

Nam mare transmissuri: mare, *inquam*, rubrum transmissuri, *Deum* ad iram concitaverunt;

Et salvavit eos propter nomen suum, ut notam faceret potentiam suam. 9

Sed eos *Deus*, propter nominis sui gloriam, servavit ut *scilicet* notam faceret potentiam suam.

Exod. XIV. 21. 22.

Et increpuit mare rubrum, & exsiccatum est; & deduxit eos in abyssis sicut in deserto: 10

Itaque mare rubrum fluere prohibuit, *statim*que mare *illud* exaruit; & *Deus Judæos*, per *siccum* maris *hujus* gurgitem, tanquam per aridam solitudinem, deduxit:

Et salvavit eos de manu odientium, & redemit eos de manu inimici. 11

Eósque è manu illorum, qui ipsos oderant, eripuit, & *illos* de manu inimici liberavit.

ascendentes. Quædam sunt loca in quibus mare quum terrâ sit altius, dicuntur ascendere qui in illud ingrediuntur: quùmque mare rubrum Ægypto sit altius ut docet S. *a* Basilius, qui ex Ægypto profecti mare rubrum ingrediebantur Iudæi *ascendentes* rectè vocantur à Vate: quem imitantur Græci auctores quibus, ob eam quam attigi, rationem navalis expeditio Xerxis dicitur *ἀνάβασις ascensus.* Scio beati Basilii narrationem à doctissimo *b* Pererio erroris ex Strabone insimulari; fateórque, quod jam in annot. ad Psal. XXIII. 2. insinuavi, Pererii ratiocinationem ad verisimilitudinem tam propè accedere ut maris rubri altitudo impugnari cum aliquo colore possit. Nihilominus ea altitudo, utcunque impugnari valeat, expugnari tamen nequit; atque, ut ad dictum locum innuebam, concedi debet præsertim si prolatis, in prædictâ annotatione, Aristoteli ac Plinio Psalteriana accedat auctoritas: quam qui attento expenderit animo, ac S. Basilium humanarum literarum rudem non fuisse cogitaverit, beatissimum Patrem Straboni non solùm anteponet; sed eum etiam Plinio, contra atque fecit Pererius, præferet, credétque non fluvii Nili sed maris Ægyptiaci cum mari rubro conjunctionem à Sesostre rege Ægypti & Dario Medo tentatam fuisse.

a Homil. 4. in Hexaëm. pag. 47. D.

b lib. I. Comment. in Gen. num. 101. p. 37. edit. Mog. 1612.

in mare, mare rubrum. Heb. על ים בים סוף *super aut juxta mare in mari rubro.* Duæ heic voces על ים separantur quæ conjungi debent ut patet ex præfixâ nomini ים literâ ב, quæ cum præcedente particulâ על non congruit; benè quidem cum verbo עלים consentit uti ex Psalmo XXIII. 2. apparet. Hebræus ergo textus pro על ים *super mare* habebat olim עלים *ascendentes* ut ex dictis liquet, ac nostrâ versione t in quâ prius nomen

mari redundare ex S. * Augustino, Theodorito, Græco Paraphraste, Psalteriis Romano ac Complutensi, & Sixtinâ editione conjicio; tametsi scio B. Hieronymum in Epist. 135. legere *in mari mare rubrum.*

increpuit &c. iis, quæ ad Psal. LXXVII. 18. annoravi, adde locum B. *a* Irenæi: cui Pharao in infidelitate præcipitatus pelago dicitur, per magicam operationem opinatus fieri exitum eorum; & rubrum mare non virtute Dei transitum præstitisse populo, sed naturaliter sic se habere.

mare rubrum. rubrum dicitur non à colore quem montes ex adustione rubentes aut solis repercussus aut arena terráque aut talis ipsius aquæ natura aut factæ in eâ cædes efficiant ut Ctesiæ Cnidio, laudatis ab Artemidoro apud *b* Strabonem auctoribus, Uranio apud *c* Stephanum, Dionysio Alexandrino apud *d* Nicephorum, & quibusdam *e* Plinio memoratis visum est; sed, uti Nearchus & Orthagoras à *f* Strabone citati, *g* Philostratus, *h* Curtius, & *i* Solinus tradunt, à rege Erythra: qui quidem non alius videtur ab Esau quem Græci dixere *Erythram* seu *rubrum* ex nomine Hebræo *Edom* quod ei Scriptura tribuit, quodque Latinè sonat *rubrum.* Alia ex *k* Agatharcide & *l* Brodæo disces. Erythræ regis *m* Plinius quoque & *n* Mela meminere.

* in enarratione Psalmi nostri.
a lib. IV. 48.
b lib. 16. sub fin.
c de Urbibus.
d lib. VI 19.
e lib. VI. 23 fin.
f lib cit. non tam propè finem.
g de Vita Apollonii lib. III. 15.
h lib. 8.
i cap. 36.
k in Eclog. de mari rubro.
l Miscell. lib. III. 9.
m loc. cit.
n lib. III. 7.

Et operuit aqua tribulantes eos, unus ex eis non remansit:	12	Aqua verò hostes eorum operuit, *ita ut* ne unus quidem ex eis salvus evaderet:	Exod. XIV. 27.
Et crediderunt verbis ejus, & laudaverunt laudem ejus.	13	*Túncque Israelitæ* verbis Dei fidem adhibuerunt, & laudes ejus decantarunt.	Exod. XV. 1.
Citò fecerunt: obliti sunt operum ejus, & non sustinuerunt consilium ejus.	14	Sed diu non perseveraverunt: *mox enim Dominicorum* operum obliti fuere; nec se *providentiæ* ejus consiliis permiserunt.	
Et concupierunt concupiscentiam in deserto; & tentaverunt Deum in inaquoso.	15	Carnes namque & panem in deserto concupierunt; & divinæ potentiæ periculum, in aridâ solitudine, facere voluerunt.	Exod. XVI. 3.
Et dedit eis petitionem ipsorum, & misit saturitatem in animas eorum.	16	Deus autem, *etsi potentiæ suæ periculum à Judæis fieret*, postulationi eorum concessit, eósque abundè satiavit.	Exod. XVI. 13.
Et irritaverunt Moysem in castris, Aaron sanctum Domini:	17	*Aliquo post tempore Judæi* Mosem *atque* Aaronem Domini sacerdotem irritaverunt in castris:	Num. XVI. 1. 2. 3. & seq.
Aperta est terra, & deglutivit Dathan; & operuit super congregationem Abirom;	18	Apertá*que* est terra, & Dathanem deglutivit, socios*que* Abiromi absorpsit;	Num. XVI. 27. 31. 32. XXVI. 9. 10. Deut. XI. 6.

saturitatem. Heb. *maciem.* Multam operam utrique versioni conciliandæ navat Genebrardus; sed vir eruditissimus frustrà laborat ut ex Exod. XVI. 12. Psal. LXXVII. 33. 34.

apparet : ex illis enim locis invicem collatis perspicuum est Judæos verè saturatos fuisse, nec maciem ex illâ satutitate contraxisse. LXX. sensum spectasse videntur & in suis Codicibus habuisse רצין pro רוין. Porrò ex iniquâ, quam Coturnicum copia subsequuta est, carnium petitione fluxisse videtur Ægyptiacum, cujus Horus Apollo meminit, Hieroglyphicum quo immunditia & nequitia coturnice significabatur.

a Epist. 65.
b lib. 4. Epist. 11.

Dathan &c. Dathan & Abirom Rubenitæ erant, non Levitæ ut creditum S. a Cypriano & b Goffrido Vindocinensi.

Num. XVI. 35.

Et exarsit ignis in synagogâ eorum, flamma combussit peccatores.

19 Ignisque *etiam* in eorum sequaces, *eos nempe qui offerebant incensum*, exarsit, *&* flamma *impios illos* combussit.

Exod. XXXII. 4. 5. 6. Deut. IX. 16.

Et fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt sculptile:

20 *Præterea Judæi* fusile vituli simulachrum fecerunt in *monte* Horeb, illúdque sculptile adoraverunt:

Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum;

21 Et *Deo*, qui ipsorum decus erat, relicto simulachrum vituli fœnum comedentis coluerunt;

Obliti sunt Deum qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terrâ Cham, terribilia in mari rubro.

22 Oblitique sunt Dei qui ipsos è *manu Pharaonis* eripuerat, qui *in gratiam eorum* miracula in Ægypto fecerat, prodigia in terrâ Ægyptiacâ *ediderat, &* mira in mari rubro *patraverat* opera.

Exod. XXXII. 10. 11. 13. 14. Deut. IX. 13. 14 18. 19.
c lib. X. Epist. 82 ad Vercellenses. pag 182. col. 1. C.
d lib. 3. de Schismate Donat. paulò ante finem.

Et dixit ut disperderet eos, si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus

23 Quare decreverat Deus eos perdere; *& fecisset* nisi Moses amicus ejus ei, in ipsos irrupturo, occurrisset

Num. XIV. 1. 2. 3. 4.

Ut averteret iram ejus ne disperderet eos. Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem:

24 Ut iram illius teneret quominùs eos disperderet. *Post hæc pervicaces illi Judæi* terram *melle & lacte manantem adeòque* desiderabilem flocci fecerunt:

e tract. de 42. Mans. Mans. 15.
f Ancor. cap. 102.
g Antiq. IV. 3.
h lib. II. 27.
i lib. de vitâ Mosis sub fin.
k homil. 4. in Vidi Dominum.
l Opusc. XVIII. c. 4.
m in Annalibus.
n Eud. I. 5.
o apud Athen. lib. VII c. 11. pag. 299. F.
p lib. VIII. 46.
q Hist. 5.
r lib. I. de mirabil. facr. Script. cap. 15. p. 510. C. to 3. in operibus B. Aug.

synagogâ eorum. intellige 250. viros qui cum Core adversùs Aaronem conjuraverant, & quos terræ hiatu absorptos fuisse minùs benè asserunt S. c Ambrosius atque d Optatus Milevitanus. Quorum e ille insuper labitur quum, post B. f Epiphanium, filios Core vivos in infernum descendisse ait : hoc enim non ejus filiis accidit; sed ejus hominibus, iis nempe qui versabantur cum Core quando absorptus est. Absorptum dico cum Mose Num. XXVI. 10. non conflagratum statuo cum g Josepho, h Constitutore Apostolico, S. i Gregorio Nysseno, S. k Chrysostomo, l Petro Damiani, & m Zonara.

mutaverunt &c. imitati sunt Ægyptios qui, testibus n Aristotele, o Anaxandride, p Plinio, & q Tacito, bovem, quem vocabant Apim, colebant : ortâ, ut puto, Idololatriâ illâ à bovis ad aliquod sibus relatione; aut, ut r Pseudo-Augustinus docet, à terrenâ (cujus Joseph

Ægyptiis auctor fuerat & cui bos potissimùm servit) munificentiâ : è qua manasse videtur cùm bos qui in vexillo Ephraimi erat, tum taurus quo Ægyptii in suis Hieroglyphicis virum fortem & temperantem (qualis fuit Josephus) designabant ut discimus ex Horo Appolline.

25 *Non crediderunt verbo ejus ; & murmuraverunt in tabernaculis suis, non exaudierunt vocem Domini.*

Nec divino, *quo Chananæorum, qui terram illam incolebant, populorum victoria ipsis promissa fuerat,* verbo fidem adhibuerunt ; sed in tentoriis suis murmuraverunt, & Dominicæ non obedierunt voci *quâ jubebantur cum hostibus illis confligere nihilque metuere.*

26 *Et elevavit manum suam super eos ut prosterneret eos in deserto ;*

Quapropter *Deus* sublatâ manu juravit se eos in deserto disperditurum ; Num. XIV. 22. 23 ; Ezech. XX. 15.

27 *Et ut dejiceret semen eorum in nationibus, & dispergeret eos in regionibus.*

Ac posteros eorum per gentes exteras, & per longinquas regiones dissipaturum. Num. XIV. 45. Ezech. XX. 23.

28 *Et initiati sunt Beelphegor ; & comederunt sacrificia mortuorum,*

Sacris insuper Beelphegoris initiati sunt *Judæi* ; & carnes, simulachtis vitâ carentibus oblatas, comederunt, Num. XXV. 3. 5.

29 *Et irritaverunt eum in adinventionibus suis : & multiplicata est in eis ruina ;*

Dùmque operibus suis irritaverunt : unde magna illorum strages facta est ; Num. XXV. 5.

30 *Et stetit Phinees : & placavit ; & cessavit quassatio,*

Quúmque *impius quidam ad scortum Madianitidem intrasset,* surrexit Phinees *de medio multitudinis :* &, *perfossis viro illo ac muliere, divinam iram* sedavit ; *atque ab Israelitis cædes (quam Deus Mosi imperaverat & quâ viginti quatuor millia hominum occubuerant).* cessavit, Num. XXV. 6. 7. 9.

Beelphegor. idem sonat ac ***Dominus Phegor*** ideſt ignominiæ seu turpitudinis : montis nimirùm in Moabiticâ terrâ siti & ***pheger*** ab Hebræis dicti ab ignominiâ sive turpitudine Priapi qui ibi solemniter colebatur, quique stabat erecto pene oréque ejus membri nudo ac aperto, unde nomen פעור ***pahour*** sive ***pheger*** ideſt ***apertum*** seu ***nudum***. Hoc autem nomine non Saturnum cum *a* Apolinario, S. *b* Athanasio, S. *c* Chrysostomo, *d* Theodorito, & *e* Cælio Rhodigino intelligo ; sed, cum *f* Origene, B. *g* Hieronymo, *h* Rufino, atque *i* Isidoro Priapum designari puto tum quia Ethnici eum turpi, quam descripsimus, figurâ stantem repræsentabant, tum quia Judæi, Beelphegoro Num. XXV. 1. 2. 3. initiati, cum filiabus Moab fornicati dicuntur. Nimirùm obscenæ Priapi figuræ obscena sacra

a In Cat. Cord. p. 154.
b Ibid.
c Comment. in Psal. 105.
d Comment. in Psal. 105.
e lib. XIII. 31.
f homil. 20. in Num.
g in Os. IV. 13. X. 10. & lib. I. contr. Jovin.
h lib. 3. in Os.
i Orig. VIII. 11.

convenïebant, atque in obſceni numinis ſacris omnia obſcena committebantur. Plura de fœdo hoc numine ſcribit *a* Voſſius: à quo, propter allatas in tertio Præfationis noſtræ capite rationes, dictum nollem Priapeâ, quam exhibui, figurâ ſignari vim ſolis qui omnia terræ aut animantium viſceribus latentia aperit ac patefacit. S. *b* Hieronymus memorat *domum Phegor*: unde ut & ex Deut. XXXIV. 5. 6. Heb. diſcimus templum Priapo exſtructum fuiſſe in monte Phegor.

a de Idolol. lib. II. 7.

b lib. I. contr. Jovin. pag. 44.

placavit. Rabbini: *judicavit* hoc eſt præbuit ſe vindicem. Chaldæus Paraphraſtes *oravit*. Ab hac, cui verbum פלל in Hithpael ſubjicitur, ſignificatione non abeunt LXX. Senes: apud quos *placavit* idem eſt ac Deum placavit cæde illa quaſi gratâ oratione gratóve ſacrificio.

Num. XXV. 11, 12.

31 *Et reputatum eſt ei in juſtitiam in generationem & generationem uſque in ſempiternum.*

Et *Phineeſi* factum ſempiternam laudem meruit.

Num. XX. 2. 3. 8. 9. 11. 13.

32 *Et irritaverunt eum ad aquas contradictionis; & vexatus eſt Moyſes propter eos quia exacerbaverunt ſpiritum ejus.*

Præter ea, quæ recenſui, ſcelera aliis ſe obſtrinxerunt Iſaelitæ: Deum *enim* ad aquas contradictionis irritarunt; & Moſes punitus eſt propter eos quia *videlicet* Deum *illi* ad iracundiam *ſuâ* concitaverant *murmuratione: quâ turbatus Moſes incredulitatis crimen admiſit, petram (quam alloqui tantùm juſſus fuerat) bis percutiens.*

Num. XX. 12. Joſ. XIII. 13. Jud. I. 21. 27. 29. 30. 31. 32. 33. Num. XXXIII. 52. Deut. VII. 2. XX. 16.

33 *Et diſtinxit in labiis ſuis. Non diſperdiderunt Gentes quas dixit Dominus illis;*

Quâ de cauſâ Deus labiis ſuis pronuntiavit *ipſum in terram promiſſam non ingreſſurum. Jam verò poſtquam Iſraelitæ in terram illam ingreſſi fuiſſent*, Paganas, quas *delere* juſſi à Domino fuerant, gentes non exterminaverunt;

Jud. II. 10. 11. 12. 13. 14. 15.

34 *Et commiſti ſunt inter Gentes & didicerunt opera eorum, & ſervierunt ſculptilibus eorum; & factum eſt illis in ſcandalum.*

Sed commiſcuerunt ſe eis, & pravis illorum moribus imbuti ſunt, ipſorúmque Idola coluerunt; quod eis in perniciem ceſſit,

ſpiritum ejus. ad Deum ex primâ verſus parte & priore ſequentis verſus hemiſtichio ac conſimili loco Iſ. LXIII. 10. refero.

diſtinxit. diſtinctionem illam ad flexiloquum & ambiguum Moſis ſermonem Heracleota, S. Auguſtinus, Theodoritus, & Euthymius minùs rectè trahunt ut apparet collatis locis Levit. V. 4. Num. XXX. 7. 9. Prov. XII. 18. in quibus Hebraicum, quod heic adhibetur,

adhibetur, verbum significat *pronuntiare* : quo sensu Noster in Psal. LXV. 12. dixit *reddam tibi vota mea quæ distinxerunt labia mea.*

35 *Et immolaverunt filios suos & filias suas Dæmoniis;*

Eò quoque *dementiæ* perveniꝛrum *Judæi* ut filios suos & filias suas Dæmoniis immolarent; Jud. II. 12. 13. III. 5. 6.

36 *Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan :*

Atque innocentem filiorum suorum & filiarum suarum, Idolis Chananeæ regionis immolatarum, sanguinem effunderent :

37 *Et infecta est terra in sanguinibus, & contaminata est in operibus eorum; & fornicati sunt in adinventionibus suis.*

Terrâ*que victimarum illarum* sanguine polluta est, & abominandis Israelitarum operibus coinquinata; *ipsi*que novis *illis* suis studiis ad paganicum se adjunxere cultum : divino, cui nomen dederant, relicto.

38 *Et iratus est furore Dominus in populum suum, & abominatus est hæreditatem suam :*

Unde Dominus irâ in populum suum exarsit, & *Israelitas* abominatus est : Jud. II. 14. III. 8.

39 *Et tradidit eos in manus Gentium, & dominati sunt eorum qui oderunt eos;*

Eósque in potestatem *Ethnicorum* tradidit, & qui odio habebant illos eis dominati sunt;

40 *Et tribulaverunt eos inimici eorum & humiliati sunt sub manibus eorum. Sæpe liberavit eos.*

Hique eorum inimici illos oppresserunt, & sub illorum *imperio* ad summas calamitates depulsi sunt *Judæi*. *Verùm* eos *Deus* sæpe liberavit. Jud. III. 28. IV. 23. &c.

41 *Ipsi autem exacerbaverunt eum in consilio suo; & humiliati sunt in iniquitatibus suis.*

At illi impiis, ad quæ *subinde* incumbebant, studiis acerbitatem ei attulerunt; & propter iniquitates *illas* suas in magnas inciderunt miserias. Jud. VI. 1. X. 6. XIII. 1.

sculptilibus Chanaan. Rectè dicit *Chanaan* : nam, præter loca Deut. XII. 31. XVIII 9. 10. testem habemus Sanchuniatonem qui, à Philone Biblyo apud *a* Eusebium productus, ait. Ἔθος &c. *Hoc apud Veteres in more positum erat ut in summis reipublicæ calamitatibus, penes quos aut civitatis aut gentis imperium esset, ii liberorum carissimi ulteribus Dæmonibus jugulati sanguine quasi precio publicum exitium pestémque redimerent. Saturnus igitur quem Phœnices* (hi sunt Chananæi) *Israelem* (lege *Ilum* ex pag. 36. C.) *nomi-*

a Præp. l. 10. pag. 40. C. D.

nant... quum gravissimum belli periculum in universam regionem incubuisset, filium unigenam... immolavit: indéque factum, quod paulò ante narratur, ut *Ilus, post obitum, in astrum ejus nominis nempe* Saturnum *consecratus fuerit*, ob propulsatum videlicet immolatione filii exitium patriæ imminens. Hunc autem, qui tam præclarè de republicâ meritus fuerat, regem Phœnices non solùm in Saturni sidus consecrarunt & inter Deos adscripserunt; sed ei necessariorum suorum aliquem in summis periculis immolabant, cujusmodi exemplorum plenam esse Phœnicum historiam testatur *a* Porphyrius. Cretenses ex Phœnicibus oriundi prædictum immolandorum filiorum morem tenuere ut Istrus à *b* Porphyrio laudatus narrat: tenuere & Tyrii Phœnicum præcipui ut docet *c* Curtius. Pœni etiam Carthaginenses à Tyriis conditi tenuere testibus *d* Platone, *e* Silio Italico, *f* Plutarcho, *g* Justino, *h* Origene, *i* Tertulliano, *k* Minucio Felice, Pescenio Festo apud *l* Lactantium, S. *m* Augustino, & *n* Theodorito. Hos imitati sunt Judæi in valle filii Ennom, quæ *Tophet* dicebatur à tympanis quæ pulsabantur ne infantium ejulatus audirentur, quod *o* Plutarchus pariter testatur de Carthaginensibus, quorum ritum in immolandis filiis *p* Diodorus Siculus describit. Mactatos, in valle filii Ennom, liberos, habes in multis Scripturæ locis, nominatim in Jer. XXXII. 35. ex quo loco vocem *baalim* cap. XIX. 5. apparet esse pluralem pro singulari *baal*: qui, teste *q* Damascio, est Saturnus quem Hebræi etiam *Moloch* idest regem antonomastice appellabant eò quod regum præstantissimus à Paganis haberetur Ilus: qui idem mihi videtur atque ille quem *r* Philo Byblius ex Sanchuniatone vocat Ἤλιος; & quem *s* Vossius ac productus ab eo Servius minùs benè pro Sole accepisse videntur: hac enim voce, nisi fallor, designatur Saturnus qui ex nomine Hebræo עליון dictus fuerit Ἤλιος eò quod Saturni Sidus altissimo orbe & præcipuâ potentiâ feratur ut loquitur Tacitus Hist. V.

a lib. II. de Abstin. apud Euseb. Præp. IV. 16. p. 156 A.
b Ibid. loquens de *Curetibus* Cretæ populis.
c lib. 3.
d in Minoe. p. 315. C.
e *Mos fuit* &c.
f de Superstit. p. 171. C.
g lib. 18.
h lib. 5. contr. Cels.
i Scorp. c. 7. p. 493. B
k in Octavio.
l Instit. I. 21.
m de Civit. VII. 19.
n Serm. 7. contr. Græc.
o loc. cit. D.
p lib. 20.
q apud Phot. cod. 242.
r apud Euseb. Præp. I. 10. pag. 34. C.
s de Idolol. lib. II. cap. 4. pag. 164, 165.

Jud. VII. 22. XI. 21. XV. 15. &c.

Et vidit quum tribularentur, & audivit orationem eorum:	42	Sed eas ubi vidisset Deus, orationem illorum exaudivit:
Et memor fuit testamenti sui; & pœnituit eum secundùm multitudinem misericordiæ suæ,	43	Et percussi cum *Abrahamo* fœderis memor fuit: atque à pœnis, quas ipsis imponebat, pro immensâ suâ clementiâ destitit,
Et dedit eos in misericordias: in conspectu omnium qui ceperant eos.	44	Et bonitate erga eos usus est, *à jugo illos vindicans*: iis omnibus, qui eos ceperant, videntibus *atque obstupescentibus*.
Salva nos fac Domine Deus noster; & congrega nos de nationibus	45	*Quum ergo Domine patribus nostris, licet peccatoribus, misericordiam impertitus fueris, eam nobis, quanquam flagitiosis, tribue, nósque* Domine Deus noster serva; & nos, per nationes exteras dispersos, coge in patriam
Ut confiteamur nomini sancto tuo, & gloriemur in laude tuâ.	46	Ut nomen sanctum tuum celebremus, & laudes tuas cum pompâ canamus.

pœnituit. *t* Theodoritus: μεταμέλειαν &c. *Pœnitentiam nuncupat pœnæ cessationem.* Plura de hac re invenies apud eundem *u* Theodoritum, nec non *x* Pseudo-Justinum, S. *y* Ambro-

t in Comment. p. 830. C.
u Quæst. 50. in Genes. p. 41 D.
x resp. ad quæst. 36. p. 413 B. C.
y de Noe & Arca c. 4. pag 26: G. H.

sium, S. *a* Chrysostomum, S. *b* Augustinum, *c* Fucherium, *d* Rupertum, atque *e* Hugonem Victorinum: quos si legeris, collocatæ in iis operæ te non pœnitebit.

a homil. 22. in Genes. p. 222. C.
b Lib. 18. Quæst. q. lib. 2. ad Simpl. c. 2. de Civit. XV. 52. 25.
c in Genes. VI. 5.
d lib. IV. Comment. in Gen cap. 16.
e in Genes. VI. 5.

47 *Benedictus Dominus Deus Israel à sæculo & usque in sæculum; & dicet omnis populus: Fiat, fiat.*

Interim Deus Israelitarum perpetuò atque in æternum laudetur; & dicat omnis populus: ita res habeat, ita res habeat.

ARGUMENTUM.
PSALMI CENTESIMI SEXTI.

THיו &c. *Judæorum ex captivitate* (Babylonicâ) *liberationem* (hic Psalmus) *præcinit, eas quas perpessi fuerant miserias referens* inquiunt, post Heracleotam, Theodoritus & Græcus Corderii Paraphrastes, qui omnium quoque hominum salutem heic prædici addunt: eundem sequuti Heracleotam qui, quum versum tertium de Judæis ex Babylone liberatis explanasset, ait verba hujus versus secundùm verum sensum magis congruere iis qui ex Gentibus sunt per Salvatorem ubique terrarum collecti. Postremum sensum probabunt qui meminerint umbram novi testamenti esse vetus, & in illo excellenter compleri quæ in hoc crassè adumbrata fuere. Prior verò sensus iis placebit omnibus qui Psalmi nostri versus 2. 3. 5. 10. 12. 16. 23. 33. 34. 35. cum Psal. LXXXIX. 11. CI. 4. 5. 6. 10. If. XLI. 17. 18. XLII. 7. 10. 15. XLIII. 5. 6. 14. XLIV. 27. 28. XLV. 2. 6. Jer. L. 2. 38. LI. 32. 36. contulerint: ex eâ enim collatione intelligent Judæorum exsulum alios in desertis errasse fame & siti confecto; alios in custodias inclusos fuisse; alios in morbum præ mœrore incidisse; alios ad triremes fuisse damnatos: gratiásque heic agere quòd ex his omnibus malis erepti fuerint captâ per Cyrum Babylone, cujus expugnationem describens Vates mirè cum Herodoto & Xenophonte consentit.

TITULUS.

Hallelnia.

PSASMUS CVI.		PARAPHRASIS.
COnfitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.	1	LAudate Dominum quoniam bonus est, *&* perpetuò misericors.
Dicant qui redemti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregavit eos:	2	*Laudem hanc* dicant *Judæi* qui *Babylonicà servitute* liberati à Domino fuerunt, quósque Dominus ab opprimentium tyrannide vendicavit, & quos *ex variis, per quas dispersi fuerant*, regionibus:
A solis Ortu & Occasu, ab Aquilone & Mari.	3	*Nimirum* ab Oriente & Occidente, à Septentrione & Meridie *abductos* in patriam coegit.
Erraverunt in solitudine in inaquoso, viam civitatis habitaculi non invenerunt:	4	*Eorum alii* errabant *antea* per solitudines *&* per deserta arida, ignari viæ quæ eos in civitatem duceret in quâ *commodè* versari possent:
Esurientes & sitientes anima eorum in ipsis defecit.	5	Faméque & siti ita premebantur ut animo deficerent.
Et clamaverunt ad Dominum quum tribularentur; & de necessitatibus eorum eripuit eos:	6	His in angustiis Dominum invocaverunt; *ipséque* eos ex *illis* eripuit angustiis:
Et deduxit eos in viam rectam ut irent in civitatem habitationis.	7	Itérque ipsis indicavit per quod rectà irent ad urbem *Hierosolymam*, in quâ *commodè* habitarent.

ANNOTATIONES.

Alleluia. Cod. Reg. 138. *Halleluia, vox Christi de Judais* Colb. 258. *Alleluia. vox Christi de Judais qui in prosperitate Dominum dereliquerunt, & in adversis clamaverunt.*

à solis ortu &c. Hæc congregatio captivitati Babylonicæ primo aspectu convenire non videtur: sed, prætcrquam quod idoneum hujus rei testem habemus Isaiam XLIII. 5. 6. eámque textus Is. LX 9. LXVI. 19. & Soph. III. 10. conjici jubent, multos in Mediam abductos fuisse ex libris sacris & Josepho scimus; atque in animum facilè inducere possumus eorum, qui in Judæâ remanserant, nonnullos miseriis fractos in varias

orbis regiones divertisse, easque etiam ab iis fuisse petitas qui è vinculis Babylonicis elabebantur. Vide Heracleotam & Græcum Paraphrastem hoc loco.

erraverunt in solitudine &c. Hoc dictum putem vel de iis Judæis qui è vinculis elapsi loca invia petebant & per solitudines errabant ne caperentur; aut de illis qui, patrios fines linquentes atque in peregrina contendentes loca & per Arabiæ deserta aut alia ipsis ignota transeuntes, in iis errabant fame confecti & siti enecti.

8 *Confiteantur Domino misericordiæ ejus; & mirabilia ejus filiis hominum:*

Dominicam *ergo* misericordiam laudent *Judæi*; &, quæ in *horum quos recensui* popularium gratiam patravit, miracula *celebrent:*

9 *Quia satiavit animam inanem, & animam esurientem satiavit bonis.*

Nam illorum sitim restinxit, & famem eorum explevit.

10 *Sedentes in tenebris & umbrâ mortis, vinctos in mendicitate & ferro*

Alii in tenebrosis teterrimis*que* carceribus sedebant, inopiâ laborantes & ferreis compedibus constricti

11 *Quia exacerbaverunt eloquia Dei; & consilium Altissimi irritaverunt:*

Propterea quòd divina mandata labefactassent; & Dominicas, in quibus eximia *ipsis* consilia dabantur, leges violassent:

12 *Et humiliatum est in laboribus cor eorum, infirmati sunt; nec fuit qui adjuvaret.*

Animá*que* eorum molestiis implicabatur, & calamitatibus fracti erant; nec quisquam erat qui opem eis ferret.

13 *Et clamaverunt ad Dominum quum tribularentur; & de necessitatibus eorum liberavit eos:*

His in angustiis Dominum invocaverunt; *ipsé*que eos ex *illis* eripuit angustiis:

14 *Et eduxit eos de tenebris & umbrâ mortis, & vincula eorum disrupit.*

Atque illos è tenebrosis ac teterrimis carceribus exemit, & vincula illorum disrupit.

15 *Confiteantur Domino misericordiæ ejus; & mirabilia ejus filiis hominum:*

Dominicam *ergo* misericordiam laudent *Judæi*; &, quæ in *horum quos recensui* popularium gratiam patravit, miracula *celebrent:*

16 *Quia contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit.*

Nam æreas, *intra quas clausi erant*, portas contrivit, & ferreos portarum *illarum* vectes confregit.

17 *Suscepit eos de viâ iniquitatis eorum : propter injustitias enim suas humiliati sunt*

Alios recreavit è morbo in quem iniquitas ipsorum eos duxerat : siquidem propter scelera sua in morbum delapsi fuerant

18 *Omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquaverunt usque ad portas mortis.*

Ita ut omnem escam aversarentur, & proximè ad mortem accederent.

19 *Et clamaverunt ad Dominum quum tribularentur ; & de necessitatibus eorum eripuit eos :*

His in angustiis Dominum invocaverunt ; *ipsé*que eos ex *illis* eripuit angustiis :

20 *Misit Verbum suum, & sanavit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.*

Misit *namque* Verbum suum, & sanavit eos, illósque ab interitu vindicavit.

21 *Confiteantur Domino misericordiæ ejus ; & mirabilia ejus filiis hominum :*

Dominicam *ergo* misericordiam laudent *Judæi* ; &, quæ *in horum quos recensui* popularium gratiam patravit, miracula *celebrent :*

22 *Et sacrificent sacrificium laudis, & annuntient opera ejus in exultatione.*

*Ei*que grati animi sacrificium offerant, ejúsque opera læti prædicent.

23 *Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis :*

Alii, ad triremes Chaldæorum damnati, mare navibus *eorum* ingrediebantur, *seque* in *nautico* opere exercebant in pelago :

24 *Ipsi viderunt opera Domini ; & mirabilia ejus in profundo.*

Videbánt*que illi* mira, *quæ* Dominus *in mari* edit, opera ; &, quæ in profundo patrat, prodigia.

suscepit &c. Rabbini ineptè vertunt, *stulti propter viam prævaricationis suæ*. LXX. legisse videntur עורם *suscepit* hoc est *adjuvit*, pro אוילים *stulti*.

misit verbum suum. Hæc quidem loquutio sensu literali hoc est juxta literæ corticam significat ut ait *a* Muisius & nos ad Psal. XXXII. 6. insinuavimus, significat, inquam, *imperare. jubere* : ita ut Psalterianus textus, prout verbis conceptus est, sonet *solo imperio ac nutu eos sanitati restituit*. Sed, si sublimiorem spectaverimus sensum & non tam verba quàm reconditam in verbis sententiam attenderimus, atque annotata in argumento & versu 12. Psalmi CI. recoluerimus, dubium non erit quin Psalterianus textus ad substantiale respiciat Verbum : cujus (dum de morbo ageretur) mentionem Vates fecerit, gnarus magnum de cœlo venturum medicum qui magnum in terrâ curaret ægrotum. Unde nostrum, contra Arianos, textum meritò adducit S. *b* Athanasius : *c* quem legas etiam atque etiam velim ut & producendos ad Psal. CXLVIII 5. S. Basilium, S. Gregorium Nyssenum, Eusebium falsò Emissenum dictum, S. Ambrosium, Theodoritum, atque Euthymium. Hos si legeris, & liberationem Babylonicam Verbo æterno ab Isaia XL. 8. tribui memineris,

a in Psal. 106.

b Orat. 3. contra Ar. pag. 211. B.

c Ibid. pag. 210.

& nostras ad Psalmum CI. annotationes ponderaveris, in eâ, opinor, eris sententiâ Psalterianis verbis, literaliter & prout verba sonant acceptis, mandatum denotari; sed reverâ & sublimiore sensu Verbum substantiale respici. Idem die de textu Psal. XXXII. 6.

qui descendunt mare. Quædam sunt loca ubi terra mari altior est; atque in his locis (cujusmodi erat is de quo Psaltes loquitur) descendere in mare dicuntur qui naves conscendunt.

Dixit; & stetit spiritus procellæ, & exaltati sunt fluctus ejus: 25

Nimirum jubebat *Deus*; & statim ventus procellosus flabat, & maris fluctus attollebantur:

Ascendunt usque ad cœlos; 26 *& descendunt usque ad abyssos. Anima eorum in malis tabescebat:*

Atque in cœlum *modò* ferebantur; *modò* ad imos manes descendebant. *Quibus* in periculis miseri *Judæi præ metu* exanimabantur:

Turbati sunt; & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum devorata est. 27

Turbabantur; & *huc atque illuc*, instar ebriorum, jactabantur, nihil*que* eos juvabat navigandi peritia.

Et clamaverunt ad Dominum quum tribularentur; & de necessitatibus eorum eduxit eos; 28

His in angustiis Dominum invocaverunt; *ipsé*que eos ex *illis* eripuit angustiis;

Et statuit procellam ejus in auram, & siluerunt fluctus ejus: 29

Et procellosum maris ventum convertit in secundum flatum, ejusdémque *maris* fluctus conquieverunt:

Et lætati sunt quia siluerunt; & deduxit eos in portum voluntatis eorum. 30

Virique illi lætati sunt quòd fluctus maris sedati fuissent; & *Deus tandem* præfatos viros in *optatum patriæ* portum perduxit.

Confiteantur Domino misericordiæ ejus; & mirabilia ejus filiis hominum: 31

Dominicam *ergo* misericordiam laudent *Judæi*; &, quæ in *horum quos memoravi* popularium gratiam edidit, miracula *celebrent*:

Et exaltent eum in ecclesiâ plebis, & in cathedrâ seniorum laudent eum. 32

Eúm*que* in cœtu populi laudibus extollant, & illum in consessu seniorum prædicent.

ascendunt usque ad cœlos &c. Psalterianam loquutionem imitatione exprimunt *a* Virgilius, *b* Ovidius, & *c* Lucanus.

turbati sunt, Heb. *jactati sunt*. Idem sensus: qui enim turbantur, in hanc & illam partem jactati solent.

a Æneid. 3. *Tollimur in cælum* &c.
b lib. 1. Trist. Eleg. 2. *Me miserum* &c.
c lib. 5. *Quantum Leucadia* &c.

33 *Posuit flumina in desertum; & exitus aquarum in sitim:*

Nimirum Euphratem flumen in locum aridum convertit; atque *ejusdem amnis* fluenta in siccum *(quo Cyrus in Urbem Babylonem irrupit)* solum commutavit:

34 *Terram fructiferam in salsuginem, à malitiâ inhabitantium in eâ;*

Et fructiferam *Babyloniorum* terram, *immissâ propter eorum iniquitatem*, salsugine sterilem reddidit;

35 *Posuit desertum in stagna aquarum; & terram sine aquâ in exitus aquarum:*

Aridam *verò ac incultam Judeæ* regionem reddidit irriguam; effecitque ut in eâ regione, ubi maxima *priùs* erat aquæ penuria, copiosi scaturirent rivi:

36 *Et collocavit illic esurientes; & constituerunt civitatem habitationis,*

Ibi*que* famelicos collocavit *Israelitas*; & illi *Hierosolymitanam*, in quâ habitarent, urbem instaurarunt,

37 *Et seminaverunt agros, & plantaverunt vineas, & fecerunt fructum nativitatis:*

Atque agros *priùs steriles* coluerunt, vineas*que* plantaverunt, & *cùm agri tum vineæ* copiosos fructus produxerunt:

38 *Et benedixit eis & multiplicati sunt nimis, & jumenta eorum non minoravit.*

Deúsque Israelitas fortunavit, & liberis aucti sunt; corúm*que* pecora *morbo aliâve calamitate Deus* non minuit.

39 *Et pauci facti sunt, & vexati sunt à tribulatione malorum & dolore.*

Babylonii autem ad exiguum numerum redacti sunt, maximís*que* calamitatibus atque ærumnis fracti fuere.

posuit. quadruplici, quod Deus in Judæos exsules contulerat, beneficio descripto, Vates explicationis caussâ subjungit originem horum beneficiorum, nempe siccatum Euphratis alveum: quo quum Deus Cyrum in urbem Babylonem transmisisset & eam ipsi subjecisset, Judæorum alios è solitudinibus, in quibus errabant, revocavit; alios è carceribus, ubi detinebantur, exemit; ab aliis morbos depulit quibus, ob duram servitutem, tentabantur, Alios denique, qui ad remos damnati mare ingredi ibique variis tempestatibus jactari solebant, in optatum patriæ portum duxit.

flumina in desertum. Vates explicat quid Cyrus à Deo afflatus fecerit ut Babylonem caperet, Abegit Euphratem; &, per abacti fluminis alveum, in urbem ingressus est. Id *a* Isaias & *b* Jeremias prædixerant, & narrant *c* Herodotus ac *d* Xenophon: quorum hic ad Psalterianum versum maximè accedit dum *e* τὸ ξηρὸν τοῦ ποταμοῦ *aridum fluminis*

a XLIV. 27.
b L. 38. LI. 32.
c lib. 1. pag. 87. E. 88. A.
d Cyropæd. lib. VII. pag. 113. edit. Henr. Steph. 1581. fol. paulò post initium.
e Ibid. lin. [illegible]

fluminis locum memorat. Euphratem olim Semiramis pariter abduxerat, ejúsque alveum sibi pervium fecerat: idémque, post Cyrum, Alexander fecit ut auctor est *a* Frontinus. Unum autem Euphratem Vates *flumina* dicit ob eam, quæ ad Psal. LXXXVIII. 25. annotata, est rationem. Confer Is. L. 2.

a III, 7.

in desertum. Confer Is. L. 2. Jer. LI. 36. & videbis siccatum Euphratis alveum dici *desertum*: quo nomine etiam donatur in Psal. LXXVII. 57. mare rubrum exsiccatum.

terram fructiferam. rectè sic vocatur Babylonica regio: ea enim uberrima ac pinguis erat ut ex Dionysio Periegete, Plinio, & Curtio probat Grotius in Genesim scribens.

posuit desertum. habent quod petierant in Psal. LXIV. 9. 10. 11.

constituerunt civitatem. ut prædixerat Isaias XLIV. 28.

fructum nativitatis. Heb *fructum proventus*. Utraque versio eodem recidit, & copiosum fructum denotat. Vide Sap. XVI. 26.

Effusa est contemtio super principes; & errare fecit eos in invio & non in viâ.	42	*Et*, qui *priùs* auctoritate *apud eos* pollebant, viles effecti sunt *dignitate spoliati*; eósque, *tantam depressionem æquo animo ferre non valentes*, in invia & inculta loca compulit *Deus*.
Et adjuvit pauperem de inopiâ, & posuit sicut oves familias.	43	*At* pauperis *Judaici populi* inopiam sublevavit, ejúsque familias auxit instar gregis ovium.
Videbunt justi & lætabuntur: & omnis iniquitas oppilabit os suum.	44	Perpendant hæc justi *Judæi*, & lætentur: omnes autem scelerati *Babylonii* obmutescant.
Quis sapiens, & custodiet hæc; & intelliget misericordias Domini.	45	Quicumque sapit, hæc memoriâ custodiet; & Dominicas in *Judæos* misericordias attendet.

contemtio. Ita ex Hebræo & Græco legendum non *contentio*. Si vera essent quæ de Nabonido Babyloniorum rege in Caramaniam ablegato Berosus à *b* Josepho laudatus tradit, posset hic versus de illo Rege & iis, qui eum, ut vero esset simile, sequuti fuissent, principibus ac magnatibus exponi. Sed, quando prædicta ablegatio Danieli ac Xenophonti, Regem Babylonium morte affectum repræsentantibus, adversatur, locum habere nequit illa expositio. Veram ego deprehendisse mihi videor in his *c* Xenophontis verbis ἀνεῖπε δὲ Βαβυλωνίοις &c. *Babyloniis pronunciavit* Cyrus *ut terram colerent, tributáque deferrent; atque iis obsequerentur quibus singuli ipsorum dati essent. Quibus etiam jussit ut Persas & eos quibuscum res communis esset & socios, quicumque apud se manere decrevissent, ut heros quibus obtigissent alloquerentur, ac salutarent*... κατέστησε &c. *d Constituit etiam Babylone præsidiariorum satis quibus mercedem a Babyloniis dari jussit, volens eos maximè adminiculis destitutos reddere, quò & HUMILLIMI ESSENT & tales qui facilè coercerentur* βουλόμενος αὐτοὺς ὡς ἀμηχανωτάτους εἶναι ὅπως ὅτι ταπεινότατοι καὶ εὐκαθεκτότατοι εἶεν. Babylonios agriculturæ, tributis, & peculiaribus heris addictos ac maximè depressos vides: quúmque eorum singuli, ut ex oratione Xenophontis apparet, in hanc coacti fuissent humilitatem: eáque primoribus civitatis hominibus acerba potissimùm esset, illorum mentionem Vates tantùm fecit: & rem tetigit quæ à Xenophonte prætermissa fuit; sed quæ ex ejus sermone facilè suadetur, nimirum præfatos magnates humilitatis, in quam compulsi fuerant, pertæsos in solitudines concessisse.

b lib. I contr. Ap. pag. 1045. G.

c Cyrop. lib VII pag. 114. lin 24 &c.

d Ibid. pag. 117. lin. 10. &c.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI SEPTIMI.

JUDÆORUM reditum hoc in Psalmo prædici docet, cum Theodorito, Græcus Corderii Paraphrastes: qui, quum Psalmum istum multam cum Psalmis * 56. & 59. cognationem habere, post Cyrensem Episcopum rectè addidisset, imperitè atque inconstanter dixit utrosque esse Macchabaicos. Psalmum ego uni eidémque bello Idumaico affigo; méque ad hanc rationem eò adjungo faciliùs quod animadverto unam eandémque rem multis Psalmis persæpe mandari cum aliquâ varietate, qualem in nostro deprehendimus Psalmo: cui, præter decem versus Psalmi 59. additi sunt versus quinque, omissis quatuor primis laudati Psalmi 59. versibus. Huic, quem in libro Psalmorum non semel servatum videmus, mori unius ejusdémque rei pluribus Psalmis celebrandæ adscribo belli Idumaici repetitionem; nullóque pacto adduci possum ut repetitionem illam ad complementum numeri 150. Psalmorum cum Corderio conjiciam, aut Muisio consentiam existimanti Davidem durius exordium Psalmi 60. seu 59. corrigere atque emendare, aliquandiu post superatum periculum, fortasse voluisse.

* mendum typographicum Theodoritianam deformat editionem ubi legitur 50. pro 56.

TITULUS.

Canticum Psalmi ipsi David.

PSALMUS CVII.	PARAPHRASIS.
1 *PAratum cor meum Deus; paratum cor meum,*	PAratum est cor meum *b* Deus; paratum est cor meum *ad te*

cantabo; & psallam in gloriâ meâ.

2 *celebrandum ob ea, quæ mihi hactenus contulisti, beneficia:* cantabo *laudes tuas*; & *eas* linguâ meâ celebrabo.

Exsurge gloria mea: exsurge psalterium & cithara. Exsurgam diliculo.

3 Excitare *ad id præconii* lingua mea: prodite psalterium & cithara. Matutinis *egomet* horis exsurgam *ad canendas laudes divinas.*

Confitebor tibi in populis Domine; & psallam tibi in nationibus:

4 Celebrabo te Domine inter populos *Judæos*; & tibi, inter gentes *Israeliticas*, præconium tribuam:

Quia magna est super cœlos misericordia tua; & usque ad nubes veritas tua.

5 Nam bonitas, quâ *erga me hactenus* usus es, major est quàm distantia cœli à terrâ; & tua *in promissis servandis*, fides, *quam toties sum expertus*, tam grandis est quàm distantia hinc ad nubes.

Exaltare super cœlos Deus; & super omnem terram gloria tua ut liberentur dilecti tui:

6 *Quum autem tam benignè mihi anteà adfueris ô* Deus, tuam *nunc* potentiam splendidè exsere; & tuam, ut quos diligis *Israelitæ subditi mei ex imminenti periculo liberentur*, fortitudinem conspicuè ostende:

Salvum fac dexterâ tuâ, & exaudi me.

7 *Ac* victoriam dexterâ tuâ concede *nobis*, & me exaudi.

Deus loquutus est in sancto suo, exultabo: & dividam Sichimam, & Convallem tabernaculorum dimetiar;

8 Deus per sanctum suum *Samuelem* loquutus est rem quâ lætor: scilicet partiturum me Sichimam, & Convallem tabernaculorum pro arbitrio meo divisurum;

Meus est Galaad, & meus est Manasses: & Ephraim susceptio capitis mei;

9 Meam fore Galaaditicam regionem, meam fore Manassis terram: Ephraimiticam gentem capiti meo futuram præsidio;

ANNOTATIONES.

Canticum &c. Cod. Reg. 138. & Colb. 158. *Canticum Psalmus David. vox timentis Dominum.*

paratum &c. in Psalmo 59. Vates ærumnæ, in quam gens Israelitica inciderat, memoriam refricabat ut Deus, visâ hac ærumnâ, plebis suæ misereretur. Aliam, in nostro Psalmo,

viam Pſaltes init ; & vetera beneficia, ut nova impetret, recolit, atque à gratiarum actionē auſpicatur : hæc enim, ut Græcus Paraphraſtes ad Pſal. CV. annotabat, conciliatrix eſt amplioris donationis.

exſurge gloria mea. Abſunt hæc à Sixtina editione ; & teſtatur S. Hieronymus ea apud nullum reperiri interpretum Eos quominùs probem vetat Pſalmus LVI. 11.

ſuper cælos. in Pſalmo LVI. 13 legitur *uſque ad cælos.* Sed tanti non eſt hæc diverſitas ut argumenti diverſitatem inde, cum Kimchio, colligamus, quum utràque loquutione idem apud Hebræos dicatur quemadmodum apud Latinos qui perinde dicunt evehere laudibus uſque ad cœlum, & laudibus evehere ſuper cœlum.

10 *Juda rex meus, Moab lebes ſpei meæ :*

Meum, in Tribu Juda, regnum conſtitutum iri, Moabitas vectigal mihi, uti ſperaveram, penſitaturos :

11 *In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ amici facti ſunt.*

Idumæam ſub imperium meum cenſuram, Philiſtæos mihi ſubjectum iri.

12 *Quis deducet me in civitatem munitam ; quis deducet me uſque in Idumæam ?*

Hæc quum ita ſint & majorem hujus oraculi partem impletam viderim, quis deducet me *nunc* in munitam *Idumæorum* civitatem : quis deducet me uſque in Idumæam, *eámque in ditionem meam rediget ?*

13 *Nonne tu Deus qui repuliſti nos ; & non exibis Deus in virtutibus noſtris ?*

Nonne tu Deus qui *ab aliquo tempore* deſeruiſti nos ; & noſtros, *ut ſolebas*, exercitus non ducis ?

14 *Da nobis auxilium de tribulatione : quia vana ſalus hominis.*

Libera nos à *præſenti* periculo : *te enim ſolo nitimur, nec ſpem in hominibus collocamus*, nam vana eſt, quæ ab illis exſpectatur, ſalus.

15 *In Deo faciemus virtutem ; & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros.*

Deo opitulante egregia edemus facinora ; & ipſe inimicos noſtros exitio dedet.

ARGVMENTVM.

PSALMI CENTESIMI OCTAVI.

EX perſonâ quorundam inter Macchabæos virtutis amatorum, exulantium & ejectorum v. g. Oniæ

& cæterorum à Sacerdotio dimotorum hunc Pſalmum pronuntiatum fuiſſe nonnulli, teſte Græco Paraphraſte, dixerunt. Sed cum Pſalmo XXXIV. præſens Pſalmus concurrit; atque Abſalomitarum, potiſſimùm verò Achitophelis defectionem & futuram eorum calamitatem ſenſu primario repræſentat: Judæorum autem in Chriſtum odium & præſertim Judæ proditionem ac mala ipſis eventura ſenſu ſublimiore adumbrat ut proinde infelici huic Apoſtolo ſeptimus hujus Pſalmi verſus à B. Petro Act. I. 20. rectiſſimè aptatus fuerit.

TITULUS.

In finem Pſalmus David.

PSALMUS CVIII.

1 *Deus laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris & os doloſi ſuper me apertum eſt:*

2 *Loquuti ſunt adversùm me linguâ doloſâ, & ſermonibus odii circumdederunt me, & expugnaverunt me gratis.*

3 *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi. Ego autem orabam;*

4 *Et poſuerunt adverſum me mala pro bonis, & odium pro dilectione meâ.*

5 *Conſtitue ſuper eum peccatorem, & diabolus ſtet à dextris ejus.*

PARAPHRASIS.

1 *Innocentiæ meæ*, laudem, ô Deus, ſilentio ne prætereris: nam os impii & fraudulenti *Achitophelis* in me debacchatur:

2 *Et cæteri* mei inimici *Abſalomitæ* verbis mendacio & odio plenis undequaque me laceſſunt, ac me immeritò oppugnant;

3 Mihi*que* obtrectant quum me diligere deberent. Ego *Deum anteà* orabam *ut beneficiis eos cumularet*;

4 *At illi* malum mihi pro bono rependunt; & amori, quo eos ſum proſequutus, odium reponunt.

5 Præfice *Achitopheli* tyrannum; adſtétque ad dexteram illius diabolus *qui eum continuò vexet*.

ANNOTATIONES.

in finem &c. Cod. Reg. 138. & Colb. 158. *in finem Pſalmus David. vox Chriſti de Judæis & de Juda traditore.*

diabolus. Hæc dictio, quæ à B. Hilario, Phœbadio, aliisque nonnullis, ex corruptâ posteriorum temporum pronuntiatione, effertur *Zabulus*: hæc, inquam, dictio inimicum sensu primario denotat; sublimiore designat Dæmonem qui in Judam introivit.

Quum judicatur, exeat condemnatus; & oratio ejus fiat in peccatum. 6 Quum caussa illius tractata fuerit in judicio, abeat hinc condemnatus; & proposita ibi, in gratiam ejus, defensio crimen ipsius adstruat, *adèòque damnationem ipsi accersat.*

Fiant dies ejus pauci; & episcopatum ejus accipiat alteri. 7 Pauco vivat tempore; & præfectura ejus alteri detur.

Fiant filii ejus orphani; & uxor ejus vidua. 8 Filii ejus fiant orphani; & uxor ejus sit vidua.

Nutantes transferantur filii ejus, & mendicent, & ejiciantur de habitationibus suis. 9 Transferantur *è domibus suis* filii ejus sic ut hinc & inde vagentur, ac cibum mendicato quærant; atque è suis habitationibus ejiciantur.

Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus; & diripiant alieni labores ejus. 10 Exhauriat fœnerator omnia ejus bona; &, quas labore suo comparavit, divitias alieni diripiant.

Non sit illi adjutor; nec sit qui misereatur pupillis ejus. 11 Nemo eum adjuvet; nec quisquam sit qui pupillorum ejus misereatur.

Fiant nati ejus in interitum; in generatione unâ deleatur nomen ejus. 12 Intereant ejus liberi; *hisque nullos, post se, filios relinquentibus*, nomen ejus unâ conclusum generatione deleatur.

In memoriam redeat, iniquitas patrum ejus in conspectu Domini, & peccatum matris ejus non deleatur. 13 In memoriam reducat Dominus iniquitates progenitorum ejus, & peccata matris ejus non excidant ex animo illius.

oratio. eo sumitur sensu quo dicimus caussas orare pro defendere. Unde legatus vocatur orator quòd Domini sui caussam defendat.

episcopatum. Græca vox quâ inspectio significatur; indéque *Episcopus* quasi inspector. Quod nomen (cujus mentio apud *a* Esdram, *b* Homerum, *c* Ciceronem, *d* Arrianum, *e* Eustathium, *f* Plutarchum, & in *g* Digestis exstat) translatum fuit ad Ecclesiæ præfectos: qui, quum Christiani gregis curam atque inspectionem habeant, rectè dicuntur Episcopi: quo nomine summus Pontifex custos Vestalium donatur apud *h* Plutarchum.

ejiciantur. Rabbini sensu non recto, *quærant.* Nostri legebant in Pual גרשו pro דרשו *habitationibus suis.* Rabb. *desertis suis*, unde non abit Græca vox quam Theodotius,

a lib. 2. cap XI 12.
b Iliad. K. vers. 38. O'πρύνες &c. Iliad. X. Μαρτυροι &c. circa med.
c lib. VII. ad Attic. Epist. 11.
d de rebus Indic.
e ad Iliad. K. vers. 18.
f in Pericle. p. 159. F.
g lib. 50. tit. 4. de vacat. & excus. munerum. I *Munerum* paragr. *Irenarcha.*
h in Numa p. 66. A. B.

Græcus Paraphrastes, Sixtina editio, & Regii ac Colbertini Codices Græci exhibent *οἰκοπέδων* idest *parietinis* quomodo vertit S. Hieronymus, aut *ἐρειπίων ruderibus* quod Theodoritus aliis tribuit interpretibus. Hebræum, quod in textu nostro occurrit, vocabulum חרבות occurrit & in Psal. CI. 7. quúmque hoc loco LXX. verterint *solitudinis*; in nostro autem textu interpretati fuerint *habitationibus*, dubium mihi non est quin aliam in isto textu habuerint vocem Hebræam, quam מביתיהם fuisse crediderim pro מחרבותיהם.

Scrutetur, Heb. ינקש *illaqueet*. LXX. legebant יבקש. Idem ubique sensus. Cato senior, de fœneratore: *vorago unius multorum patrimonia exhaurit.* Assequitur Lucanus lib. 1. *Hinc usura vorax* &c.

14 *Fiant contra Dominum semper; & dispereat de terrâ memoria eorum. Pro eo quòd non est recordatus facere misericordiam;*

Divinis oculis *flagitiosi illi parentes* semper obversentur; & memoria eorum de terrâ tollatur *absumto isto, quem reliquerant, filio. Is autem pœnam illam sustineat* quòd ipsi ne in mentem quidem venerit miserationem in meis ærumnis adhibere;

15 *Et persequutus est hominem inopem & mendicum, & compunctum corde mortificare.*

Sed me, ad inopiam compulsum & miseriis circumclusum, persequatur, mihíque afflicto mortem machinetur.

16 *Et dilexit maledictionem; & veniet ei: & noluit benedictionem; & elongabitur ab eo.*

Optat perniciem *mihi*; sed *illa* ei contingat: bonum *mihi* non vult; *sed* eo ipsemet privetur.

17 *Et induit maledictionem sicut vestimentum: & intravit sicut aqua in interiora ejus, & sicut oleum in ossibus ejus.*

Exitii *mei* cura eum occupat totum non secùs ac si esset vestimentum quo indueretur: interiora ejus, velut aqua subit; & usque ad ossa ipsius instar olei penetrat, *ita ut nulla sit cùm corporis tum animi ejus pars quæ exitio meo non incumbat.*

18 *Fiat ei sicut vestimentum quo operitur; & sicut zona quâ semper præcingitur:*

Sed in eum recidat exitium illud, sit*que* sicut vestimentum quo operiatur totus; & sicut zona quâ semper circumcingatur:

Fiant contra Dominum. Deus vitam nostram, utpote munus suum, nobis, quando vult & quomodo vult, auferre potest: unde filios, ob peccata parentum, vitâ privare ei licet. Deus etiam, quà omniscius, servitute alióve id genus malo posteros, pro Majorum sceleribus, afficere potest: gnarus videlicet mala illa spiritualem utilitatem allatura. Ita non est de hominibus: qui, quum vitam non dederint, eam adimere non possunt nisi ob gravem culpam; & quidem quæ personæ sit propria ut ex *a* Callistrato, *b* Cicerone, *c* Dionysio Halicarnasseo, *d* Marco Antonino, *e* Dione Chrysostomo, *f* Josepho, *g* Philone, B. *h* Hiero-

a Dig. lib. 47. tit. 19. l. 26. Adde l. 22. lib. 9. tit. 47. Cod.
b lib. 3. de Nat. Deorû.
c lib. 8. ubi de libertis Cassii.
d Epist. ad Senatum ubi de filiis Avidii Cassii.
e Orat. ult.
f Antiq. IV. c. 8. pag. 129. A.
g lib. 2. de Spec. leg. post med.
h Epist. 3.

a Epist. 105.
b Dig. lib. I. tit. 5. l. 18.
c de Humanitate post med. Adde Ægyptios ex Plutarcho de serâ Num. vind. p. 552 D.
d Cod. lib. 9. tit. 8. l. 5
e lib. 23. pag. 584. edit. Paris. 1681. fol.
f lib. 8. circa med.
g lib. VI. p. 363 A.
h Var. Hist. lib. III 43.
i in Corinthiacis pag. 116. sub init.
k lib. de Serâ Num. vind p. 517. A. C.
l Ibid p. 561. A.
m 1. 2. q. 87. art. 8. ad 1.
n loc. cit.
o vide Jer. XXXI 29. Ezech. XVIII. 3 & expende voces istas *in diebus illis & si erit ultra.*
p Exod. XX. 5 Deut. XXIV. 16. Paralip. XXV. 4. Jer XXXI. 29. Ezech. XVIII 3

nymo, & S. *a* Augustino apparet. Unde, qui prægnantem mulierem morte affici prohibuit, *b* Hadrianus laudem, cum iis quos *c* Philo profert, meretur; sed ea tribui non debet eùm *d* Arcadio & Honorio dicentibus paterno debuisse perire supplicio in quibus paterni criminis exempla metuuntur, tum Persis ac Macedonibus quos *e* Ammianus & *f* Curtius propinquorum capita devovisse tradunt. Servitute pariter aliôve id genus malo posteros affligere nefas est hominibus quia nesciunt an mala illa sint profutura. Solus Deus impiorum filiis mortem inferre potest: jure dominii non pœnæ usus, & non tam filios quàm patres in eorum personâ castigans; hujúsque animadversionis exempla *g* Herodotus, *h* Ælianus, & *i* Pausanias suppeditant: præter *k* Plutarchum *l* qui parentes ærumnis filiorum graviùs à Deo puniri eò observat rectiùs quòd Deus, minas paternis flagitiis Exod. XX. 5. intentans, eas ultrà abnepotes non extendat quia nimirum, ut S. *m* Thomæ notatum est, ad eorumdem conspectum pertingere, adeóque eorum supplicio puniri possunt progenitores: qui si eò usque non vixerint magno tamen supplicio mulctantur dum obeunt metuentes ne crimina sua in filios vindicentur. Potest etiam Deus servitutem aliúdve malum, quod habeat rationem medicinæ, immittere filiis; ídque, ut docet S. *n* Thomas, in quantum filii sunt quædam res parentum. Viam hanc Deus vetustioribus temporibus tenuit; sed quum soluta esset *o* captivitas Babylonica & Evangelica lux appropinquaret, aliam rationem inire Deo placuit, & unumquemque pro suo delicto plectere cœpit. Hæc si observaverimus, sacraque pugnare videntur, *p* testimonia in concordiam facilè adducemus: vetustioribus temporibus filios pro parentibus punitos adseribentes; & ad posteriorem ætatem revocantes, aut hominibus tribuentes jus quo unusquisque pro suo delicto plecti debet.

Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi, apud Dominum, & qui loquuntur mala adversus animam meam.	19	Eandémque Dominus cæteris, qui famam meam rodunt & necem mihi moliuntur, inimicis meis mercedem tribuat.
Et tu Domine Domine fac mecum propter nomen tuum, quia suavis est misericordia tua.	20	Mecum autem Domine clementer age propter te: nam misericordia tua propensa est ad benefaciendum *afflictis*.
Libera me: quia egenus & pauper ego sum; & cor meum conturbatum est intra me.	21	Suppetias mihi fer: siquidem ad inopiam & miseriam sum compulsus; & cor meum mœrore languet intra me.
Sicut umbra quum declinat ablatus sum; & excussus sum sicut locusta.	22	Instabilis *ego* sum velut umbra quum *sol* ad occasum declinat, & *de loco in locum*, sicut locusta, pellor.
Genua mea infirmata sunt à jejunio; & caro mea immutata est propter oleum:	23	Genua mea debilatata sunt propter famem quâ laboro; & corpus meum, propter *amissam* pinguedinem, macilentum est:

excussus sum. Confer II. Reg. XVII 16. & Davidem ex uno loco in alium cernes migrantem, adeòque instabilem instar umbræ.

genua mea. genua rectè memorat ea enim debilitatem maximè produnt testibus Isaia XXXV. 3. & Virgilio Æneid. V. — *sed tarda trementi Genua labant.*

propter

propter oleum. sup. deficiens ut Gen. XVIII. 28. Quod quum intelligeret Symmachus, rectè, apud Heracleotam & Theodoritum, convertit sic: *caro mea immutata est propter amissionem unctionis.*

Et ego factus sum opprobrium illis: viderunt me, & moverunt capita sua.	24	Súmque opprobrio hostibus meis: qui, meam videntes ærumnam, motu capitis illudunt mihi.
Adjuva me Domine Deus meus; salvum me fac secundum misericordiam tuam:	25	*Tantis* me *miseriis circumclusum* adjuva Domine Deus mi; & me, pro tuâ misericordiâ, salvum fac:
Et sciant quia manus tua hæc, & tu Domine fecisti eam.	26	Sciánt*que* inimici mei quòd manus tua hanc, *quæ à me petitur*, salutem mihi attulerit, & quòd tu Domine eam mihi præstiteris.
Maledicent illi: & tu benedices; qui insurgunt in me confundantur, servus autem tuus lætabitur:	27	*Illi interim* meam, *quantùm libuerit*, perniciem moliantur: tu modò fave *mihi*; efficéque ut, qui in me insurrexerunt, *Absalomitæ* pudore suffundantur *spe frustrati*; servus autem tuus *de partâ victoriâ* lætetur:
Induantur qui detrahunt mihi pudore; & operiantur sicut diploide confusione suâ.	28	*Et*, qui de me detrahunt, ignominiâ, tanquam veste, contegantur; atque infamiâ, quâ digni sunt, tanquam pallio operiantur.
Confitebor Domino nimis in ore meo, & in medio multorum laudabo eum	29	Ego *porrò* Dominum multis hymnis celebrabo, cúm*que* in frequenti cœtu laudabo
Quia astitit à dextris pauperis ut salvam faceret à persequentibus animam meam.	30	Quum *mihi*, ad inopiam adducto, opem porrexerit ut me è manum afflictorum meorum liberet.

ARGVMENTVM.

PSALMI CENTESIMI NONI.

JUDÆORUM nonnulli [a] Justino & [b] Tertulliano prolati Psalmum ad Ezechiam retulerunt. Alii B. [c] Hierony-

[a] Dial. cum Tryph. pag. 250. D.
[b] lib. V contr. Marc. cap. 9 pag. 472 B.
[c] ad Matth. XXII. 43. 44.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI SEPTIMI.

* mendum typographicum Theodoritianam deformat editionem ubi legitur 50. pro 56.

JUDÆORUM reditum hoc in Psalmo prædici docet, cum Theodorito, Græcus Corderii Paraphrastes: qui, quum Psalmum istum multam cum Psalmis * 56. & 59. cognationem habere, post Cyrensem Episcopum rectè addidisset, imperitè atque inconstanter dixit utrosque esse Macchabaicos. Psalmum ego uni eidémque bello Idumaico affigo; méque ad hanc rationem eò adjungo faciliùs quod animadverto unam candémque rem multis Psalmis persæpe mandari cum aliquâ varietate, qualem in nostro deprehendimus Psalmo: cui, præter decem versus Psalmi 59. additi sunt versus quinque, omissis quatuor primis laudati Psalmi 59. versibus. Huic, quem in libro Psalmorum non semel servatum videmus, mori unius ejusdémque rei pluribus Psalmis celebrandæ adscribo belli Idumaici repetitionem; nullóque pacto adduci possum ut repetitionem illam ad complementum numeri 150. Psalmorum cum Corderio conjiciam, aut Muisio consentiam existimanti Davidem durius exordium Psalmi 60. seu 59. corrigere atque emendare, aliquandiu post superatum periculum, fortasse voluisse.

TITULUS.

Canticum Psalmi ipsi David.

PSALMUS CVII.		PARAPHRASIS.
PAratum cor meum Deus; paratum cor meum,	1	PAratum est cor meum *ô* Deus; paratum est cor meum *ad te*

cantabo; & psallam in gloriâ meâ.

2 *celebrandum ob ea, quæ mihi hactenus contulisti, beneficia:* cantabo *laudes tuas;* & *eas* linguâ meâ celebrabo.

3 *Exsurge gloria mea: exsurge psalterium & cithara. Exsurgam diliculo.*

Excitare *ad id præconii* lingua mea: prodite psalterium & cithara. Matutinis *egomet* horis exsurgam *ad canendas laudes divinas.*

4 *Confitebor tibi in populis Domine; & psallam tibi in nationibus:*

Celebrabo te Domine inter populos *Judæos;* & tibi, inter gentes *Israeliticas*, præconium tribuam:

5 *Quia magna est super cœlos misericordia tua; & usque ad nubes veritas tua.*

Nam bonitas, quâ *erga me hactenus* usus es, major est quàm distantia cœli à terrâ; & tua *in promissis servandis*, fides, *quam toties sum expertus*, tam grandis est quàm distantia hinc ad nubes.

6 *Exaltare super cœlos Deus; & super omnem terram gloria tua ut liberentur dilecti tui:*

Quum autem tam benignè mihi antea adfueris ô Deus, tuam *nunc* potentiam splendidè exsere; &. tuam, ut quos diligis *Israelitæ subditi mei ex imminenti periculo liberentur*, fortitudinem conspicuè ostende:

7 *Salvum fac dexterâ tuâ, & exaudi me.*

Ac victoriam dexterâ tuâ concede *nobis*, & me exaudi.

8 *Deus loquutus est in sancto suo, exultabo: & dividam Sichimam, & Convallem tabernaculorum dimetiar;*

Deus per sanctum suum *Samuelem* loquutus est rem quâ lætor: scilicet partiturum me Sichimam, & Convallem tabernaculorum pro arbitrio meo divisurum;

9 *Meus est Galaad, & meus est Manasses: & Ephraim susceptio capitis mei;*

Meam fore Galaaditicam regionem, meam fore Manassis terram: Ephraimiticam gentem capiti meo futuram præsidio;

ANNOTATIONES.

Canticum &c. Cod. Reg. 138. & Colb. 158. *Canticum Psalmus David. vox timentis Dominum.*

paratum &c. in Psalmo 59. Vates ærumnæ, in quam gens Israelitica inciderat, memoriam refricabat ut Deus, visâ hac ærumnâ, plebis suæ misereretur. Aliam, in nostro Psalmo,

viam Psaltes init; & vetera beneficia, ut nova impetret, recolit, atque à gratiarum actionē auspicatur: hæc enim, ut Græcus Paraphrastes ad Psal. CV. annotabat, conciliatrix est amplioris donationis.

exsurge gloria mea. Absunt hæc à Sixtina editione; & testatur S. Hieronymus ea apud nullum reperiri interpretum Eos quominùs probem vetat Psalmus LVI. 11.

super cœlos. in Psalmo LVI.13 legitur ***usque ad cœlos.*** Sed tanti non est hæc diversitas ut argumenti diversitatem inde, cum Kimchio, colligamus, quum utràque loquutione idem apud Hebræos dicatur quemadmodum apud Latinos qui perinde dicunt evehere laudibus usque ad cœlum, & laudibus evehere super cœlum.

Juda rex meus, Moab lebes spei meæ: 10 Meum, in Tribu Juda, regnum constitutum iri, Moabitas vectigal mihi, uti speraveram, pensitaturos:

In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ amici facti sunt. 11 Idumæam sub imperium meum censuram, Philistæos mihi subjectum iri.

Quis deducet me in civitatem munitam; quis deducet me usque in Idumæam? 12 *Hæc quum ita sint & majorem hujus oraculi partem impletam videam*, quis deducet me *nunc* in munitam *Idumæorum* civitatem: quis deducet me usque in Idumæam, *eamque in ditionem meam rediget?*

Nonne tu Deus qui repulisti nos; & non exibis Deus in virtutibus nostris? 13 Nonne tu Deus qui *ab aliquo tempore* deseruisti nos; & nostros, *ut solebas*, exercitus non ducis?

Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis. 14 Libera nos à *præsenti* periculo: *te enim solo nitimur, nec spem in hominibus collocamus*, nam vana est, quæ ab illis exspectatur, salus.

In Deo faciemus virtutem; & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros. 15 Deo opitulante egregia edemus facinora; & ipse inimicos nostros exitio dedet.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI OCTAVI.

EX personâ quorundam inter Macchabæos virtutis amatorum, exulantium & ejectorum v. g. Oniæ

& cæterorum à Sacerdotio dimotorum hunc Psalmum pronuntiatum fuisse nonnulli, teste Græco Paraphraste, dixerunt. Sed cum Psalmo XXXIV. præsens Psalmus concurrit; atque Absalomitarum, potissimùm verò Achitophelis defectionem & futuram eorum calamitatem sensu primario repræsentat: Judæorum autem in Christum odium & præsertim Judæ proditionem ac mala ipsis eventura sensu sublimiore adumbrat ut proinde infelici huic Apostolo septimus hujus Psalmi versus à B. Petro Act. I. 20. rectissimè aptatus fuerit.

TITULUS.

In finem Psalmus David.

PSALMUS CVIII.		PARAPHRASIS.
DEus laudem meam ne taceris: quia os peccatoris & os dolosi super me apertum est:	1	*INnocentiæ meæ*, laudem, ô Deus, silentio ne prætereris: nam os impii & fraudulenti *Achitophelis* in me debacchatur:
Loquuti sunt adversùm me linguà dolosà, & sermonibus odii circumdederunt me, & expugnaverunt me gratis.	2	*Et cæteri* mei inimici *Absalomitæ* verbis mendacio & odio plenis undequaque me lacessunt, ac me immeritò oppugnant;
Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi. Ego autem orabam;	3	Mihi*que* obtrectant quum me diligere deberent. Ego *Deum anteà* orabam *ut beneficiis eos cumularet*;
Et posuerunt adversum me mala pro bonis, & odium pro dilectione meà.	4	*At illi* malum mihi pro bono rependunt; & amori, quo eos sum prosequutus, odium reponunt.
Constitue super eum peccatorem, & diabolus stet à dextris ejus.	5	Præfice *Achitopheli* tyrannum; adstétque ad dexteram illius diabolus *qui eum continuò vexet*.

ANNOTATIONES.

in finem &c. Cod. Reg. 138. & Colb. 158. *in finem Psalmus David. vox Christi de Judæis & de Juda traditore.*

diabolus. Hæc dictio, quæ à B. Hilario, Phœbadio, aliiſque nonnullis, ex corruptâ poſteriorum temporum pronuntiatione, effertur ***Zabulus*** : hæc, inqnam, dictio inimicum ſenſu primario denotat ; ſublimiore deſignat Dæmonem qui in Judam introivit.

6 *Quum judicatur, exeat condemnatus ; & oratio ejus fiat in peccatum.*

Quum cauſſa illius tractata fuerit in judicio, abeat hinc condemnatus ; & propoſita ibi, in gratiam ejus, defenſio crimen ipſius adſtruat, *adeòque damnationem ipſi accerſat.*

7 *Fiant dies ejus pauci ; & epiſcopatum ejus accipiat alteri.*

Pauco vivat tempore ; & præfectura ejus alteri detur.

8 *Fiant filii ejus orphani ; & uxor ejus vidua.*

Filii ejus fiant orphani ; & uxor ejus ſit vidua.

9 *Nutantes transferantur filii ejus, & mendicent, & ejiciantur de habitationibus ſuis.*

Transferantur *è domibus ſuis* filii ejus ſic ut hinc & inde vagentur, ac cibum mendicato quærant; atque è ſuis habitationibus ejiciantur.

10 *Scrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam ejus ; & diripiant alieni labores ejus.*

Exhauriat fœnerator omnia ejus bona ; &, quas labore ſuo comparavit, divitias alieni diripiant.

11 *Non ſit illi adjutor ; nec ſit qui miſereatur pupillis ejus.*

Nemo eum adjuvet ; nec quiſquam ſit qui pupillorum ejus miſereatur.

12 *Fiant nati ejus in interitum ; in generatione unâ deleatur nomen ejus.*

Intereant ejus liberi ; *hiſque nullos, poſt ſe, filios relinquentibus*, nomen ejus unâ concluſum generatione deleatur.

13 *In memoriam redeat, iniquitas patrum ejus in conſpectu Domini, & peccatum matris ejus non deleatur.*

In memoriam reducat Dominus iniquitates progenitorum ejus, & peccata matris ejus non excidant ex animo illius.

oratio. eo ſumitur ſenſu quo dicimus cauſſas orare pro defendere. Unde legatus vocatur orator quòd Domini ſui cauſſam defendat.

epiſcopatum. Græca vox quâ inſpectio ſignificatur ; indéque ***Epiſcopus*** quaſi inſpector. Quod nomen (cujus mentio apud *a* Eſdram, *b* Homerum, *c* Ciceronem, *d* Arrianum, *e* Euſtathium, *f* Plutarchum, & in *g* Digeſtis exſtat) tranſlatum fuit ad Eccleſiæ præfectos: qui, quum Chriſtiani gregis curam atque inſpectionem habeant, rectè dicuntur Epiſcopi: quo nomine ſummus Pontifex cuſtos Veſtalium donatur apud *h* Plutarchum.

ejiciantur. Rabbini ſenſu non recto, ***quærant.*** Noſtri legebant in Pual גרשו pro דרשו.

habitationibus ſuis. Rabb. ***deſertis ſuis***, unde non abit Græca vox quam Theodoritus,

a lib. 2. cap XI 12.
b Iliad. K. verſ. 38. Ο'τρύνεις &c. Iliad. X. Μαρτυροι &c. circa med.
c lib. VII. ad Attic. Epiſt. 11.
d de rebus Indic.
e ad Iliad. K. verſ. 38.
f in Pericle. p. 159. F.
g lib. 50. tit. 4. de vacat. & excuſ. munerum. l *Munerum* paragr. *Irenarchæ*.
h in Numa p. 66. A. B.

Græcus Paraphrastes, Sixtina editio, & Regii ac Colbertini Codices Græci exhibent *οἰκοπέδων* idest *parietinis* quomodo vertit S. Hieronymus, aut *ἐρειπίων ruderibus* quod Theodoritus aliis tribuit interpretibus. Hebræum, quod in textu nostro occurrit, vocabulum חרבות occurrit & in Psal. CI. 7. quumque hoc loco LXX. verterint *solitudinis*; in nostro autem textu interpretati fuerint *habitationibus*, dubium mihi non est quin aliam in isto textu habuerint vocem Hebræam, quam מביתיהם fuisse crediderim pro מחרבותיהם.

scrutetur. Heb. ינקש *illaqueet*. LXX. legebant יבקש. Idem ubique sensus. Cato senior, de fœneratore: *vorago unius multorum patrimonia exhaurit*. Assentitur Lucanus lib. 1. *Hinc usura vorax* &c.

14 *Fiant contra Dominum semper; & dispereat de terrâ memoria eorum. Pro eo quòd non est recordatus facere misericordiam;*

Divinis oculis *flagitiosi illi parentes* semper obversentur; & memoria eorum de terrâ tollatur *absumto isto, quem reliquerant, filio. Is autem pœnam illam sustineat* quòd ipsi ne in mentem quidem venerit miserationem in meis ærumnis adhibere;

15 *Et persequutus est hominem inopem & mendicum, & compunctum corde mortificare.*

Sed me, ad inopiam compulsum & miseriis circumclusum, persequatur, mihíque afflicto mortem machinetur.

16 *Et dilexit maledictionem; & veniet ei: & noluit benedictionem; & elongabitur ab eo.*

Optat perniciem *mihi*; sed *illa* ei contingat: bonum *mihi* non vult; *sed* eo ipsemet privetur.

17 *Et induit maledictionem sicut vestimentum: & intravit sicut aqua in interiora ejus, & sicut oleum in ossibus ejus.*

Exitii *mei* cura eum occupat totum non secùs ac si esset vestimentum quo indueretur: interiora ejus, velut aqua subit; & usque ad ossa ipsius instar olei penetrat, *ita ut nulla sit cùm corporis tum animi ejus pars quæ exitio meo non incumbat.*

18 *Fiat ei sicut vestimentum quo operitur; & sicut zona quâ semper præcingitur:*

*Sed in eum recidat exitium illud, sit*que sicut vestimentum quo operiatur totus; & sicut zona quâ semper circumcingatur:

Fiant contra Dominum. Deus vitam nostram, utpote munus suum, nobis, quando vult & quomodo vult, auferre potest: unde filios, ob peccata parentum, vitâ privare ei licet. Deus etiam, quà omniscius, servitute alióve id genus malo posteros, pro Majorum sceleribus, afficere potest: gnarus videlicet mala illa spiritualem utilitatem allatura. Ita non est de hominibus: qui, quum vitam non dederint, eam adimere non possunt nisi ob gravem culpam; & quidem quæ personæ sit propria ut ex *a* Callistrato, *b* Cicerone, *c* Dionysio Halicarnasseo, *d* Marco Antonino, *e* Dione Chrysostomo, *f* Josepho, *g* Philone, B. *h* Hiero-

a Dig. lib. 47. tit. 19. l. 26. Adde l. 22. lib. 9. tit. 47. Cod.
b lib. 3. de Nat. Deor.
c lib. 8. ubi de liberis Cassii.
d Epist. ad Senatum ubi de filiis Avidii Cassii.
e Orat. ult.
f Antiq. IV. c. 8. pag. 129. A.
g lib. 2. de Spec. leg. post med.
h Epist. 5.

a Epist. 105.
b Dig. lib. I. tit. 5. l. 18.
c de Humanitate post med. Adde Ægyptios ex Plutarcho de serâ Num. vind. p. 552 D.
d Cod. lib. 9. tit. 8. l. 5
e lib. 23. pag. 354. edit. Paris. 1681. fol.
f lib. 8. circa med.
g lib. VI. p. 363 A.
h Var. Hist. lib. III 41.
i in Corinthiacis pag. 116. sub init.
k lib de Serâ Num. vind p. 557. A. C.
l Ibid p. 561. A.
m 1. 2. q. 87. art. 8. ad 1.
n loc. cit.
o vide Jer. XXXI 29. Ezech. XVIII. 3. & expende voces istas *in diebus illis & si erit ultra.*
p Exod. XX. 5. Deut. XXIV. 16. Paralip. XXV. 4. Jer XXXI. 29. Ezech. XVIII 3

nymo, & S. *a* Augustino apparet. Unde, qui prægnantem mulierem morte affici prohibuit, *b* Hadrianus laudem, cum iis quos *c* Philo profert, meretur; sed ea tribui non debet cùm *d* Arcadio & Honorio dicentibus paterno debuisse perire supplicio in quibus paterni criminis exempla metuuntur, tum Persis ac Macedonibus quos *e* Ammianus & *f* Curtius propinquorum capita devovisse tradunt. Servitute pariter alióve id genus malo posteros affligere nefas est hominibus quia nesciunt an mala illa sint profutura. Solus Deus impiorum filiis mortem inferre potest: jure dominii non pœnæ usus, & non tam filios quàm patres in eorum personâ castigans; hujúsque animadversionis exempla *g* Herodotus, *h* Ælianus, & *i* Pausanias suppeditant: præter *k* Plutarchum *l* qui parentes ærumnis filiorum graviùs à Deo puniri eò observat rectiùs quòd Deus, minas paternis flagitiis Exod. XX. 5. intentans, eas ultrà abnepotes non extendat quia nimirum, ut S. *m* Thomæ notatum est, ad eorumdem conspectum pertingere, adeóque eorum supplicio puniri possunt progenitores: qui si eò usque non vixerint magno tamen supplicio mulctantur dum obeunt metuentes ne crimina sua in filios vindicentur. Potest etiam Deus servitutem aliúdve malum, quod habeat rationem medicinæ, immittere filiis; ídque, ut docet S. *n* Thomas, in quantum filii sunt quædam res parentum. Viam hanc Deus vetustioribus temporibus tenuit; sed quum soluta esset *o* captivitas Babylonica & Evangelica lux appropinquaret, aliam rationem inire Deo placuit, & unumquemque pro suo delicto plectere cœpit. Hæc si observaverimus, sacra quæ pugnare videntur, *p* testimonia in concordiam facilè adducemus: vetustioribus temporibus filios pro parentibus punitos adscribentes; & ad posteriorem ætatem revocantes, aut hominibus tribuentes jus quo unusquisque pro suo delicto plecti debet.

Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi, apud Dominum, & qui loquuntur mala adversus animam meam.	19	Eandémque Dominus cæteris, qui famam meam rodunt & necem mihi moliuntur, inimicis meis mercedem tribuat.
Et tu Domine Domine fac mecum propter nomen tuum, quia suavis est misericordia tua.	20	Mecum autem Domine clementer age propter te: nam misericordia tua propensa est ad benefaciendum *afflictis.*
Libera me: quia egenus & pauper ego sum; & cor meum conturbatum est intra me.	21	Suppetias mihi fer: siquidem ad inopiam & miseriam sum compulsus; & cor meum mœrore languet intra me.
Sicut umbra quum declinat ablatus sum; & excussus sum sicut locusta.	22	Instabilis *ego* sum velut umbra quum *sol* ad occasum declinat, & *de loco in locum*, sicut locusta, pellor.
Genua mea infirmata sunt à jejunio; & caro mea immutata est propter oleum:	23	Genua mea debilitata sunt propter famem quâ laboro; & corpus meum, propter *amissam* pinguedinem, macilentum est:

excussus sum. Confer II. Reg. XVII. 16. & Davidem ex uno loco in alium cernes migrantem, adeòque instabilem instar umbræ.

genua mea. genua rectè memorat ea enim debilitatem maximè produnt testibus Isaia XXXV. 3. & Virgilio Æneid. V. *— sed tarda trementi Genua labant.*

propter

propter oleum. sup. deficiens ut Gen. XVIII. 28. Quod quum intelligeret Symmachus, rectè, apud Heracleotam & Theodoritum, convertit sic: *caro mea immutata est propter amissionem unctionis.*

Et ego factus sum opprobrium illis: viderunt me, & moverunt capita sua.

24 Súmque opprobrio hostibus meis: qui, meam videntes ærumnam, motu capitis illudunt mihi.

Adjuva me Domine Deus meus; salvum me fac secundum misericordiam tuam:

25 *Tantis* me *miseriis circumclusum* adjuva Domine Deus mi; *&* me, pro tuâ misericordiâ, salvum fac:

Et sciant quia manus tua hæc, & tu Domine fecisti eam.

26 Sciánt*que* inimici mei quòd manus tua hanc, *quæ à me petitur*, salutem mihi attulerit, & quòd tu Domine eam mihi præstiteris.

Maledicent illi: & tu benedices; qui insurgunt in me confundantur, servus autem tuus lætabitur:

27 *Illi interim* meam, *quantùm libuerit*, perniciem moliantur: tu modò fave *mihi*; efficéque ut, qui in me insurrexerunt, *Absalomitæ* pudore suffundantur *spe frustrati*; servus autem tuus *de partâ victoriâ* lætetur:

Induantur qui detrahunt mihi pudore; & operiantur sicut diploide confusione suâ.

28 *Et*, qui de me detrahunt, ignominiâ, tanquam veste, contegantur; atque infamiâ, quâ digni sunt, tanquam pallio operiantur.

Confitebor Domino nimis in ore meo, & in medio multorum laudabo eum

29 Ego *porrò* Dominum multis hymnis celebrabo, cúm*que* in frequenti cœtu laudabo

Quia astitit à dextris pauperis ut salvam faceret à persequentibus animam meam.

30 Quum *mihi*, ad inopiam adducto, opem porrexerit ut me è manum afflictorum meorum liberet.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI NONI.

JUDÆORUM nonnulli [a] Justino & [b] Tertulliano prolati Psalmum ad Ezechiam retulerunt. Alii B. [c] Hierony-

[a] Dial. cum Tryph. pag. 250. D.
[b] lib. V contr. Marc. cap. 9 pag. 472. B.
[c] ad Matth. XXII. 43. 44.

a ad Psal. CIX. pag. 277. D.
b ad Psal. CIX.
c loc. cit. E.
d loc. cit.

mo, S. [a] Chrysostomo, & [b] Kimchio memorati Abrahamum illic intelligendum esse arbitrati sunt. Quidam, teste B. [c] Chrysostomo, Psalmum ad Zorobabelem pertinere rati sunt. [d] Kimchius Davidi, bellum cum Philistæis, paulò post susceptum regnum, gerenti & victoriam ab eis reportanti tribuit. Alii denique ex eâdem Judæorum sectâ Salomoni Psalmum accommodant. Verùm has omnes opiniones titulus & Psalmi contextus refellunt. Atque ut ab Abrahamo initium ducam, ejus procurator (à quo, postquam Abrahamus quinque reges profligasset, compositum nonnulli volunt Psalmum) versus 4. 5. aptare ei non potuit. Iidem versus neque Davidi, neque Salomoni, neque Ezechiæ, neque Zorobabeli congruunt; nec in tres postremos primus etiam versus quadrat quippe quos David, Psalmi auctor, *Dominos suos* vocare non potuerit. Præterea versus 2. 6. 7. qui bellatorem describunt, Salomoni re & nomine pacifico non conveniunt. Respondent Judæi eorúmque sequaces nihil obstare quominùs vel Abrahamo aut Davidi aut Salomoni aut Ezechiæ aut Zorobabeli Psalmus aptari possit sive quòd pro *ex utero ante luciferum* Hebraicè legatur *ex utero auroræ* aut *ex utero ex aurorâ*, pro *tu es sacerdos in æternum* verti debeat *tu eris princeps diu* hoc est *diuturno tempore regnabis*, & pro *secundùm ordinem Melchisedech* transferendum sit *secundùm verbum regi meo justo* hoc est Davidi à Deo dictum de longævo Salomonis regno; sive quòd cantor aliquis Psalmum condiderit, adeòque Davidem, Salomonem, Ezechiam, & Zorobabelem Dominos suos meritò appellaverit. Sed contrà. Psalterianæ orationis contextus istam non probat versionem *ex utero auroræ* vel *ex utero ex aurorâ*: 2. *vox* כהן *principem* equidem & *magnatem* interdum significat ut II. Reg. VIII.

18. Job. XII. 19. ſed adjuncta Melchiſedeci mentio hunc ſignificatum à noſtro Pſalmo arcet: is enim, quem nominavi, Melchiſedecus ſacerdotali dignitate magis quàm regiâ conſpicuus in Scripturis eſt quippe qui non jure regio ſed pontificio Abrahæ benedixerit & deci mas ab eo acceperit. Quòd ſi pro *ſecundùm ordinem Melchiſedech* interpreteris *ſecundùm verbum regi meo juſto*, ſubjectam his verbis ſententiam nullo modo efficies ſi Hebraica verba ſuis ponderare momentis volueris: hæ enim voces דברתי מלכי צדק non ſignificant *verbum regi juſto dictum* ſed *verbum à rege juſto prolatum.* Ad hæc dictio לעולם *diuturnum* quidem, non infinitum tempus ſæpe notat; ſed illâ dictione tempus infrà quinquaginta annos ſignificari non memini, atque adeò prædicta vox nec Abrahamo, nec Davidi, nec Salomoni, nec Ezechiæ, nec Zorobabeli conſentanea eſt utpote qui annos quinquaginta non regnaverint. Denique cæteri omnes Pſalmorum tituli, ubi legitur לדוד, Davidi ut auctori Pſalmum, juxta Rabbinos, adjudicant: ergo idem de Pſalmo noſtro dicere debent; eòque magis quòd litera ל nominibus propriis, poſt nomen ſubſtantivum, præfixa genitivum non ablativum caſum deſignare ſoleat. Quum ergo nulli veteris Teſtamenti homini Pſalmus conveniat; illéque, ut ex paraphraſi apparebit, in Chriſtum mirificè quadret, & de Meſſiâ in Talmudico titulo [a] *Sucah* atque in *Midraſch Tehillim* explicetur; eíque à Chaldæo Paraphraſte, [b] Moſe Hadarſan, atque [c] Saadia Gaone adſcribatur, illum de divino noſtro Soſpitatore exponere debemus: quum præſertim [d] Chriſto Judæos publicè alloquenti & Meſſiæ prædictionem in Pſalmo contineri pro confeſſo ſibi ſumenti ac B. [e] Petro idem facienti nullus Hebræorum contradixerit: quod

[a] cap. 5.
[b] ad Gen. XVIII. 1.
[c] in Danielem.
[d] Matth. XXII. 41. & ſeq.
[e] Act. II. 34.

utique inimica Christo gens & in iis quæ ad religionem pertinerent irritabilis non fecisset nisi omnium consensione laudata communíque opinione recepta ac vulgò credita fuisset sententia quam Christus & B. Petrus nobilissimo dabant Psalmo: in quo David Deum Patrem introducit filio loquentem & personæ enallage utentem pro more Hebræo.

TITULUS.

Psalmus David.

PSALMUS CIX.		PARAPHRASIS.
DIxit Dominus Domino meo: sede à dextris meis	1	*DAVID.* Domino meo *Christo in cælum assumto* Dominus *pater ejus* dixit: regna mecum
Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.	2	Dum hostes tuos *Dæmones*, *Judæos*, *& Gentiles* instar scabelli tuis sub pedibus statuo *eósque tibi subjicio.*
Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion; dominare in medio inimicorum tuorum.	3	*Tui*, *quod in hostes illos* virtute *Crucis* tuæ *obtinebis*, imperii fines Dominus ab Hierosolymis *per universum orbem* propagabit; *atque* in mediâ hostium tuorum regione dominaberis.

ANNOTATIONES.

Psalmus &c. Cod. Reg. 138. *Psalmus David. vox Ecclesiæ & Christi ad Patrem.* Colb. 258. *Alleluia Davit Psalmus. vox Ecclesiæ & Christi ad Patrem de natale Domini.*

dixit Dominus. Euthymius: *Pater assumto in cælum Christo Domino dixit verba quæ sequuntur.* Optimè, ut patet ex Act. II 34. I. Cor. XV. 25.

Domino meo. Theodoritus: Ei &c. *si David rex & pius rex, qui prophetia quoque gratiâ donatus est, Dominum suum vocat Christum, profectò non solùm est homo secundùm Judæorum insaniam, sed etiam est Deus quippe Davidis conditor & Dominus.*

sede. Heracleota: μετέδωκε &c. *communicavit sessionem propter carnem quæ hoc anteà non habebat; non propter divinitatem quæ hoc ex naturâ possidebat.* Succinit Theodoritus: ἀνθρωπίνως &c. *Id humano more dictum est: nam ut Deus, filius sempeternum habet thronum.. Ut homo igitur audit sede à dextris meis: etenim ut Deus, sempiternum habet imperium.* Minùs ergo benè S. a Chrysostomus illud *sede à dextris meis* de homine dictum negat. Certè loquutio hæc humanitatem spectat, quod & ex adjunctâ *dexterâ* intelligi potest: quum enim dextera (ut notavimus ad Psal. XLIV. 11.) locus esset apud Hebræos mi-

a ad Psal. CIX. pag. 180. B

nus honoratus, sessio *à dextris* inferioritatem importat ; adeóque ad humanam pertinet naturam, secundùm quam Christus patre inferior est. Naturam dixi humanam : nam Christus, quà Dei filius, quum Deo sit æqoalis, ad dexteram non sedet. Apollo quidem à *a* Callimacho dicitur ad dexteram Jovis sedere quód ejus esset filios ; sed, præterquam quod exemplum illud futile est ac fabulosum, aliqua io eo inferioritas semper subest contra atqoe in Christo quà æternùm genito ; quanquam scio Christum, quateoùs genitum, Patre minorem censeri ab *b* Alexandro Alexandriæ Episcopo, *c* Patribus Sardicensibus, S. *d* Athanasio, S. *e* Basilio, S. *f* Gregorio Nazianzeno, S. *g* Epiphanio, S. *h* Chrysostomo, *i* Cæsario, *k* Isidoro Pelusiota, & S. *l* Cyrillo Alexandrino.

à dextris. Hesychius : ὃ ἐκ δεξιῶν &c. *istud à dextris propter ejus ad nos condescensionem dicitur... hæc (enim) de individuo & infigurabili omniáque replente opportunè dici nequeunt.*

donec. Heracleota : ὃ ἕως &c. *illud donec ponam non secundùm limitationem, sed secundùm abundantiam & excessum dicit sicut & illud : ego sum, ego sum ; & , donec senescatis ego sum.* Idem testimonium adducit Theodoritus, notátque vocabulum *donec* noo *tempus significare, sed secundùm divina Scriptura idioma positum esse.*

virgam virtutis. Heracleota : Ῥάβδον &c. *Virgam appellat regnum... virtutis verè idem est ac si dicat regnum virtutis.* Quodnam sit autem hoc virtutis regnum eximiè explicat Theodoritus, quum ait *eo salutaris crucis imperium declarari : per illam enim totam inimicorum aciem subegit.*

a io Hymn. Apollin.

b Epist. ad Alex. Episc. Const apud Theodorit. Hist. Eccl. lib I. 3. p. 533. fin. 534 A.C.D.
c Epist. Synodicâ apud Theodorit. lib. II. 6. p. 596. C.
d Orat. 2. contr. Arian. p 180. fin. & 181. init.
e lib. 1. contr. Eunomium. p. 15.
f Orat. 15 & 36.
g Her. 69. num. 33. & in Ancor. num. 17.
h homil. 75. in Joh. XIV. 29.
i Dial. I. interrog. 18.
k lib. III. Epist. 3 4.
l Thes. lib. 2. p. 85.

4 *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum : ex utero ante luciferum genui te.*

Et, quo die virtus *Crucis* tuæ *in mundo* emicabit, principatum sanctitate splendidum habebis : *meus quippe es filius*, téque ex meâ substantiâ, antequam essent creaturæ, genui.

5 *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum : tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.*

Adhæc decreto stabili ac firmo statuit Dominus te æternum fore sacerdotem instar Melchisedeci.

6 *Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges :*

Præterea Dominus, *jugiter* ad dexteram tuam *opis ferendæ causâ* assidens, reges *tibi infensos* iratus profligabit:

7 *Judicabit in nationibus, implebit ruinas ; conquassabit capita in terrà multorum.*

Et nationes *tibi adversantes* castigabit, *eásque* cædet ; & multos, qui *tibi* in terrâ *obsistent*, populos franget.

8 *De torrente in vià bibet, propterea exaltabit caput.*

Eam *autem* victoriam *filius meus* ideò consequetur quia in vitæ suæ curriculo multas ærumnas hausit.

principium. Gr. ἀρχὴ sumitur pro principatu ut apud *m* Aristotelem, *n* Xenophontem, *o* Isocratem, *p* Tertullianum, & *q* Sulpitium Severum ; adstipulantibus Heracleota, Didymo, S. Chrysostomo, Theodorito, atque Hesychio. Rabbioi, pro *tecum principium*, vertunt *populus tuus spontaneus* vel *sponte sup. veniet.* Hæc quidem versio cum vocibus He-

m Ethic. Nicom. V. 3. p. 64. G.
n lib. I. Memorab. p. 711. A. edit. Francof. Gr. Lat. 1596.
o in Panegyr.
p adv. Hermog. cap. 19. p. 240. B D. Adde Ammianum lib. 25. p. 291. edit. Vales. Paris. 1636 in 4. lib. p. 303. ubi *principia* sumit pro principibus seu ducibus.
q lib. I. Hist. Eccles. p. 41. edit. in 8. Lugd. Bat. 1654.

bræis constare & loco Jud. V. 2. 9. aliquatenùs adjuvari potest; sed, quia additamento eget & Psalteriano contextui non tam benè convenit quàm Vulgata lectio, anteponi hæc debet, quum præsertim textui congruat Hebræo si aliis punctis afficiatur.

sanctorum. neutrius generis vox qd. *rerum sanctarum* seu *sanctitatum.* Unde refelluntur Judæi qui Messiæ regnum divitiis aliisque id genus rebus conspicuum fore credunt. Una hoc hoc regnum sanctitas commendat Psal. XLIV. 8. Dan. IX. 24. Luc. I. 75.

ex utero ante luciferum genui te. Heracleota. *Aquila, ait: de vulva è diluculo tibi ros pueritiæ tuæ. Symmachus: juxta diluculum tibi ros adolescentiæ tuæ. Quinta editio: de vulvâ super auroram tibi ros adolescentiæ tuæ.* His vestigiis hodierni Rabbini insistunt, & legunt מרחם משחר לך טל ילדותך. Eundem textum LXX. Senes habuisse videntur; sed, quod erat poeticè ac subobscurè dictum *ex utero ante auroram* (seu potiùs *luciferum*) *tibi ros nativitatis tuæ*, clariùs verterunt *ex utero ante luciferum genui te*: sensum magis quàm verba exprimentes, & veram declarantes Psalmographi mentem, quam Theodoritus his verbis doctè explicat. ἐνταῦθα &c. *Hoc in loco suæ etiam divinitatis magnificentiam aperuit: & , qui et* (ut homini) *Dominus dixerat sede à dextris meis, consubstantialem fatetur & identitatem naturæ prædicat: ante luciferum enim & ante sæcula ipsum esse demonstrat.* Hanc sententiam Psalterianæ orationis contextus omninò petit; & sequuntur S. *a* Irenæus, S. *b* Hilarius, S. *c* Athanasius, S. *d* Ambrosius, *e* Theodoritus, *f* Severus, & * Hieronymiaster: quorum explanatio huic præstat quæ textum de Salvatore ex utero beatissimæ Virginis Mariæ noctu egrediente exponit, & quam *g* Tertullianus amplectitur cum nonnullis Heracleotæ laudatis qui dicebant sanctam nominatim virginem (Mariam) significari voce Hebræâ: quæ, pro *ex utero*, habet *Mariam* inquit Heracleota vocum sono deceptus, & parùm se in Hebræâ linguâ versatum ostendens: nam *Maria* est מרים; *ex utero* autem scribitur מרחם Temporalis hujus nativitatis B. Augustinus meminit postquam textum de æternâ generatione explicavit; & hanc, quæ optima est, annotationem in suo affert commentario. *Lucifer pro syderibus positus est tanquam à parte totum significante Scripturâ, & ex eminenti stellâ omnia sydera. Sed ista sydera quomodo facta sunt? Ut sint in signis & in temporibus & in diebus & in annis. Si ergo & in signis & in temporibus posita sunt sydera: & lucifer nominatus est pro syderibus, quod est ante luciferum hoc est ante sydera; & quod est ante sydera hoc est ante tempora. Si ergo ante tempora, ab æternitate.* Unum in gratiam LXX. Senum addo nimirum præpositionem *ante* literâ מ effici ut Psal. LXXIII. 12.

juravit. Euthymius, prælucentibus SS. Athanasio & Chrysostomo, eximiè ait. *Ut indignatio in Deo perturbationem non significat sed motum divinæ potestatis ad vindictam; ita juramentum Dei non humanos jurandi ritus, sed confirmationem atque asseverationem significat divina sententia.* Vide annot. ad Psal. LXXXVIII. 35.

& non pœnitebit. Heracleota: ἀνθρωπίνως &c. *humano more dictum est: divinum enim numen expers est passionis; pœnitentia autem passio est. Verùm, quum sæpenumero nonnulla dispensans permiserit ea mutationibus esse obnoxia, hoc sacerdotium dixit sempiternum & interminabile futurum.* Idem, sed paulò diffusiùs, habet Theodoritus. Vide annot. ad Psal. CV. 43.

sacerdos. Hebræi, B. *h* Hieronymo prolati, Melchisedecianum (cui Dominicum Psaltes assimilat) Sacerdotium repetunt ex more, juxta quem omnes primogeniti Noe, donec Sacerdotio fungeretur Aaron, fuerunt pontifices. Id quidem officii primogenitis assignatum quondam fuisse vero est simile & nos ad Psal. LXXXVIII. 27. annotavimus; sed Sacerdotale Melchisedeci munus ex aliâ desumo consuetudine in quâ positum olim erat ut reges Sacerdotali etiam dignitate fulgerent: cujus rei exempla & testimonia *i* Plato, *k* Aristoteles, *l* Xenophon, *m* Strabo, *n* Ælianus, *o* Dionysius Halicarnassensis, *p* Cæsar, *q* Virgilius, *r* Plinius, *f* Tacitus, *t* Dio, *u* Suetonius, *x* Spartianus, *y* Lampridius, *z* Servius, & Julius Pollux, * Plutarchus, *a* Synesius, *b* Isidorus Hispalensis, *c* Pineda, & *d* Casaubonus adducunt; & vestigia supersunt in antiquis, quæ *e* Smetius, *f* Goltzius, & *g* Gruterus proferunt, marmoribus quæ Pontificiam dignitatem ipsis etiam Christianis adscribunt imperatoribus Constantino, Valentino, & Gratiano: qui tamen pontificis nomen potiùs quàm munia retinuisse censendi sunt; neutiquam contra euntibus *h* Eusebio, *i* Ausonio, *k* Zosimo.

in æternum. Apollinarius: Αἰώνιος &c. *Æternus sacerdos est qui vivit in æternum.,, ho-*

a lib. III. 6. initio.
b lib. XII. de Trinit. p. 262. D.
c to. I. p. 98. D. 318. D. 319. B.
d lib. 4. de fide cap. 6.
e serm. 2. contr. Græc.
f in Cat. Cord. p. 240.
* in Comment.
g lib. V. contra Marc. cap. 9. p. 472. B.
h Tradit. Heb. in Gen. col. 328. B.
i in Politico. pag. 290. D. to. 2.
k de Repub. III. 14. p. 368. C. 369. A.
l de Repub. Laced. p. 689. D. edit. Gr. Lat. Francof. 1596. fol.
m lib. 14. initio.
n Var. hist. XIV. 34.
o lib. 2. p. 47. B. edit. Vign. 1588. fol.
p lib. 6. de Bell. Gall. ubi de Druidibus.
q Æneid. 3. *Rex Anius* &c.
r lib. 4. Epist. 11. ubi de Domitiano.
f Hist. 2. ubi de Vitellio: *apud civitatem* &c.
t lib. LIV. p. 540. 541. A. edit. Gr. Lat. Hanov. fol. 1606.
u in Oct. Augusto: *postquam verò pontificatum maximum* &c. in Galba: *ornamenta triumphalia* &c.
x in Hadriano: *Pontificis maximi officium peregit.*
y in Alexandro Severo: *accepit prætextam* &c.
z ad III. Æneid. loc. & lib. VIII. 8
* Quæst. Rom. p. 279. C. & lib. de Iside: quem locum citat Stobæus serm. 42.
a Epist. 121.
b Etymol. VII. 12.
c in Job. I. n. 18.
d in Suet. II. 31. & in citatum Spartiani locum: nec non in Strab. pariter cit. p. 333. post opera Strab. ed. Gr. Lat. Paris. Reg. 1620.
e Inscript. fol. 156. 12.
f Thes. p. 80. 82. 83.
g fol. 159. 6. & 286. 3.
h de vitâ Constant. lib. IV. 24. p. 537. lin. 2.
i in Grat. act. pro Consul. ubi Gratianus vocatur *Pontifex religione & Pontifex maximus.*
k Hist. 4. ubi de repudiatâ à Gratiano Pontificiâ dignitate agens ait eâ ab ejus decessoribus susceptam fuisse,

fui corpus est Melchisedech:cujus mors (in Scripturâ) *minimè manifestatur in signum mortis non existentis* : sic ut, inquit B. Chrysostomus, *quod ille in umbrâ habuit, hoc revera fuit in Jesu.* Quando autem Christus, in quantùm sacerdos in æternum, sacrificium habiturus erat semper duraturum; & talis non fuit Christi in cruce oblatio: quippe quæ una duntaxat fuerit semélque facta nec in posterum iteranda, rectè contra Hæreticos concludit *a* Pererius sacrificium respondens æterno Christi sacrificio esse sacrificium Eucharistiæ quod omni tempore celebratur in Ecclesiâ Catholicâ.

ordinem. S. *b* Hieronymus : *mysterium nostrum in verbo* ORDINIS *significatur, nequaquam per Aaron irrationabilibus victimis immolandis; sed oblato pane & vino idest corpore & sanguine Domini Jesu.* Psalterianum *ordinem* laudatus B. *c* Hieronymus alibi aliis interpretatur modis: quibus aliquos adjungit *d* Pererius, quem accuratè legi velim in eruditis de Melchisedeco disputationibus.

Melchisedech. Hebræi, narrante B. *e* Hieronymo, aiunt Melchisedecum esse Sem primum filium Noe. *f* Anonymus eidem Hieronymo prolatus & Hierax B. *g* Epiphanio memoratus ac *h* Pseudo-Augustinus existimarunt Melchisedecum fuisse Spiritum sanctum. Origenes & Didymus, ut laudatus *i* Hieronymus refert, Melchisedecum Angelum fuisse arbitrati sunt cum Theodoto qui, uti ex Tertullianearum Præscriptionum capite 53. discimus, Melchisedecum cœlestem virtutem esse asserebat. Denique Hippolytus, Irenæus, Eusebius Cæsariensis, & Emisenus, Apollinarius, atque Eustathius à beato etiam *k* Hieronymo producti dixerunt *Melchisedec hominem fuisse Chananæum regem urbis Hierosolymæ quæ primùm Salem, postea Jebus, ad extremum Hierusalem appellata sit: nec mirum esse si sacerdos Altissimi describatur absque circumcisione & legalibus cærimoniis & genere Aaron, quum Abel quoque & Enoch & Noe placuerint Deo, & victimas obtulerint; & in Job volumine legerimus quòd ipse & oblator munerum fuerit & sacerdos & quotidie pro filiis suis hostias immolavit: & aiunt ipsum quoque Job non fuisse de genere Levi, sed de stirpe Esau licet aliud Hebræi autument.* Postremam, cui *l* Philo, *m* Josephus, B. *n* Epiphanius, *o* Theodoritus, *p* Suidas, alisque subscribunt, opinionem recipio cum *q* Pererio: qui cæteras doctè *r* explodit; & quorundam ex Epiphanio *ſ* meminit qui Melchisedeco patrem statuere Heraclam, matrem autem Astartam sive Asteriam. Hujus commenti auctores illud voluisse, cum *t* Vossio, puto *Melchisedeco patrem fuisse solem, matrem lunam vel terram. Nam ὁ Ἡρακλῆς sol; ἡ Ἀστάρτη luna aut tellus. Horum omnes filii sumus, viri summates, infimates, mediexumi: vitalis enim calor nobis est à sole cœlóque; materies autem à terra & aqua globo in quem luna, maximéque in humorem imperium est. Quod igitur omnium est hominum commune, hoc particulatim tribuerunt Melchisedeco: neutiquam id facturi nisi parentes ejus nescirentur.* Unde tantùm abest ut prædicta narratio sacris, qui Melchisedecum sine patre & matre repræsentant, libris adversetur ut cum illis optimè consentiat. Nostræ autem versioni consentiunt Talmudistæ qui in tractatu *Nedarim* vertunt *Melchisedec* pro *rex justus meus.*

Dominus à dextris tuis. Theodoritus hunc locum Psalmo XV. 9. rectè comparat; nec minùs benè addit ista. *Ibi juxta humanitatem hoc dixit, & declaravit naturæ unitæ inseparabilitatem; & hoc loco simul & divina dicit & humana: hoc enim sede à dextris meis humanæ naturæ congruit; illud verò ex utero &c. divinitatem declarat: & illud rursus tu es sacerdos in æternum tanquam ad hominem dictum est; similiter autem & Dominus à dextris tuis quasi dicat individuam habet conjunctam divinitatem.* Ex quibus edocemur *sessionem à dextris* aliter heic atque in ℣. 1. suprà accipi, & auxilium non regnum denotare ex metaphorâ eorum qui aliquem adjuturi ad dexteram ejus adstant parati ipsum contra adventuros hostes defendere.

de torrente &c. laboriosam ac rigidam vitam intelligo cum Heracleota; neque ad mortem traho victorum qui, hostem insequentes, non captant requiem; sed contenti sunt in transcursu restinguere sitim ex fluvio. Confer Psal. LXVIII. 1. 3. 18. 19. CXXIII. 4.

propterea exaltabit. Theodoritus : τοῦτο &c. *huic simile est quod Apostolus dicit Philip. II. 8. humiliavit semetipsum* &c. *Patet autem hoc etiam humano more posuisse: nam, ut Deus, non, quum humilis esset, sublimis effectus est; sed, quum maximè sublimis esset, submisit seipse, ut homo autem quod non habebat accepit.*

a Comment. in Gen. de peregr. & reb. gest. Abr. p. 141. n. 81.
b Trad. Heb. col. 318. C. D.
c Epist. 126 ad Evagr. col. 60. D.
d loc. cit. n. 79.
e Epist. 126. col. 61. D. Trad Heb. col. 328. B.
f Epist. 126 col. 59. D.
g Hær. 55. num. 5. p. 47. B.
h Quæst. vet. & novi Test.
i Epist. 126. col. 60. B.
k Epist. 126. col. 60. B. C.
l lib. 2. Alleg. ante med. & lib. de Abraham. sub fin.
m Antiq. I. 11.
n Hær. 55.
o Quæst. 63. in Gen.
p in Melchised.
q loc. cit. pag 541. n. 66
r Ibid. n. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65.
ſ Ibid. p. 539. n. 60.
t de Idolol. lib. II. 11. col. 201.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI DECIMI.

THEODORITUS existimat hunc Psalmum, à Propheta conscriptum fuisse velut hymnum à Josaphato decantatum pro victoriâ ab Ammanitis, Moabitis, & Idumæis reportatâ; sed versus 2. 4. 5. 7. 8. 9. cum Neh. IX. 38. X. 29. Psal. CIV. 8. CVI. 2. 5. 9. If. XLIII. 1. XLIV. 6. LIV. 3. LV. 3. & seq. LXII. 4. LXIII. 11. Jer. III. 19. XXXI. 7. 11. L. 5 collati docent mandari huic Psalmo gratiarum actionem à Judæis è Babylone reversis habitam. Quod & evidenter ostendunt Codices Reg. 222. Colb. 1. 1339. Memm. 2. qui hunc exhibent titulum *Alleluia reversionis Aggai & Zachariæ*, succinente Codice Colb. 158. in quo legitur *Alleluia reversio Aggei & Zachariæ.* A literali, quem explanavi, sensu ad allegoricum mens est efferenda; & dicendum est cum B. Athanasio *hunc Psalmum introduci ex personâ Apostolorum enarrantium quanta qualiáque fuerint opera incarnationis Dominicæ.* Eam in hoc Psalmo adumbratam fuisse vel unus suadet versus quartus: qui, quum ex multiplicibus beneficiis, in Judaicum populum è vinculis Babylonicis solutum collatis, datam ipsi escam memoret, Eucharisticum innuit convivium in quo Christus memoriam fecit mirabilium suorum. Quæ sanè memoria nullam haberet admirationem, & prisco Judæorum beneficio non responderet si realem escam hoc est substantiale Domini corpus non contineret.

TITULUS

TITULUS.

HalleluIah.

PSALMUS CX.		PARAPHRASIS.
Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in concilio justorum & congregatione:	1	Laudem tibi Domine, in conventu & cœtu justorum *Judæorum*, toto pectore dicam:
Magna opera Domini; exquisita in omnes voluntates ejus.	2	Magna *quippe* sunt opera quæ *in nostri gratiam* edidit Dominus; *eáque* eximiam illius, *erga nos*, benevolentiam produnt.
Confessio & magnificentia opus ejus; & justitia ejus manet in sæculum sæculi.	3	*Nimirùm redemtionis* opus *quod pro nobis peregit*, splendidum est ac magnificum; ejúsque *in nos* bonitas perpetuò manat.
Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus; escam dedit timentibus se:	4	Miraculorum *namque Mosaico tempore à se editorum* misericors & miserator Dominus memoriam refricavit; & Judæis, *famèque apud Babylonios enectis*, escam, *ut olim Hebræis in deserto Sin*, dedit:
Memor erit in sæculum testamenti sui; virtutem operum suorum annuntiabit populo suo	5	*Et* fœderis *cum Abrahamo initi ac* longos per annos duraturi memor fuit; suóque populo omnipotentiam suam ostendit
Ut det illis hæreditatem gentium. Opera manuum ejus veritas & judicium;	6	Ut *Palæstinam* à Gentibus *Babylonicis* possessam ei daret. *Scilicet* veracem se ac fidelem in suis operibus exhibet;

ANNOTATIONES.

HalleluIah. Idem titulus in Codice Reg. 138. legitur. Alphabeticus est hic Psalmus ita ut singuli versus duas contineant literas à quibus hemistichia incipiunt. Alia est ratio Alphabetici ordinis quo digesti sunt nonnulli è Psalmis præcedentibus: nam in illis unica litera versibus singulis inservit, unde fit ut versus illi sint longiores præsentibus qui brevissimi sunt & quasi dimetri.

exquisita &c. *voluntatem* sumit pro *benevolentia* ut Psal L. 19. & *omnes* ponit pro *omnigenis*; verbúque *exquisita* accipit pro *accuratis* aut *praparatis* seu *perfectis* & *absolutis*, quomodo alios vertisse monet S. Chrysost. qd. accurato perfectóque modo ab eximiâ ejus bonitate procedunt,

ſeu ad eximiam ejus bonitatem ſunt præparata atque exacta, hoc eſt ſummæ abſolutæque benevolentiæ plena ſunt. Confer Iſ. LXII. 4.

memoriam fecit &c. Confer Iſ. LXIII. 11. & Pſalmum recole CVI. 5. ubi Judæorum, in exſilio Babylonico, fames exprimitur.

in ſæculum teſtamenti ſui initum cum Abrahamo fœdus, quo Chananaitica terra ſeu Palæſtina promiſſa fuerat, intelligit ut patet ex Pſal. CIV. 8. 9. 11. Unde *hæreditas gentium*, quæ paulò poſt ſequitur, non ad Idumæam, Samariam, aliáſque regiones poſt reditum ſubactas atque Iſaiæ, Jeremiæ, Ezechieli, Auctori prioris Macchabæorum libri, & Joſepho memoratas pertinet, ſed ad Palæſtinam quam Nabuchodonoſor ſub imperium & hæreditatem ſuam ſubjunxerat, quæque ex ejus manibus erepta fuit & Judæis Babylone reverſis tradita ex fœdere quod Deus cum Abrahamo pepigerat.

Fidelia omnia mandata ejus confirmata in ſæculum ſæculi, facta in veritate & æquitate.	7	Omnéſque ejus promiſſiones fideles ſunt *ac* perpetuam conſtantiam ſervant, & veritate ac fide fundantur.
Redemtionem miſit populo ſuo, mandavit in æternum teſtamentum ſuum:	8	*Unde* populum ſuum *è Babylonicâ ſervitute* exemit, & fœdus quamdiutiſſimè duraturum cum eo pepigit:
Sanctum & terribile nomen ejus; initium ſapientiæ timor Domini.	9	*Stipulatus ut* ſanctum atque admirandum nomen ſuum *revereantur*; & Dominicum, *quod eſt* ſapientiæ caput, cultum ſuſcipiant.
Intellectus bonus omnibus facientibus eum; laudatio ejus manet in ſæculum ſæculi.	10	Sana *profectò* mens ineſt iis qui hunc *cultum* obeunt; ii*que* æternam laudem conſequentur.

æquitate. conſtantia promiſſorum vocatur æquitas quia, quum Deus promiſſis ſtat, ſuam æquitatem oſtendit. Hæc autem promiſſa dicuntur *mandata* quia ſcriptis, mandabantur ex divino præcepto. Confer Pſal. CXVIII. 171.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI UNDECIMI.

QUAMVIS Vulgatus titulus Græcis Patribus Euſebio, Heracleotæ, Chryſoſtomo, Theodorito, atque Heſychio ignotus fuerit, accuratus tamen eſt: pertinet enim Pſalmus ad Judæos è Babylonicâ captivitate reverſos. Hoc autem ut intelligatur; ſimúlque Pſalmum præcedentem ad coſdem Judæos ſpectare confirmetur, notari, ex Pſal. CX. 8. 9. debet fœdus cum reducibus è Ba-

bylone Judæis percussum à Deo fuisse, & pactionem cum eis de servandâ divinâ lege factam esse. Quum igitur pactio hujusmodi conflata esset; & caussa subesset timendi ne Judæi condi[illegible]one atque pacto manerent, adeóque in servitutem rursus abducerentur, Prophetarum huic tempori æqualium maximè intererat Israelitarum animos ad sanciti memoriam fœderis revocare, eósque ad ejus observationem præmiis illam manentibus cohortari. Quúmque Aggeus & Zacharias prophetico dono tunc temporis clari essent, dubium non est quin sancti illi Prophetæ in Judæorum animis præfatum fœdus & adjuncta ei præmia defixerint: idque isto præstitisse videntur Psalmo: qui, ob argumenti excellentiam, alphabetico ordine, per brevissimos versiculos, instar Psalmi CX, conscriptus est. Quando autem divina lex in cultu erga Deum & beneficentiâ erga proximum posita est, utramque partem attingit Psalmographus; & suis quamque præmiis decorandam esse ostendit in præclaro isto carmine, quod à Theodorito ad partam à Josaphato in Moabitas Ammonitas & Idumæos victoriam tractum fuisse asserit in Catenâ Corderianâ Anonymus: memoriâ lapsus ut ex Theodoritiano conjicio commentario, in quo prædicta historia Psalmo CX. non CXI. accommodatur.

TITULUS.

Hallelujah reversionis Aggei & Zachariæ.

PSALMUS CXI.	PARAPHRASIS.
Beatus vir qui timet Dominum in mandatis ejus volet nimis: **1**	Qui Dominum reveretur & mandatorum ejus valdè est studiosus, felix est:

Potens in terrà erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur.

2 Ejus *enim* posteri opibus & gratiâ in mundo florebunt, *&* justorum progenies bonis cumulabitur.

Gloria & divitiæ in domo ejus, & justitia ejus manet in sæculum sæculi:

3 Gloria & divitiæ in domo pii hominis erunt, & copiis omnibus perpetuò circumfluet:

Exortum est in tenebris lumen rectis misericors, & miserator, & justus.

4 *Dominúsque* misericors, clemens, & beneficus piis, *calamitatum* caligine circumfusis, exorietur tanquam lux *quæ illam ærumnarum caliginem discutiat, si quando obducta fuerit.*

Jucundus homo qui miseretur, & commodat; disponet sermones suos in judicio quia in æternum non commovebitur:

5 *Sed non solùm felix erit* homo *ob suam in Deum pietatem*; beatus *quoque* erit quum miserebitur proximi sui, & mutuam ei pecuniam dederit, suâsque res in eleemosynam impenderit. *Beatus, inquam, erit homo ille* siquidem de felicitate nunquam dejicietur:

In memoriâ æternâ erit justus; ab auditione mala non timebit.

6 Et benigni *hujus* viri memoria immortalis erit; nec *ille unquam* timebit ne malè audiat *apud homines.*

ANNOTATIONES.

justitia ejus &c. *a* Græcus Paraphrastes: Δικαιοσύνην &c. *justitiam ejus appellat hanc eamdem benedictionem utpote quæ justè ipsi à Deo concessa sit.* Confer Psal. LXVIII. 32. & versum 8. infrà expende; legisque recordare Synonymicæ, & Græcum Paraphrastem laudabis.

justus. heic & versu 6. à me, ex orationis contextu, accipitur pro benefico sic ut Deus vocetur *justus* quia justum se exhibet dum piis benignè facit; & beneficus homo eodem nomine ornetur quia justum se pariter præbet dum pauperes miseratur.

qui miseretur. Stoici, testibus *b* Cicerone, *c* Lactantio, B. *d* Augustino, & *e* Anonymo apud Stobæum citato, ipsóque fatente *f* Senecâ, sapientem negabant misereri; & misericordiam vocabant vitium animorum. Manichæi & Ariani, (ut ex S. *g* Athanasio ejúsque exscriptore *h* Baronio edocemur) prædictis non solùm vestigiis insistentes sed ea prætergredientes, commiserationem pauperum & datas eis eleemosynas damnabant: ipsis pejores Stoicis qui misericordiam quidem à sapiente removebant quòd sine miseriâ & ægritudine animi non foret; sed tamen omnia, quæ qui miserentur dolentes faciunt, hic libens & alacri animo faciebat ut docet *i* Seneca: quem nihilominùs ut & eos, quorum memini, Hæreticos non probabit qui *k* Phocylidem, *l* Xenophontem, *m* Ciceronem, *n* Taurum Philosophum, *o* Vulcatium Gallicanum, *p* Lactantium, S. *q* Augustinum, ac *r* Codicem Theodosianum, & Psalterianum textum, nec non *s* Jobi atque *t* Christi exempla consideraverit.

disponet sermones suos. Sermonem pro re sumit ut aliàs sæpe: unde productus ab Apollinario Heracleota & Theodorito Symmachus rectè vertit *qui dispensat res suas.*

a apud Cord. p. 269.
b pro Murena. post med.
c Instit. VI. 14. 15.
d de Civ. IX. 5. XIV. 8.
e Serm. 44. de Magistratu. pag. 311. edit. Lugd 1608.
f lib. 2. de Clem. c. 5. p. 211. A. c. 6. p. 212. A.
g Epist. ad Solit. pag. 558. E. 659. A. 663. E.
h to. 3. ad ann. 355. num. 40. p. 677. edit. Rom. 1594.
i lib. cit. pag. 211.
k in *Admonitorio*, sub init.
l lib. VIII. Cyrop. p. 123. Gr. lin. 11. 12. 16. 17. p. 125 lin. 53. & seq edit. Henr. Steph. 1581. fol
m loc. cit. & Tuscul, III. ante med.
n apud Gell lib. XII 5.
o in *Avidio Cassio*: ubi de M. Antonino pag. 222. 223 edit. Basil. Frob. 1533. fol.
p loc. cit. & ibid. cap. 10. 17.
q loc. cit. & de Civ. XIV. 19.
r lib. X tit. 10. leg 23.
s cap. XXX. 25. XXXI. 13.
t Matth XV. 32. Marc. VIII. 2. Luc. XIX. 41. Job. XI 35.

judicio. id nominis pro misericordia sumitur ut Psal. CXVIII. 156. adeòque pro eleemosynâ in quâ misericordia potissimùm elucet. Orationis contextum & legem Synonymicam attende; &, mihi, ni fallor, assentieris. Vide annot. ad Psal. CXVIII. 156.

auditione mala. Qui cum auctore apud B. Chrysostomum laudato *nuntium malum* interpretantur mihi, Synonymicam regulam suspicienti, non placent: nec ii etiam placent qui, prædictæ interpretationi adhærentes, hunc textum & sequentem sic explicant, quum audierit mala ingruere nihil timebit quia cor ejus firmum est spe in Deum.

7 *Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus: non commovebitur donec despiciat inimicos suos.*

Præterea cor ejus, ob collocatam in Domino spem, firmum *in periculis* erit, *illéque vir* imperterrito erit animo, & nullo percelletur timore dum hostes suos despexerit *prostratos.*

8 *Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi, cornu ejus exaltabitur in gloria.*

Scilicet distribuit, dedít*que bona* pauperibus: *ideòque* perpetuâ felicitate utetur, *&* potentia ipsius gloriosè ac magnificè crescet.

9 *Peccator videbit, & irascetur: dentibus suis fremet, & tabescet; desiderium peccatorum peribit.*

Improbus, *hanc justi prosperitatem* videns, dolore in eum feretur: suís*que* dentibus frendet, & invidiâ disrumpetur; sed irritum erit desiderium quo ardebunt impii *prosperitas ut justorum abeat.*

paratum. B. Chrysostomus: Τί &c. *Quid est paratum* (idest) *firmum.*

donec. Heracleota: ὅ ᾿ &c. *illud donec non eò dicit quòd, postquam viderit, concutiendus sit: (nam qui à minitantibus minimè fuit commotus, quomodo iis è medio sublatis conquassaretur?) sed illud donec more Scripturistico dictum est.* Confer Psal. CIX. 2. CXXII. 3. & [a] Antidicomarianitas ride qui ex loco Matth. I. 25. colligunt beatissimam Deiparam à S. Josepho cognitam fuisse postquam illa Christum peperisset.

[a] Vide B. Epiphan. Hæres. 78. to. 1. p. 104.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI DUODECIMI.

ISAIAS XLV. 6. XLIX. 19. 20. 21. LIV. 1. magnam præsenti Psalmo lucem affert: quum enim in his, quæ indicavi, locis solutionem captivitatis Babylonicæ primario sensu describat, vero est simile ut noster, qui in versibus 3. 8. præfata loca imitatione exprimit, Psalmus eandem solutionem spectet; atque à Judæis

reducibus usurpatus fuerit ad agendas Deo gratias quòd miserias suas sublevasset, Zorobabelem ad summam, cum reliquis captivis, calamitatem depulsum erexisset ad gloriam, & desertæ incolisque orbatæ Judeæ fœcunditatem tribuisset multis illam habitatoribus beans. Hanc sententiam versus 4. 5. cum Psal. LXXXVIII. 7. 8. Psal. XCV. 4. XCVI. 10. CI. 20. collati non parùm firmant. Quia verò Judæis omnia in figurâ contingebant ut ait B. Paulus & liberatio Babylonica Christianæ typus erat ut non semel diximus, pro certo haberi debet Ecclesiam Christianam, ex omnibus mundi gentibus collectam, in Judaicâ plebe à solis ortu & occasu collectâ adumbratam sublimiore sensu fuisse; & Psalmum, unà cum laudatis Isaiæ locis, de ea mysticè esse intelligendum, proindéque testimonium Is. LIV. 1. Christianæ Ecclesiæ à B. [a] Paulo meritò accommodatum fuisse.

[a] Gal. IV. 27.

TITULUS.

Halleluiah.

PSALMUS CXII.		PARAPHRASIS.
Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini.	1	Laudate Dominum *ô* servi ejus *Israelitæ*, laudate nomen Domini.
Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc & usque in sæculum.	2	Celebretur Dominicum nomen ex hoc tempore in perpetuum.
A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini:	3	Ab ortu solis usque ad occasum laudibus *extollatur* nomen Domini:

ANNOTATIONES.

Halleluiah. Cod. Reg. 138. *Alleluia vox. Ecclesia cum laude Christi.* Colb. 158. *Alleluia vox Ecclesia cum laude.*

pueri. Servos cum Aquila Symmacho ac Theodotione, ab Heracleota & Theodorito memoratis, interpretor. Vide annot. ad Psal. LXXXV. 15.

à solis ortu &c. Id puto dictum quia Deus Israelitas ab ortu & occasu in patriam coegerat. Vide Is. XLV. 6. Psal. CVI.

4 *Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cælos gloria ejus.*

Siquidem Dominus cunctis gentibus superiorem se ostendit, & cælorum se Dominum præbuit *Judæos è servitute eximens.*

5 *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat & humilia respicit, in cælo & in terrâ?*

Nemo *sanè*, cùm in cælo tum in terrâ, similis est Domino Deo nostro: *quippe* qui ex alto, ubi habitat, *cælorum* loco abjectos & ad miserias depulsos respexerit *Israelitas*?

6 *Suscitans à terrâ inopem, & de stercore erigens pauperem*

Nimirùm inopem ac pauperem *Zorobabelem* è pulvere ac stercore, *in quo apud Babylonios jacebat*, excitavit

7 *Ut collocet eum cum principibus cum principibus populi sui:*

Ut eum inter populi sui magnates sedere faceret:

8 *Qui habitare facit sterilem in domo matrem filiorum lætantem.*

Effecitque ut, quæ civibus orbabatur, *Hierosolyma* in Judæâ floreat multis nobilitata incolis.

in cælo & in terrâ. Euthymius: *alii construunt, dicentes: quis sicut Deus noster in cælo & in terra?* Hanc constructionem ut sequerer tribus adductus sum rationibus. 1°. quia res cælestes minùs benè dici videntur humiles etsi Heracleotæ consentiam affirmanti omnes creaturas, sive in terrâ fuerint sive in cœlis, humiles esse respectu Dei. 2°. quia in versu præcedenti Deus gentibus & cælis superior ac nobilior describitur, istique descriptioni optimè respondeat Dominus nullum, sive in cælo sive in terrâ, parem habens. 3°. quia in Psal. LXXXVIII. 7. nullus in nubibus Domino æquatur & nemo ei similis est in filiis Dei.

suscitans &c. usurpatas ab Anna I. Reg. II. 8. loqutiones Noster imitatione exprimit.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI DECIMI TERTII.

QUI Psalmi nostri versus 20. 21. 22. 23. expenderit, & versus 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. cum Psalmis LXXVIII. 10. LXXXVIII. 1. XCV. 4. XCVI. 7. 10. XCIX. 6. CXXXIV. 15. 16. 17. 18. contulerit, libera-

tionem Babylonicam heic cani mecum, ni fallor, existimabit; nec eum ab hac sententiâ Ægyptiacus exitus initio Psalmi decantatus avertet si oculos in Psalmum LXV. 5. conjecerit, atque ex illo Psalmo ut & ex Psal. LXVII. 8. ac I. Paralip. XVI. 12. observaverit moris fuisse sacrorum Vatum ut, insigne aliquod beneficium celebraturi, Ægyptiacam liberationem præmitterent, cùm ostensuri eam cæterorum bonorum fontem esse tùm comparationem ex illâ ducturi. Comparationi Ægyptiaca mentio heic servit, nec ea ad argumentum pertinet ut vel una Aaronicæ familiæ distinctio ℣. 18. 21. ostendit: hæc enim distinctio tempora Ægyptiaci exitus non omninò sapit sed ad posteriorem ætatem propriè attinet.

TITULUS.

HalleluIah.

PSALMUS XCIII.		PARAPHRASIS.
IN exitu Israel de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro,	1	QUando Israelitæ ex Ægypto egressi sunt, *&* Jacobi posteri à barbaro, *cui diu servierant*, populo *Ægyptiaco* discesserunt,
Facta est Judæa sanctificatio ejus, Israel potestas ejus.	2	Facta est Judæa *gens* Deo consecrata, *&* plebs Israelitica sub potestatem divinam subjecta fuit.
Mare vidit, & fugit; Jordanis conversus est retrorsum.	3	*Eam ergo, cui Deus præerat, plebem* ubi mare *rubrum* vidisset, recessit *transitum ipsi præbens; &* Jordanis *similiter* retrocessit *viam ei dans.*
Montes exultaverunt ut arietes, & colles sicut agni ovium.	4	Montes *verò Palæstini*, instar arietum, gaudio exilierunt; & colles *pariter gaudio exiliere* ut solent agni ovium.

Quid

Quid est tibi mare quod fugisti, & tu Jordanis quia conversus es retrorsum?

5 Cur, *quæso*, ô mare recessisti, & tu Jordanis quare retrocessisti?

Montes exultastis sicut arietes, & colles sicut agni ovium?

6 *Cur*, instar arietum, gaudio exiliistis ô montes, & *quare similiter ô* colles, sicut agni ovium, *gaudio exiliistis?*

A facie Domini mota est terra, à facie Dei Jacob

7 Terra *his reverentiæ & lætitiæ* motibus acta est ob præsentiam Domini, ob præsentiam Dei Jacobæorum

Qui convertit petram in stagna aquarum & rupem in fontes aquarum.

8 Qui petram in stagna aquarum, & rupem in fontes copiosos converterat *in Raphidim & in Cades.*

Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam:

9 *Nos è Babylonicâ captivitate edu-cti simile vidimus miraculum in aridâ incultâque Judæâ quæ in irriguos fontes mutata est. Verùm* Domine non nobis non nobis, sed nomini tuo *tanti miraculi* gloriam da:

Super misericordiâ tuâ & veritate tuâ; nequando dicant Gentes ubi est Deus eorum?

10 *Illud enim miraculum edidisti* ut misericordia tua & tua, in *promissis servandis*, fides emicarent; & Gentes *Babylonicæ* ulteriùs non dicerent ubi est Deus eorum *quem tantopere jactant?*

Deus autem noster in cœlo omnia quæcumque voluit fecit.

11 *Ita loquebantur Babylonii. Sed* Deus noster, *ut ipsimet vel inviti viderunt*, in cœlo degit, & facit quæcumque vult.

ANNOTATIONES.

Hallelujah. Cod. Colb. 158. *ex hoc Alleluia ad finem CXII. pertinet. vox Apostolorum cum Judæis.*

populo barbaro. Ægyptios sic per contemtum appellat quomodo ipsimet Ægyptii, narrante *a* Herodoto, cæteras, quæ linguâ suâ non utebantur, nationes vocabant; & Græci, ut ex *b* Platone, *c* Aristotele, *d* Thucydide, ac *e* Theodorito discimus atque ex *f* Plauto conjicimus, alias gentes *barbaras* dicebant, & *g* Cicero Afros Hispanos ac Gallos *barbaras nationes* vocat.

Judæa. continens pro contento. Heb. *Juda*, eodem sensu: gentem enim Judæam à nobilissimo Jacobi filio denominat, quomodo eam alibi per Josephum designat.

potestas ejus. Hoc ideò dictum quia, quum populus Hebræus servitutem serviebat, dominico imperio addictus non videbatur; sed sub illud subjunctus tum demum reputabatur quum servitute exemtus erat. Vide annot. ad Psal. XLIII. 6. XLVI. 2.

a lib. 2, p. 151, lin. 18. 22.
b lib. V. de Repub. p. 470. C. to. 2.
c lib. I de Repub. c. 2. p. 123. A. cap. 6. p. 126. F.
d lib. I. p. 3. D. p. 4. B. p. 13. B. lib. IV. p. 336. C. edit. Gr. Lat. Francof. 1594 fol.
e Serm 5 contr Gr[illegible] to. 4. p 536. D.
f in Captivis: *Barbaricâ lege* &c. in Milite gloriolo: *Poeta barbaro*
g I. Epist. ad Q. Fratrem.

mare vidit &c. Heracleota : ανυπομνᾶτα &c. *Hæc per prosopopœiam dicta sunt : rebus enim inanimitatis quodammodo sensum affingit. Dei potentiam deprædicans & sensibile quoddam gaudium subinsinuat.*

fugit. idest recessit ut ex historiâ Exodianâ ac secundo hemistichio liquet : idque non timore sed observantiâ, quomodo fieri quotidie videmus dum magnates in viam nostram incurrunt : eos enim ut primùm conspicimus, recedimus & transitum ipsis præbemus.

exultaverunt. Qui id verbi ad *timorem*, cum multis aliis, refert Bellarminus non satis ad historiam & consuetudinem à me annotatas, ac loca Psal. XCV. 11. XCVII. 8. attendit, ut & ad comparationem *arietum* atque *ovium* quæ magis ex gaudio quàm ex timore exilire solent.

quid est tibi mare. Heracleota : Ω῾ντῶς &c. *ac si animata forent interrogat elementa ; & quia inanimata erant, ipse pro eis subjungit responsionem. Istiusmodi enim est prosopopœia.*

conversus es &c. divinâ potentiâ fieri id potuisse vel ipsi non diffitebuntur impii quum ex *a* Virgilio, *b* Horatio, *c* Valerio Flacco, *d* Propertio, *e* Tibullo, *f* Lucano, *g* Apuleio, & *h* Senecâ conversiones & retrofluxiones fluviorum magicis artibus fieri posse didicerint & fluvii retrocedentis mentionem apud *i* Plinium nacti fuerint.

a Æneid. 4. *Sistere aquam fluviis* &c.
b lib. 3 Od. 11.
c lib. 6. *Mutat agros* &c.
d lib. 1. Eleg. 1.
e lib. 1. Eleg. 2.
f lib. 6. ... *de rupe pependit* &c.
g lib. 1. *Amnes agiles reverti.*
h Medeâ *Violenta* &c.
i lib. II. 103.

mota est. in bonam partem ut Psal. XCV. 11. XCVII. 8. accipitur. Nomine autem *terra* mundum intelligit ; adeóque mare comprehendit : quod nos imitati dicimus *toute la terre marque la grandeur de Dieu.*

qui convertit. Conversæ in aquam rupis tantùm meminit quia de simili acturus erat miraculo : quod in Psal. CVI. 35. describitur, & in Psalmo nostro respici credent qui loca contulerint. Ab Ægypto autem ad Babylonicam liberationem sensim & sine sensu transit ut I. Paral. XVI. 22. 23.

Simulachra Gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.	12	Gentium *autem Babylonicarum* simulachra nihil sunt aliud quàm argentum & aurum, opúsque humanarum manuum.
Os habent, & non loquentur : oculos habent, & non videbunt.	13	Os habent, & non loquuntur : oculos habent, & non vident.
Aures habent, & non audient : nares habent, & non odorabunt.	14	Aures habent, & non audiunt : nares habent, & non olfaciunt.
Manus habent, & non palpabunt : pedes habent, & non ambulabunt ; non clamabunt in gutture suo.	15	Manus habent, & nihil attrectant : pedes habent, & non ambulant ; nullúmque gutture suo sonum edunt.
Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.	16	Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui illis fidunt.

simulachra gentium. Perstringit Idola : de quorum origine ac progressu pauca ut dicam monet iste locus. Idololatriam ab ignibus cœlestibus seu astris cœpisse docet *k* Maimonides ; ejusque sententiæ favere videntur loca Deut. IV. 19. XVII. 3. Job. XXXI. 26. 27. præter traditionem de Abrahamo è terrâ suâ, ut cultum hunc fugeret, decedente. Reges deinde in Deos relati fuere : & quia siderum cultus maximè obtinebat, reges illi in sidus aliquod consecrati sunt, ut Ili in stellam Saturni à Phœnicibus, narrante *l* Sanchoniatone, consecrati exemplo liquet ac Persei quem in stellas receptum *m* Hyginus dicit. Quæ etiam ad alicujus sideris similitudinem accederent aut quandam cum eo cognationem habere vel ejus

k [illegible] de Idolol.

l apud Euseb. Præp. Evang. l. 10. p. 40. D.
m fab. 224.

vim efficaciùs percipere crederentur animalia inter Deos adscripta sunt ut Bos dictus Apis: quem *a* Macrobius Soli, *b* Ammianus *c* Ælianus & *d* Porphyrius Lunæ, *e* Lucianus Tauro cœlesti sacrum dicunt; & cui Ægyptii, ab *f* Æliano memorati, tribuunt viginti novem notas quæ sidera aliásque res significent. Nec sola fuit hæc colendorum animalium caussa, alteram præbuere eorum utilitates: quo ex fonte iis non tantùm divini honores advenerunt; sed etiam multis, qui de republicâ bene meriti erant, hominibus ut ex laudato apparet Ilo, Hercule, compluribúsque aliis, de quibus historiæ profanæ passim agunt & disputat *g* Vossius: qui plura de Idololatrico tradit cultu, quem ad allegoricas nimis detorsisse videtur explanationes, quibus elevandis *h* Athenagoras, B. *i* Antonius, *k* Pseudo Clemens, *l* Arnobius, *m* Lactantius, *n* Julius Firmicus Maternus, *o* Eusebius, S. *p* Chrysostomus, & S. *q* Augustinus inservient.

argentum & aurum. ad suam respicit ætatem: quâ statuæ ex auro aliâve preciosâ materiâ fiebant, cujusmodi erat v.g. Jupiter Olympius à Phidiâ elaboratus & *r* Clementi Alexandrino memoratus. Sed, primis Idololatriæ temporibus, statuæ ex lapidibus, luto, ebeno, cyparisso, cedro, quercu, similace, & loto formabantur ut docent *s* Pausanias, *t* Plinius, & *u* Alexandrinus Clemens: qui ait Ethnicorum antiquissimos ligna erexisse insignia & columnas posuisse ex lapidibus quæ appellabantur ξόανα; posteáque, florentibus artibus, formari cœpisse statuas quæ dictæ fuerunt ζῶα. Ex nostro autem textu retunduntur ii qui aiunt Ethnicos æreis vel aureis aut ligneis statuis divinitatem non affinxisse; sed iis, velut instrumentis, uti Deos putarunt ad exhibendam præsentiam suam vel cultum numinis sui certo ritu ac lege constituendum. Illi, inquam, ex textu nostro retunduntur: ut enim *x* Maximo Tyrio, *y* Sallustio Philosopho, *z* Celso, * Juliano Augusto, & prolato in Nicænâ *a* Synodo II. Gentili, paucisque aliis (inter quos numerandi sunt Gentiles de quibus B. *b* Ambrosius ait quòd *lignum adorant quia Dei imaginem putant*) doctis viris Vate vel Christo recentioribus inanitatem simulachrorum perspectam fuisse concesserim, ita confidenter affirmo Paganorum cæteris creditum fuisse divinitatem in aureis vel argenteis aliisve statuis inesse.

non loquentur. Monetæ quidem Junonis, Fortunæ Muliebris, atque Memnonis locuta simulachra *c* Valerius Maximus, *d* Philostratus, & *e* Lactantius memorant. Verùm hæc loquutio non simulachris; sed inclusis, intra eas, Dæmonibus tribuenda est ut iis perspicuum erit qui *f* Tertullianum, *g* Minucium Felicem, S. *h* Cyprianum, *i* Pseudo-Justinum, & *k* Pererium audierint.

17 *Domus Israel speravit in Domino: adjutor eorum, & protector eorum est.*

Suam in illis spem Israelitica, *dum in vinculis esset*, gens *non collocavit*; *sed* speravit in Domino: *ipseque* opem ei tulit, & salutem præstitit.

18 *Domus Aaron speravit in Domino: adjutor eorum & protector eorum est.*

Aaronis familia spem in Domino posuit: *ipseque* opem ei tulit, & salutem præstitit.

19 *Qui timent Dominum speraverunt in Domino: adjutor eorum, & protector eorum est.*

Omnes inquam, qui Deum reverentur, *Judæi* divino præsidio nixi sunt: *& Dominus* opem eis tulit, ac salutem præstitit.

20 *Dominus memor fuit nostri, & benedixit nobis.*

Dominus *enim* memor fuit nostri *è servitute Babylonicâ nos eximens*, atque *eximio libertatis* beneficio nos ornavit.

domus Israel. Laicos intelligo ex sensu, & *l* Maimonide cui laici dicuntur *Israelita*.

a Saturnal. I. 21.
b lib. 22.
c de Nat. Animal XI. 1.
d apud Euseb. Præp. Evang. III. 13.
e de Astrologiâ.
f lib. cit. cap. 10.
g de Idolol. I. 13.
h Legat. pro Christian. pag. 22. C.
i apud S. Athanasium in vitâ B. Antonii, to. 1. col. 476. A.
k Recognit. X. n. 29 & seq. Clementin. homil. VI. n. 17 & seq.
l adv. Gent. lib. 3 & 5.
m Instit. I. 12. 13. 17.
n de errore prof. relig. cap. 2. & 7.
o Præp. Evang. III 3. 6. 7 10. 14. 15.
p Comment. in Psal. IV. p. 29.
q de Civ. VI. 8. VII. 19.
r in Protreptico. pag. 40. B.
s in Arcadicis p. 483.
t lib. XXXIV. 7.
u lib. cit. pag. 29. 30.
x Dissert. 38. p. 379. edit. Lugd. Bat. Gr. Lat. 8. 1614.
y lib. de Diis & mundo cap. 4.
z apud Orig. contr. Cels. lib. 6. & 7.
* pag. 337. edit. Petav.
a Act. 5. p. 354.
b ad Psal. CXVIII. Octon. 12.
c lib. I. cap. 8.
d de vitâ Apollon. lib. VI. cap. 3.
e Instit. II. 8. vide Zach. X. 2. & Maimon. in More Neb. part III. cap. 29.
f lib. de Spectaculis. cap. 12. p. 78. C.
g in Octavio.
h de Idolorum vanitate. p. 206.
i resp. ad quæst. 24. p. 405 D.
k ad Exod. VII. disput. 4. sub fin.
l Tract. de Synedr. cap. II. n. 2.

speravit. præteritum hoc & duo sequentia Rabbini per imperativum vertunt, atram descriptæ in Psalmo historiæ caliginem offundentes : sed eam Vulgata versio feliciter discutit.

Benedixit domui Israel, benedixit domui Aaron.

21 *Id* beneficii genti Israeliticæ dedit, dedit & familiæ Aaronis.

Benedixit omnibus qui timent Dominum, pusillis cum majoribus:

22 *Denique* omnibus, qui Dominum reverentur, *Judæis* cùm parvis tum magnis, *idem* beneficium tribuit:

Adjiciat Dominus super vos, super vos & super filios vestros!

23 Cumulet vos Dominus filiosque vestros novis & majoribus beneficiis!

Benedicti vos à Domino qui fecit cœlum & terram:

24 *Præclaro interim* beneficio Dominus, cœli & terræ conditor, vos afficit:

Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.

25 *Siquidem*, servato sibi, *habitationis caussâ*, supremo cœlo terram *Israeliticam Judæis* dedit incolendam.

Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum:

26 Laudem tibi, *qui in sepulchro jacent*, mortui non dicent Domine, nec qui sepulchro conduntur te celebrabunt:

Sed nos, qui vivimus, benedicimus Domino ex hoc nunc & usque in sæculum.

27 Sed nos qui vitam, in *Israeliticâ ubi nos collocasti* terrâ, vivimus immortales, *pro tanto beneficio*, gratias tibi agemus.

filiis hominum. Judæos sic vocatos habes in Psal. XXXV. 8.

qui vivimus. Judæam viventium lumen & vivorum regionem in Psal. CXIV. 9. appellari mecum ipse reputans, eam heic respici credo : & mecum, opinor, credent qui aliquod in mutuâ locorum collatione momentum posuerint, & versuum cohærentiam tanti fecerint quanti ego duco.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI DECIMI QUARTI.

EXSILIUM Babylonicum morti comparari non semel diximus : unde, quum Psalmographus se à morte liberatum esse & in terrâ viventium degere canit, innuere

videtur se ab exsilio Babylonico reductum esse & in terrâ collocatum Israeliticâ ubi vitam vivat nec ampliùs in mortuorum seu exsulum numero sit. Mihi hæc opinio eò arridet magis quòd eam Græcus Corderii Paraphrastes probat dum ait. Εὐχαριστίαν &c. *Continet* (Psalmus) *gratiarum actionem ob reditum è Babylone.* Non me latet Psalmi nostri versus 1. 3. 4. versibus 1. 6. 7. 8. Psalmi XVII. similes esse ; & nonnullis creditum fuisse Davidem in deserto Maon ab asseclis Saulis obsessum atque à Domino liberatum gratias isto in Psalmo agere. Sed pluralis loquutio *Deus noster*, quæ captivis in hoc opere ferè tribuitur, ab illâ me avertit sententiâ, ut & ab eâ quæ Origeni placet ac Theodorito existimantibus Antiochi Illustris persecutionem & virorum fortium constantiam heic præcini.

TITULUS.

Hallelujah.

PSALMUS CXIV.		PARAPHRASIS.
Dilexi quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ;	1	Dominum amo quòd preces meas audierit;
Quia inclinavit aurem suam mihi : & in diebus meis invocabo.	2	Mihíque, *pro libertate oranti*, aurem præbuerit: unde ei laudem, quoad vixero, dicam.
Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me.	3	Mortis laquei circumdederant me, corruendíque in sepulchrum pericula ambierant me undique:
Tribulationem & dolorem inveni ; & nomen Domini invocavi.	4	*Et, quocumque me verterem*, afflictionem atque ærumnam inveniebam. *His in angustiis* divinum auxilium imploravi, *dicens:*

ANNOTATIONES.

Hallelujah. Cod. Colb. 158.., *vox Christi est.*

invocabo. id verbi gratiarum actionem hoc loco significat ut in Psal. CXV. 4.

O Domine libera animam meam, misericors Dominus & justus. Et Deus noster miseretur	5	O Domine, misericors & juste, me *à periculis, in quibus versor; & ærumnis, quibus premor*, libera. Noster autem Deus, *qui* miserorum curam gerit, *mei* misertus est;
Custodiens parvulos Dominus: humiliatus sum & liberavit me.	6	*Et* me, ad summas calamitates depulsum, liberavit.
Convertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi.	7	*Itaque ô* anima mea ad pristinam tranquillitatem redi: nam Dominus benefecit tibi.
Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu.	8	Me enim à morte, *à quâ non procul aberam*, eripuit, oculis meis lacrymas abstersit, & pedes meos à lapsu *in sepulchrum* prohibuit.
Placebo Domino *in regione vivorum.*	9	*Tantorum beneficiorum memor* divino cultui in *Israeliticâ* regione operam dabo.

O Domine. Anonymus apud B. Chrysostomum *quæso Domine*. Confer Psalmum CXV. 6. & nostram versionem Anonymianæ antepones.

parvulos. Captivos dicit parvulos quia tot miseriis premebantur ut omni prorsus robore destituerentur instar parvulorum: quo sensu infirmi dicuntur Psal. CVI. 12.

placebo Domino. Heb. *ambulabo coram Domino.* Idem sensus: siquidem Deo placemus quando coram illo ambulamus hoc est quando eum colimus. Confer Gen. XVII. 1. III. Reg. II. 4. IX. 4. II. Paralip. VI. 16. VII. 17.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI DECIMI QUINTI.

QUANDOQUIDEM secundus hujus Psalmi versus, juxta Rabbinos, sic habet: *ego dixi in festinatione meâ;* eadémque loquutio in Psalmo XXX. 29. ad Davidem pertinente reperitur, existimant nonnulli ea heic repræsentari tempora quæ I. Reg. XXIII. 13. describuntur. Sed versus 5. 7. prædictæ opinioni non favent. Psalmum Grotius præcedenti ita annectit. Hæc loquutus sum, nempe *placebo Domino in regione vivorum*: seu, ut ille in-

terpretatur; *loquutus sum fore ut redirem Hierosolymas sospes ac florens quia firmam in Deo spem habui: & spem illam servavi in maximis calamitatibus; etiam in summo pavore retinui fiduciam meam in Deo, & dixi: omnis spes in homine posita fallere potest; at, quæ in Deo posita est, nequit fallere.* Verùm hæc explicatio duplici nomine displicet: 1°. quia phrasim istam *placebo Domino* minùs benè interpretatur, 2°. quia verba hæc *loquutus sum* ad præcedentem versum refert; Psalmographus autem in 2. versu luculenter ostendit se *dixisse* seu loquutum esse non quòd Hierosolymas sospes ac florens rediret sed quòd omnis homo mendax esset. Græcus Paraphrastes Psalmum Ezechiæ accommodat *gratias agenti de hostium interemtione, & semetipsum increpanti quòd, post victoriam, superbierit. Quapropter etiam ægrotavit; & idcircò, postquam oravit, ab infirmitate liberatus fuit.* Heracleota huic præluxerat opinioni; sed eam versus 7. non probat. Ego Judæos, Babylonico jugo mancipatos, *vota* in Psal. LXV. 13. nuncupasse, *sanctorum* nomen in Psal. LXXXVIII. 6. sibi tribuere, & *vinculorum* in Psal. CI. 21. CVI. 10. 14. mentionem facere animadvertens; eáque omnia in nostro reperiens Psalmo atque ejus versum 8. cum Psal. LXV. 12. comparans non dubito quin ille ad eosdem pertineat Judæos *vota* persolventes; & gratias Deo, pro *ruptis vinculis*, agentes.

TITULUS.

Hallelulah.

PSALMUS CXV.

1 *Credidi; propter quod loquutus sum: ego autem humiliatus sum nimis,*

PARAPHRASIS.

Maximis, *apud Babylonios*, calamitatibus vexatus spem *in Deo* habui; & propterea loquutus sum.

2 *Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax.*

Dixique ego in meâ *hac* afflictione immoderatâ: omnis spes in homine posita fallax est; *at, quæ in Deo collocatur, fallere nequit.*

3 *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?*

Jam verò ex his calamitatibus, uti speraveram, ereptus quid rependam Domino pro omnibus, quæ in me contulit, beneficiis?

4 *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo:*

Sacrificium pro acceptâ salute offeram, & nomen Domini celebrabo:

5 *Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus, preciosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.*

Meàque vota Domino, coram omni populo ejus, reddam *confitens quòd* Dominus non facilè concedit ut cultores sui pereant.

6 *O Domine quia ego servus tuus: ego servus tuus & filius ancillæ tuæ,*

Id ego Domine usu compertum habeo: quia *enim* ego sum servus tuus: quia, *inquam*, servus tuus & ancillæ tuæ filius ego *sum*,

7 *Dirupisti vincula mea. Tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini invocabo:*

Dirupisti vincula mea. *Eam ob rem* gratias tibi agam, & Dominicum nomen celebrabo:

8 *Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: in atriis domus Domini, in medio tui Hierusalem.*

Meàque vota Domino persolvam coram omni populo ejus: in atriis Dominici templi, in medio tui *b* Hierusalem.

ANNOTATIONES.

calicem salutaris. Complures sentiunt alludi heic ad salutis poculum quod in sacris, quæ pro accepto beneficio instruebantur, epulis solerent Judæi sumere, & convivis in orbem præbere gustandum ceu certum acceptæ salutis symbolum. Nescius non sum Judæos, post oblata sacrificia pacifica, solitos fuisse convivia celebrare; & *a* Archæstrato, *b* Philochoro, *c* Philonidi, ac *d* Julio Polluci memorari *Jovis Servatoris poculum*: quod, narrante *e* Philochoro, post degustatum, in honorem boni Dei, vinum merum, cum præfatione nominis Jovis servatoris, temperatum; &, prout cuique liberet, bibebatur ex lege Amphictyonis quam *f* Philonides paulò aliter enarrat & Samuel *g* Petitus minùs benè explicasse videtur. Hæc, inquam, pocula me non latent; sed quia poculi in orbem propinati nullam, in divinâ Scripturâ, mentionem invenio, & aliud poculum in Psalmo nostro admitti non potest: scyphi autem ac phialæ seu libationum usum in sacrificiis Gen. XLIV. 5. Num. XV. 10. Eccl. L. 15. I Macchab. I. 2 3. nec non apud *h* Herodotum, *i* Scholiastem Aristophanis, *k* Pausaniam, *l* Plinium, *m* Philonem, & *n* Josephum reperio; & *salutare sacrificium* in priore Macchabæorum *o* libro, *p* Philone, atque *q* Origene video, in eâ sum sententiâ Vati nostro partem pro toto sumi hoc est calicem seu libatum vinum accipi pro sacrificio votivo seu pacifico in quo, præter bovem & similam, vinum ad liba fundenda adhibebatur ut dicitur Num. XV. 8. 9. 10. ad quem locum Psalterianus respicere videtur. Illud autem sacrificium vocabatur *salutare* quia fiebat ob acceptam salutem; nec *r* Origeni *duplex salutare sacrificium*

a apud Athenæum lib. I. 23. pag. 29. A.
b Ibid lib. II. 2. p. 38. D. E.
c Ibid lib. XV. 5. p. 675. B
d lib. VI. 16.
e loc. cit.
f loc. cit.
g ad Leges Atticas pag 541. dum vocem μετὰ pro *post*, uti sæpè sumitur, accepit quum hoc loco, quemadmodum Odyss. π. significet *inter* ut ex Amphictyoneæ legis contextu apparet.
h lib. 2. p. 149. n. 151.
i ad Vespas & ad Pacem.
k in Eliacorum priore sive lib. 5. pag. 304. lin. 30. pag. 316. lin. 51 pag. 317 lin. 5.
l lib. XVI. 38. ubi de Marci Curii gutto fagino.
m Legat. ad Caium. non procul à fine.
n Antiq. XII. 2. pag. 405. A.
o cap. IV. ℣. 56
p lib. de Victimis. sub fin.
q Homil. V. in Num. p. 78 B.
r loc. cit.

etiam unum *voti* alterum *laudis* diſtinguenti ſubſcribo: nam unum idemque ſacrificium, pro diverſâ ratione, appellabatur ſacrificium *voti*, *laudis*, & *ſalutis* ut apparet collatis locis Num. XV. 8. 9. 10. I. Macchab. IV. 56. cum Pſalmo noſtro, in quo *ſalutem, vota*, & *laudem* uni eidémque ſacrificio adſcribi videmus ℣. 4. 5. 7. 8.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI DECIMI SEXTI.

Mihi Judæos, Babylonicam ſervitutem ſervientes, miſericordiam ac veritatem Dei in Pſal. LXXXVIII. 1. 2. ſollicitare; eoſdémque Judæos libertate donatos utrique doti præconium in Pſalm. XCIX. 6. tribuere cogitanti veriſimile videbatur ut Pſalmus noſter à Judæis è Babylone reverſis; & Deo, pro miſericordiâ ſibi exhibitâ ac pro factorum ſibi promiſſorum fide, gratias agentibus compoſitus fuiſſet. Sed eam non probavi cogitationem ſtatim atque Pſalmum de Eccleſiâ ex omnibus mundi populis Ethnicis videlicet & Judæis collectâ à B. [a] Paulo exponi intellexi: nullatenùs enim dubitavi quin Pſalmus ad illam collectionem pertineret; & mecum, vel ipſi Chriſtianæ fidei hoſtes, conſentient ſi reputaverint Apoſtolicam doctrinam à celeberrimo Judæorum Rabbino Kimchio confirmari: is enim Pſalmum ad tempora Meſſiæ refert: quando nimirùm [b] reddet (Dominus) *populis labium electum ut invocent omnes in nomine Domini & ſerviant ei humero uno.* Dictus eſt autem Pſalmus ex perſonâ Ethnicorum.

a Rom. XV. 8. 9. 11.

b Soph. III. 9.

TITULUS.

Hallelu Iah.

Psalmus CXVI.		Paraphrasis.
Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.	1	Laudate Dominum omnes *orbis* gentes, laudate cum omnes *telluris* populi.

Hhhhh

2 *Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus; & veritas Domini manet in æternum.*

Quoniam misericordia ejus super nos, *qui eum non quærebamus*, copiosè effusa est; & Dominicorum, *quæ Judæis factæ fuerant*, promissorum veritas nunquam non obtinet.

ANNOTATIONES.

Hallelulah. Cod. Reg. 158. *Alleluia. vox Apostolorum ad gentes.*

super nos. Ethnici Judæis præponuntur quia illi Evangelicam fidem præcipuè amplexuri erant.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI DECIMI SEPTIMI.

LAUDATUS in Catenâ Corderianâ Origenes ait: Ὕμνος &c. *Et hic etiam hymnus est ab his, qui salutem à Deo consecuti sunt, allatus: Judæi enim post reversionem* (è Babylone) *quum omnes finitimi in unum coacti essent, atque etiam gentes alias & barbaras conflassent; ac deinde, plagis à Deo illatis, profligati essent secundùm Joelis & Ezechielis & Michææ & Zachariæ vaticinationem, hunc hymnum gratiarum actionis offerunt. Quoniam autem in illis res nostræ adumbrabantur, magis congruit hæc hymnodia iis qui ex gentibus crediderunt: qui, quum à multis & principibus & subditis populis & ducibus populi & regibus & imperatoribus persequentibus cruciati & suppliciis affecti infinitas mortis species perpessi essent, hostibus superiores evaserunt. His igitur & illis spiritus gratia hymnodiæ hujus doctrinam proposuit.* Origenem sequitur & exscribit Theodoritus: eúmque ego imitatus, Origenianam sententiam totidem verbis recitavi, & meo illam assensu comprobavi: Nehemianâ præsertim adductus auctoritate II. Esdr. VI. 16. quæ, ad versiculos 10. 11. 22. Psalmi nostri exacta, Origeni admodùm

favet. Patefactâ, quæ in Psalmo tractatur, re, pauca de ordine dico. Vates populares omnes ad divinam, pro adhibitâ misericordiâ, laudem nomine suo primùm hortatur. Deinde collatam à divinâ misericordiâ victoriam nomine populi describit; eámque, ut par erat, Deo acceptam refert. Tum, ardentiore zelo accensus, Templum ingredi vult: eáque de caussâ Levitas, quibus templi custodia * commissa erat, alloquitur; &, paulò post, Levitas populo respondentes introducit.

* vide I. Paralip. IX. 17.21.22.26.

TITULUS.

Hallelujah.

PSALMUS CXVII.		PARAPHRASIS.
COnfitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.	1	*VATES NOMINE SUO.* Celebrate Dominum quoniam bonus est, & perpetuò misericors.
Dicat nunc Israel quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.	2	Dicant nunc Israelitæ Deum esse bonum & perpetuò misericordem.
Dicat nunc domus Aaron, quoniam in sæculum misericordia ejus.	3	Dicant nunc posteri Aaronis Deum esse perpetuò misericordem.
Dicant nunc qui timent Dominum, quoniam in sæculum misericordia ejus.	4	Nunc *denique Judæi*, qui Deum reverentur, dicant Deum esse perpetuò misericordem.
De tribulatione invocavi Dominum; & exaudivit me in latitudine Dominus.	5	*VATES NOMINE POPULI. Nimirum* Dominicam opem, quum in angustiis versarer, imploravi; & me Dominus exaudivit, *educens me ex illis angustiis* ad gaudium.
Dominus mihi adjutor: non timebo quid faciat mihi homo.	6	Dominus mihi adfuit: *quapropter* nullus mihi ab hominibus timor *ampliùs* impendebit.

ANNOTATIONES.

Hallelujah, Cod. Colb, 158. *Allelvia. hoc Allelvia principium* 117. *pertinet Psalmus* ...

ostendatur hominibus via idest Christus postquam ingreditur ad portam quam ingressus claudi non potest.

7 *Dominus mihi adjutor: & ego despiciam inimicos meos.*
Dominus opem mihi tulit: quapropter inimicos meos flocci *deinceps* faciam.

8 *Bonum est confidere in Domino quàm confidere in homine.*
Meliùs *profectò* est confidere Domino quàm hominibus.

9 *Bonum est sperare in Domino quàm sperare in principibus.*
Meliùs est spem in Domino collocare quàm eam in principibus ponere.

10 *Omnes gentes circuierunt me; & in nomine Domini quia ultus sum in eos.*
Omnes gentes *finitimæ* in me irruerunt; sed, divino munitus præsidio, eas debellavi.

11 *Circumdantes circumdederunt me, & in nomine Domini quia ultus sum in eos.*
Illæ multories me obsederunt; at, divinâ suffultus ope, eas superavi.

12 *Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis; & in nomine Domini quia ultus sum in eos.*
Me gentes *illæ*, instar apum, *furenter* circumdederunt; atque in me, instar ignis spinas *aridas* corripientis, *acriter* exarserunt; sed, divino fretus auxilio, prædictas *gentes* superavi.

13 *Impulsus eversus sum ut caderem; & Dominus suscepit me:*
Toto *illæ* impetu in meam perniciem incubuerunt; sed Dominus me adjuvit:

14 *Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.*
Mihíque fortitudinem præbuit Dominus ac laudum *ipsius* canendarum materiam, *allato robore*, mihi suppeditavit, & salutem mihi præstitit.

15 *Vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum:*
Personet igitur in domibus *Judæorum* vox exultationis; & præstitam sibi salutem canant, *dicentes:*

quia ultus sum. illud *quia* à S. Chrysostomo, S. Augustino, Theodorito, & Græco Paraphraste abest; sed in Hebræo reperitur. Idem ubique sensus.

sicut apes. a Virgilius: *illis ira modum superat* &c. unde intelligimus per *apes* vehementem furorem designari. Eodem pertinet sequens comparatio. S. Chrysostomus, B. Augustinus, Theodoritus, & omnes Græci Codices Regii ac Colbertini post *apes* legunt *κηρίον favum*; illúdque nomen in explanatione habet Heracleota.

a Georg. IV.

exarserunt. Rabbini, Symmachum & Aquilam Heracleotæ prolatos sequuti, ineptè

vertunt *extincta sunt*. LXX. legebant דלקי pro דעכו. Chaldæus nobiscum stat; státque etiam Psalteriani textus ordo si propiùs inspiciatur atque ad præcedentem exigatur versum.

impulsus &c. S. Aug. tanquam *cumulus arenæ impulsus sum ut caderem.*

16 *Dextera* Domini *fecit virtutem*, *dextera* Domini *exaltavit me: dextera Domini fecit virtutem.*

Dextera Domini fortiter operata est, dextera Domini me, *ad miserias depulsum*, erexit ad gloriam: dextera Domini fortiter operata est.

17 *Non moriar; sed vivam, & narrabo opera* Domini:

Cæsus ab hostibus non fui; sed integer incolumísque servatus sum: & *tanti*, *quo me* Dominus *affecit*, *beneficii memor* illud prædico, *dicens*:

18 *Castigans castigavit me* Dominus; *& morti non tradidit me.*

Magnas *hostilibus incursionibus* acerbitates mihi Dominus attulit *paternè* me cagistando; sed non permisit me mori.

19 *Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor* Domino. *Hæc porta* Domini, *justi intrabunt in eam.*

Eam ob rem aperite mihi, *ò Levitæ*, portas sancti templi ut eas ingressus Domino gratias agam. Hæ, *inquam*, *Dominicæ ædis* portæ *aperiantur*, *&* Judæi in eas intrent, *istóque utantur præconio:*

20 *Confitebor tibi quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem.*

Gratias tibi ago *Domine* quòd nos exaudieris, & salutem nobis attuleris.

21 *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.*

Judaicus populus quem * *Sanaballat & Tobias* (qui suum *omne* studium ad *illustre* sibi monumentum exstruendum conferebant) tanquam *vilem* (*qui nihil ad ædificium gloriæ ipsorum conducere posset & cum quo proinde nulla necessitudo jungi deberet*) lapidem rejecerant: *Judaicus*, *inquam*, *populus à suis hostibus spretus* evasit clarissimus.

* vide II. Esdr. IV, 2. 3. 4.

22 *A* Domino *factum est istud, & est mirabile in oculis nostris:*

Illa *sanè* res à Domino facta est, atque admiratione digna *meritò* nobis videtur:

23 *Hæc est dies quam fecit* Dominus. *Exultemus, & lætemur in eâ:*

Dominúsque istam, *quæ tantò miraculo nobilitata est*, diem fecit. Exultemus *igitur*, & lætemur in eâ:

24 *O* D*omine salvum me fac, ô* D*omine bene prosperare: benedictus qui venit in nomine* Domini.

Túque ô Domine, *quam nobis attulisti*, salutem *posthac etiam* largire; *&* fac Domine ut benè ac feliciter *in posterum nobis* omnia procedant:*hocque interim spatio* laudibus ornetur qui nomine Domini *subsidio nostro* venit.

25 *Benedicimus vobis de domo* Domini: Deus D*ominus & illuxit nobis,*

LEVITÆ. Nos, qui Domini templum incolimus, *LEVITÆ* benè precamur vobis: *&*, *quando* Deus nostrum se exhibuit Dominum *nósque favoris sui* lumine collustravit,

26 *Constituite diem solemnem in condensis usque ad cornu altaris:*

Diem solemnem agite, densis ramis *templum ornantes* usque ad cornu altaris;*ac dicite*, *ut cœpistis:*

27 *Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te:*

Deus meus es tu, & celebrabo te: Deus meus es tu, & laudibus te eveham:

28 *Confitebor tibi quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem.*

Celebrabo te quòd exaudieris me, & salutem mihi attuleris.

29 *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.*

Uno verbo celebrate Dominum quoniam bonus est, & perpetuò misericors.

portas. Templi intelligit ut ait Heracleota, qui fallitur quum addit: ***nunc ab hostibus impeditas ubi facturus erat gratiarum actiones.*** Portæ templi non erant ab hostibus impeditæ quum victi illi essent ut paulò ante declaratum est. Sed Vates à Levitis postulat ut portæ aperiantur, quia Levitarum officium erat eas mane aperire.

justitia. hoc ideò dictum quia sanctum erat templum & mirabile in æquitate ut canitur in Psal. LXIV. 5.

justi. sic vocantur Judæi comparatione Ethnicorum ut alibi notatum est.

lapidem. B. Chrysostomus atque Euthymius, qui Psalmum huc usque de Davide aut de Judæis reducibus explanant, sermonem heic intercidi & ad unum Christum referri credunt, idque sic factum putant ne sacris libris exitium ab inimicis impenderet si prophetiæ apertiùs traderentur. Theodoritus sermonem pariter intercidi existimat; de caussâ tacet. Sed ea ab aliis suppletur dicentibus Vatis mentem, ad altiora subitò erectam, ab humili, quæ inchoata fuerat, materiâ ad sublimiorem evolasse. Hanc sermonis interruptionem & eas, quibus nititur, caussas probare ego heic aut alibi nunquam potui: quum præsertim viam ad solvendas, quæ ex Apostolicis

citationibus peti possunt, difficultates expeditiorem viderem. Atque ut cæteros hujus generis textus mittam, ad nostrum venio: & dico eum Judaico populo *τυπικῶς* convenire; juxta veritatem & adimpletionem referri ad Christum instar *a* Oseani testimonii *ex Ægypto vocavi filium meum*, de quo B. *b* Hieronymus sic disserit: *dicitur quidem de populo Israel qui vocatur ex Ægypto... sed perfectè refertur ad Christum.* Nec verò populum Israeliticum & Christum disparatas, quæ invicem comparari nequeant, res esse putes: nam, quando in laudato Oseæ loco & Exodiano IV. 22. Israel dicitur *filius Dei*, potuit eâ ratione Christo non quidem perfectè; sed, ut fert natura typi, crassè assimilari: sic tamen ut qui ex parte typi fuerunt Domini salvatoris non omnia, quæ fecisse narrantur, in typo ejus fecisse credendi sint. Typus enim, ut eximiè addit B. Hieronymus, partem indicat: quòd si totum præcedat in typo, jam non est typus, sed historiæ veritas appellanda est.

a cap. XI. 1.
b in cap. XI, 1. Os.

in caput anguli. Lapidis angularis duplex est in Scripturâ munus. 1°. ædificium fundat ac firmat, idcòque in fundamento sterni dicitur Job. XXXVIII. 6. If. XXVIII. 16. Jer. LI. 26. Eph. II. 20. I. Petr. II. 5. Is autem lapis vocatur angularis quia qui in fundamento, sustinendi ædificii causâ, sternebantur lapides quadrati erant & ad regulam angularem excisi ac politi ut doctè notat *c* Pineda: *d* qui secundum lapidis angularis munus rectè ponit in connectendis duobus parietibus. Prius munus Psalteriano lapidi ex collatis locis Neh. IV. 2. 3. 4. VI. 16. assigno: & *capite anguli* seu primario lapide populum Judæum in summo honoris ac dominationis gradu locatum intelligo ex laudato Nehemiæ loco ac Psalmo LXXIV. 10. cum If. XXVIII. 16. Jer. LI. 26. Zach. IV. 7. collatis. Primarius autem lapis à Vate appellatur *caput anguli* quòd substrati in fundamento lapides soleant produci extra ordinem aliorum lapidum & instar capitis prominere ut doctè observat *e* Pineda: qui de angulari lapide disputationem instituit tam eruditam ut laudare eam pro dignitate non possim. Symmacho, apud Theodoritum, *caput anguli* dicitur *angularis.*

c ad Job. XXXVIII. 6. num. 5. 6.
d Ibid. num. 8.
e loc. cit. num. 7.

salvum me fac. Illud *me* à textibus Hebræo & Græco, atque ab Heracleota, S. Chrysostomo, Græco Paraphraste, Sixtinâ editione, & Regiis Colbertinis ac Memmianis Codicibus cùm Græcis tum Latinis abest; sed à S. Augustino legitur, & retinendum jubet connexio. Vulgatus interpres pro הושיעה נא legebat הושיעני; cujusque versioni *hosanna* puerorum Hebræorum Matth. XXI. 15. favet, tantùm abest ut eam evertat uti primo conspectu iis videtur qui sequentes voces *filio David* non attendunt.

constituite &c. Heb. *ligate agnum funibus usque ad cornu altaris* qd. adducite agnum funibus devinctum usque ad cornu altaris ut illum Deo offeratis in sacrificium. Hæc interpretatio non est bona: supponit enim agnum ad cornu altaris ductum fuisse ut ibi mactaretur, quod est à veritate alienum: victimæ namque in cornu altaris non immolabantur, sed in atrio templi ut docet *f* Maimonides. Atque hinc eos, qui textui nostro lucem ex isto Juvenalis versu *sed procul extensum petulans quatit hostia funem* afferre conantur, hallucinari patet: non enim de funibus Vates agit, sed de *densis frondibus* quomodo nomen עבת Levit. XXIII. 40. Neh. VIII. 15. Ezech. XX. 28. sumitur, atque apud Corderium unus interpres exponit adstipulante B. Hieronymo qui vertit *frequentate solemnitatem in frondosis.* Ex quibus nostra probatur versio, cujus auctor legisse videtur אספר pro אסרו: & cui novum pondus accedit complemento figuræ apud Matth. XXI. 8. De cornibus altaris vide Exod. XXVII. 2. Levit. IV. 7. III. Reg. I. 51. Apoc. IX. 13. *Alius*, inquit B. Chrysostomus, *interpretatus est ligate solemnitatem in pinguibus. Alius colligate in celebri conventu densitates.* Priorem interpretationem Aquilæ, secundam Symmacho tribuit in Catenâ Corderianâ Anonymus. S. Aug. *constituite diem festum in confrequentationibus.*

f in *Corban Pesach.* cap. 2.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI DECIMI OCTAVI.

NOBILISSIMI, quem sum enarraturus, Psalmi versus 9. 23. 25. 61. 107. 141. 176. ostendunt repræsen-

tari in eo hominem qui juvenis erat, à principibus vexabatur, ad summas angustias adductus erat, & in desertis passim errabat. Ex his Psalmum in Davidem à Saule exagitatum quadrare cognoscimus: eâ enim tempestate juvenilem ætatem agebat David, ab aulæ principibus divexabatur, in discrimen quotidie veniebat, atque in desertis vagari cogebatur ut Saulis acerbitatem subterfugeret. Reliqua Psalmi oratio Davidem tunc temporis ærumnas suas divinæ legis meditatione leniisse, & liberationem suâ ad legem adjunctione ac vehementi, quo eam ut, adeptâ salute, diutiùs servaret tenebatur, desiderio rogasse docet; simúlque nos admonet ut miserias nostras divinæ legis contemplatione mitigemus, iisque depellendis pietatem & divinæ, si recreemur, legis magis ac magis adimplendæ desiderium adhibeamus. Felix qui, Davidem sequutus magistrum, ærumnas suas divinæ legis meditatione permulserit, suásque calamitates sanctimoniâ abigere conatus fuerit, & vitam optaverit ut diuturniorem divinis mandatis operam dare possit. Origenes Davidi, varias rerum vicissitudines nempe victorias seu jucundiorem vitam & ærumnas pietatem & scelus experto, primùm tribuit; deinde asserit congruere etiam ut dictus fuerit Psalmus ex personâ Sanctorum qui in Babylone desiderabant reditum propter religionem, quíque ex vitâ probâ habebant confidentiam istiusmodi postulandi. Priorem partem Theodoritus sequitur; Heracleota autem & Græcus Paraphrastes ad alteram se adjungunt. Sed illi omnes cum Origene errasse mihi videntur: nam, propriè loquendo, victoriæ & jucundior vita à Psalmo absunt, & versus 46. Judæis vix convenit captivis. Quibus etiam singularis, quæ toto in Psalmo loquitur, persona parùm consonat: plerique enim Psalmi Babylonici plurali personâ utuntur. Denique versus ultimus Psal-

mum

mum Vati Babylonicam servitutem servienti abjudicat: ut enim Judæorum aliquos in solitudinibus erraſſe inficias non iverim, id celebri ætatis hujus Vati contigiſſe nec in Scripturâ legimus nec probabile eſt: quum præſertim Noſter ℣. 46. ſe in conſpectu regum de divinis teſtimoniis locutum dicat, quod nullus Vates Babylonicus ſimul cum verſu ultimo uſurpare potuit.

TITULUS.

HalleluIah.

PSALMUS CXVIII.		PARAPHRASIS.	
Beati immaculati in viâ, qui ambulant in lege Domini.	1	Beati ſunt illi qui vitam ducunt impollutam, *&* *qui* in lege Domini ambulant.	ALEPH.
Beati qui ſcrutantur teſtimonia ejus, in toto corde exquirunt eum,	2	Beati qui præceptorum ejus ſunt ſtudioſi, *eique* placere toto corde ſtudent,	
Non enim qui operantur iniquitatem; in viis ejus ambulaverunt.	3	Nec iniquitatem operantur; *ſed* Dominica mandata obſervant.	
Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis.	4	*Quapropter* præcepiſti ut mandata *illa* tua, *tantopere utilia*, diligenter curentur.	
Utinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas juſtificationes tuas!	5	Utinam vita mea ſic componatur ut tua, *quæ tantam utilitatem afferunt*, ſtatuta cuſtodiam!	
Tunc non confundar quum perſpexero in omnibus mandatis tuis.	6	*Voto hoc meo potiar* neque, *ob illud non conſecutum*, erubeſcam quum tua omnia mandata perſpecta habuero.	

ANNOTATIONES.

HalleluIah. Cod. Colb. 158. *vox Chriſti ad Patrem de Judais & de paſſione ſuâ & de adventu ſuo & ejus regno & de judicio de monendo Alleluia.*

Aleph. eſt nomen primæ Alphabeti Hebraici literæ: *Beth* ſecundam denotat, & ita de reliquis. Hæc autem literarum Hebraicarum nomina, prout in Pſalmo noſtro digeſtæ ſunt, docent illum per octonarios juxta ordinem Alphabeti ſcriptum eſſe ſic ut Pſalmus viginti duobus, pro numero literarum Hebraicarum, octonariis conſtet: quorum ſinguli verſus ab unâ Alphabeti literâ incipiant. *Joſephus in libris Archaol.* (inquit Hieronymiaſter) *hunc Pſalmum & Deuteronomii canticum uno metro eſſe compoſitum putat, & elegiacum metrum in utroque poſſe deprehendi: quòd ſcilicet prior verſus ſex pedibus conſtet, in-*

a Præfat. cap. XI. pag. 95. 96.

b de Exhort. martyr. p. 242. & Testim. lib. 3. p. 270.

ferior uno minùs in pentametrum finiatur. a Eusebius alibi à nobis prolatus magis placet.

via. non pro lege cum Aben Ezra sumo; sed pro vita accipio cum Theodorito qui ait: VIAM *vitam vocat: hanc enim ex partu ad sepulchrum usque omnes incedimus.* Vide Psal. I. 6. CIX. 8. S. b Cyprianus: *Beati qui immaculati sunt in viâ, qui ambulant in lege Domini. Beati qui perscrutantur martyria ejus.*

testimonia. Græcus Paraphrastes: *testimonia & judicia & justificationes & si quid ejusmodi est, idem dicit.* Vide annot. ad Psal. XVIII. 8.

enim. pro *etiam* seu & sumitur ut infrà ℣. 23. & Psal. XV. 7. XCII. 2. Qui caussativam particulam heic admittunt, hoc satis expendisse non videntur: quanquam scio sensum probum effici posse si, cum Græco Paraphraste, *via* de bonis à Deo collatis exponantur, & dicatur impios illa minimè consequi.

confundar. Confundi est deturbari ex voto vel spe: qui enim ex alterutro excidunt, confusione seu pudore suffunduntur. Theodorito *confusio* heic est fructus peccati ex Rom. VI. 21. Quod non probo.

quum perspexero. S. Hilarius, *quum respicio.* S. Aug. *dum inspicio*, non benè: petit enim Vates ut divina apprimè erudiatur lege: quæ, quum admirandas res contineat ut ℣. 18. 129. dicitur, ansam vel ipsis, qui eâ mediocriter non sunt instructi qualis erat David, præbet ad postulandam sui notitiam. Unde eam à Davide rogari multoties videmus, etsi regius Vates se in mandatis divinis versatum esse fateatur.

Confitebor tibi in directione cordis in eo quòd didici judicia justitiæ tuæ;	7	*Ubi autem* justæ tuæ legis præcepta didicero, gratias tibi sincero animo agam;
Justificationes tuas custodiam: non me derelinquas usquequaque.	8	Tuá*que* statuta observabo: modò opem tuleris, nec me multùm deserueris.
Huc usque Exordium. BETH. *In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos.*	9	Quâ ratione juvenis *David* vitam suam emendabit? *Id præstiturus est* si mandata tua servet.
In toto corde meo exquisivi te: ne repellas me à mandatis tuis.	10	*Hoc ego intelligens,* tibi *legis tuæ observatione* placere ex animo conor: ne *quæso* me, *sic affectum*, sinas à mandatis tuis deflectere.
In corde meo abscondi eloquia tua ut non peccem tibi.	11	Altâ mente mandata *illa* tua repono ut non peccem tibi.
Benedictus es Domine doce me justificationes tuas.	12	O Domine, *qui* dignus es quem omnes laudent, doce me tua *illa* mandata *ut ea accuratiùs custodiam.*
In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui:	13	Labiis meis omnia *hæc* mandata prædico;

in eo quòd didici. S. Amb. *in eo quum didicero.* S. Aug. *in eo quòd didicerim.* Optimæ lectiones.

usquequaque. subaudit *tantùm* qd. tantùm ne me valde deserueris, hoc est modò me valde non deserueris. S. Hilarius legit *usque nimis*; hujúsque lectionis meminit B. Augustinus: qui habet *usque valde*, eodem sensu idest *valde, vehementer*, seu *multùm* ut interpretatur B. Amb. qui legit *usquequaque* quod etiam S. Hilarius habet in explanatione. Confer Is. LXIV. 9. nec hyperbaton cum Kimchio heic admitte interpretando *custodiam usquequaque.*

14 *In viâ testimoniorum tuorum delectatus sum sicut in omnibus divitiis;*

Eorúmque observatione, perinde atque *dives* maximis suis opibus *oblectatur*, ego delector;

15 *In mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas:*

Tuáque *illa* mandata meditor, & præcepta tua *attento* expendo *animo:*

16 *In justificationibus tuis meditabor, non obliviscar sermones tuos.*

Atque in statutis tuis mentem loco *omnem*, nec sermonum tuorum *unquam* obliviscor.

17 *Retribue servo tuo vivifica me; & custodiam sermones tuos.*

GHIMEL.

Hoc *igitur* servo tuo beneficium tribue ut me, *calamitatibus exanimatum*, recrees; atque *ita* mandatis tuis obsequi *diutiùs* liceat.

18 *Revela oculos meos & considerabo mirabilia de lege tuâ.*

Quando autem ea sine tuo lumine impleri rectè nequeunt, oculos meos retege ut admirandas, *quæ in* lege tuâ *latent*, res videam.

19 *Incola ego sum in terra: non abscondas à me mandata tua.*

Peregrinus ego sum in *hac*, *ubi dego*, terrâ; *adeòque nullam, in eâ, voluptatem capio*: ne *igitur* tua me celes mandata *quæ sola mihi, in hoc exsilio, alacritatem afferre possunt.*

20 *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore:*

Nec verò illa eo tantùm nomine depereo; verùm summo præceptorum tuorum desiderio jugiter flagrat anima mea:

21 *Increpasti superbos, maledicti qui declinant à mandatis tuis.*

Sciens quòd superbos, *qui legi tuæ parere nolunt*, homines disperdis, *& quòd* malè accipiuntur qui à mandatis tuis declinant.

exercebor. S. Augustinus legit *garriam*, nostræque meminit lectionis; & utramque in concordiam revocat.

retribue servo tuo. Hæc accipio verba ut præcedentium sint conclusio. Quod ut intelligatur & totus Psalmi ordo connexio atque artificium enucleentur, notandum est ex Levit. XVIII. 5. Deut. VI. 2, 3. 18. 24. VIII. 1. XXVIII. 1. & seq. terrenam maximè felicitatem piis in lege Mosaicâ promissam à Deo fuisse. Ut ergo David felicitatem illam consequeretur atque à Saulis persecutione liberaretur, sui officii esse duxit ut pietati operam daret. Pietatem itaque amplexus, Deum à promissâ piis felicitate urget, eíque ingerit æquum esse ut se, mandatorum ipsius studio accensum, tueatur. Verùm quum timeret David ne mandatis illis tam sanctè, atque par erat, morem gereret, à Deo sæpe petit ut se de lege suâ erudiat & miras, quæ in eâ insunt, res sibi pandat quò accuratiore atque ardentiore studio in illam feratur, atque ita optatæ compos fiat felicitatis. Cui assequendæ quum idoneam etiam esse divinam misericordiam intelligeret regius Vates; & firmum in pietate perstandi propo-

situm ad eandem felicitatem expeditum iter esse sciret, misericordiam Dei multoties implorat; asseritque se, ex periculo eductum, totam vitam in curandis Dei mandatis positurum.

vivifica me. S. Augustinus cum Sixtinâ editione: *vivam.* S. Hilarius: *& vivam.* S. Ambrosius: *ut vivam.*

22 *Aufer à me opprobrium & contemtum quia testimonia tua exquisivi.*

Quum *ergo* præceptorum tuorum *ita* sim cupidus, ne sinas mihi ab inimicis meis illudi, me*que ab illis* contemni.

23 *Etenim sederunt principes, & adversum me loquebantur; servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis:*

Ecce proceres in portis *civitatis* sedent, & suis me probris infamant; tuus autem servus se in tuis statutis exercet:

24 *Nam & testimonia tua meditatio mea est; & consilium meum justificationes tuæ.*

Tuá*que* præcepta meditor; & tua, *nubilis his temporibus*, mandata consulo.

DALETH.

25 *Adhæsit pavimento anima mea, vivifica me secundùm verbum tuum.*

Eà de caussà & quia miseriis examinis sum, recrea me juxta promissum tuum.

26 *Vias meas enuntiavi, & exaudisti me: doce me justificationes tuas.*

Meas *olim* necessitates tibi aperui, & exaudisti me: meis *nunc quoque precibus annue, &* tua me doce mandata *ut ea rectiùs perficere adeóque recreari queam.*

27 *Viam justificationum tuarum instrue me, & exercebor in mirabilibus tuis.*

Præceptorum tuorum notitiâ imbue me, & fac ut in admirandis *legis tuæ arcanis* sim exercitatus *quò ardentiore in eam studio ferar; atque ita ærumnas, quibus premor, depellam.*

28 *Dormitavit anima mea præ tædio; confirma me in verbis tuis:*

Contrahitur animus meus præ mœrore *quem mihi ærumnæ illæ afferunt*; sed me, uti pollicitus es, erige:

consilium meum. SS. Hilarius & Ambrosius cum Sixtinâ editione: *consilia mea* eodem sensu. S. Augustinus habet *consilium.*

dormitavit. Heracleota: ὁ δὲ &c. *Symmachus autem & Aquila distillavit dixerunt Quinta verò editio stillavit. Et Origenes illud dormitavit erratum esse ait, sic dicens: Et existimo quempiam, quum non intelligeret illud* ἔσταξε *stillavit, posuisse* ἐνύσταξεν *dormitavit.* Apollinarius legit ἔῤῥεπεν *inclinabatur & cadebat.* S. Ambrosius habet *stillavit*, & ait in explanatione. *Aliqui Codices habent dormitavit, quia* ἐνύσταξε *&* ἔσταξεν *duabus literis dissonant. Potuit interpres vel antiquarius scriptor hic falli: νυστάζειν dormire est. στάζειν stillare. Perfectus non dormitat* &c. S. Hilarius Septuaginta interpretibus tribuit ἐνύσταξεν: *pro quo*, ait, *nonnulli* DISTILLAVIT *verterunt. Sed nobis neque tutum est translationem LXX. interpre-*

tum transgredi: & sana ratio est & sensus dictorum admonet ut rectè ac probabiliter versum translatum intelligamus. Jure sanè optimo B. Hilarius *ἐνύσταξεν dormitavit* LXX. Senibus adscripsit eorúmque versionem probavit; &, qui contrarium sensere, Origenes, Heracleota, & S.Ambrosius hallucinati sunt ut iis suadebitur qui hæc *a* Ciceronis verba expenderint: *Contrahi animum Zeno & quasi labi putat atque concidere & ipsum esse dormire.*

a lib. 2. de Divinat. post med.

29 *Viam iniquitatis amove à me; & de lege tuâ miserere mei:*
Atque à me *præfatas*, quæ iniquis *tantùm* debentur, ærumnas amove; &, quam in lege tuâ *piis* pollicitus es, misericordiam exhibe mihi:

30 *Viam veritatis elegi, judicia tua non sum oblitus,*
Iter *enim* virtutis sector, & mandatorum tuorum non obliviscor,

31 *Adhæsi testimoniis tuis Domine. Noli me confundere:*
Tuísque præceptis adhæreo Domine. Noli *ergo* preces meas aspernari:

32 *Viam mandatorum tuorum cucurri, quum dilatasti cor meum.*
Quum præsertim ad tua, quando me *exauditum* gaudio perfuderis, mandata incumbam.

HE.

33 *Legem pone mihi Domine viam justificationum tuarum; & exquiram eam semper.*
Ea *interim* mandata doce me Domine; &, *lumine tuo collustratus*, illa semper observabo.

34 *Da mihi intellectum; & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.*
Notitiam, *quâ egeo*, da mihi; *eâque prælucente*, operam legi tuæ dabo, & illam toto pectore custodiam.

35 *Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui.*
Deduc me per mandatorum tuorum semitam: ea enim mihi placet.

36 *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam.*
Inclina animum meum ad præcepta tua, & non ad avaros *fatidicos.*

37 *Averte oculos meos ne videant vanitatem; in viâ tua vivifica me:*
Ne patiaris me vanis intendere *hariolationibus*; *sed* me, pro tuâ misericordiâ, recrea:

viam iniquitatis. Confer Psal. CVI. 17. Aquila, referentibus Didymo & Heracleota, exposuit *viam mendacii*; Symmachus, *viam mendacem.*

cucurri. quominùs ad præteritum tempus referam vetat versus 67. infrà.

legem pone mihi Domine viam justificationum tuarum. idest *doce me viam justificationum tuarum*, ut ex Hebræo liquet & serie ac veteribus interpretibus Symmacho, Aquila, & Theodotione: quorum ille, testibus Heracleota & Theodorito, dixit *ostende*; hi autem *illumina*. S. Hilarius: *legem statue*. S. Ambrosius: *legem constitue*.

avaritiam, abstractum pro concreto nempe avaro, quo nomine hariolos intelligo: eos

enim arti huic operam avaritiæ causſâ & quæſtus faciendi gratiâ dediſſe conjicio ex eo quod moris eſſet ut munera vatibus deferrentur I. Reg. IX. 6, 7, 8. Quòd autem fatidici heic reſpiciantur ſuadetur ex verſu ſequenti.

vanitatem. ſumo pro vanâ hariolatione. Confer Pſal. XXX. 7.

Statue ſervo tuo eloquium tuum in timore tuo.	38	Meóſ*que* ante oculos *ſemper* conſtitue promiſſum tuum *unà* cum tui veneratione.
Amputa opprobrium meum quod ſuſpicatus ſum: quia judicia tua jucunda.	39	*His ego rebus fretus oro ſic*: quod timeo probrum, *ne videlicet hoſtibus ſuccumbam*, aufer à me: ſiquidem mandata tua *mihi* admodum grata ſunt.
Ecce concupivi mandata tua: in æquitate tua vivifica me;	40	Ecce mandata tua amo: ſalvum me, pro tuâ *in promiſſis ſervandis* æquitate, præſta;
VAV. *Et veniat ſuper me miſericordia tua Domine, ſalutare tuum ſecundùm eloquium tuum.*	41	Et tua mihi benignitas exhibeatur Domine, tuúm*que* ſalutare *auxilium* mihi porrigatur uti promiſiſti.
Et reſpondebo exprobrantibus mihi verbum quia ſperavi in ſermonibus tuis.	42	Id reſponſi irriſoribus meis do ſperare me in tuis *illis promiſſis.*
Et ne auferas de ore meo verbum veritatis uſquequaque quia in judiciis tuis ſuperſperavi:	43	Ne *quæſo* rectum illud verbum, quo reſpondeo me ſpem in tuis promiſſis collocare, unquam ex ore meo excidere ſinas:
Et cuſtodiam legem tuam ſemper in ſæculum, & tu ſæculum ſæculi.	44	*Hoc enim pacto* legem tuam ſemper ac perpetuò ſervabo *quippe qui tuis nixus promiſſis, felicitatem obſervatione tuæ legis non criminibus quæram.*
Et ambulabam in latitudine quia mandata tua exquiſivi;	45	*Interea*, quando mandatorum tuorum ſum ſtudioſus, intrepidè loquor;
Et loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu regum & non confundebar:	46	Verbá*que*, *ubi ſe offert occaſio*, de tuis præceptis coram regibus audacter facio:

ſuſpicatus ſum. Aquila & Theodotion, narrantibus Heracleota & Theodorito, legunt: *timui.* Symmachus: *reverebar.*

ambulabam in latitudine. ſuam intrepiditatem innuit, ſumtâ metaphorâ ab iis qui regiâ & latâ viâ gradiuntur: hi enim nihil timent.

loquebar &c. reſpicere videtur ad tempus in I. Reg. XXIV. 10. 11. 12. 13. deſcriptum,

Et meditabar in mandatis tuis quæ dilexi;

47 Quia *videlicet* tuis, quæ diligo, mandatis meditandis vaco;

Et levavi manus meas ad mandata tua quæ dilexi, & exercebar in justificationibus tuis.

48 Et tua quæ amo, præcepta exequor, méque in tuis exerceo statutis *quæ prædictam audaciam mihi præbent.*

ZAIN.

Memor esto verbi tui servo tuo in quo mihi spem dedisti.

49 *Hæc quum ita sint Domine*, memor esto promissionis quam servo tuo fecisti, & quâ spem mihi dedisti *non parvam.*

Hæc me consolata est in humilitate mea quia eloquium tuum vivificavit me.

50 Hoc me in afflictione meâ consolatur quòd tua *illa* promissio animum mihi restituit.

Superbi iniquè agebant usquequaque; à lege autem tua declinavi.

51 Superbi *hostes mei* graviter me insectantur; ast à lege tuâ non deflecto.

Memor fui judiciorum tuorum à sæculo Domine; & consolatus sum

52 Præceptorum tuorum, *mediâ in persecutione*, semper memor sum Domine; & solatium *ex illâ recordatione* reporto

Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam:

53 Animo deficio videns legem tuam ab improbis *meis afflictoribus* derelinqui:

Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ;

54 Tuá*que*, in *hoc* exsilii mei loco, statuta cano;

Memor fui nocte nominis tui Domine, & custodivi legem tuam:

55 *Et* nominis tui noctu memor sum Domine; tuámque legem observo:

Hæc facta est mihi: quia justificationes tuas exquisivi.

56 *Proindéque hæc, de quâ sum loquutus*, promissio præstetur mihi: quia *nimirum* præceptorum tuorum sum studiosus.

HETH.

Portio mea Domine dixi custodire legem tuam:

57 Eas Domine partes dico esse meas ut legem tuam observem:

Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo, miserere mei secundùm eloquium tuum.

58 *Unde* toto tibi corde supplico, miserere mei juxta promissum tuum.

59 *Cogitavi vias meas; & converti pedes meos in testimonia tua.*

Vias, quas ingredi poteram, expendi; & me ad mandata tua retuli.

60 *Paratus sum & non sum turbatus ut custodiam mandata tua.*

Promtus sum & intrepidus ad custodiendum mandata tua.

61 *Funes peccatorum circumplexi sunt me; & legem tuam non sum oblitus.*

Catervæ impiorum hostium circumcingunt me; verùm legis tuæ non obliviscor.

62 *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justificationis tuæ:*

Mediâ nocte surgo ut justæ tuæ legis præcepta celebrem:

63 *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.*

Súmque amicus eorum qui te reverentur, & tua mandata servant.

64 *Misericordia tua* Domine *plena est terra justificationes tuas doce me.*

Ob id igitur & quia misericordiæ tuæ effectibus plena est tellus, mandata tua doce me *ut ea rectiùs implere; adeòque tuis dignior effici queam promissionibus.*

TETH.

65 *Bonitatem fecisti cum servo tuo* Domine *secundùm verbum tuum;*

Interim secundùm eas benefac servo tuo;

66 *Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me: quia mandatis tui credidi.*

Et bonam me rationem, prudentiam ac scientiam, *quà hostium insidias effugere valeam*, edoce: nam promissis tuis fido.

67 *Priusquam humiliarer ego deliqui: propterea eloquium tuum custodivi;*

Deliqueram, *fateor*, antequam ad calamitatem depellerer: *nunc autem*, calamitate cautior factus, legem tuam observo;

68 *Bonus es tu, & in bonitate tuà doce me justificationes tuas.*

Rogóque ut, quâ es benignitate ac bonitate, doceas me tua statuta *quò ea melius servare possim, & factarum piis promissionum dignior reddi.*

judiciorum tuorum à sæculo. S. Ambrosius legit *judiciorum tuorum quæ à sæculo sunt.*
consolatus sum. aliqui Codices, teste S. Augustino, habebant *& exhortatus sum* (idest *exhortationem accepi*) ídque sequitur B. Hilarius.
defectio. S. Ambrosius: *pusillanimitas.* S. Augustinus: *tædium,*

vias

vias meas. Apollinarius, cum Sixtinâ editione & Psalteriis Romano Æthiopico atque Arabico, minùs benè legit *vias tuas.*

funes. sumit pro caterva ut I. Reg. X. 5. 10. Heb.

particeps. Theodoritus : *Symmachus pro μέτοχος dixit συνημμένος conjunctus* : Syrus autem, φίλος *amicus.*

ego deliqui. illa intelligo juventutis delicta quæ David in Psal. XXIV. 8. agnoscit, & à quibus vacuus non fuisse videtur vir bellis innutritus. Ea tamen delicta quum exilia fuerint caussa subest cur Davidis demissionem miremur.

bonus es tu. *a* Plato, *b* Philo, *c* Synesius, *d* Julianus Augustus, S. *e* Ambrosius, S. *f* Augustinus, *g* Eustratius, *h* Proclus, *i* Boetius, aliique Vati succinunt, & meritò quidem: nam Deus essentialiter atque à se ipso & incommutabiliter perfectéque bonus est ut docent *k* Clemens Alexandrinus, *l* Origenes, *m* Tertullianus, *n* Lactantius, B. *o* Hilarius, S. *p* Gregorius Nyssenus, S. *q* Augustinus, S. *r* Fulgentius, S. *s* Cyrillus Alexandrinus, S. *t* Dionysius, S. *u* Maximus, *x* Isidorus Hispalensis, *y* Boetius, *z* Richardus Victorinus, & Plotinus, * Hierocles, & complures alii.

a lib. 6. de Rep. sub fin.
b lib. 2. Alleg. p. 55. edit. Gr. Lat.
c Orat. de regno p. 9:
d Orat. 4. p. 246. & seq.
e Octon. 9. in Psal. 118.
f in Psal. 117. & 137.
g Comment. in primum Ethicorum Nicomacheorum.
h Comment. in lib. 2. Plat. de Rep. p. 355. 356.
i de Consol. lib. 3. prof. 10.
k Pædag. I. 8.
l lib. 6. contra Cels.
m lib. 2. contr. Marc. cap. 6.
n Instit. III. 12.
o lib. 3. de Trinit.
p lib. de Animâ & resurrect. p. 655.
q Epist. 54. lib. 8 de Trinit. c. 3. in Psal. 70. & lib. de Civ. XII. 6.
r lib. de Fide ad Petr. cap. 3.
s Dial. 1 de Trinit.
t cap. 4. de div. nom.
u ad citatum Dionysii locum.
x lib. 1. de summo bono cap. 1.
y lib. 3 prof. 10.
z lib. II. de Trin. c. 16.
& lib. V. Ennead. 5. c. 3.
* Comment. in aureū Carmen.

69 *Multiplicata est super me iniquitas superborum; ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.*

Multipliciter in me iniquitas superborum *hostium meorum* debacchatur; nihilominus mandata tua ex animo persequor.

70 *Coagulatum est sicut lac cor eorum; ego verò legem tuam meditatus sum.*

Horum, *de quibus dixi, hostium* cor, instar casei ex lacto coagulato confecti, induratum est, *méque illi pertinaciter oppugnant*; ego tamen legem tuam meditor.

71 *Bonum mihi quia humiliasti me: ut discam justificationes tuas.*

Felix ego quòd me ad calamitatem depuleris: eâ enim discendæ legis tuæ studiosior evasi.

72 *Bonum mihi lex oris tui super millia auri & argenti.*

Illa sanè lex, quæ ex ore tuo manavit, suavior mihi est quàm infinita auri & argenti copia.

IOD.

73 *Manus tuæ fecerunt me & plasmaverunt me, da mihi intellectum & discam mandata tua.*

Quum ergo lex tua tantopere mihi placeat; & me manus tuæ fecerint ac plasmaverint, *sitque opificis suo prospicere operi*, erudi me ita ut tuam *illam, quæ sic mihi cordi est*, legem discam; *atque ita eam rectius observem & dignus tandem evadam cui factæ in eâ promissiones præstentur.*

74 *Qui timent te videbunt me, & lætabuntur quia in verba tua supersperavi.*

Harum me *compotem* ubi cultores tui viderint, lætabuntur quòd meam in *illis* spem defixerim.

manus tuæ. Hinc damnatur Manes qui, referentibus B. *a* Epiphanio, S. *b* Augustino : qui etiam

a Hæres. 66. p. 646. D.
b de Hæres. cap. 46. p. 15. 10. 6. ubi Adam & Eva ex *parentibus principibus fumi nati* dicuntur & *pater eorum* vocatur *Saclas* quod nomē etiam legas in Anathematismis Manichaicæ hæreseos apud Cotel. in Notis ad SS. *Patres qui temporibus Apostolicis floruerunt.* col. 570. ubi Adamus & Eva formati dicuntur à *Sacla stupri principe & Nebrod à quem Manes ait esse materiam.* Horum nonnulla emendabis ex B. Augustino : qui etiam *Cubricum* col. 368 in *Urbicum* mutari jubebit p. 13.

a Hæret. Fabul. lib. I. 26. p. 2 3. A. to. 4.
b lib. VI. 31.
c Strom. II. p. 376. D.
d in Timæo p. 69. C. D. 10. 3.
e de mundi Opificio. ante med.

no, *a* Theodotito, ac *b* Nicephoro, asserebat hominem à malo principio esse fabricatum id est à principe materiæ quem Saelam nominabat. Hinc etiam damnantur Valentiniani; qui, narrante *c* Clemente Alexandrino, hominem ab Angelis productum fuisse affirmabant. Damnatur & *d* Plato qui corpus humanum à minoribus Diis hoc est Angelis formatum esse docet: unde abire non videtur *e* Philo quum, de creatione hominis loquens, ait assum tos alios fuisse à Deo tanquam cooperatores. S. Amb. pro *plasmaverunt* legit *paraverunt*. S. Aug. *finxerunt*.

75 *Cognovi Domine quia æquitas judicia tua, & in veritate tuâ humiliasti me.*

Interea Domine nosco & fateor quòd justè me afflixeris, méque ad calamitatem meritò depuleris.

76 *Fiat misericordia ut consoletur me, secundùm eloquium tuum servo tuo.*

Sed me, pro tuâ benignitate, consolare juxta promissum servo tuo factum.

77 *Veniant mihi miserationes tuæ, & vivam: quia lex tua meditatio mea est.*

Affulgeat mihi misericordia tua, & fac recreer: nam legem tuam meditor.

78 *Confundantur superbi quia injustè iniquitatem fecerunt in me, ego autem exercebor in mandatis tuis:*

Superbi *hostes mei* votis suis excidant quia iniquè me persequuntur, dum ego me in mandatis tuis exerceo:

79 *Convertantur mihi timentes te & qui noverunt testimonia tua;*

Cultores *autem* tui & qui tua norunt præcepta, *quique præ metu ad me accedere non audent*, adjungant se mihi;

80 *Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis ut non confundar.*

Meúsque animus mandatis tuis purus evadat *ut optatam consequar salutem.*

CAPH.

81 *Defecit in salutare tuum anima mea; & in verbum tuum supersperavi.*

Eam anima mea vehementer expetit; &, promisso tuo confisus, spero *fore ut salus illa mihi præstetur.*

82 *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes: quando consolaberis me:*

Oculi mei *promissum hoc* acriter intuentur in eóque defixi sunt; & dico: quando tandem me, *uti pollicitus es*, consolaberis:

veritate tuâ. veritatem sumit pro æquitate ut Psal. LXXXIV. 11, S. Hilarius habet *verè*, Sixtina editio: *veritate*.

secundùm eloquium tuum servo tuo. Versus ille & aliquot alii huic similes innuere, primo aspectu, videntur promissum peculiare Davidi à Samuele aut Nathane nomine Dei factum. Sed quia David legem ubique memorat, illúdque Samuelis aut Nathanis promissum in lege scriptum non erat, existimo versum nostrum & id genus alios respicere ad enarratas in Levitico & Deuteronomio promissiones quæ quum omnibus Judæis factæ fuissent, ea unusquisque privatim sibi vendicabat tanquam si sibi soli factæ fuissent.

convertantur mihi. idest ***ad me*** ut docet B. Augustinus, & legimus apud S. Ambrosium atque in Sixtinâ editione.

timentes te, eos videtur intelligere pios ac probos viros qui Davidem amabant quique Hierosolymis remanserant; sed, metu Saulis, Davidi palàm adhærere non audebant. Confer Psal. CXLI. 10.

83 *Quia factus sum sicut uter in pruinâ, justificationes tuas non sum oblitus?*

Nam *mœrore ita comprimor ut* sim velut uter frigore constrictus; nec *tamen* præceptorum tuorum obliviscor?

84 *Quot sunt dies servi tui? quando facies de persequentibus me judicium?*

Quanto tempore victurus est *adhuc in his ærumnis* servus tuus? ecquando pœnam sumes de his qui me persequuntur?

85 *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua:*

Iniqui *illi* mendacia de me narrant contra atque lex tua jubet:

86 *Omnia mandata tua veritas; iniquè persequuti sunt me. Adjuva me:*

Siquidem omnia mandata tua æquitatem præcipiunt; *illi verò mendaciis suis* injustè me persequuntur. Sed opem mihi porrige:

87 *Paulominùs consummaverunt me in terrà. Ego autem non dereliqui mandata tua:*

Nam parùm abest quin me in terram dejectum prorsus perdiderint. Ego porrò, *tantis licet miseriis circumcludar*, mandata tua non transgredior:

88 *Secundùm misericordiam tuam vivifica me; & custodiam testimonia oris tui.*

Unde me, pro tuâ benignitate recrea; & tua *illa* mandata *deinceps magis ac magis observabo.*

LAMED.

89 *In æternum Domine verbum tuum permanet in cœlo:*

Sed & recrea me pro tuà in promissis servandis fide quæ ubique elucet: etenim sermonis tui veritas in cœlo semper durat *quum incorrupti maneant uti* eos fore dixisti:

90 *In generationem & generationem veritas tua: fundasti terram, & permanet.*

Eadem veritas tua perpetuò *etiam in terrà obtinet*: fundasti enim terram, & *immota* permanet *ut eam fore promisisti.*

91 *Ordinatione tuà perseverat dies quoniam omnia serviunt tibi.*

Dies eo, quem ordinasti, modo perseverat quia omnia obediunt tibi.

uter in pruinâ. alludit ad utrem pruinâ seu frigore constrictum obduratum & contractum ut explicant SS. Chrysostomus & Theodoritus. *Alius*, inquit Heracleota, *legit sicut uter in fumo.* Rabbini istam lectionem sequuntur, non rectè. S. Amb. pro *pruinâ* legit *gelicidio.*

narraverunt &c. Aquila, apud Heracleotam, ait: *sarriebant mihi superbi laqueos.* Symmachus: *suffoderunt mihi superbi subterranea.* Quinta editio: *foderunt mihi superbi foveas.*

Ultimæ versioni adhærent Rabbini; sed iis nostros antepono Senes: qui vocem *mihi* accipere videntur pro *de me* ut Psal. III. 2. SS. Hilarius & Ambrosius pro *fabulationes* habent *exercitationes*. S. Aug. *delectationes*. LXX. legebant ספרי pro כרי.

iniquè. S. Augustinus cum Psalterio Æthiopico *iniqui*. Psalterium Arabicum utrumque conjungit *iniqui iniquè*. S. Amb. *injusti*. Sed S. Hilarius habet *iniquè*.

Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc fortè periissem est humilitate meâ.	92	*Hæc* nisi in lege tuâ meditarer, succubuissem afflictioni.
In æternum non obliviscar justificationes tuas: quia in ipsis vivificasti me.	93	*Hanc profectò* legem nunquam obliviscar: quippe quâ vitam mihi *hactenùs* servaveris.
Tuus sum ego, salvum me fac: quoniam justificationes tuas exquisivi.	94	Quum *igitur* totum me tibi dedicem, salutem mihi præsta: *eam, inquam, salutem præsta* quia, *ut dixi,* tuis me mandatis addico *totum*.
Me exspectaverunt peccatores ut perderent me; testimonia tua intellexi,	95	Observant me impii ut me exitio dedant; *ego verò* tua curo mandata,
Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis.	96	*Sicque* omnis, *quâ opprimor*, vexationis finem videbo: tua *enim* mandata vim suam latè porrigunt *ita ut eorum observatio calamitates omnes, quantumvis amplas, explicet.*

MEM.

Quomodo dilexi legem tuam Domine, totâ die meditatio mea est.	97	*Eam ob caussam* legem tuam vehementer amo Domine, *illámque* totâ die meditor.
Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo: quia in æternum mihi est.	98	Inimicis meis prudentiorem me tuâ *illâ* lege efficies: nam mihi perpetuò est ante oculos.
Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est.	99	Omnibus magistris meis intelligentiâ præstabo: quia præcepta tua meditor.
Super senes intellexi: quia mandata tua quæsivi.	100	Senibus prudentior evadam: quoniam mandatorum tuorum sum studiosus.

omnis consummationis. Symmachus, apud Theodoritum, minùs benè vertit, *omnis structura*. Vide B. *a* Athanasium.

a in Cat. Cord. p. 450. fin.

prudentem me fecisti. præteritum illud & tria sequentia verto per futurum ob versum 66. in quo quum David sapientiam ac prudentiam petat, apparet eam ipsi tunc defuisse; & con-

sequenter vero non esse simile ut præteritum aut præsens tempus usurpari heic debeat.

Ab omni viâ malâ prohibui pedes meos ut custodiam verba tua.	101	Ab omni *itaque* pravâ actione abstineo ut tua, *à quibus tantum bonum spero*, mandata observem.
A judiciis tuis non declinavi: quia tu legem posuisti mihi.	102	A præceptis tuis non declino: quoniam, *si ea perfecero*, docebis me *quo pacto imminentia pericula vitem*.
Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! Super mel ori meo.	103	Quàm dulcia *eo nomine* sunt palato meo mandata tua! *Ea certè* ori meo melle sunt suaviora.
A mandatis tuis intellexi: propterea odivi omnem viam iniquitatis.	104	Intelligentiam à mandatis tuis hauriam: propterea omnem iniquitatis semitam, *quæ me ab iis revocaret*, odio habeo.
Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.	105	*Eadem hæc* mandata facem pedibus meis præferent, & gressus meos collustrabunt *sic ut in exitium non impingam*.
Juravi & statui custodire judicia justitiæ tuæ.	106	Juravi *igitur* & statui *illa* servare justæ tuæ legis præcepta *quæ perniciem, lumine suo, sunt à me propulsatura*.
Humiliatus sum usquequaque Domine: vivifica me secundùm verbum tuum;	107	*Interim* Domine ad summam depulsus sum calamitatem: recrea me, *obsecro*, juxta promissum tuum;
Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine: & judicia tua doce me.	108	Eámque, quam sponte fundo, orationem gratanter accipe Domine: & tua me doce mandata *ut iis perspectis ritéque confectis præfato promisso dignior efficiar, atque ita salutem promtius consequar*.
Anima mea in manibus meis semper; & legem tuam non sum oblitus.	109	Versor in perpetuo vitæ discrimine; nec tamen legis tuæ obliviscor.

NUN.

in manibus meis. Apolinarius, Heracleota, Theodoritus, Euthymius, & Regii ac Colbertini Codices Græci legunt *in manibus ev tuis* cum SS. Ambrosio & Augustino: qui nostræ quidem lectionis mentionem faciunt, sed aliam in pluribus Codicibus reperiri affirmant.

a Epist. 135.

S. Hilarius legit *tuis*. Sanctus verò a Hieronymus testatur & apud Hebræos & apud LXX. & apud omnes alios interpretes scriptum fuisse *in manibus meis*. Hanc lectionem probant & collustrant loca Jud. XII. 3. I. Reg. XIX. 5.

100 *Posuerunt peccatores laqueum mihi; & de mandatis tuis non erravi.*

Insidias mihi improbi *hostes mei* tendunt, nec tamen à mandatis tuis recedo.

111 *Hæreditate acquisivi testimonia tua in æternum quia exultatio cordis mei sunt:*

Mandata tua hæreditatii, quod semper possidere velim, boni loco habeo quia meum exhilarant animum:

112 *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.*

Meúmque, ad tua *illa* mandata perpetuò conficienda, cor inclino propter *illam*, *quæ inde manat*, exultationem.

SAMECH.

113 *Iniquos odio habui, & legem tuum dilexi:*

Iniquos *demùm* odio habeo, & legem tuam diligo;

114 *Adjutor & susceptor meus es tu; & in verbum tuum supersperavi.*

Unde opem mihi atque auxilium porrige; quum præsertim tuo nitar promisso.

115 *Declinate à me maligni: & scrutabor mandata Dei mei.*

Vósque *ò* improbi, *qui me persequimini*, facessite à me: siquidem Dei mei mandata curo.

116 *Suscipe me secundùm eloquium tuum, & vivam: & non confundas me ab exspectatione meâ.*

Tu verò ò Domine juxta tuum, *quo nitor*, promissum opitulare mihi, & fac recreer: nec me, spe meâ frustratum, pudore afficias.

117 *Adjuva me, & salvus ero: & meditabor in justificationibus tuis semper:*

Adjuva me, & fac sim salvus: nam mandatis tuis meditandis indesinenter incumbo:

118 *Sprevisti omnes discedentes à judiciis tuis quia injusta cogitatio eorum;*

Gnarus quòd omnes, qui à tuis *his* mandatis discedunt, exitio ob injustam, quam de non præstandâ tibi obedientiâ suscipiunt, cogitationem dedis;

propter retributionem. Rabbini vertunt *& æternùm* ut loquutio hæc sit præcedentis repetitio. Utraque versio cum Hebræo textu consiare potest; sed nostram ob ỳ. 21. 119. prætulerim; quanquam scio vocabulum עקב ỳ. 33. verti *semper* à LXX. Senibus, qui heic legisse videntur על עקב pro ועקב. Cæterùm qui Psalteriani textus *retributionem* expenderit, versus 21. 118. 119. 120. 121. non mirabitur; sed nolim inde Davidem exiguâ pietate instructum fuisse colligat. Ut enim Mosis Heb. XI. 26. exemplum taceam, & latam ab eo legem, quæ summa perfectionis fastigia non tenebat, omittam: certè ex vers. 1. 14. 27. 54. 71. 129. 140. 142. vero admodum fit simile Davidem divinæ legi propter ipsam & Deum ipsius auctorem adhæsisse: nec mirum si eam, præmii amore aut formidine pœnæ, interdum

servaret quum B. a Gregorius, de S. Paulo loquens, dicat: *sed quomodo remunerationis linteo sudores laboris sui tergas, ipse denuntiat dicens: non sunt condigna* &c. Rom. VIII. 18. a Moral. VIII. 5. paulò post initium p. 159. B. 10. 25.

iniquos. Rabbini: *cogitationes* sup. *iniquorum*, eodem sensu.

& meditabor. Rabb. *& delectabor.* Nostri hoc in loco & in aliis nonnullis similibus legerunt אשיחה pro אשעה.

sprevisti. B. Augustinus mavult ad *nihilum deduxisti* quemadmodum legit Heracleota cum Psalterio Romano & Sixtinâ editione. S. Ambrosius utramque, in explanatione, lectionem adducit. S. Hilarius priorem sequitur. Rabbini secundæ consentiunt vertentes, *conculcasti.* Idem ubique sensus.

119 *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ: ideò dilexi testimonia tua.*

Reputánsque quòd omnes telluris miseri in ærumnam, ob suam prævaricationem, prolabuntur: hinc enim præcepta tua amo.

120 *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.*

Nimirum timore tui carnes meæ percelluntur; *&*, quas *ab improbis* expetis, pœnas reformido:

121 *Feci judicium & justitiam. Non tradas me calumniantibus me;*

AIN.

Indéque æquitatem & justitiam colo. *Quod quum ita sit, ne* me calumniatorum meorum libidini permittas;

122 *Suscipe servum tuum in bonum, non calumnientur me superbi.*

Sed te servo tuo beneficum præbe, nec patiaris ut superbi *hostes mei* suis me calumniis opprimant.

123 *Oculi mei defecerunt in salutare tuum & in eloquium justitiæ tuæ.*

Harum ego calumniarum pertæsus, salutarem tuam opem & factam, in justâ tuâ lege, promissionem intentis oculis intueor in iisque acerrimè defixus sum.

124 *Fac cum servo tuo secundùm misericordiam tuam; & justificationes tuas doce me.*

Clementer mecum age; & tua me præcepta doce *ut iis perspectis ritéque peractis, auxilio tuo tuáque promissione dignior evadam.*

prævaricantes &c. Heracleota: *αὐτὶ* &c. *pro prævaricantes Aquila vinacea. Theodotion ad nihilum. Symmachus verò scoriam ediderunt. Peccatores verò terræ eos qui in terrâ peccarunt: sunt enim etiam peccatores cœli cum quibus nobis lucta est.* B. Augustinus multam, in conciliando hoc textu cum Rom. IV. 15. operam ponit. Eum ego textum cum III. Reg. I. 21. contuli; & sic habui persuasum *peccatores* pro calamitosis ac miseris accipi, adeóque nostrum hunc versum præcedentis esse repetitionem. Rabbini legunt סיגים השבת & interpretantur (*ut*) *scorias cessare fecisti* sup. *omnes peccatores terræ.* LXX. legebant סגים חשבתי: eámque lectionem Rabbinicæ præferent qui judicio valebunt, & in Hebraicis loqutionibus exercitati erunt. S. Ambrosius pro *prævaricantes* habet *prævaricatores*; & pro *reputavi* legit *æstimavi.* Sanctus autem Augustinus habet *deputavi* pro *reputavi.*

confige &c. Heracleota: *Symmachus ait horripilavit à timore tuo caro mea. Aquila clavis fixa est à pavore tuo.* SS. Ambrosius & Augustinus legunt *confige clavis à timore tuo carnes*

meas. Symmacho, eum B. Hieronymo, adhæsi; atque à Vulgato recessi imperativo tum quia illud connexio non probat ut intuenti patebit, tum quia prædictum imperativum sequenti membro repugnare videtur: si enim à judiciis divinis timeat Vates caussam non habet idoneam cur petat ut timore configatur. Difficultatem B. Augustinus vidit, eámque solvit adhibens in priore hemistichio castum timorem, in secundo ponens timorem minùs purum qui ex pœnæ contemplatione oritur. Id ego quominus sequerer impeditus sum à connexionis & Synonymieæ legis auctoritate quam Augustinianâ imminus rebat explanatione, ut & istâ Heracleotæ: *quoniam anima quidem timorem tuum obtinet, corpus verò contra hanc insurgit: roge etiam ut carnes timore tuo configantur ut mortificata anima ductum sequantur juxta illud Coloss. III. 5.*

calumniantibus me. SS. Hilarius, Ambrosius, & Aug. *nocentibus me.* Rabb. *opprimentibus me.*

suscipe servum tuum &c. Heracleota: *αἰτῶ* &c. *pro excipe Aquila legit sponde seu fide jube.* Hanc interpretationem Rabbini sequuntur. SS. Hilarius & Augustinus legunt *excipe* eodem sensu.

125 *Servus tuus sum ego: da mihi intellectum ut sciam testimonia tua.* — Tuus ego sum cultor: da mihi, *quam peto*, notitiam ut *videlicet* mandata tua cognoscam.

126 *Tempus faciendi Domine dissipaverunt legem tuam.* — *Id* faciendi tempus est Domine: *nam impii mei afflictores* legem tuam pessundant *ac contemnunt, & necesse est nonnullos esse qui legem illam norint, eámque ab interitu vindicent.*

127 *Ideò dilexi mandata tua super aurum & topazion:* — Hic *verò* impiorum contemtus *nova* mihi caussa est cur tua, *quibus exitium impendet*, mandata diligam plusquam aurum & topazium:

128 *Propterea ad omnia mandata tua dirigebar; omnem viam iniquam odio habui.* — Eandémque ob caussam ad omnia præcepta tua ardentissimè feror; *&* omne, *quod me ab illis removere posset*, opus iniquum odio habeo.

PHE.

129 *Mirabilia tua testimonia tua; ideò scrutata est ea anima mea.* — *Sed & alia me caussa ad mandatorum tuorum amorem ac prosequutionem rapit*: sunt *enim* admiranda; ideóque eorum studio accensa est anima mea.

tempus faciendi Domine. S. Aug. testatur plures Codices habere *Domino*, & ita legit S. Hilarius.

topazien, Species est lapidis preciosi: de quo consulendi *a* Plinius, S. *b* Ambrosius, *c* Isidorus, & *d* Albertus Magnus. Hebræi non tam benè vertunt *obrizum* seu aurum purissimum.

a lib. XXXVII. 8.
b in hunc Psalmi versum.
c lib. XVI. 7.
d lib. II. 18.

propterea

propterea &c. Quidam hunc versum cum 119. componunt ; ac docent versu isto, ut & duobus præcedentibus, innui tempus esse ut Deus impios puniat, & legem Dei sibi esse charam utpote quæ in eos tandem animadvertat. Sed ille, si bene expendatus & ad Hebræum textum exigatur, sensus non arridebit.

130 *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis:*

Adhæc præceptorum tuorum explanatio lumen affert, & imperitis sapientiam præbet:

131 *Os meum aperui & attraxi spiritum quia mandata tua desiderabam.*

Unde, quo sum mandatorum tuorum desiderio inflammatus, ea sitienter appeto, & magnopere anhelo.

132 *Aspice in me; & miserere mei secundùm judicium diligentium nomen tuum:*

Me sic comparatum respice ; & mei, secundùm consuetudinem quam erga eos tenes qui te amant, miserere:

133 *Gressus meos dirige secundùm eloquium tuum; & non dominetur mei omnis injustitia:*

Meás*que* actiones ad legem tuam compone ; nec mihi ulla iniquitas dominetur:

134 *Redime me à calumniis hominum; ut custodiam mandata tua.*

Sicque me à calumniis hominum *mihi infensorum* libera ; & tua, *posthac*, mandata *diligenter* persequar.

135 *Faciem tuam illumina super servum tuum; & doce me justificationes tuas.*

Sereno vultu servum tuum aspice ; tuám*que* me legem doce *ut eà perspectà ritéque peractà favore tuo sim dignior.*

136 *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei quia non custodierunt legem tuam:*

Rivos aquarum deducunt oculi mei eò quod tuam *illam* legem *antea* non observaverim:

137 *Justus es Domine; & rectum judicium tuum,*

Nec sine causâ tantam lachrymarum copiam effundo : nam justus es Domine ; & tua *illa, à quâ olim deflexi*, lex æqua est, TSADE.

138 *Mandasti justitiam testimonia tua & veritatem tuam nimis.*

Justám*que* atque æquissimam mandasti legem quum tua *nobis* statuta imposuisti.

à calumniis. Heb. *ab oppressione* : eodem sensu.

ut custodiam. Heb. & Gr. *& custodiam* ; eámque lectionem S. Ambrosius, Theodoritus, Græcus Paraphrastes, & Codices omnes Regii Colbertini & Memmiani cùm Græci tum Latini repræsentant.

deduxerunt. S. Hilarius, *transierunt.* Hujus lectionis meminit S. Augustinus; ipséque legit *descendirunt* cum B. Ambrosio: qui alterius lectionis (*ductus aquarum direxerunt oculi mei*) mentionem facit, & *a* alibi habet *per exitus aquarum descenderunt oculi mei.*

a lib. 2. de Pœnit. cap. 10.

oculi mei. oculos pro tota personâ metonymicè sumit in 2°. hemistichio ut ℣. 82. suprà.

custodierunt. S. Ambrosius cum Sixtinâ editione legit *custodivi*: hujusque lectionis B. Augustinus meminit, licet ipse Vulgatam, sancto etiam *b* Hieronymò probatam, habeat.

b Epist. 135.

veritatem tuam nimis veritas pro æquitate heic accipitur ut ℣. 86. suprà & Psalm. LXXXIV. 12. vox autem *tuam* in Hebræo, Sixtinâ editione, & Regiis ac Colbertinis Codicibus Græcis deest; atque ab Heracleota, Theodorito, & Græco Paraphraste rectè abest.

139 *Tabescere me fecit zelus meus quia obliti sunt verba tua inimici mei.*

Præterea dolore tabesco quòd inimici mei præcepta tua obvioni tradant.

140 *Ignitum eloquium tuum vehementer; & servus tuus dilexit illud:*

Et meritò quidem hic me dolor angit: tua enim lex purissima est quasi igne esset excocta; *indéque fit ut* servus tuus eam tantopere amet:

141 *Adolescentulus sum ego & contemtus; justificationes tuas non sum oblitus.*

Eámque, *licet* adolescens atque *ab hostibus* despectus, non obliviscatur.

142 *Justitia tua justitia in æternum; & lex tua veritas.*

Scilicet tam eximia legi tuæ inest justitia ut æternùm duratura sit; & lex tua est *ipsamet* æquitas:

143 *Tribulatio & angustia invenerunt me; mandata tua meditatio mea est.*

Unde, quamvis ærumna & miseria premant me, mandata tua meditor.

144 *Æquitas testimonia tua in æternum. Intellectum da mihi, & vivam.*

Nimirum tua *illa* mandata adjunctam sibi habent æquitatem quæ sempiternis sæculorum ætatibus obtinebit. *Quum igitur me legem tuam olim perrupisse pœniteat, doleam quòd eam violent impii; illámque, medias inter calamitates, recolam,* lumen præbe mihi *ut eam penitissimè cognoscam meliúsque in posterum servem;* atque *ira* recreer.

tabescere &c. Heracleota: *αὐτὶ* &c. *pro tabefecit Aquila legit consumsit me: Symmachus, tacere me fecit Zelus suus.* Illud pronomen *suus* à S. Hilario, Heracleota, Theodorito, Euthymio, & Græco Paraphraste legitur, atque in Sixtinâ editione & Regiis ac Colb. Codicibus Græcis reperitur: ejúsque lectionis S Augustinus mentionem facit; sed ipse nostram sequitur, eamque Hebræus textus exhibet; atque Origeniana enarratio supponit, probatque sensus. S. Amb. *exquisivit me zelus domûs tua.* S. Aug. *tabefecit me* &c. pro quo nonnullos codices habere ait *comedit me.*

ignitum &c. idem dicit quod suprà ℣. 137. *& rectum judicium tuum*: nam dictio *igni-*

tum, ut ex Hebræo patet & doctè observat S. Hilarius, significat rem igne probatam seu purgatam, adeóque puram omníque iniquitatis ac injustitiæ labe expertem.

℣. *intellectum* &c. S. Hilarius: *intellectum da mihi & vivificer.* S. Ambrosius: *intellectum da mihi verum & vivifica me.*

COPH.

145 *Clamavi in toto corde meo: exaudi me Domine, justificationes tuas requiram.*

Me, sic orantem, ut exaudias toto pectore rogo, & dico: audi me Domine, mandata tua, *reliquo vitæ meæ tempore*, persequar.

146 *Clamavi ad te salvum me fac, ut custodiam mandata tua.*

Clamo ad te, *dicens:* serva me, & præceptorum tuorum *studiosus* ero observator.

147 *Præveni in maturitate, & clamavi quia in verba tua supersperavi.*

Matutinum tempus occupo, & clamo quòd in promissis tuis spem defigo.

148 *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo ut meditarer eloquia tua.*

Oculi mei ante diluculum ad te evigilant *ut scilicet* mandata tua mediter.

149 *Vocem meam audi secundùm misericordiam tuam Domine, & secundùm judicium tuum vivifica me.*

Meam, pro tuâ benignitate, vocem audi Domine; & mihi, pro tuâ clementiâ, vitam tribue.

150 *Appropinquaverunt persequentes me iniquitati, à lege autem tuâ longe facti sunt.*

Afflictores mei ad omne scelus prorumpunt, atque à lege tuâ abeunt *ut me perdant.*

151 *Prope es tu Domine; & omnes viæ tuæ veritas:*

Sed tu Domine opem *miseris* ferre *semper* paratus es; & te, in omnibus tuis actionibus, fidelem præstas.

152 *Initio cognovi de testimoniis tuis quia in æternum fundasti ea.*

Pridémque ego de promissionibus tuis novi quòd eas æternâ veritate fundaveris, *unde me spes tui auxilii tenet.*

præveni &c. nonnulli alludi putant ad precem matutinam. Sed ego respici heic credo ad eam quam Vates ℣. 62. mediâ nocte fundebat, quæque matutinum tempus & diluculum anteibat. S. Ambrosius: *anticipavi in maturitate.* S. Augustinus legit *præveni intempestâ nocte & clamavi*; additque ista: *plures Codices non habent intempestâ nocte, sed immaturitate. Vix autem unus inventus est qui haberet geminatam præpositionem idest in immaturitate.*

ad te diluculo. S. Augustinus: *ad matutinum.*

secundum judicium tuum. Quidam promissiones intelligunt. Ego bonitatem heic expono ut membrum istud posterius prioris sit explicatio: quum præsertim veritas promissorum seorsim infrà attingatur vers. 151. 152.

vivifica me. Id verbi multoties in hoc Psalmo legitur, eóque utitur David ut significet

tauta se miseriâ premi ut sit exanimis & mortuo quàm viventi similior : unde sæpe verti *recrea me*, hoc est libera me ab istâ afflictione.

appropinquaverunt &c. S. Aug. *appropinquaverunt persequentes me iniquitate*; *vel*, *sicut nonnulli Codices habent*, *iniquè*. Psalt. Rom. *iniqui*. Rabbini : *appropinquaverunt persecutores iniquitatis*. Vulgatæ lectioni sensus & lex Synonymica omninò favent cum S. Hilario qui legit *appropiaverunt persequentes me iniquitati*.

in æternum fundasti ea. In hunc accipio sensum quo a Cicero, Vatem imitatus, ait : *testatus & veritate fundatus*.

a pro Flacco. num. 16.

RESCH.	*Vide humilitatem meam, & eripe me : quia legem tuam non sum oblitus.*	153	Vide afflictionem meam, & me *ex eâ* eripe : nam, *medias inter ærumnas*, legem tuam non oblivifcor.
	Judica judicium meum, & redime me ; propter eloquium tuum vivifica me :	154	Caussæ meæ patrocinium suscipe, & me *à vexatione* libera ; meque, ut pollicitus es, recrea :
	Longè à peccatoribus salus, quia justificationes tuas non exquisierunt.	155	Longèque ab improbis, *qui me persequuntur*, salus absit, *siquidem* mandata tua non curant.
	Misericordiæ tuæ multæ Domine : secundùm judicium tuum vivifica me.	156	Multâ Domine misericordiâ præditus es : me, *quæso*, pro tuâ *illâ* benignitate recrea.
	Multi qui persequuntur me & tribulant me ; à testimoniis tuis non declinavi.	157	Multi sunt qui me insectantur & me vexant ; nec *tamen* à mandatis tuis declino.
	Vidi prævaricantes, & tabescebam quia eloquia tua non custodierunt.	158	Cerno *legis tuæ* transgressores, & tabesco quòd mandata tua non servent.
	Vide quoniam mandata tua dilexi Domine ; in misericordiâ tuâ vivifica me.	159	Vide Domine quòd tua *illa* mandata diligo ; & me, pro tuâ benignitate, incolumem præsta.
	Principium verborum tuorum veritas, in æternum omnia judicia justitiæ tuæ.	160	*Adhæc* veritas in verbis tuis singulariter elucet, omnésque legis tuæ promissiones æternam habent constantiam : *unde*, *eo quoque nomine*, *salutem mihi affer*.
SCHIN.	*Principes persequuti sunt me gratis : & à verbis tuis formidavit cor meum.*	161	Saul ejúsque aulici immeritò me persequuntur : ego autem mandata tua revereor.

secundùm judicium tuum vivifica me. judicium pro misericordiâ heic accipio ex priore membro, & metaphorâ judicum qui, quum miseros ab oppressione vendicant, suum in eos amorem testantur. S. Amb. *secundùm judicia tua.*

principium. In eam accipio sententiam quâ vox *primitia* in Psal. LXXVII. 56. CIV. 35.

gaudet ; & , juxta quam , vox *principium* seu *primitia* idem valet ac caput seu præcipua res & quæ singulari modo emicat.

Vulgate		Paraphrasis
Lætabor ego super eloquia tua sicut qui invenit spolia multa.	162	Tantam ex tuis *illis* mandatis lætitiam percipio quantam capit ille qui thesaurum invenit.
Iniquitatem odio habui & abominatus sum ; legem autem tuam dilexi;	163	Iniquitatem odio habeo & abominor ; tuam autem legem diligo;
Septies in die laudem dixi tibi super judicia justitiæ tuæ:	164	*Et* te, per diem, sæpe laudo ob mandata justæ tuæ legis:
Pax multa diligentibus legem tuam ; & non est illis scandalum.	165	*Quùmque* eos, qui legem tuam diligunt, multa felicitas maneat, eisque pernicies non importetur,
Exspectabam salutare tuum Domine : & mandata tua dilexi;	166	*Ego* salutarem tuam opem exspecto Domine : nam , *ut dixi*, mandata tua diligo;
Custodivit anima mea testimonia tua , & dilexit ea vehementer;	167	Tuáque observo præcepta, & ea vehementer amo;
Servavi mandata tua & testimonia tua : quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.	168	Tuáque mandata ac statuta servo: te videlicet omnium mearum actionum testem spectans.
Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine; juxta eloquium tuum da mihi intellectum.	169	*Proinde* exaudiatur à te Domine oratio mea ; & da mihi legis tuæ intelligentiam.
Intret postulatio mea in conspectu tuo ; secundùm eloquium tuum eripe me.	170	Admittatur à te deprecatio mea; & me, *mandatorum tuorum studiosum, à malis quibus premor eripe* uti promisisti.

septies. significat *sæpenumerò* quemadmodum nonnullos id adverbii interpretatos fuisse testatur Theodoritus. Ex hoc autem multiplici Davidis præconio manasse videtur multarum, quæ canonicæ dicuntur, horarum recitatio : quæ priscis Ecclesiæ temporibus ad omnes Christianos spectabat ; & varium, pro disciplinæ varietate, numerum sortita est, ac demum septem ferè horis definita fuit & Clericis atque Monachis præcipuè demandata ut apparet ex *a* Constitutionibus Apostolicis, *b* Clemente Alexandrino, *c* Tertulliano, S. *d* Cypriano, S. *e* Epiphanio, S. *f* Basilio, S. *g* Gregorio Nysseno, S. *h* Hieronymo, *i* Rufino, S. *k* Augustino, *l* Cassiano, *m* Sozomeno, *n* Sidonio Apollinari, *o* Ferrando, *p* Isidoro Hispalensi, S. *q* Gregorio Magnò, *r* Gregorio Turonensi, *s* Beda, *t* Codice Justinianeo, *u* Capitularibus Karoli Magni, *x* Hincmaro, *y* Reginone, *z* Jacobo de Vitriaco, & Innocentio III. * Surio, Conciliis *a* Carthaginensi IV. *b* Toletano I. *c* Agathensi, *d* Aurelia-

a lib VIII 34. 35.
b Strom. VII p. 722. C. 728. B.
c de jejun. c. 10.
d de Orat. Domin. p. 196. 197.
e Exposit. fid. Cath. Cathol. num 23.
f 10. 2. serm de Instit. Monach. Et in reg fus. disp. c. 37. homil. 63. ad Cleric. Neocæs.
g in vitâ Macrinæ.
h Epist. 4. ad Rustic. col. 45 A. 45. D. Epist. 7. ad Læt. col. 59 C. Epist. 8. ad Demetr. col. 74. C. Epitaph. Paulæ col. 232. D. & Vit Hilar. col. 323. B. 329. D.
i de Vitis Patrum lib. III 5.
k Epist. 119. c. 18. serm. 55. de Temp.
l de can. noct. Orat. &c. lib II 5. 6. de can. diurn. Orat. &c. lib. III. 2. 3. 4. 5 6. 7. 8.
m Hist. Eccl. lib. III. 13.
n lib. IV. ep. 11. lib. V. ep 17. lib. IX. ep. 3.
o in vita Fulg. c. 18.
p Orig. VI. 19. de Offic. Eccles lib. I 5. 7. 8. 19. II. 2.
q lib. IV. ep. 45 VIII. 34. IX. 11 XII. 6.

TAV.

r Hist. l. 11 II 7. 22. III. 5 15. IV 6. V. 10. VI. 25 IX. 6. de Glor. Martyr lib. I. 1. 5. 86. 101. II. 9 11. 21. 35. de Glor. Conf cap. 5. 38. 39. 47. 71. 106. Mirac. B. Mart. l. 5. 12. 33. II. 25. 31. 45. III. 23. Vit. Patr. cap. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 12. 17 20.
s Hist. Anglic. lib. I. 27 III. 5. 27 V. 11.
t lib. I. tit. 3. leg. 42. sub fin.
u lib. VI. c. 168. VII. 161. 167.
x 10. 1 p. 712. c. 9.
y lib. I. de Eccl. discipl c 26. 27. 28. 33.
z Hist Occid. c. 34.
& Reg. 15 ep. 80.
* ad diem VIII. Jan. c. 79. XXVI. Mart. c. 12. II Apr. c. 5. 15. XXVIII. Maii c 78. 79. 82. IV. Jul. c 3 4. 5. XXVII Aug lib. I. 4. 6. 11. 5. V. Dec. c. 96. 98
a can. 49.
b can. 9.
c can. 30.
d can. 14.

nensi II. *a* Bracarensi I, *b* Turonensi II. *c* Narbonensi, *d* Toletano IV. *e* Emeritensi, *f* Cabilonensi II. *g* Aquisgranensi, *h* Londoniensi, *i* Parisiensi, *k* Oxoniensi, *l* Marciacensi, *m* Basileensi, *n* Senonensi, *o* Coloniensi, ac Mediolanensibus *p* I & *q* IV. nec non regulis SS. *r* Pachomii, *ſ* Basilii, *t* Benedicti, *u* Isidori Hispalensis, *x* Columbani, *y* Ferreoli, & *z* Crodogangi: quæ qui legerit libellum, cui titulus est *consultatio de horis canonicis recitandis*, flocci faciet; & fatebitur horarum Canonicarum seu *cursus* aut *officii* (uti nonnulli appellant) celebrationem ecclesiasticis viris ab incunabulis Ecclesiæ & deinceps injunctam fuisse.

a can. 1. 2.
b c. 18. 19.
c an 589 c. 2. 11.
d c. 2. 10.
e can. 1.
f an. 813. can. 59.
g an. 816. c. 126. 127. 128. 129. 130. 131.
h an. 1102. can. 1.
i an. 1212. can. 1.
k an. 1222. can. 6.
l can. 19.
m an. 1435. sess 21 c. 5.
n an. 1528. c. 18 19.
o an. 1536. pars 2 c. 8.
p an 1565. c. 2.
q can. 1.
r c. 1. 7. 107.
ſ cap. 107.
t cap. 8. 9. 10. 12. 16. 17. 18. 50.
u cap. 6.
x cap. 7.
y cap. 11.
z cap. 24. 27.

Eructabunt labia mea hymnum quum docueris me justificationes tuas;
171 Labia mea hymnum canent quum tua me mandata docueris;

Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum, quia omnia mandata tua æquitas.
172 Meáque lingua legem tuam prædicabit, *dicens* quòd omnes, quæ in eâ mandantur, promissiones fidæ sunt.

Fiat manus tua ut salvet me quoniam mandata tua elegi.
173 Sit mihi *interim* auxilio manus tua quoniam mandata tua deamo.

Concupivi salutare tuum Domine & lex tua meditatio mea est.
174 Tuum *illud* auxilium appeto Domine, & legis tuæ meditationi vaco.

Vivet anima mea; & laudabit te: & judicia tua adjuvabunt me.
175 Recreetur obsecro anima mea; & præconium tibi tribuet: tuáque, *quibus incumbo*, mandata salutem mihi afferant.

Erravi sicut ovis quæ periit. Quære servum tuum: quia mandata tua non sum oblitus.
176 Erro *in desertis* sicut ovis perdita. Tuum, *sic errantem*, quære servum: nam mandatorum tuorum non obliviscor.

meditatio mea est. Heb. *delectationes*, eodem ferè sensu; sed diversâ lectione ut jam observavimus.

quare. SS. Ambrosius & Augustinus Græcorum Codicum varietatem annotant: quorum alii haberent ζήτησον *quare*; alii ζῆσον *vivifica*. Ex ultimâ lectione fluxit ea, quæ apud S. Hilarium occurrit, lectio *vivifica*.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI DECIMI NONI.

QUANDO Jeremias XLIX. 28. Cedarenam regionem à Nabuchodonosore Babyloniorum rege oc-

cupatam fuiſſe oſtendit ; & quintus Pſalmi noſtri verſus detentos in hac regione Judæos repræſentat, in eâ ſum ſententiâ Hebræorum nonnullos in Cedarenam regionem à Nabuchodonoſore deportatos fuiſſe, iiſque noſtrum accommodandum eſſe Pſalmum qui dialogiſticus eſt ut ex ejus contextu liquet.

TITULUS.

Canticum Graduum.

Psalmus CXIX.		Paraphrasis.
Ad Dominum quum tribularer clamavi ; & exaudivit me.	1	VATES. Calamitatibus fractus Dominum invoco ; *ipſé*que me, *uti ſpero*, exaudiet.
Domine libera animam meam à labiis iniquis & à linguâ doloſâ.	2	Domine, *aio*, libera me à fraudulentis & doloſis hominibus *inter quos verſor.*
Quid detur tibi aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam ?	3	DEUS. Quodnam *putas remedium* dabitur tibi *ô Vates*, aut quæ *medicina* tibi apponetur adversùs *illos* homines doloſâ linguâ utentes ?
Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatoriis.	4	Acutæ Omnipotentis ſagittæ, *cardentibus & obvia quæque* vaſtantibus carbonibus adjunctæ, *remedium erunt adversùs noxios illos homines.*
Heî mihi quia incolatus meus prolongatus eſt, habitavi cum habitantibus Cedar, multùm incola fuit anima mea	5	*VATES. Hoc remedio quàm citiſſimè utaris rogo Domine : nam* heu me *miſerum* quòd meus, *in his locis*, incolatus diuturnus eſt, *diùque eſt quòd* apud Cedarenos habito, multó*que* à tempore verſor
Cum his qui oderunt pacem eram pacificus ; quum loquebar illis impugnabant me gratis.	6	Inter eos qui pacem oderunt *licet* ego ſim pacificus ; *&* quibus quum loquor, immeritò me vexant.

Ab hac me explanatione non avertenrunt ſive Pſal. IV. 1. ſive SS. Hilarii & Auguſtini lectio: *Ad te Domine, quum tribularer, clamavit & exaudiſti me.*

ANNOTATIONES.

Canticum. Cod. Colb. 158. *Canticum Graduum, vox Chriſti in paſſione.*

Graduum. Heracleota : Ἰςέον &c. *Sciendum est quomodo templum Hierosolymitanum habuerit quindecim gradus ; illique, qui hymnis decantandis praerant, inter ascendendum in quolibet gradu consistentes canticum recitarent.* Talmudistæ Kimchio prolati opinionem illam sequuntur cum Grotio qui eam quadragesimo Ezechielis capite confirmare conatur. S. Chrysostomus, Theodoritus, Euthymius, & Græcus Paraphrastes censent *ascensibus* sive *gradibus* indicati captivi populi è Babylone reditum. Saadias existimat nomine מעלות designati cantica quæ contento vocis sono canerentur. Alii docent prædictâ voce מעלות denotari initium cantilenæ ad cujus modos hæc cantica essent decantanda. Ultimæ sententiæ adhæreo ; addóque ex Theodorito Theodotionem vertisse *carmen ascensuum*, Symmachum & Aquilam *in ascensus*.

labiis iniquis. Heb. *labio mendaci*, eodem sensu : nam, qui labio mendaci utuntur, iniqui sunt. Hanc porrò iniquitatem seu fallaciam in hoc positam puto quòd Cedareni datam Judæis fidem fallerent ; fraudémque, injustitiam, ac dolum in omnibus, quæ cum eis gerebant, negotiis adhiberent. Dolo vim ex ℣. ult. addebant, quum nimirùm Judæi bonorum direptiones, iniqua judicia, contumelias, aliáque id genus conquerebantur.

quid detur tibi &c. Theodoritus, Heracleotam totidem ferè verbis exscribens, ait : Ἡ χάρις &c. *Gratia spiritus hoc in loco mœrentes consolatur : & justam sententiam, pronuntiatam in eos qui dolis utuntur, tacitè innuit. Nam petentem quidem universorum Deum vocat : sagittas verò petentis suppliciorum *celeritatem ex translatione sagittarum quæ emittuntur & facilè aerem secant. Carbones autem desolatorios vocat suppliciis vehementiam & consumtionem. Hujusmodi est natura ignis. Quasi dicat. Ne afflictoris ab iniquâ linguâ percussus : parata namque sunt supplicia à justo judice emittenda quæ sagittarum celeritatem & carbonum desolatoriorum vim imitantur.* Complementum vide apud Jer. XLIX. 28. & consule Is. V. 28. Heracleota & S. Chrysostomus monent alium legisse *sagitta petentis acuta cum carbonibus constipatis* ; alium *in carbonibus juniperinis* : additque laudatus Chrysostomus alium vertisse *quid præbebit tibi, aut quid apponet tibi lingua dolosa* : S. Aug. *quid dabitur* &c.

* *celeritatem* heic designari non puto, sed penetrationem. Vide Psal. XLIV. 7.

quia incolatus &c. Rabbini : *peregrinor in Mesech*, hoc est, interprete Muisio, *apud Moschos* : ineptè, ut ex ipsâ, quæ tractatur, re apparet ; nec non ex ultimo hemistichio, & S. Hieronymo qui vertit *peregrinatio mea prolongata est*. LXX. legebant גרותי במשך pro גרתי במשך. S. Chrysostomus cujusdam meminit vertentis *quia proselytus fui in longitudinem*. S. Aug. legit *longinquus factus est* ; &, pro *habitantibus*, habet *tabernaculis*.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI VIGESIMI.

HUNC Psalmum iis qui Babylone adhuc degebant Israelitis, propria sua concupiscentibus, & ad partes Hierosolymæ assiduè respicientibus, atque inde auxilium sperantibus apto cum Origene, Theodorito, & Græco Paraphraste, eúmque dialogisticum esse addo.

TITULUS.

Canticum Graduum.

PSALMUS CXX.

LEvavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. 1

PARAPHRASIS.

VATES. Oculos meos ad *sacros Judeæ* montes *Sionem & Moriam* attollo, unde veniet auxilium mihi.

Auxilium

Auxilium meum à Domino qui fecit cœlum & terram.

2 *Unde, inquam*, auxilium mihi à Domino, cœli & terræ creatore *montéſque illos incolente*, feretur.

Non det in commotionem pedem tuum, neque dormitet qui cuſtodit te.

3 *DEUS*. Qui tuus eſt protector *Dominus* non ſinet *ô Vates* pedem tuum in exitium prolabi, neque te deſeret.

Ecce non dormitabit neque dormiet qui cuſtodit Iſrael.

4 Ecce curam tui non abjiciet, neque te derelinquet qui Iſraelitarum protector eſt *Dominus*.

Dominus cuſtodit te; Dominus protectio tua ſuper manum dexteram tuam:

5 Dominus tuebitur te; Dominúſ*que*, manui tuæ dexteræ aſſiſtens, te defendet:

S. Hilarius MS. *cuſtodiet te.* heic & infrà ℣. 7.

Per diem ſol non uret te neque luna per noctem.

6 *Atque* interdiu & de nocte, *ſub ejus curà agens*, illæſus cuſtodieris;

Dominus cuſtodit te ab omni malo, cuſtodiat animam tuam Dominus:

7 Téque Dominus ab omni malo prohibebit, & tuam Dominus vitam tutabitur:

Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum, ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

8 Dominúſque te, per totam vitam tuam *nimirùm* hinc uſque in perpetuum, curabit.

ANNOTATIONES.

levavi &c. S. Auguſtinus: *levent oculos ſuos in montes unde veniet auxilium illis.*

non det. Symmachus ab Heracleota laudatus, Origenes, Heracleota, S. Chryſoſtomus, Theodoritus, & Græcus Paraphraſtes vitiosè legunt μὴ δῴης *ne des*. S. Aug. *ne des admovendum pedem meum.*

neque dormitet &c. Theodoritus, Heracleotam exſcribens, ait: Οὐ νυστάξει &c. *Non dormitet qui cuſtodit te, humano more poſuit ex tranſlatione eorum qui greges* (& exercitus & civitates diligenter) *cuſtodiunt. Naturam enim divinam paſſionibus obnoxiam non eſſe per ea quæ ſequuntur declaravit.*

ecce non dormitabit. Heracleota: οὐ νυστάξει &c. *Non dormitabit ideſt non derelinquet non deſeret.* Huc ſeptem oculi Zach. III. 9. ſpectant; novâque hinc colligi poteſt ratio quæ Pſalmum temporibus Babylonicis adjudicet

ſuper manum dexteram tuam. Heracleota: ἀπὸ τῆς &c. *à metaphorâ eorum qui ſtant in acie. Stabit, inquit, ad manum tuam dexteram ut ſis inexpugnabilis, ut victoriam referas.* Idem notat B. Chryſoſtomus. S. Aug. *Dominus tegumentum tuum ſuper manum dexteræ tuæ.*

per diem &c. Alludit ad exitum Ægyptiacum quum Deus Judæis umbraculum de die circumdedit ut ſolis radio minimè adurerentur; per noctem verò ne quid à lunâ paterentur inquit Heracleota. Confer Iſ. XLIX 10.

neque luna Uſtionem lunæ ſeu frigori impropriè tribui ſi quis credat, ad *a* Ariſtotelem, *b* Ciceronem, *c* Virgilium, *d* Ovidium, *e* Tacitum, *f* Lucanum, *g* Martialem, atque *h* Juſtinum adeat, & ſententiam mutabit.

introitum &c. εἴσοδον &c. *Heic omnem vitam inſinuat: in his enim vita universa conſiſtit nempe in egreſſu & exitu* ait, poſt Heracleotam, B. Chryſoſtomus qui optimè addit:

a lib. IV. Meteor. cap. 5
b lib. 2 Tuſcul. Quæſt. *Pernoctant venatores* &c.
c Georg. I. *Ne tenues pluviæ* &c.
d lib. 3. de Triſtib. eleg. 2. *Plurima ſed pelago* &c
e Annal. lib. 13. *Ambuſti multorum artus* &c
f lib. 4. *Urebant montana* &c
g lib. VIII. Epigr. 68. *Invida* &c.
h lib. 2 de Scythis: *Lanæ iis uſus* &c.

&. id volens apertius significare, subjunxit ab hoc nunc & usque in sæculum. Confer Deut. XXVIII. *6.* 19. III. Reg. III. 7. Act. I. 21. Laudari Heracleota & Chrysostomus monent alium dixisse *accessum tuum* pro *introitum tuum.*

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI VIGESIMI PRIMI.

TΟὺς μὲν προειρημένους &c. *Supradictos quidem Psalmos Propheta mœrentibus accommodavit : hunc autem, qui præ manibus est, iis qui lætum reditus nuntium jam acceperant* inquit, post Origenem & Theodoritum, Græcus Paraphrastes qui sequentia laudatorum Patrum verba *& jucundissimum iter arripuerant* meritò omisit: Psalmus enim in itinere à Judæis usurpatus non videtur; sed eum ab illis cantatum fuisse puto quum adhuc Babylone essent; séque ad iter arripiendum accingerent accepto reditus nuntio.

TITULUS.

Canticum Graduum.

PSALMUS CXXI.

1 *LÆtatus sum in his quæ dicta sunt mihi : in domum Domini ibimus;*

2 *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem:*

3 *Hierusalem quæ ædificatur ut civitas cujus participatio ejus in idipsum.*

PARAPHRASIS.

HIs, quæ dicta mihi fuerunt, *verbis* lætor: *nam, ut accepi,* in templum Domini ibimus;

Pedésque nostri stabunt in atriis *ædis tuæ ò* Hierusalem:

O Hierusalem quæ ædificanda est ut civitas sit *oppidanorum* qui communem *in eà* vitam concorditer degant.

ANNOTATIONES.

lætatus sum. Theodoritus, Heracleotam sequutus, ait: Εὐσεβείας &c. *Religionis est hæc vox: nam exultant & gaudent non tanquam domos recepturi, sed velut divinum templum visuri.* Id versus ultimus confirmat.

cujus participatio &c. periphrasis civitatis quæ nihil est aliud quàm civium, mutuam inter se concordiam colentium, societas. Non contrait Hebræus textus qui habet *ut civitas*

qua conjuncta est sibi pariter; seu *qua connexionem habet* ut vertit, apud Theodoritum, Symmachus.

4 *Illuc enim ascenderunt tribus tribus Domini, testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini;*

Allato, inquam, nuntio lætor: etenim Judaicæ gentes in Urbem Hierosolymitanam, Dominicum nomen, *juxta* mandatum Israelitis impositum, celebraturæ, ascendent;

5 *Quia illic sederunt sedes in judicio, sedes super domum David.*

Illic*que* sedes judiciales, sedes *nimirùm* domus Davidicæ collocabuntur.

6 *Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem; & abundantia diligentibus te.*

Hoc dum fiat, Hierosolymitanæ Urbi pacem apprecamini *ô socii*; faxítque Deus ut rerum omnium copia obveniat iis qui te diligunt *ô Hierusalem.*

7 *Fiat pax in virtute tuâ; & abundantia in turribus tuis.*

Altâ pace fruantur mœnia tua *quum semel excitata fuerint*; & turres tuæ bonis omnibus abundent.

8 *Propter fratres meos & proximos meos, loquebar pacem de te;*

Hanc tibi pacem propter fratres meos atque amicos, *qui in te sunt habitaturi*, precor;

9 *Propter domum Domini Dei nostri quæsivi bona tibi.*

Eáque bona tibi opto propter templum Domini Dei nostri: *ut scilicet mei populares, copiis omnibus circumfluentes atque hostili metu liberati, toti se divino obsequio dedant in templo.*

testimonium. Theodoritus, prælucente B. Chrysostomo, ait: *μαρτύρεται* &c. *Testimonium divinam nuncupavit* a *legem palam jubentem ut Israel in locum concurrat quem elegerit Dominus Deus.* — a Deut. XII. 5.

in judicio. S. Augustinus: *in judicium.*

rogate. Symmachus, Theodorito prolatus, dixit *amplectimini Hierusalem, quiescent qui diligunt te.* S. Aug. legit *interrogate* pro *rogate.*

qua ad pacem. respondent hæc priori hemistichio sequentis versus: cujus secunda pars idem, ac secundum nostri versus membrum, sonat pro more intertextorum Synonymorum. Doctam B. Chrysostomi observationem omittere non possum: ὐ γὸ &c. *Non solùm prædicit futuram à malis liberationem; sed etiam innumerabilium bonorum accessionem, pacem, abundantiam, fertilitatem. Quid enim juvat pax quando in paupertate, fame, & mendicitate vivunt? Quid autem juvat abundantia quando bellum ingruit?*

virtute tua. sic vocat murum quia urbis est virtus. Favet Symmachus qui, apud Theodoritum, interpretatur *pax in mœnibus tuis sit.* Sed ille mihi non probatur Symmachus quum, pro *turribus*, ibidem vertit *regias domos.* Vide annot. ad Psal. XLVII. 11.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI VIGESIMI SECUNDI.

EX Psalmis LXXII. 5. 6. 7. LXXXVIII. 49. 50. didicimus Judæos, qui in Babylonico exsilio versabantur, multis contumeliis vexatos multisque injuriis jactatos fuisse, & Babylonios copiis circumfluxisse omnibus, indéque superbiisse. Quum ergo in hoc carmine homines cernamus Deum rogantes ut probrorum, in ipsos à viris divitibus ac superbis contortorum, ratione habitâ misereri velit sui, vero est simile ut Psalmus noster à Judæis servitutem Babylonicam servientibus usurpatus fuerit: quum præsertim Origenes, Heracleota, S. Chrysostomus, Theodoritus, & Græcus Paraphrastes eum prædictis captivis tribuant.

TITULUS.

Canticum Graduum.

PSALMUS CXXII.

1 *AD te levavi oculos meos qui habitas in cœlis.*

2 *Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum,*

3 *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri.*

4 *Miserere nostri Domine, miserere nostri quia multùm repleti sumus despectione:*

PARAPHRASIS.

AD te oculos attollo *ô* cœlorum habitator *Deus.*

Ecce sicut oculi servorum in manus dominorum suorum intenti sunt,

Et sicut oculi ancillæ in manus dominæ suæ respiciunt donec *alimoniam aliásque vitæ commoditates ab iis accipiant*, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum *sunt defixi* donec misereatur nostri.

Miserere nostri Domine, miserere nostri quoniam summo despicatui sumus:

5 *Quia multùm repleta est anima nostra, opprobrium abundantibus, & despectio superbis.*

Atque admodum contumeliosi sumus facti, & probro divitibus *Babyloniis*, ac contemtui *iisdem* superbis *Babyloniis sumus.*

ANNOTATIONES.

in manibus. S. Augustinus: ***in manus.***

multùm repleta est. subauditur per zeugma ***despectione.***

opprobrium. subintelligitur *sumus*; atque ita Vulgata versio cum Hebræo consentit textu qui habet ***multùm saturata est anima nostra subsannatione opulentorum. despectione superborum.***

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI VIGESIMI TERTII.

LIBERATIONEM à gravissimo Babyloniorum jugo canere videtur hic Psalmus; ídque conjicio ex nomine *laquei* quo captivitas Babylonica in Psal. LXV. 10. donatur; ex personâ plurali *nobis* ℣. 1. quæ captivis ferè convenit, ex voce *torrentem* ℣. 4. quâ ingens denotatur calamitas qualis fuit ea quâ Judæi apud Babylonios vexati sunt, atque ex *auxilio Domini* cujus in versu ultimo fit mentio, & quo captivi illi in Psal. CXX. 1. 2. nitebantur. Favet Græcus Paraphrastes quum ait: Ἀπαλλαγέντες &c. *E captivitate liberati & quæ ibi mala fuerint commemorantes hæc dicunt.* Sed mihi ille non probatur Paraphrastes quum ex Origene, Heracleota, & Theodorito addit. *Aliàs autem propter finitimorum contra ipsos iram, quâ post reditum eos exterminare satagebant, à Deo auxilium consecuti hæc dicunt.*

TITULUS.

Canticum Graduum.

PSALMUS CXXIII.

1 *Nisi quia Dominus erat in nobis dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis*

PARAPHRASIS.

Nisi Dominus adfuisset nobis dicant nunc Israelitæ, nisi Dominus adfuisset nobis

a Ennead. VI. lib. 8. cap. 7. pag. 740. edit. Gr. Lat. 8. fil. 580 fol.
b lib. 1. contra Eunom.
c Heb. XI 1.
d homil. 21. in Epist. ad Heb.
e ad Heb. X. 1.
f Epist. ad Arm.
g ad Heb XI. 1.
h Epist 149. pag 1129. D 11 o. A. B. Epist. 391. pag. 1171. B 10.:. edit. Gr. Lat. 1618
i Orat. 21. p. 396. A.

*Vitiosa lectio: nam 1°. animam calamitatibus implicatam supponit ut apparet collatis locis Psal. XLI. 10. Jon. II. 4. at sequens versus *benedictus Dominus* &c. ostendit praecedentem versum de animâ calamitatibus expeditâ egisse. 2°. ipsemet Hebraeus textus sui depravationem prodit verbo עבר quod, cum nomine מים junctum, efferri deberet עברי ut praecedenti dictione שפטוני liquet & solitis regulis. Itaque probandi nobis sunt LXX. Senes: qui, pro נחלה עבר על נפשנו *torrens transivit super animam nostram*, legisse videntur את נחלה עבר נפשנו *torrentem pertransivit anima nostra*; &, pro עבר על נפשנו המים *transivit super animam nostram aqua* superbae, legisse videntur עבר נפשנו את המים *transivit anima nostra aquas* superbas seu aquam intolerabilem.

2 *Quum exurgerent homines in nos: fortè vivos deglutissent nos;*

Quum homines *Babylonici* in nos saevirent: profectò vivos deglutissent nos;

3 *Quum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos.*

Quúmque furor eorum in nos excandesceret, *certè calamitatum* unda nos obruisset.

4 *Torrentem pertransivit anima nostra; forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.*

Sed, divino suffulti auxilio, calamitatum *illarum* torrentem trajecimus; nósque profundam *malorum, in quibus involvebamur*, aquam verè evasimus

5 *Benedictus Dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.*

Laudetur Dominus qui non sivit nos ab illorum *hominum* dentibus discerpi.

6 *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.*

Nimirùm è Babyloniorum, vitae nostrae jugiter insidiantium, vinculis emersimus instar passeris *qui ex aucupis laqueo evolat.*

7 *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus:*

Praefata vincula rupta sunt, & nos *è servitute* liberati sumus:

8 *Adjutorium nostrum in nomine Domini qui fecit caelum & terram.*

Opem nobis ferente Domino qui coelum & terram creavit.

ANNOTATIONES.

forsitan. Graecè ἄρα assertivè sumo cum Heracleotâ, atque Euthymio qui interpretatur *sanè, profectò, verè.* Rabbini minùs benè vertunt *tunc* cum Interprete cujus meminit B. Chrysostomus.

intolerabilem. idest admodùm profundam in quâ videlicet pes subsistere nequit. Ita docemur ex voce Graecâ ἀνυπόστατον quae rem, cui nihil subest solidi, designat ut discimus ex a Plotino qui voces rerum non exstantium quibusque nihil subest solidi appellat φωνὰς πραγμάτων ἀνυποστάτων; ex S. b Gregorio Nysseno qui aranearum telas speciem habere texturae dicit; at nihil in eis esse quod exstet reverâ σχῆμα τῦ ὑφάσματος; ὑπόστασις δὲ οὐκ ἔστιν ἐν τῷ σχήματι Quibus consonat Apostolus quum fides ab eo definitur c *sperandorum* ὑπόστασις *substantia rerum* hoc est res nondum exstantes subsistere facit ut B. d Chrysostomus, e Theodoritus, f Proclus Constantinopolitanus, atque g Oecumenius interpretantur. Unde Sabelliani tria quidem πρόσωπα hoc est *personas tres* in sanctissimâ Trinitate admittebant; sed impiè vocabant eas ἀνυπόστατα hoc est *non subsistentes per se distinctas sed solâ specie adumbrationéque constantes*, uti ex SS. h Basilio & i Gregorio Nazianzeno discimus. Praedictae explicationi vox *intolerabilis* non repugnat: quae enim nullam, in quâ pes consistere possit, substantiam habet aqua sustineri non potest. Utramque porrò interpretationem voci ἀνυπόστατον Origenes & Heracleota adhibent cum Hieronymiastro; qui addit Aquilam & Symmachum & Theodotionem & omnes interpretes vertisse *aquas superbas & arrogantes.* S. Hil. legit *aquam immensam.* S. Aug. *aquam sine substantiâ.* Rabbini: *aqua superba* sup.* *transiit super animam nostram.*

anima nostra. Euthymius : *anima nostra dixit pro ipsi nos veluti à parte totum significans.* Illud, isto in opere, sæpe contingit.

ARGUMENTUM.
PSALMI CENTESIMI VIGESIMI QUARTI.

JUDÆI, in patriam reversi, multos per annos à finitimis populis vexati sunt atque ab ædificatione ædis Hierosolymitanæ prohibiti fuere. His quum miseriis Israelitæ circumcluderentur, hunc Psalmum Vates ipsis æqualis condidisse videtur ut alacritatem popularibus adderet, eósque de victoriâ faceret certiores.

TITULUS.
Canticum Graduum.

PSALMUS CXXIV.		PARAPHRASIS.
QUi confidunt in Domino sicut mons Sion; non commovebitur in æternum qui habitat in Hierusalem:	1	QUi Domino confidunt *Judæi, inconcussi erunt* ut mons Sion; *&*, qui in Hierusalem versatur, *populus Hebræus* exitio nunquam dedetur:
Montes in circuitu ejus, & Dominus in circuitu populi sui ex hoc nunc & usque in sæculum.	2	*Sacri enim* montes *Sion & Moria* Urbem hanc circumdant, Dominúsque populum suum, hinc usque in perpetuum, circumcinget *ut eum tueatur.*
Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.	3	Unde Dominus impios *Samaritanos alióśque* piis *Judæis* prævalere *tandem* non finet, ne *fortè* pii *illi Judæi* manus iniquitati admoveant *videntes iniquos felicitate uti.*
Benefac Domine bonis & rectis corde:	4	*His, quæso, Israelitis* pietati atque innocentiæ studentibus benefac Domine:
Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus	5	Eos autem, qui sceleribus se obstringunt, *hostes nostros* flagitiosis ad-

cum operantibus iniquitatem. Pax super Israel.

jungat Dominus, *mortem illis inferendo quâ flagitiosi plecti solent. Illis verò morte affectis*, Judæi pace fruantur.

ANNOTATIONES.

obligationes. Theodoritus : *strangulationes Aquila simultates vertit, Symmachus obliquitates, Theodotio perversa.* Vox *obligationes* cum Theodotionis explanatione consentit : obliquitatem enim seu tortuositatem, qualis cernitur in fune dum in circulos ducitur, significat ; adeóque perversitatem notat ut, post Theodotionem, exponit Euthymius. Ipsum *obligationis* vocabulum in hanc sententiam accipit *a* Lucifer Calaritanus dum scribit : *si abstuleris à te vinculum iniquitatis & obligationis.* Interpretatur locum Is. LVIII 6. quem S. *b* Gregorius Nazianzenus non tam benè intellexisse videtur quàm vetus S. Bernabæ *c* interpres qui ita reddidit : *si abstuleris à te nodum & suadelam malorum.* S. Aug. legit *strangulationum.*

a lib. 1. pro Athan in fin.
b Orat. 16. pag. 264. C. D Orat. 19 p. 298. C. edit Gr. Lat. 1609.
c num. 3. pag. 19 edit. edit. Cotel.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI VIGESIMI QUINTI.

QUOD Heracleota, Theodoritus, & Græcus Paraphrastes, Origenem secuti, docent Judæorum plurimos, pravam mentem habentes, in patriam redire noluisse ; pios autem libentissimè reversos fuisse : hósque propriam cernentes libertatem in hoc Psalmo exultare & precari ut hanc & sui gentiles consequantur. Quod, inquam, Doctores illi docent mihi non probatur plurimos, qui redire noluerant, Judæos nuspiam in Scripturâ cernenti ; atque existimanti usurpatum fuisse hunc Psalmum à Judæis omnibus Babylonico jugo adhuc mancipatis, & libertatem à Deo efflagitantibus.

TITULUS.

Canticum Graduum.

PSALMUS CXXV.

1 *IN convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati.*

PARAPHRASIS.

QUum Judæos *Babylone* captivos *è servitute* eduxerit Dominus, multâ consolatione afficiemur :

Tunc

Tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione.	2	Túncque os nostrum lætis hymnis, & lingua nostra festivis carminibus replebitur.
Tunc dicent inter gentes: magnificavit Dominus facere cum eis;	3	Tunc inter gentes *Ethnicas* dicetur: magna sunt atque stupenda quæ Dominus in Judæorum gratiam fecit;
Magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes.	4	*Nósque Gentibus illis respondebimus:* magna *equidem* sunt quæ nostrâ caussâ fecit Dominus, *ideóque* lætitiâ exultamus.
Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in austro:	5	*Quum ergo liberatio nostra tantum nobis gaudium, tibi verò Domine tantam sit allatura gloriam*, revoca nos à captivitate; *sísque nobis* velut torrens per aridam (qualis est Australis) terram decurrens, *eámque recreans totam*:
Qui seminant in lachrymis in exultatione metent.	6	Efficéque ut *Israelitæ* qui, *in captivitate Babylonicâ*, lacrymarum semina spargunt, *illarum fructum* cum gaudio metant.
Euntes ibant; & flebant mittentes semina sua:	7	Euntes *illi* in *hanc captivitatem*, ibant; & lacrymarum semina *pariter* spargebant:
Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.	8	Sed fac ut *ex illâ captivitate in patriam* venientes, veniant cum gaudio, *multis bonorum* manipulis onusti.

ANNOTATIONES.

in convertendo. Augustinianam lectionem *quum converterit* sequutus sum ut & memoratum B. Chrysostomo interpretem qui vertit *quum redire faciet Dominus captivitatem Sion, erimus consolati.*

sicut. particulâ hac exaggerationem hêic designari existimo cum Theodorito.

consolati. reliqui interpretes, ut ait Heracleota; aut eorum unus, ut innuit S. Chrysostomus, exposuerunt *somniantes* Quod hodierni Rabbini sequuntur, quasi Israelitarum liberatio somnium videretur: cujusmodi ferè est quod *a* Livius de Græcis, libertatis nuncium audientibus, narrat; & *b* Appianus, de captâ à Scipione Carthagine loquens, Romanis tribuit. Sed hæc versio ex ipso refellitur Psalmo: qui, quùm de futurâ liberatione sermonem faciat, vocem *somnii* ineptè adhiberet. Adde quod sequens versus, qui nostri est explicatio, prædictam versionem non probat; sed Vulgatæ omninò favet lectioni: ex quâ discimus Hebræum textum pro כחלמים habuisse olim כנחמים. Quæ lectio tertio confirmatur versu, ubi legitur *facti sumus lætantes.*

a lib. 33. ab V. C. *Majus gaudium fuit quàm quòd universùm homines caperent: vix satis credere se quisque audire, alii alios intueri mirabundè, velut somnii vanam speciem.*

b de bellis Punic. circa fin. Ω", &c. *Quæ reputantes vix satis sibi credebant de victoriâ, rogitantes sterum atque iterum alii alios, num certò constaret dirutam esse Carthaginem.* Adde Act. XII. 9:

repletum est. præt. pro fut. ut patet ex verbo *dicent* ℣. 3.

sicut torrens in austro. Heracleota: *Aquila ait sicut fluenta in austro. Symmachus sicut rivos, Quinta editio emissiones.* Idem, innominatis auctoribus, refert B. Chrysostomus, cujus explanatio huc recidit: converte captivitatem nostram cum magnâ vehementiâ non secùs ac urgere atque impellere soles torrentem per austrum. Id sequitur Euthymius qui duas alias affert explicationes: quarum prior optat ut captivitas, instar torrentis, citò feratur seu quamprimùm cesset; altera autem per *austrum* seu *notum* ipsam intelligit Hierusalem ad austrum sitam. Postremæ explanationis meminit, cum Heracleota, Theodoritus qui ita demùm exponit: nostros gentiles undique dissipatos jube congregari, & torrentis instar iter facere. Austrum ego pro terrâ arenti cum Kimchio ex Jud. I. 15. accipio; addóque hanc sententiam Vulgatæ voci *austro* inesse: hac enim voce LXX. Senes terram Australem (quomodo nomen נגב Gen. XIII. 1. I. Reg. XXVII. 10. sumitur) intellexerunt, simúlque terram designarunt arentem: talis enim solet esse terra Australis. Loca Is. XLIX. 10. & Jer. XXXI. 9. huc refero; nec recipiendam censeo Græcorum Patrum B. Chrysostomi, Theodoriti, aliorúmque lectionem quæ, pro nomine *torrens*, habet *torrentes.*

ibant & flebant. Confer Jer. XXXI. 9. & Heracleotam audi: *ἡ μὲν* &c. *Captivitas sementis erat, reditus verò messis. Quemadmodum igitur is qui seminat in labore, posteà percipit proventus; sic etiam vos, quando abivistis, terram laborastis: (quod enim seminantibus sunt imbres, hoc lacrymæ sunt iis qui affliguntur.) Sed, ecce redeuntes, in exultatione metitis.*

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI VIGESIMI SEXTI.

ORIGENI, Heracleotæ, B. Chrysostomo, Theodorito, Euthymio, & Græco Paraphrasti assentior docentibus dictum esse hunc Psalmum de statu rerum qui fuit post reditum: quum nimirum Judæis ædificationem tentantibus; finitimis autem gentibus continuè prohibentibus bellúmque inferentibus & Persarum reges in ipsos irritantibus, Vates populares hortabatur ut ad Deum confugerent, asserebátque omnia frustrà & in vanum fieri nisi Deus opem ferret; sed, eâ accedente, cuncta prosperè processura.

TITULUS.

Canticum Graduum Salomonis.

PSALMUS CXXVI.

1 *NIsi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.*

PARAPHRASIS.

NIsi Dominus ædem *Hierosolymitanam* ædificaverit, frustrà laborant qui eam ædificant *Judæi.*

2 *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustrà vigilat qui custodit eam.*

Nisi Dominus Urbem *Hierosolymitanam* custodierit, frustrà vigilat qui eam custodit *Hebræus populus.*

3 *Vanum est vobis ante lucem surgere. Surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris.*

Frustrà, *ô Judæi*, ante lucem surgitis: *siquidem vestrâ unius diligentiâ ædificatio non absolvetur.* Surgite postquam quieti corpus tradideritis *ô Israelitæ* qui duriore fortunâ conflictamini.

4 *Quum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filii merces, fructus ventris:*

Vos, inquam, ô afflicti Judæi, capto somno surgite: postquam *enim Deus hunc* dilectis suis *Israelitis* somnum indulserit, ecce templum Domini *ope ipsius perficietur; vobisque præterea*, in præmium *constitutæ in Deo spei*, filii *nascentur & ventes vester* liberos edet:

5 *Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum;*

Iique ærumnosorum *Judæorum* liberi, instar sagittæ quæ in manu robusti *viri est, formidini hostibus erunt;*

6 *Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis, non confundetur quum loquetur inimicis suis in portâ.*

Et qui ejusmodi *liberos*, juxta desiderium suum, susceperit beatus erit, nec ullo corripietur timore quum *missos ab* inimicis *legatos* alloquetur ante portam *civitatis.*

ANNOTATIONES.

Salomonis. Id nominis, quod in Hebræo textu & in enarratione Cod. Colb 1132. exstat, Origenes ac Theodoritus in suis Codicibus legebant; &, per illud nomen, non Salomonem (quippe cujus ædificationi sermo propheticus non congrueret;) sed Zorobabelem intellexere tanquam ex Salomone genus ducentem, & tanquam opus Salomonis instaurantem. Verùm prædictum nomen à titulis Codicum omnium Græcorum Reg. ac Colb. & Latinorum Reg. 138. Colb. 158. Memm. 2. nec non ab Heracleotæ, B. Chrysostomi, & Græci Paraphrastis commentariis abest; atque ab imperitâ manu profectum videtur: verba enim Psalmi non à Zorobabele & Jesu filio Salathiel, uti Origenes & Theodoritus existimant, prolata fuere; sed ab illius temporis prophetâ ut Heracleota & B. Chrysostomus sentiunt. S. Hilarius: *Nisi Dominus ædificaverit sibi domum* &c.

vigilat. respicit ad excubias de quibus Neh. IV. 9. 22. Eximiè Heracleota, *κἂν* &c. *etiamsi evigiletis, & manè exciemini: etiamsi serò cubitum eatis; omne tempus in labore & afflictione consumentes, nisi auxilium ejus assequamini, omnia interibunt; &, ex eo studio ac diligentiâ, nulla redundabit utilitas.*

ante lucem surgere. Judæi, ut ex laudatis Nehemiæ locis apparet, excubias agebant & ante lucem surgebant; illique, ut ex Psalmo nostro conjicere est, autumabant hac unâ ipso-

rum diligentiâ urbem adversus hostes custoditum iri, adeóque cœptam ædificationem non iri impeditum. Sed Vates contrarium docebat, monebátque ut in Deo potiùs quàm in ipsorum diligentiâ spem ponerent; eáque de caussâ ipsis suadebat ut laboris nonnihil remitterent quò suam illam in Deum spem testarentur, significarentque se ejus ope magis quàm suis excubiis niti. Hoc autem sic nolim intelligas quasi Vates excubias omninò prohibuisset: hæc enim prohibitio difficillimis temporibus consentanea non fuisset, & Deum tentasset potiùs quàm commendasset: sed excubiæ illæ iis, qui manducabant panem doloris hoc est qui per diem unâ manu faciebant opus & alterâ gladium tenebant, interdicebantur. Unde

a cap. IV. 22. manasse videtur a Nehemianum istud edictum *unusquisque cum puero suo maneat in Hierusalem; & sint nobis vices per noctem & diem ad operandum.*

surgite postquam sederitis. B. Chrysostomus: *Alius, differentibus surgere:* quod hodierno Hebræorum textui congruit; & placuisse videtur Origeni ac Theodorito qui monent illud *surgite* non esse imperativum sed infinitivum. Sed docti illi Patres cum Rabbinis hallucinantur ut ex præcedenti annotatione atque orationis contextu liquet. LXX. legisse videntur קימו מאחרי שבת pro מאחרי שבת.

b Epist. 141. ad Marcellam. col. 180. B. *panem doloris.* B. b Hieronymus: *Aquila interpretatus est panem elaborationum. Symmachus panem ærumnosum. Quinta editio & Theodotion panem Idolorum. Sexta erroris.* Anonymus, à Corderio prolatus atque Heracleotam sequutus, optimè ait: Τί φησι &c. *Quid sibi vult istud qui manducatis panem doloris? Quòd nimirum laboriosam vitam ducerent dum armati ædificarent: alterâ enim manu cophinum aut lapidem ferebant ad ædificandum; & aliâ gladium ad bellandum.*

quum dederit. Rabbini, inepto sensu: *sic dabit.* LXX. legebant כי יתן pro כן יתן.

dilectis suis. Heb. *dilecto suo.* Idem sensus si subaudias *populo*; sed diversa lectio: nam LXX. legebant ידידיו pro ידידו.

hæreditas Domini. id est templum. Vide Psal. LXXVIII. 1.

fructus ventris. Idem quod *filii* ut patet ex Psal. CXXXI. 11. Luc. I. 42. *Hoc autem, ut* notat Euthymius, *dixit* (Vates) *tanquam bonorum omnium caput: liberorum enim procreationi Judæi studebant quam maximè.*

excussorum. verbum נער è quo Psalteriana dictio נעירים fluit, significat *excutere*; &, pro variis rebus ex quibus excuti possumus, in varias sententias distrahitur. Apud Job. XXXVIII. 13. in tristem partem accipitur, impios denotans è terrâ excussos. Apud Is. LII. 2. in lætam partem sumitur, excussam è pulvere hoc est recreatam significans Hierosolymam. Similiter apud Neh. IV. 16. vox נערים lætum significatum obtinet, juvenes ætate florentes designans: qui *excussi* dicuntur quia ex utero materno vel mammis excussi sunt aut potiùs qui ex ephebis recens excesserunt. Apud eundem verò Neh. V. 13. vox נער tristi significatui inservit, viros designans è domo suâ atque è laboribus suis hoc est divitiis excussos seu ærumnosos. Psalterianum vocabulum sub postremam sententiam subjiciendum esse; adeóque LXX. Senum interpretationem illi, quæ *juvenes* interpretatur, versioni præstare nemo diffitebitur qui tractatam in Psalmo historiam attenderit. Unde, qui *filios excussorum* filios eorum qui erant aliquando vincti & alligati exponit atque ab arborum, quæ fructibus decussis orbæ vacuæque maneut, metaphorâ desumtum putat, Heracleota mihi, cum Theodorito *excussos* imbecilles & miseros explanante probatur. Sed nullatenùs placent sive Aquila qui,

c loc. cit. col. 181. A. referente B. c Hieronymo, interpretatus est *filii pubertatum*; sive Symmachus & Theodotion vertentes apud eundem Hieronymum, *sicut filii juventutis*; sive ipse S. Hieronymus qui,

d loc. cit. col 181. B. hos interpretes Theodorito etiam memoratos sequutus, *filii juventutis* vertit; d aitque *excussos consuetudine sermonis humani vegetos & robustos & expeditos vocari.* Hæc quidem significatio interdiu locum habet, nominatim in textu Neh. IV. 16. quem doctissimus Presbyter adducit; sed eam à Psalmo nostro historia in eo enarrata omninò arcet. Etenim illa de filiis, quos ii qui è captivitate Babylonicâ redierant, in pietatis suæ præmium suscepturi erant, agit: quúmque parentes illi maximis miseriis vexati fuissent, vox *excussorum* ad ærumnas est referenda, quum præsertim sensus ille tactæ, quæ fieri poterat, objectioni optimè occurrat, & rerum eventui egregiè consonet. Objici poterat nascituros ex afflictis parentibus filios infirmos ac debiles fore. Objectionem illam elevat Vates, præfatos filios sagittæ à manu validâ contortæ assimilans. Eventus autem ostendit *excussorum* illorum filios maximis viribus instructos fuisse: quippe qui Idumæos, Moabitas, Samaritas, aliósque

populos fregerint. Laudatus B. Chrysostomo interpres vertit *alligatorum* pro *excussorum*.

qui implevit desiderium suum ex ipsis. Heracleota & B. Chrysostomus: *Alius, qui implebit pharetram suam ex ipsis.* Id hodierni Rabbini sequuntur, & probat B. a Hieronymus; additque se in Hebræo & in cunctis editionibus ita reperisse, *beatus vir qui replevit pharetram suam ex ipsis: ut, quia metaphora semel sumpserat ex sagittis, & in pharetra quoque translatio servaretur.* Hanc non carpo versionem; sed nostram optimam esse defendo; & dico mihi vero fieri simile ut LXX. legerint חצי pro אשפתו. B. Hieronymus in versione habet *implevit*; in Epistolâ autem 135. *implebit.* S. Hil. MS *beatus vir quum implevit.*

a Epist. 141. ad Marcellam. col. 181. B.

non confundetur quum loquetur. pluralem numerum S. Hilarius, S. Chrysostomus, Theodoritus, aliique minus benè adhibent.

in porta. Origenes [illegible] &c. *hoc secundùm veterem morem dixit: non enim intra portas recipiebant legatos qui* (ab hostibus) *mittebantur; sed foris ipsis responsa dabant.* Heracleota & Theodoritus eamdem exhibent annotationem quæ eximia est; atque huic longè anteponenda quæ portas heic refert ad Judæorum judicia quæ in portis civitatum fiebant.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI VIGESIMI SEPTIMI.

EODEM tempore eodémque consilio compositus videtur hoc Carmen ac Psalmus CXI.

TITULUS.

Canticum Graduum.

PSALMUS CXXVII.		PARAPHRASIS.
Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus:	1	Quicumque Deum reverentur & præcepta ejus observant, felices sunt:
Labores manuum tuarum quia manducabis; beatus es & benè tibi erit.	2	Etenim, *si Deum colueris ô homo*, opibus labore manuum tuarum partis vives *nemini supplex*; *atque ita* beatus eris ac fortunatus.
Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ:	3	*Præterea* uxor tua, in penetralibus domus tuæ latens, ferax erit ut vitis:
Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.	4	Tuique filii, novis *iisque virentibus* olivarum plantis similes, mensam tuam *vegeti* circumdabunt.
Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum.	5	Ecce sic benedicetur homo qui Dominum reverebitur.

6 *Benedicat tibi Dominus ex Sion; & videas bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ:*

7 *Et videas filios filiorum tuorum, pax super Israel.*

6 *Quid quod* bonis te *aliis* Dominus ex Sione cumulabit; & Hierosolymam, toto vitæ tuæ tempore, cernes florentem:

7 Tuósque nepotes *atque* Israelitas *summâ* felicitate utentes *videbis*.

ANNOTATIONES.

labores &c. SS. Hilarius & Augustinus: *labores fructuum tuorum manducabis.* De hoc textu vide B. Hieronymum Epist. 141. col. 181. D.

vitis abundans. apta comparatio: nam vites sunt fertilissimæ ut notissimum est colligique potest cùm ex triferis, quarum *a* Aristoteles & *b* Plinius meminere, vitibus; tum ex biferis *c* Plinio memoratis. Nec minùs aptè numerosam prolem Vates commendat: ea enim eximium est Dei donum. Unde Romani, Spartiatæ, aliique populi patribus, numerosam sobolem habentibus, præmia proposuerunt ut ex *d* Aristotele, *e* Plutarcho, *f* Dione, & *g* Digestis apparet. Huc autem fœcunditas, quâ uno partu complures filii eduntur, non pertinet, ut apparet ex *h* Caio Jurisconsulto cui fœcunditas illa portentosa videtur, ex *i* Plinio à quo habetur ut mali ominis signum, ex *k* Julio Capitolino qui eam inter adversa adscribit, ex *l* Tatiano cui abominabilis censetur, atque ex veteri *m* Canone qui conjuges, ob tergeminam prolem uno partu effusam, pœnitentiæ subjicit. De portentoso hujusmodi partu plura cupienti *n* Samuel Petitus, *o* Annibal Fabrotus, *p* & Bochius facient satis.

in lateribus Hoc ideò dictum quia honestæ mulieres domi se continere nec in publicum evagari debent: quâ de re *q* Homerum, *r* Platonem, *s* Aristotelem, *t* Xenophontem, *u* Ciceronem, *x* Athenæum, *y* Plutarchum, *z* Æmilium Probum, *&* Valerium Maximum, imperatores * Justinianum ac *a* Leonem, & *b* Claudium Espencæum fructuosè leges; indéque Vatem magis suspicies.

novella olivarum. Oleam, testibus *c* Theophrasto & *d* Plinio, perpetua commendat viriditas: quùmque ea novis plantis præcipuè conveniat, idoneâ comparatione Vatem uti liquet.

a de mirabil. auscult. pag. 1087. paulò ante med.
b Hist. nat. lib. XVI. 27.
c loc. cit.
d de Repub. II. 9. pag. 247. G.
e de amore prolis pag. 493. E. ubi honores trium liberûm memorat.
f lib. 43. ubi ait: πολυπαιδίας &c. iis, *qui multos liberos procreassent, præmia proposuit* Julius Cæsar.
g de munerib. & honorib. l. *Et qui originem* parag. *quamvis.* & parag. *cura frumenti.*
h leg. *Virum* ff. de rebus dubiis.
i lib. VII. 3. ubi de Faustâ.
k in Antonino Pio. p. 186. circa med. edit. Basil. 1533 fol. cum aliis Romanæ Historiæ Scriptoribus.
l Orat. contr. Græc. p. 160. C.
m Monum. Eccl. Gr. to. 1. p. 148.
n Observat. lib. II. 3.
o Exercit. 1.
p ad Psal. CXXVI 3. p. 647. 648. 649.
q Odyss. A. vers. 356. & seq.
r lib. VII. de Legib. p. 781. C. 806. A. to. 2.
s Oeconom. I. 3. pag. 377. C.
t in Oeconomico. pag. 483. lin. 22 & seq. 489. lin. 3. & seq. in Gr.
u Orat. pro Cœlio. post med. *virorum alienissimorum* &c.
x lib. XII. 1. pag. 521. C.
y in Præcept. conjug. pag. 139. C. 142 D. lib. de Isid. & Osir. pag. 381. E. Quæst. Rom. pag. 271. C. D. E.
z in Præfatione *Quem enim Romanorum pudet* &c.
& lib. VI. 3.
* Novel. XXII. 15.
a Constit. 48.
b in cap. 2. Epist. ad Tit.
c lib. I. 11.
d lib. XVI. 20.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI VIGESIMI OCTAVI.

HERACLEOTÆ, B. Chrysostomo, Theodorito, Euthymio, & Græco Paraphrasti subscribo asserentibus editum fuisse hunc Psalmum ut Judæos, à finitimis populis, post reditum, vexatos atque ab ædificatione prohibitos nec eam finientes, in bonam spem adduceret. Verùm, ut sancti Patres notant, Psalmus rectiùs novo congruit populo: qui multos quidem hostium impetus sustinuit; sed omnes superavit, hostésque supplices reddidit.

TITULUS.

Canticum Graduum.

Psalmus CXXVIII.

1 *SÆpe expugnaverunt me à juventute meà dicat nunc Israel.*

2 *Sæpe expugnaverunt me à juventute meà; etenim non potuerunt mihi.*

3 *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores; prolongaverunt iniquitatem suam;*

4 *Dominus justus concidet cervices peccatorum. Confundantur, & convertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion:*

5 *Fiant sicut fœnum tectorum; quod, priusquam evellatur, exaruit;*

6 *De quo non implevit manum suam qui metit, & sinum suum qui manipulos colligit;*

7 *Et non dixerunt, qui præteribant: benedictio Domini super vos; benedicimus vobis in nomine Domini.*

Paraphrasis.

IN hæc, Israeliticus populus, verba nunc erumpat: ex quo ex Ægypto discessi, me hostes sæpe oppugnaverunt.

Me, *inquam*, hostes, ex quo ex Ægypto discessi, sæpe oppugnaverunt; sed mihi non prævaluere.

Improbi *illi hostes* bellum mihi diutiùs intulerunt; & suam, *crebris suis infestationibus*, iniquitatem auxere;

Sed Dominus impiorum *illorum hostium* audaciam contudit. *Similiter, ô populares*, omnes, qui Sioni bellum *nunc* inferunt, *inimici* pudore suffundentur, *à conatibus suis excidentes*; atque in fugam vertentur:

Fiéntque sicut fœnum, quod in *ædium* tectis nascitur; quódque, priusquam resecetur, exaruit;

Et quod ad perfectionem non pervenit: sic ut eo messor manum suam non impleat, neque eo suum, qui *relictôs à messoribus* manipulos colligit, sinum impleat;

Neque prætereuntes dicant *messoribus*: faustâ vos segete beet Dominus; felicem vobis, à Domini benignitate, messem optamus.

ANNOTATIONES.

sæpe expugnaverunt &c. Heracleota: ἐκ τῶν &c. *ex præteritis jubet ipsos de futuris spem concipere*. S. Hilarius legit *impugnaverunt*.

juventute mea. Theodoritus: Νεότητα &c. *juventutem vocat commorationem in Ægypto & ex eâ liberationem*. Præluxerat Heracleota, sic explanans: ἀφ' οὗ &c. *ex quo ex Ægypto recessi*.

etenim, Heracleota : *Alius, sed non potuerunt mihi. Alius; sed non praevaluerunt mihi. Alius, attamen non potuerunt.* Duarum primarum interpretationum beatus etiam Chrysostomus meminit.

supra dorsum meum &c. Aquila & Theodotion, narrantibus Heracleotâ & Theodorito, interpretati sunt *araverunt*: quod hodierni Rabbini sequuti, minùs benè legunt *araverunt arantes; prolongaverunt sulcum suum.* LXX. pro על גבי חרשו חרשים האריכו למעניתם legisse videntur על גבי חרשו רשעים האריכו את עונתם; & prius verbum rectè interpretati fuere ut apparet ex Gen. IV. 22. III. Reg. VII. 14. S. Augustinus legit *longè fecerunt injustitiam suam.*

concidet &c. S. Hilarius MS. *concidit peccatorum cervices.*

cervices. Theodoritus : *laqueos Aquila & Symmachus dixerunt; sed Theodotio torques interpretatus est.* Legebant illi עבית ut hodie in Hebræo habemus : sed LXX. legisse videntur גבית: Idem ubique sensus ut ostendit Theodoritus.

confundantur. Hanc, quæ ab Euthymio proponitur, interpretationem *confundentur & convertentur* sequutus sum : quum præsertim, ut laudatus Euthymius notat, illam loquendi figuram in sequentibus etiam observemus.

* *fænum tectorum.* alludit ad Palæstinam: ubi tecta erant plana & solis ardor vehementissimus qui natum, in tectis illis, fœnum exsiccabat antequam maturesceret & ad messem perveniret. Unde cognoscimus Vatem hac fœni metaphorâ precari ut hostes immaturum finem accipiant, atque ut eorum conatus ad optatos exitus non provehantur. S. Hilar. legit *fænum ædificiorum.*

& non dixerunt &c. respicit ad morem de quo Ruth. II. 4.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI VIGESIMI NONI.

AB Israelitis servitute Babylonicâ oppressis & suam in Deo spem collocantibus atque libertatem poscentibus usurpatum fuisse hunc Psalmum Euthymius aliique complures docent; ídque dictio *redimet* ℣. 8. aliæque Psalmi loquutiones, prædictum tempus omninò redolentes, suadent.

TITULUS.

Canticum Graduum.

PSALMUS CXXIX.		PARAPHRASIS.
DE profundis clamavi ad te Domine : Domine exaudi vocem meam;	1	E profundis *malorum undis, quibus apud Babylonios immersus sum*, clamo ad te Domine, *dicens*: Domine vocem meam audi;
Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.	2	Sint*que* aures tuæ ad vocem deprecationis meæ attentæ.

Si

Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?	3	Nemo *quidem* Domine consistere ante te *& vultum tuum subire poterit* si iniquitatum ejus rationem habere, *easque ad severum examen vocare* volueris.
Quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te Domine.	4	*Sed* in te Domine spero cùm propter misericordiam quæ tibi inest, tum propter legem tuam *quâ veniam pœnitentibus promisisti.*
Sustinuit anima mea in verbo ejus, speravit anima in Domino;	5	Spem anima mea in *hac* Dei *promissione* habet, meâ*que* anima in Domino sperat;
A custodiâ matutinâ usque ad noctem speret Israel in Domino:	6	Suâ*sque* Israelitæ spes in Domino, à custodiâ matutinâ usque ad noctem, defigunt:
Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemtio.	7	Quia Dominus misericordiâ præditus est, & multa ei clementia inest.
Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.	8	Unde Israelitas ab omnibus ipsorum miseriis eripiet.

ANNOTATIONES.

propter legem tuam. Theodoritus legit *propter nomen tuum*; additque Aquilam & Theodotionem *timorem* vertere, Symmachum autem *legem*. Idem ferè habet Heracleota qui addit alium vertere *ut cognoscatur verbum tuum*. S. a Hieronymus: *pro nomine enim sive lege apud Hebræos legitur thira quod Aquila interpretatus est φόβον hoc est timorem; Symmachus & Theodotion νόμον idest legem: putantes thora propter literarum Iod & Vau similitudinem & formam qua tantùm magnitudine distinguntur. Quinta editio terrorem interpretata est. Sexta verbum.* Nostra (quæ ad Deut. IV. 29. respicit, & quam B. Chrysostomus uni Interpreti tribuit) lectio retinenda est ut sensu patet ac sequenti, quod prius explicat, hemistichio *sustinuit anima mea in verbo ejus*. LXX. legebant ולמען תירתך *& propter legem tuam* pro למען ת רא: quod B. Hieronymus vertit *quum terribilis sit*; Rabbini verò ferè interpretantur *ut timearis*.

a Epist. 131. col. 145. C.

in verbo ejus. Heb. ולדברו *& verbum ejus*. Prius ו *Vau* transpositum est, atque ad vocem למען pertinet ut ex sensu liquet & nostrâ versione.

à custodiâ matutinâ &c. S. Hieronymus vertit *à vigiliâ matutinâ usque ad vigiliam matutinam*. Rabbini: *præ custodibus in matutino, custodibus in matutino*: quod ita communiter intelligitur ut Vates divinam misericordiam ardentiùs expetat quàm excubitores nocturni tempus matutinum. Hebraicus, quo B. Hieronymus utebatur, textus uno tantùm mendo heic deformabatur: hodiernus autem triplici errore maculatur. Hebraicus B. Hieronymi textus peccabat quòd haberet עד הבקר *usque ad mane* seu *usque ad vigiliam matutinam*: id enim non rectè procedit ut ex communi apparet sermone qui, quum actionem non interruptam significare vult, ait à mane usque ad vesperam seu noctem, non autem à mane usque ad mane. Hodiernus autem Hebræorum textus tripliciter defœdatur. 1°. quia legit משמרים. 2°. quia caret particulâ עד *usque*. 3°. quia bis ponit לבקר quum in priore loco legi debeat הבקר in ultero לילה. Depravatissimum textum, allucente Vulgatâ, ad

primævum nitorem restituo, legens משמורת הבקר עד לילה pro משמרים לבקר שומרים לבקר. Confer Exod. XIV. 24. & bonum sensum ac regimen consule; mihique, ni fallor, assentieris. Græci minùs benè habent *à custodiâ matutinâ usque ad noctem: à custodiâ matutinâ speret* &c. De vigiliis Hebræorum diximus ad Psal. LXXXIX. 5. Addo, ex Rabbi Salomone, custodiam matutinam dici eam quæ est ante mane, hoc est quæ à nonâ noctis horâ usque ad ortum solis pertingit.

iniquitatibus. accipiò pro pœnis quæ iniquitates vocantur quia iis imponuntur. Vide annot. ad Psal. LXVIII. 32.

ARGUMENTUM.
PSALMI CENTESIMI TRIGESIMI.

QUANDOQUIDEM David, tempore Saulis in suspicionem appetiti regni inciderat, & superbiæ fuerat insimulatus, existimant nonnulli præsens carmen ab eo fuisse compositum ut hanc à se calumniam propulsaret; ostenderétque se demisso animo fuisse, nec unquam ad ambitionem incubuisse. Hæc mihi opinio probari nunquam potuit ob versum ultimum qui, quum de Israelitis loquatur, præfatum tempus non sapit. Babylonicam ille captivitatem (uti ex ultimo præcedentis Psalmi versu colligitur) redolet: &, nisi mea me conjectura fallit, Psalmus noster à Judæis Babylonicam servitutem servientibus usurpatus fuit. Scilicet ex Ezech. VII. 24. XVI. 56. XXIV. 21. Amos. VI. 8. VIII. 7. Soph. III. 11. se in captivitatem, ob superbiam, abductos fuisse meminerant: unde rati demissionem esse iter ad libertatem proximum & quasi compendiarium, ad eam se adjungebant; indéque suum urgebant reditum.

TITULUS.

Canticum Graduum.

PSALMUS CXXX.

1 *DOmine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei:*

PARAPHRASIS.

DOmine non superbit cor meum, neque arrogantiâ elatus sum:

Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.	2	Neque altos gero spiritus, nec me insolenter effero.
Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam:	3	Si *demißè atque* humiliter de *me (ut dixi)* non sentio, sed meum effero animum;
Sicut ablactatus est super matre sua; ita retributio in anima mea.	4	Mœror mihi contingat similis *illi* quo afficitur puer à lacte depulsus.
Speret Israel in Domino ex hoc nunc & usque in sæculum.	5	*Ex hac porrò demißione* fit ut Israelitæ spem in Domino collocent hinc usque in perpetuum.

ANNOTATIONES.

si non humiliter &c. Symmachus, Theodorito prolatus & probatus, dixit: *nisi dignatus sum & comparavi animam meam infantulo à lacte depulso apud matrem suam, sic retribuatur anima mea.* S. Chrysostomus putat dictum esse per hyperbaton hoc modo: *si non humiliter sentiebam sicut ablactatum super matrem suam; sed exaltavi cor meum ita retribuatur anima mea.* Sed hoc minùs rectum videtur. Multò minùs placent Rabbini quum, pro *ita retributio*, vertunt *sicut ablactatus.* S. Hilarius sententiæ nostræ favet dum legit *sicut ablactato super matre suâ, sic retribues in animam meam.*

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI TRIGESIMI PRIMI.

ΠΟλλὴν &c. ideſt, *Multam hic Pſalmus*, inquit Origenes, *cum LXXXVIII. cognationem habet: etenim ibi & heic captivi, qui Babylone erant, universorum Deum obsecrant: promißiones magno Davidi ab ipso factas, pro precibus, offerentes; & ut veniam consequantur orantes.* Hanc sententiam totidem verbis recitat Theodoritus, eámque Græcus Paraphrastes sequitur; atque Heracleotæ, B. Chrysostomo, & Euthymio probata fuit ut ex eorum Commentariis liquet. Sed eam versus 8. refellit: is enim arcæ meminit quam in secundo templo * defuisse scimus. Mihi loca III. Reg. VIII. 24. 25. 26. I. Paral. XXII. 10. II. Paral. VI. 10. 15. 17. 41. 42. cum Psalmi nostri versibus 8. 9. 10. 11. 17. comparanti vero fit simile ut Psalmus iste à Salomone, destinata patris implente atque

* contrarium non docet locus II. Macchab. cap. 2. ℣. 5. 7.

arcam in templum à se ædificatum inferente, usurpatus fuerit.

TITULUS.

Canticum Graduum.

PSALMUS CXXXI.

1 *MEmento Domine David & omnis mansuetudinis ejus,*

2 *Sicut juravit Domino votum vovit Deo Jacob.*

3 *Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in locum strati mei.*

4 *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem;*

5 *Et requiem temporibus meis donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.*

6 *Ecce audivimus eam in Ephrata; invenimus eam in campis sylvæ.*

PARAPHRASIS.

SALOMON DEUM ALLOQUENS. Memento Domine Davidis & omnis ejus modestiæ,

Quâ adductus juramento ac voto se Domino *&* Israelitarum Deo obstrinxit, *dicens:*

Non ingrediar domum meam, neque lectum meum conscendam.

Non dabo somnum oculis meis, nec palpebris meis soporem;

Aut temporibus meis requiem *indulgebo* donec ædem Domino exstruam, *&* templum Deo Israelitarum *ædificem.*

Ecce *à Majoribus nostris* audivimus ædem, *cujus excitandæ desiderio tantopere ardebat David pater meus, primùm* in Ephraimiticâ regione fuisse; *postea verò* deprehendimus eam in sylvosis *montis Moriæ* campis ædificandam esse.

ANNOTATIONES.

David. Id nominis non significat *fortem* seu *potentem* aut *sufficientem* sive *idoneum manu* ut docent innuuntve *a* Origenes, *b* Eusebius, *c* Asterius, *d* Cassianus, *e* Auctor Operis imperfecti in Matthæum, *f* Elias Cretensis, *g* Olympiodorus, & *h* Dorotheus Monembasiensis: nec etiam *contemtum* sive *abjectionem* significat ut est apud *i* Maximum; neque utrumque sonat uti censet *k* Hesychius qui aliam interpretationem nempe *solum* nihilo meliùs adducit. Nec denique significat *fortem manu & fortem visu* ut traditur in Commentariis trium *l* Patrum Græcorum in Cant. Cant. Sed significat *dilectum* ut *m* laudato Operis imperfecti auctori atque *n* Hesychio notatum est. Atque hinc facilè conjicimus Salomonem Davidis mentionem facere ut ædificatum à se templum Deo probet: non enim dubitabat quin Deo probaretur ædificatio de quâ David, ipsi charissimus, cogitationem suscepisset.

mansuetudinis ejus. modestiam interpretor cùm ex Codice *o* Germanensi qui legit *modestia ejus*; tum ex hoc, ad quem Psalteriana dictio respicere videtur, textu II. Reg. VII. 2.

a ad Matth. V. 9 in Philocaliâ.
b Demonstr. Evang. lib. VII p. 358. C
c pag. 18. C. 54 B. in Monum, Eccl Gr to. 1.
d Collat. XXIV. 8. *Ille manu fortis* &c.
e ad cap. I. 6.
f in Orat 1. S. Greg. Naz col 182. B.
g ad cap. I. 1. Ecclesiastis. pag. 601. E. to. 2. Biblioth. Patr. Græc. edit Paris 1624.
h in Synopsi Historiarum.
i Quæst. 53. & 65 in Scripturam to 1. pag. 147. lin. 9. 179. lin. 49. edit. Gr. Lat. Paris. 1675.
k in Cat. aureâ in 50. Psalmos pag 258.
l in Biblioth. Patr. Græc to. 2. pag. 722 B.
m loc. cit.
n loc. cit.
o citatur in var. Lectionibus præfixis tomo 4. S Aug. edit. Monach. Benedict.

Videsne quod ego habitem in domo cedrina & arca Dei posita sit in medio pellium. Modestiam autem Noster dicit *mansuetudinem* quia mansuetudo individua est modestiæ comes: unde utraque virtus à Christo conjungitur *discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Rabbini vertunt *afflictionis ejus*; sed hæc afflictio cum sequentibus non congruit versibus qui modestiam non afflictionem supponunt.

juravit &c. Hujus juramenti ac voti posteà memorati mentionem, in aliis Scripturæ libris, non habemus; sed non mirum: quum multa in Psalmis reperiantur quæ alibi prætermissa fuere. Hoc autem juramentum & votum sic debet intelligi ut David juraverit ac voverit se quieti corpus non daturum aut ædes ingressurum antequam omnes vias persequeretur quibus putaret ad eam, quam volebat, ædificationem pervenire posse.

& requiem temporibus meis. Desunt hæc in Hebræo; sed erant olim ut ex nostrâ apparet versione.

inveniam. in eam sententiam accipi hæc vox debet quâ Gallicè dicimus: *je ne feray pas en repos que je ne vous aye trouvé un bon poste*; c'est-à-dire, *procuré & donné.* Hanc sententiam probant textus II. Reg. VII. 2. 5.

eam. fœmininum genus pro neutro usurpatum ut Psal. XXVI. 7. Unde B. Hieronymus vertit *illud*: cernens nimirùm præfatum pronomen ad tabernaculum referri, adeóque non de inventâ arcâ sed de invento arcæ templo agi, ut mox dicemus.

Ephrata. sumitur aliquando pro Bethlehem ut Gen. XXXV. 19. XLVIII. 7. Mich. V. 2. sed eam hejc accipio pro Ephrateâ regione in quâ erat Silo; & quam *Ephratam* dici nemo opinor mirabitur qui textum Jud. XII. 5. 6. legerit ubi Ephratæus vocatur qui ex Ephraim oriundus erat. Adde insignem etiam locum I. Reg. I, 1.

campis sylvæ. Urbem Cariathiarim multi exponunt eò quòd prædicta urbs sonet *urbs sylvarum*, ibique juventa à Davide fuerit arca. Sed expositionem illam rejicio quia non de inventâ arcâ agitur, sed de invento arcæ templo: quod, quum in Cariathiarim nunquam fuerit, ibi à Davide inveniri non potuit. Adde quod David arcam in Cariathiarim invenerat quum de ædificando templo ædificationem susceipit: unde inventæ in Cariathiarim arcæ mentio huc pertinere non potest. Aream ego Ornam Jebusæi per *campos sylvæ*, cum Jansenio intelligo; sed *sylvosam* appellationem neque ex ædificatâ ibi domo saltus Libani neque ex monte Sione qui dicitur in Scripturis Libanus neque ex vicino monte Iarim cum laudato Auctore promo: verùm eam peto ex sylvâ quæ prædictam aream circumdabat. Hujus quidem sylvæ reliqui Scripturæ libri non meminere; nisi fortè illam ex II. Reg. XXIV. 22. I. Paral. XXI. 23. suspicemur; sed multa, alibi prætermissa, Psalmis mandata fuisse jam observavimus: unde me ab explicatione nostrâ non avertit ista B. Hilarii ratio: *quid* (commune) *area ad sylvæ campos?* Notari porrò heic debet similitudo quam Psalmus noster ad Psalmum LXXVII. 73. 74. 75. habet in eo quod uterque templum in Ephrateâ regione seu Silo & Sione aut Moriâ tantùm fuisse doceat: quod non parvum præsentis versus explicationi pondus affert.

Introibimus in tabernaculum ejus; adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.	7	*Jam verò, quum* Dominicam *ædem in monte illo exstruxerim,* in eam ingrediemur; Deúm*que* in *sacro hoc*, ubi pedes ejus stant, loco adorabimus.
Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ:	8	*Tu autem, ò* Domine, *hanc, quæ tibi dicata est*, ædem, perdiu incole unà cum arcâ per quam *fortitudinem tuam ostendis indéque* laudem tibi paris:

surge Domine. quandoquidem arca jam in templum illata fuerat & gloria Domini domum Dei compleverat ut ex II. Paral. V. 7. 14. VI. 41. liquet, hunc versum de longo incolatu interpretatus sum: adductus insuper versibus 14. 15. infrà.

sanctificationis tuæ. Hebraicus textus habet *fortitudinis tuæ*, & ita legit Vulgata nostra in II. Paral. VI. 41. sed sensus eodem recidit: nam arca dicitur *sanctificatio Dei* quia Deus suum per eam robur, adversùs hostes Israelitarum, ostendens ab Israelitis sanctificabatur seu honorabatur & laudabatur. Vide annot. ad Psal. XCV. 6.

9 *Sacerdotes tui induantur justitiam, & sancti tui exultent.*
Tui *verò* sacerdotes sanctitate sint pleni, & Levitæ tui pietatem læti colant.

10 *Propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui:*
Sed & Salomonem, in regiam dignitatem à te evectum, ne *ex eà* depelle propter promissa Davidi servo tuo facta:

11 *Juravit Dominus David veritatem; & non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam;*
Dominus enim Davidi certissimum promissum fecit; nec fidem violabit quam ei dedit, *dicens*: viros stirpe tuâ ortos constituam in throno tuo;

12 *Si custodierint filii tui testamentum meum, & testimonia mea hæc quæ docebo eos,*
Et si filii tui legem meam servaverint, *eáque*, de quibus illos erudiam, mandata curaverint,

13 *Et filii eorum usque in sæculum sedebunt super sedem tuam.*
Ipsi & filii eorum in solio tuo semper sedebunt.

14 *Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam inhabitationem sibi,*
DEUS SALOMONI RESPONDENS. Quoniam Moriensem montem elegi; eúmque mihi, in domicilium, elegi,

15 *Hæc requies mea in sæculum sæculi, heic habitabo quoniam elegi eam:*
Ibi ad longos annos manebo; *&*, quia locum *illum, præ cæteris*, elegi in eo habitabo:

induantur justitiam. laudatus Paralipomenων locus habet *salutem* eodem sensu; sacerdotes enim sanctitate suâ salutem populo comparant.

sancti tui. Levitas cum Kimchio intelligo ex lege Synonymicâ & versu 17. infrà qui quum sacerdotum & sanctorum, post viduas & pauperes, mentionem faciat, *sanctos* ut & *sacerdotes* Aaronicæ familiæ adjudicare heic videtur. Iis autem sanctis, hoc est viris Deo sacratis, sanctitatem adscripsi cùm ex lege Synonymicâ; tum ex voce *bonis* quæ in præfato Paralipomenων loco reperitur quæque sanctimoniam designare videtur eò quòd bona omnia æquet sitque bonorum maximum.

propter David. inita cum Davide pacta voces illæ potissimùm respiciunt ut Heracleotæ, & B. Chrysostomo notatum est, atque ex orationis contextu liquet: unde auctor non sum ut Sanctorum invocatio versu nostro fundetur. Sed eam fulciri velim testimoniis B. *a* Johannis, *b* Origenis, *c* Patrum Gangrensium; S. *d* Gregorii Nazianzeni, S. *e* Hieronymi, S. *f* Ambrosii, S. *g* Chrysostomi, S. *h* Augustini, *i* Patrum Chalcedonensium, *k* Theodoriti;

a Evang. cap. V. 45.
b homil. 26. in Num. p. 172. I. homil. 3. in Cant. Cant. p. 338. I.
c can. 20.
d Orat. XIX. p. 283. C XXIV. p. 425. B.
e in Epitaphio Paulæ col. 140. A in vitâ Hilarionis col. 337. B. lib. contr. Vigil col. 161. B.
f lib. de Viduis to. 8. col. 45. K edit. 1539.
g Orat. 2 de Provid. to. 1. p. 725 B
h Epist. 121. c. 9. Serm. VII. de Temp. Serm. XCIV. de Diversis c. 5. lib. de Civit. X. 12.
i dum *Martyrium* memorant. can. 6. cui adde basilicas & oratoria in honorem Sanctorum exstructa apud Theodoritum hist. Relig. cap 3. 16. 21. 24. 28.
k divin. Decret. 5. de Angelis. in Dan. 4 Hist. relig. cap. 2. in fine. Serm. 8. contr. Græcos Adde Pseudo-Athanasium Serm de sanctissimâ Deiparâ. pag. 810 D. E. 821. A. to. 1.

a Amphilochii, b Actorum Cyri & Johannis, c Sidonii, d Glycæ, e Cabasilæ, f Philonis, & g Rabbi Akibæ. Quibus B. h Paulus, i Laodicena Synodus, k Theodoritus, S. l Augustinus, m Ambrosiaster, S. n Irenæus, o Origenes, p Lactantius, aliique à q Vossio producti non adversantur: quum enim illi Angelicam invocationem damnant, eam intelligunt invocationem quà, præterito Christo, invocabantur Angeli velut Dii hoc est honore qui uni Deo deberetur. Solutionem hanc rejicit r Vossius dicens: *aliter primis creditum seculis, quibus constanter placuit illud Apostoli: unus Deus, unus mediator Dei & hominum homo Jesus Christus.* Sed Vossium refellit s Theodoritianus, qui ab t ipsomet citatur, locus: præter eum quem ex Origene adducit præsertim si ille accedat u textus qui in margine indicatur. Angelici etiam inter hæreticos à B. x Epiphanio locati & y Vossio quoque prolati assertæ invocationi non officiunt: illi quippe Hæretici, Pythagoricos & Platonicos sequuti, Angelos habebant ut beneficiorum dispensatores (unde natæ quæ à B. z Irenæo memorantur appellationes *paredrorum & onirepomporum*); eósque colebant ut Deos, & illis ea quæ summo Deo sunt propria nempe munera & libamina tribuebant &: quod nos damnamus, longéque abest ab invocatione quæ à nobis usurpatur. Alia suppeditabunt † Bellarminus, aliíque.

non avertas faciem Christi tui. avertere faciem alicujus est ejus preces respuere III. Reg. II. 20. sed avertere faciem Christi seu regis est eum quà regem aversari, nolléque eum intueri; atque adeò eum regali solio deturbare. Favet locus II. Paral. VI. 42. in quo hæc phrasis *ne averteris faciem Christi tui*, explicatur per istam *memento misericordiarum Davidis servi tui*, hoc est promissi de regià posteritate ei clementer facti.

non frustrabitur eum. Gr. *ἀθετήσει αὐτήν*, eodem sensu. S. Augustinus: *non pœnitebit eum.*

super sedem tuam. S. * Cyprianus: *super thronum meum*; & ita S. Hilarium legisse indicat ipsius explanatio. col. 1052. A.

quoniam elegit. Etsi in Psal. LXXVII. 74. tribus Juda electa cum monte Sion dicatur, nihilominus Psalterianum *quoniam* non videtur esse ratio præcedentis versiculi. Unde prædictum adverbium ad sequentia retuli verba; eáque præcedentis orationis responsionem esse putavi cùm ex earumdem ferè rerum repetitione tum ex III. Reg. IX. 3 4. 5. II. Paral. VII. 16. 17. 18.

Sion. pro Morià sumitur ut I. Macchab. IV. 37. 38.

16 *Viduam ejus benedicens benedicam, pauperes ejus saturabo panibus.*

Indéque Hierosolymitanæ urbis viduas bonis cumulabo, hujus*que urbis* pauperibus victum largè & copiosè suppeditabo.

17 *Sacerdotes ejus induam salutari, & sancti ejus exultatione exultabunt.*

Ejusdem *Urbis* sacerdotes eximià sanctitate ornabo, & Levitæ ejus pietatem læti colent.

18 *Illuc producam cornu David; paravi lucernam Christo meo:*

In hac *tandem* Urbe solium Davidis, *juxta factam ei promissionem*, firmabo; & Principi *huic*, à me singulariter dilecto, regiam posteritatem comparabo:

19 *Inimicos ejus induam confusione; super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.*

Ejus *autem* inimicos ignominià afficiam; & sacrum, quod capiti ipsius *olim* imposui, diadema magno cum splendore *in posteris ejus* fulgebit.

viduam ejus &c Deus optimus plura sæpe dat quàm petamus: unde non mirum si divina responsio *viduas & pauperes*, in Psalterianà Salomonis oratione omissos, memoret; quum

a in vità Basilii apud Rosvveyd. de vitis Patr. p. 158. Vide & pag. 189. B 367. B.
b apud Metaphrastem ad diem 31. Jan.
c pag. 12. edit. Sirmond. 1652.
d part. 4. Annal. pag. 283 C. edit. Reg. Paris. 1660.
e Expofit. Liturg. c. 48. to. 2. Biblioth. Patr. Græc.
f lib. de *Plant. Noe*, paulò post init. lib. de *Gigantib.* paulò post init. lib. de *Somnis* circa med. ubi Angeli dicuntur internuntii & mediatores. Adde Eunapium in Ædesio.
g in lib. *Otiuth* ad litt Daleth.
h Coloss. II. 18.
i can. 35.
k ad cap. 2 & 3. Coloss. p 355 C. 359. D. to. 3.
l Confess. lib. X c. 42.
m in c. 1. Epist ad Rom.
n lib. II. 57. sub fin.
o lib. 5. (non 8) contr. Cels. p 233. lin. 18 & seq. edit. Gr. Lat. 4. Cantab. 1658.
p lib. II. 17.
q lib. I. de Idolol. cap. 9.
r loc. cit. pag. 35.
s lib 3 (non. 2.) Græc. affect p 522. B. to. 4.
t loc. cit p. 37. 2.
u [illegible] 8. contr Cels. εὐφημεῖν &c. pag. 416. ante med.
x Hæres 60.
y pag 3 : & fin.
z lib. I. 20. 24 Vide annot. Vales. ad Hist. Euseb. lib. IV. c. 7. pag 62. B
& vide B. August. de Civit. VIII. 18. X. I. 24. S. Chrysostomum homil. 6. 10 cap. 2. Epist. ad Col. Oecumenium ac Theophilactum ad eundem locum. Zonar. & Balsam. ad can 35. Laod.
† de Sanct. beatit. lib. I. 13. Adde Valent. to. 3. disput. 6. q. . punct. 7. Baron. ad. an 60. num. 20 Sirmond in Notis ad can 35. Laod. p. 127. to. 2. Concil. edit. Reg. 1644
* Testim. 2. pag. 253. ante med.

præsertim illi in Salomonicâ prece III. Reg. VIII. & II. Paral. VI. supponantur. Cæterùm Heracleota, Chrysostomus, Theodoritus, Græcus Paraphrastes, & Sixtina editio pro *viduam* habent θήραν *venationem* : indéque non abeunt Rabbini qui, Symmachum, Theodorito prolatum, sequuti ferè vertunt *annonam* seu *victum*. Quam interpretationem firmare videtur Hieronymiaster, dicens : *Pro viduâ idest χήρα & Hebræa volumina & ipsi Septuaginta* θήραν *habent : sed, propter novitatem verbi & unius literæ demutationem, paulatim obtinuit ut pro* θήρα *legeretur* χήρα *: maximè quia in sequenti versiculo pauperes sequebantur.* θήραν *Symmachus & Aquila cibaria interpretati sunt.* S Hilarius meminit translatoris interpretantis *captionem ejus* ; &, paulopost, addit : *sed nobis sequenda est prima illa & sub Judæorum temporibus ante Domini adventum ad Ecclesiæ doctrinam consignata translationis auctoritas viduam ejus benedicens benedicam.* Quibus in verbis beatissimus Præsul exemplum dat quod sequamur, & Hieronymiastrum damnat asserentem LXX. vertisse θήραν. S. *a* Cyrillus legit θύραν *portam*.

a ad Is. LX.

cornu. idest imperium seu regnum. Confer Psal. CXLVIII. 13. Luc. I. 69. & beatum lege Hilarium.

lucernam idest liberos : sic dictos quia parentum quasi oculi sunt lucerna & lumen. Unde *b* Festus Pompeius liberos vocat *lumen*, & S. *c* Gregorius Nazianzenus filium ὀφθαλμὸν βίου *oculum vitæ* paternæ appellat, aitque *d* Artemidorus quòd *dexter oculus significat filium* : postquam *e* dixisset quòd *similes oculis sunt liberis : nam & amabiles sunt, & corporis pravii ac duces quemadmodum pueri parentum in senectâ*. Confer III. Reg. XV. 4. IV. Reg. VIII. 19. II. Paral. XXI. 7.

sanctificatio mea. Confer Psal. LXXXVIII. 38.

b In voce *Orba*. p. 137. lin. 56 p. 350. lin. 14. e sic Auct. Lat. ling. Colon Allob. 1602. 4°.
c Orat. 16. p. 245. B.
d Oneirocriticorum lib. I. 28 pag. 27. ante med.
e Ibid. pag. 26. non procul ab initio.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI TRIGESIMI SECUNDI.

CONCORDIA nihil est jucundius aut utilius ; eáque Reipublicæ maximè conducit. Unde quum, post reditum è captivitate Babylonicâ, Judæi simul in patriâ habitare & Rempublicam constituere cœpissent operæ precium erat eos ad concordiam hortari ; ídque isto Psalmo præstitum fuisse existimo : neque enim eorum laudo sententiam qui putant celebrari à Davide divinam gratiam quæ populum, sub Saule & post ejus mortem, miserè dissipatum, in unum corpus rursùs coegisset. Theodoritus & Græcus Paraphrastes existimant cani in Psalmo conjunctionem decem Tribuum quæ post reditum facta sit. Sed mihi hæc conjunctio probari non potuit scienti decem Tribus, sub Roboamo divisas, è Babylone non rediisse.

TITULUS

TITULUS.

Canticum Graduum.

Psalmus CXXXII.		Paraphrasis.
ECce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum:	1	ECce quàm bona & quàm jucunda res est concordes simul manere fratres:
Sicut unguentum in capite quod descendit in barbam barbam Aaron:	2	*Grata est hæc concordia* instar olei *illius fragrantissimi* quod *ex Aaronis capite* in ejus barbam *olim* defluxit:
Quod descendit in oram vestimenti ejus. Sicut ros Hermon qui descendit in montem Sion.	3	*Et* quod *ex barbâ* decidit in oram *superiorem* vestis *sacerdotalis quà collum in eam inserebatur. Utilis insuper est eadem hæc concordia* sicut ros qui in Hermonem ac montem Sionem depluit, *quique utrumque montem feracem reddit ac fertilem.*
Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem & vitam usque in sæculum.	4	*Has verò commoditates continet concors fratrum societas* quia ei benedictionem Dominus impertitur, eámque perpetuo favore ornat.

ANNOTATIONES.

fratres. sic etiam *a* Plato concives vocat; & Christus eodem sæpe utitur nomine: quo se deinde Christiani vocarunt ut ex *b* Justino, *c* Athenagorâ, *d* Tertulliano, *e* Minucio felice, *f* Lactantio, aliísque intelligimus. Hoc autem nomen concordiam & amicitiam designat ut ex isto quod Nigidius, *g* Gellio prolatus, affert etymo *frater* quasi *ferè alter*: quâ ex amicitiâ, nomini fratris insitâ, fluxisse videtur consuetudo Regum fratres se appellantium, cujus moris antiquum vestigium in *h* Chronico Alexandrino habemus. Habitatione in unum seu communi vitæ consuetudine amicitia quoque denotatur ut ex *i* Aristoteli liquet ac experientiâ. De concordiâ civium legendus *k* Plato.

unguentum. compositum erat ex myrrhâ electâ. Exod. XXX. 23.

qui descendit. repetendum est, per zeugma, *sicut ros* ut docet Kimchius: credi quippe non debet rorem ex Hermone in Sionem fluxisse; sed rorem utrique monti fertilitatem dedisse. Hermonis mentio fit in Deut. III. 8. Jos. XI. 3. XIII. 5. 11. Ille porrò mons vocatur שיאן Sion Deut. IV. 48. unde quidam minùs benè colligunt rem eandem bis heic dici, vocémque minus frequentem שיאן mutatam fuisse in vocem similis soni ציון. Rorem autem fertilitatis ergo memoratum puto ex Gen. XXVII. 39. Prov. XIX. 12. & *l* Virgilio.

illic. ὧ &c. ***non de loco dicit sed de re*** ait Paraphrastes Græcus, Heracleotam sequutus qui *illic* explicat: ***in tali habitatione in tali concordiâ.***

vitam. pro favore seu felicitate accipio ut in Psal. XVI. 15. XXXVII. 20. idémque hoc in versu dici arbitror atque in istis Sallustii verbis: ***concordiâ parva res crescunt maxima dilabuntur.***

a de Repub. lib. 3. p. 415. A. to. 2.
b Apol. 2. pro Christianis ad Antonin. Pium. p. 97. B. C.
c legat. pro Christ. p. 36. C.
d Apolog. cap. 39.
e in Octavio *sic nos, quod invidetis* &c.
f Instit. V 16.
g Noct. Attic. lib. XIII 10.
h pag. 771. lin. 6.
i Ethic. Nicom. lib. VIII 6. p. 78. C. D. E. to. 2.
k Alcib. I. pag. 126. B D. p. 127. B & de Rep. V p. 462.
l Georg. 1. *Et quantum longis* &c.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI TRIGESIMI TERTII.

POSTQUAM Judæi ab exilio Babylonico reducti fuerunt & templum ædificatum est, par erat ut, qui in templo illo versabantur, Sacerdotes ac Levitæ Deum pro tantis beneficiis celebrarent, & preces diu noctúque pro novo isto populo funderent. Hoc ut in animis eorum altiùs defigeretur compositus videtur hic hymnus; ut &, qui proximè illum consequitur, Psalmus: cujus noster breviarium esse videtur. Origenes, Theodoritus, & Græcus Paraphrastes Psalmum Judæis, è Babylone regressis, ante me accommodarunt.

TITULUS.

Canticum Graduum.

PSALMUS CXXXIII.		PARAPHRASIS.
Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi Domini	1	Eia nunc laudate Dominum omnes servi Domini
Qui statis in domo Domini in atriis domus Dei nostri.	2	*Sacerdotes & Levitæ* qui in domo Domini & in atriis domus Dei nostri versamini.
In noctibus extollite manus vestras in sancta; & benedicite Dominum.	3	Vestras manus, per noctem, versùs sanctuarium *(ubi est Arca)* extollite; & Dominum, *pro collatis beneficiis*, celebrate.
Benedicat te Dominus ex Sion qui fecit cœlum & terram.	4	*Tùm fausta populo apprecamini, dicentes :* bonis te ex Sione cumulet Dominus qui fecit cœlum & terram.

ANNOTATIONES.

in atriis &c. ex versu ultimo sacerdotum intelligo atrium, cujus meminit [a] Philo cum B. Antonino: ex quo [b] Bochius optimè ostendit quatuor fuisse atria templi, quorum primum

[a] lib. 3. de vitâ Mosis, non procul ab initio.
[b] ad Psal. XXVI. 2. pag. 146.

sacerdotibus erat proprium. Cæterùm præsentis versus secunda pars in Hebræis codicibus non legitur, sed fuisse olim suadent Vulgata versio & Psal. CXXXIV. 2.

in noctibus. Hoc ideò dictum quia Sacerdotes & Levitæ excubias in templo agebant : à Laicis imitatione interdum expressi ut *a* Annæ prophetissæ apparet exemplo, quod Majores nostri sequebantur ut colligere est ex S. *b* Basilio, S. *c* Epiphanio, S. *d* Ambrosio, S. *e* Chrysostomo, *f* Leontio, *g* Concilio Turonensi II, S. *h* Eligio, S. *i* Cæsario, S. *k* Gregorio Magno, *l* Gregorio Turonensi, *m* Theodulpho, compluribusque aliis qui Laicos preces noctu fudisse & nocturnis officiis adfuisse ostendunt.

a Luc. II. 37.
b Homil. in Martyrem Julittam. to. 1. p. 370. C. D. 371. A.
c Exposit. fid. Catholicæ n. 23 p. 1106. A. n. 24. p. 1107. B.
d in Psalm. CXVIII. serm 7. 8. 19 lib 1. de Abraham cap. ult.
e homil. 67. ad pop. Antioch. homil. de Anna comment. in Psal. 41. & homil. 26. in Acta.
f in vitâ S. Johannis Eleemosynarii cap 44. p. 201. in Vitis Patrum
g cap. 4.
h homil. 11.
i homil. 55. p. 777. G. to. 5. part. 3. Biblioth. Patr. 1618.
k Dial lib. IV. c. 14. p. 371. C. to. 3. homil. 15. in Evang. p. 40. A. to. 3.
l Hist. II 7. VI. 15 de Glor. Martyr. lib. II. 9. 11. 21. 35. Mirac. B. Mart. lib. I 12. II. 31. 45. III. 21.
m capitul. 24.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI TRIGESIMI QUARTI.

LIBERATIONEM Babylonicam hoc in Psalmo cani versus 4. 5. 8. 9. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. cum Psal. XCV. 4. CIV. 35. CXIII. 2. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. collati mihi suadent præter decimum Jeremiæ caput, quod meam non solùm sententiam firmat sed magnam Psalmo nostro lucem affert. Judæos, paulò antequam in captivitatem abducerentur, hortabatur Jeremias ut vana & peritura Idola non colerent, sed Deum verum atque æternum & creatorem ac gubernatorem omnium venerarentur. Salutaribus Jeremiæ monitis Judæi aures non præbuerunt : unde in exsilium acti fuere Babylonicum : ex quo reducti, tum demum intellexere optima sibi à laudato Vate monita olim tradita fuisse ; ideòque hunc condidisse videntur Psalmum : in quo eadem, quibus Jeremias usus fuerat, exempla adhibuerunt additis nonnullis, quæ ad hujus Prophetæ sententiam confirmandam idonea videbantur, exemplis ex priscâ historiâ petitis & quibus pateret Deum esse magnum & laudibus dignissimum ; Idola verò nihili esse ducenda. Atque hic videtur esse scopus in quem totus collineat Psalmus : qui, uti mox annotabam, Babylonicam (quam sibi potissimum canendam proponit) liberationem præfatis ornat exemplis ut ex iis omnibus constet uni Israelitarum Deo præco-

nium esse tribuendum, vanáque esse & risu digna Ethnicorum Idola: quod argumentum, post depulsam servitutem Babylonicam, maximè celebratum fuisse discimus ex Psal. XCV. 4. 5. XCVI. 7. 10. Jer. L. 2.

TITULUS.

Hallelujah.

PSALMUS CXXXIV.		PARAPHRASIS.
Laudate nomen Domini, laudate servi Dominum	1	Laudate nomen Domini, laudate Dominum vos *ò* servi ejus
Qui statis in domo Domini in atriis domus Dei nostri.	2	*Sacerdotes & Levitæ* qui in domo Domini *&* in atriis templi Dei nostri versamini.
Laudate Dominum quia bonus est Dominus, Psallite nomini ejus quoniam suave.	3	Laudate, *inquam*, Dominum quia bonus est Dominus, *&* nomen ejus celebrate quoniam beneficum est.
Quoniam Jacob elegit sibi Dominus: Israel in possessionem sibi.	4	*Laudate Dominum* quoniam Israelitas elegit sibi Dominus: *elegit, inquam*, Israelitas in peculiarem propriumque sibi populum *quem beneficiis ornaret.*
Quia ego cognovi quòd magnus est Dominus; & Deus noster præ omnibus Diis.	5	*Laudate, inquam, Dominum:* nam, ut ego *optimè* novi, magnus est Dominus; & Deus noster omnibus *Ethnicorum* Diis longè præstat.
Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo in terrâ in mari & in omnibus abyssis:	6	*Nimirùm* Dominus in cœlo & in terrâ in mari & in omnibus æquoribus facit quicquid ipsi lubet:
Educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit;	7	Nubésque è mari educit, & pluviam fulguribus prænuntiat;

ANNOTATIONES.

Suave. idest beneficum: nihil enim est beneficentiâ suavius. S. Augustinus habet *suavis* eodem nobiscum sensu.

ab extremo terra. Heracleota: ἐξ &c. *ut plurimùm è mari aliisque aquarum congregationibus nubes evaporantur: fines autem terra sunt sinus maritimi. Hoc autem magis admirandum quòd, quum aquarum natura deorsum feratur, divino verbo attrahatur & sublimis fiat & circumlata libretur donec erumpat.* Assentitur Theodoritus.

fulgura &c. Heracleota: ὑετοὺς &c. *Aquarum copiam per fulgura prænuntiat; & prodigiosum exhibet miraculum: scilicet contrarias naturas concurrentes & proprietatem suam conservantes, ignem videlicet in aquâ & aquam in igne: siquidem in aquis fulgureus ignis decurrit, neque illas calefacit neque ipse extinguitur.* Ex nostro autem textu confutatur Priscillianus qui fulmina diaboli opus non divinum arbitrabatur ut testantur *a* Patres primi Concilii Bracarensis qui anathema in Hæreticum illum dixere: meritò sanè ut nostro apparet Vate: quocum fulmen divinum opus credebant qui fulmine ictos tanquam amicos Dei colebant; & locum, in quo icti fuerant, sacrum censebant, templum vocabant, & aris sacrificiis cæteróque cultu dignabantur: cujus rei testimonia apud *b* Artemidorum, *c* Pausaniam, *d* Plinium, *e* Plutarchum, *f* Ammianum Marcellinum, *g* Pseudo-Clementem, aliósque habemus.

a cap. 8.

b lib. II. 8. pag. 90 91.
c Eliac. I. p. 308. lin. 13. 14. 15.
d lib. II. 53. 54.
e lib IV. Sympos. quæst. 2. p 665. C. VI. quæst. 10. p. 685. D.
f lib. XXIII p. 246. lin. 9. edit. Vales. 1636. 4°.
g Recognit. IV. 28 p. 460. A. edit. Cotel.

8 *Qui producit ventos de thesauris suis. Qui percussit primogenita Ægypti ab homine usque ad pecus;*

Ventósque ex abditis, *in quibus eos includit*, locis profert. *Adhæc* primogenita tam hominum quàm pecorum *olim* in Ægypto percussit;

9 *Et misit signa & prodigia in medio tui Ægypte, in Pharaonem & in omnes servos ejus.*

Atque *alias* portentosas, in medium tui *ô* Ægypte, pœnas & animadversiones immisit quibus Pharaonem & omnes ejus subditos plecteret.

10 *Qui percussit gentes multas, & occidit reges fortes.*

Prætererea multas percussit gentes, & fortes occidit reges:

11 *Sehon regem Amorrhæorum, & Og regem Basan, & omnia regna Chanaan;*

Videlicet Sehon regem Amorrhæorum, & Og regem Basan, cæterósque Chananæorum reges;

Num. XXI. 24. 33. Jos. XI. 12. XII. 1. & seq.

12 *Et dedit terram eorum hæreditatem: hæreditatem Israel populo suo.*

Terrámque eorum hæreditario jure possidendam distribuit: hæreditario, *inquam*, jure possidendam distribuit Israelitico populo.

13 *Domine nomen tuum in æternum Domine, memoriale tuum in generationem & generationem.*

His miraculis Domine nomen tuum perpetuò inclytum erit, *&* tui memoria sempiternis sæculorum ætatibus vigebit.

14 *Quia judicabit Dominus populum suum; & in servis suis deprecabitur.*

Vigebit etiam quia Dominus populum suum à *Babylonicâ* servitute liberavit; & servis suis placatum se exhibuit, *eos in libertatem vindicans.*

de thesauris. Euthymius: *per thesauros Dei hoc in loco Propheta occulta illa loca intelligit*

unde exeunt venti: occultus enim dicitur esse thesaurus eò quòd & generatio & locus ejus ignoratur. Psalmographo succinunt *a* Homerus; *b* Virgilius, *c* Horatius, *d* Juvenalis, atque *e* Statius qui ventos in carcerem contrusos repræsentant; sed à Psalmographo ac veritate præfati auctores abeunt quum Æolum carceri huic præesse dicunt. Cæterùm *f* Plato, *g* Aristoteles, *h* Cicero, *i* Plinius, *k* Seneca, *l* Vitruvius, *m* Plutarchus, *n* Gellius, aliique de ventis tractant; nec eos satis pandunt; quod non miror audiens à Vate ventos ex divinis thesauris produci.

deprecabitur. S. Hilarius, *consolabitur.* S. Aug. *advocabitur.*

15 *Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.*

Parem salutem Idola Ethnicorum afferre nequeunt: siquidem nihil sunt aliud quàm argentum & aurum, opúsque manuum humanarum.

16 *Os habent; & non loquentur: oculos habent; & non videbunt.*

Os *quidem habent*; sed non loquuntur: oculos habent; sed non vident:

17 *Aures habent; & non audient: neque enim est spiritus in ore ipsorum.*

Aures habent; sed non audiunt; denique animata non sunt.

18 *Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.*

Similes illis fiant qui ea faciunt, & omnes qui spem in iis ponunt.

19 *Domus Israel benedicite Domino, domus Aaron benedicite Domino.*

Vos autem b Israelitæ Dominum, *Idolis illis longè præstantiorem*, laudate; *vósque pariter ô* posteri Aaronis Dominum laudate.

20 *Domus Levi benedicite Domino; qui timetis Dominum benedicite Domino.*

Laudate Dominum posteri Levi; *eundémque* Dominum laudate Judæorum cæteri.

21 *Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Hierusalem.*

Denique laudetur Dominus *qui*, ex Sione, *bona in nos effudit plurima: laudetur, inquam, Dominus* qui in Hierusalem habitat, *indéque suum in nos favorem emisit.*

simulachra &c. Vati assentitur Sophocles, cui mente capti dicuntur illi qui spem in simulachris saxeis atque aureis & aureis eburneisve imaginibus ponunt. Poetæ hujus testimonium à *o* Justino Martyre, *p* Clemente Alexandrino, *q* Eusebio, & *r* Theodorito citatur: istumque de Idolorum inanitate locum S. *s* Cyprianus & *t* Arnobius eximiè ornant. Nec verò è Psalteriano textu sacras templorum nostrorum imagines damnari colligas: ille enim textus eas, quæ adorationis latriæ caussâ fiunt, imagines perstringit; non verò illas quæ reverentiæ gratiâ formantur cujusmodi sunt nostræ: quarum apologiam alio adornavi in *u* loco: cui addi velim testimonium Constantini Episcopi Constantiæ Cypri modò in ipsâ *x* Nicænâ Synodo II. legatur: non verò in *y* Capitularibus Karolo Magno adscriptis aut in *z* Concilio Francofordiensi ubi sensu planè in verso recitatur.

a Odyss. x. Ἔνθα &c.
b Æneid. I. *Luctantes ventos* &c.
c lib. I. Od. 3. *ventorúmque regat* &c.
d S tyr. 5. -- *madidas siccare* &c.
e Theb. lib. 10. *Non aliter* &c.
f in Phædone. p. 111. B. to. 1.
g Meteor. I. 13. II. 4. & lib. de Mundo c. 4.
h lib. 2. de Divin.
i lib. II. 42. 45.
k Nat. Quæst. V. 1. 4. 5.
l lib. I. 6. VIII. 2.
m de Placit. Philos. III. 7.
n lib. II. 22.
o Paræn. ad Græc. p. 16. A.
p Strom. V. p. 601. B.
q Præp. Evang. l. lib. XIII. 13. p. 680. D.
r Serm. 7. contr. Gr. p. 590. A. to. 4.
s lib. de Idol. vanit.
t advers. Gentes lib. 1. &c.
u Rest. relig. Christ to. 2.
x Act 3. p 201 to. 19. edit Reg. Paris. 1644.
y lib. III. cap. 17. pag. 385. in libro cui titulus *Imperialia decreta de cultu imaginum.* Francof MDC. LIX Hæc Capitularia doctissimus Sirmondus Karolo M. abjudicat, pluribúsque contendit Nicænam II. Synodum à Patribus Concilii Francofordiensis non fuisse condemnatam Vide Notas ejus in Concil. Francof. to. 2. Concil. p 161 & seq. De libris Carolinis nihil impræsentiarum dicam: tantùm monebo verisimile mihi fieri ut Nicæni Patres damnati fuerint in Concilio Francofordiensi, decepto scilicet Actis Nicænæ Synodi in Latinum Sermonem minùs benè conversis. Vide Baronium to. 9. p. 41. & cũ eo distingue *damnari in Concilio* & *damnari per Concilium*.
z cap 2. in libro *Imperialium decretorum* p 6. & in Concilio Francofotd. p. 145. 146 ubi Canonis finis reformandus videtur ex prædicto lib. *Imp. decret.*

-neque enim est spiritus. ad Gen. II. 7. alludit; & idola inanimata esse docet: nec contrarium suadent sive Venus Dædalea aut Vulcani tripodes *a* Aristoteli memoratæ, quæ sese sponte movebant; sive simulathrum columbæ ligneæ ab Archytâ Tarentino factum & *b* Favorino laudatum, quod volabat; sive Memnonis statua quæ, referente *c* Pausaniâ, quotidie sub ipsum solis ortum sonum edebat qualem vel citharæ vel lyræ nervi si fortè, dum tenduntur, rumpantur. Hi, inquam, motus contrarium non suadent utpote qui physici non essent, caussásque haberent externas atque artificiosas, de quibus Psaltes non loquitur; & quas Gellius attingit dicens de simulachro Archytæ volante: *ita erat scilicet libramentis suspensum & aurâ spiritus inclusâ atque occultâ concitum.*

a lib. 1. de Anima. cap. 3. p. 480. H. to. 1. & de Repub. l. 4. p. 224. G. H. to. 1.
b apud Gellium. X. 12.
c in Atticis pag. 78, sub fin.

ARGUMENTUM.
PSALMI CENTESIMI TRIGESIMI QUINTI.

GRÆCUS Paraphrastes, prælucente Origene, ait hunc Psalmum continere gratiarum actionem pro reditu, cæterisque bonis omnibus quæ (Judæi) consecuti fuerant. Hanc sententiam versus 1. 4. 10. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. cum Psal. CVI. 1. 2. CX. 4. 8. CXIII. 20. CXXXIV. 4. 5. 8. 10. 11. 12. & singulorum versuum clausulâ ad Psal. CVI. 8. 15. 21. 31. exactâ collati probant: atque, ut paulò uberiùs res explicetur, dico divinam, quæ in liberatione Babylonicâ micaverat & quam Vates celebrandam sibi proponit, potentiam ac magnitudinem multis aliis exemplis commendari ut potentia illa ac magnitudo splendidior reddantur, & susceptum argumentum magis confirmetur: eodem ferè modo atque in Psalmo præcedenti, cujus ordo nostrum fermè imitatur, adeòque similitudinem argumenti infert.

TITULUS.
Halleluiah.

PSALMUS CXXXV.

1 *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus.*

2 *Confitemini Deo Deorum quoniam in æternum misericordia ejus.*

PARAPHRASIS.

Laudate Dominum quoniam bonus est, & perpetuò misericors.

Deum, *falsis Ethnicorum* Diis superiorem, laudate quoniam perpetuò misericors est.

3 *Confitemini Domino* Do*minorum, quoniam in æternum misericordia ejus.*

Dominum *iis*, *quos Pagani pro Dominis* colunt, superiorem laudate quoniam perpetuò misericors est.

4 *Qui facit mirabilia magna solus, quoniam in æternum misericordia ejus.*

Dominum, qui solus magna miracula facit, *laudate* quoniam perpetuò misericors est.

5 *Qui fecit cœlos in intellectu, quoniam in æternum misericordia ejus.*

Dominum, qui cœlos summâ ratione condidit, *celebrate* quoniam perpetuò misericors est.

6 *Qui firmavit terram super aquas, quoniam in æternum misericordia ejus.*

Dominum, qui terram super aquas stabilivit, *laudate* quoniam perpetuò misericors est.

7 *Qui fecit luminaria magna, quoniam in æternum misericordia ejus.*

Dominum, qui luminaria magna fecit, *celebrate* quoniam perpetuò misericors est.

8 *Solem in potestatem diei, quoniam in æternum misericordia ejus.*

Dominum, qui solem ut de die luceret creavit, *laudate* quoniam perpetuò misericors est.

9 *Lunam & stellas in potestatem noctis, quoniam in æternum misericordia ejus.*

Dominum, qui lunam & stellas ut de nocte lucerent condidit, *celebrate* quoniam perpetuò misericors est.

10 *Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum, quoniam in æternum misericordia ejus.*

Dominum, qui omnes Ægypti primogenitos vitâ spoliavit, *laudate* quoniam perpetuò misericors est.

11 *Qui eduxit Israel de medio eorum, quoniam in æternum misericordia ejus.*

Dominum, qui Israelitas è medio Ægyptiorum eduxit, *laudate* quoniam perpetuò misericors est.

12 *In manu potenti & brachio excelso, quoniam in æternum misericordia ejus.*

Dominum, qui manu potenti & brachio valido *eosdem Israelitas ex Ægypto eduxit*, *laudate* quoniam perpetuò misericors est.

ANNOTATIONES.

in intellectu. *a* Origenes existimavit nihil in mundi descriptione à Mose factâ crassum ac corporeum comprehendi, sed intelligibilia omnia & à sensibus remota quæ sensibilibus rebus velut figuris adumbrentur. Erronea est hæc sententia; eámque B. *b* Epiphanius, S. *c* Augustinus, & *d* Sophronius Hierosolymitanus meritò damnant. Ei Psalterianus textus non favet: illa enim verba *in intellectu* indicant cœlum cum intelligentiâ hoc est sapienter summáque ratione conditum esse, quod & testatur *e* Cicero: quem qui legerit, allegoricas Origenis explanationes

a lib. 4 de Princip. in Exceptis Philoc. cap. 1. pag. 12. 13 edit. Cantab. 1658. 4°.
b Hæres. 64. p. 518. C. & Ancor. num. 54. p. 57. C.
c lib. de Hæresib. hæres. 42. pag. 12. to. 6.
d in Epist. quam ad Sergium Constantinop. scripsit, quæque exstat in Synodo sextâ Act. 11. p. 138 to. 16.
e lib. 2. de Nat. Deor.

explanationes (eas nimirum quæ literam explodunt & solos sensus intellectuales seu mysticos heic admittunt) rejiciet, etsi hujusmodi allegoriæ in Jud. IX. 10. 14. Psal. XVII. 10. 11. 12. 13. 16. 17 18. Is. XI. 6. LXV. 25. paucisque aliis (quibus unus inest sensus metaphoricus) recipiendæ sint locis, inter quæ cæteri Scripturæ textus adscribendi non sunt: quippe qui res veri soliditate fundatas narrent hoc est res edisserant quæ verè & realiter contigerint; ad discrimen Ovidianarum v. g. fabularum in quibus res describuntur quæ nunquam contigere, quod uno utrinque exemplo declarandum est. Abrahamus v. g. duos filios reverâ genuit; sed Phaeton nunquam è cœlo deturbatus est. Heic solam allegoriam; illic allegoriam veritati junctam habes.

qui percussit Ægyptum &c. Quærit hoc loco Theodoritus quomodo per misericordiam mors efficiatur; & respondet quòd, qui injuriâ affectos miseratur, injuriâ afficientes plectit. Optima responsio: ad cujus elucidationem dico secundum hemistichium, ad Israelitas referri qd. laudate Dominum quia, quum Ægyptios & Chananæos reges Judæis infensos percussit, misericordiâ erga Judæos usus est.

13 *Qui divisit mare rubrum in divisiones, quoniam in æternum misericordia ejus.*
Dominum, qui mare *Rubrum* in duas partes divisit, *laudate* quoniam perpetuò misericors est.

14 *Et eduxit Israel per medium ejus, quoniam in æternum misericordia ejus.*
Dominum, qui Israelitas per hujus *maris* medium traduxit, *laudate* quoniam perpetuò misericors est.

15 *Et excussit Pharaonem & virtutem ejus in mari rubro, quoniam in æternum misericordia ejus.*
Dominum, qui Pharaonem ejúsque exercitum *coeuntibus iterùm* prædicti maris aquis involvit, *laudate* quoniam perpetuò misericors est.

16 *Qui traduxit populum suum per desertum, quoniam in æternum misericordia ejus.*
Dominum, qui populum suum per deserta *Arabiæ* deduxit, *laudate* quoniam perpetuò misericors est.

17 *Qui percussit reges magnos, quoniam in æternum misericordia ejus.*
Dominum, qui reges magnos percussit, *celebrate* quoniam perpetuò misericors est.

18 *Et occidit reges fortes, quoniam in æternum misericordia ejus.*
Dominum, qui reges fortes occidit, *laudate* quoniam perpetuò misericors est.

19 *Sehon regem Amorrhæorum, quoniam in æternum misericordia ejus.*
Dominum, qui Sehon regem Amorrhæorum occidit, *celebrate* quoniam perpetuò misericors est.

divisiones, τὰς &c. *Nonnulli*, inquit Heracleota, *dicunt nunc fuisse unicam viam sed pro singulis tribubus aquam scissam fuisse*. Ita aOrigenes cum veteribus Hebræis quos Exodiana a homil 5. in Exod. pag. 45. C.
historia XIV. 22. XV. 8. refellit. Itaque per *divisiones* intelligi debent duæ illæ partes unius divisionis ad dexteram unam, ad sinistram alteram: aquis nimirùm hinc & inde instar muri stantibus.

per desertum. Heracleota: ὃ &c. *Quòd illos quoque per desertum traduxerit haud minus*

miraculum est: etenim & fames & squalor ipsos infestabant, & quacunque Scriptura testa-fuit: & hostibus hostes succedebant; & nihil ipsos vincebat.

Schon &c. Eximiè Theodoritus: Οἶχ &c. *non temerè, alios reges præteriens, horum potissimùm mentionem fecit: sed populo victoriam, divinitùs concessam, in memoriam revocans. Quandoquidem illi, ob robur & potentiam & corporis magnitudinem gloriabantur, &*

Deut. III. 11. *Og ferreo etiam lecto utebatur: cujus longitudo ob corporis magnitudinem, novem cubitorum erat, & quinque latitudo.*

Et Og regem Basan, quoniam in æternum misericordia ejus. 20

20 *Dominum*, qui Og regem Basan percussit, *laudate* quoniam perpetuò misericors est.

Et dedit terram eorum hæreditatem, quoniam in æternum misericordia ejus. 21

21 *Dominum*, qui *regum* illorum terram hæreditario jure possidendam dedit, *celebrate* quoniam perpetuò misericors est.

Hæreditatem Israel servo suo, quoniam in æternum misericordia ejus. 22

22 *Dominum, inquam*, qui *præfatorum regum* terram hæreditario jure possidendam Israelitis servis suis dedit, *celebrate* quoniam perpetuò misericors est.

Quia in humilitate nostrâ memor fuit nostri, quoniam in æternum misericordia ejus. 23

23 *Dominum*, qui nos, *apud Babylonios* calamitatibus fractos, miseratus est, *laudate* quoniam perpetuò misericors est.

Et redemit nos ab inimicis nostris, quoniam in æternum misericordia ejus. 24

24 *Dominum*, qui nos à *Babyloniis* inimicis nostris liberavit, *laudate* quoniam perpetuò misericors est.

Qui dat escam omni carni, quoniam in æternum misericordia ejus. 25

25 *Dominum*, qui *Judæis* omnibus *fame, in exsilio Babylonico, enectis* escam dedit, *laudate* quoniam perpetuò misericors est.

Confitemini Deo cœli, quoniam in æternum misericordia ejus. 26

26 *Deum*, qui cœlorum se Dominum eâ *in occasione egregiè* exhibuit, *laudate* quoniam perpetuò misericors est.

Confitemini Domino Dominorum, quoniam in æternum misericordia ejus. 27

27 Dominum qui se iis, quos *Pagani* pro Dominis colunt, *longè superiorem eadem in occasione* præbuit, *laudate* quoniam perpetuò misericors est.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI TRIGESIMI SEXTI.

E Πεγέγραπται &c. *A nonnullis*, inquit Græcus Paraphraſtes, *inſcribitur Davidi per Jeremiam. Verùm ipſos erraſſe vel ex ipſis verbis diſcere liceat : Jeremias enim minimè particeps fuit captivitatis Babylonicæ ; hic autem Pſalmus eſt Babylonicus ut ipſa quoque verba in exordio oſtendunt.* Id, ante Paraphraſtem, Theodoritus rectè annotaverat : ſed doctiſſimus Præſul minùs benè addiderat illos, *qui captivi fuerant abducti & reditum conſecuti, ea narrare quæ Babylone acciderant.* Longè melius Paraphraſtes affirmat exhiberi in Pſalmo captivos & recèns Babyloniam ingreſſos.

TITULUS.

Pſalmus David Jeremiæ.

PSALMUS CXXXVI.		PARAPHRASIS.
SUper flumina Babylonis illic ſedimus, & flevimus quum recordaremur Sion;	1	AD ripas *Euphratis*, Babylonem *interfluentis*, aſſidemus, & lacrymas profundimus quum recordamur Hieroſolymæ;
In ſalicibus in medio ejus ſuſpendimus organa noſtra:	2	Noſtrá*que* inſtrumenta muſica, ad ſalices *prædicti fluvii*, per mediam Babylonem decurrentis, ſuſpendemus:
Quia illic interrogaverunt nos qui captivos duxerunt nos verba cantionum;	3	Quúm*que* illic cantica nos poſcunt qui captivos duxerunt nos;
Et qui abduxerunt nos: hymnos cantate nobis de canticis Sion.	4	Et *nobis*, qui nos *in ſervitutem* abduxerunt, *dicunt :* cantate nobis aliquem ex feſtivis hymnis quos Hieroſolymis canebatis.

5 *Quomodo cantabimus canticum Domini in terrâ alienâ?*

Respondemus illis: quomodo festivum hymnum in terrâ exterâ cantabimus, *quasi aliquam in eâ voluptatem caperemus & Hierosolymitani excidii obliti fuissemus?*

6 *Si oblitus fuero tui Hierusalem, oblivioni detur dextera mea;*

Certè ô Hierusalem, si tui oblitus fuero, *instrumenta musica in terrâ exterâ pulsando*, mea *hæc*, *quæ illa instrumenta pulsaverit*, dextera arescat;

7 *Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui:*

Lingua *autem* mea faucibus adhæreat si, *festiva carmina Babyloniis canens*, tui non meminero:

8 *Si non proposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ.*

Et nisi omnibus, quæ percipere possem, gaudiis præposuero recordationem Hierosolymæ.

9 *Memor esto Domine filiorum Edom in die Jerusalem.*

Quum verò Idumæi multùm ad hujus urbis eversionem impertiverint, eos castiga Domine *ob mala quæ nobis intulere* quo tempore Hierusalem *à Babyloniis* capiebatur.

10 *Qui dicunt exinanite exinanite usque ad fundamentum in eâ:*

Idumæos, *inquam*, qui *Babylonios* hortabantur ut Hierosolymas funditus everterent, castiga:

11 *Filia Babylonis misera; beatus qui retribuet tibi retributionem tuam quam retribuisti nobis.*

Faxit*que etiam* Deus ut, *quæ nobis potissimùm nocuisti*, Babylon vasteris; *&* benè sit illi qui eadem tibi, quæ *nobis inflixisti*, mala rependerit.

12 *Beatus qui tenebit & allidet parvulos tuos ad petram.*

Bene, *inquam*, sit illi qui infantes tuos, *à mammis avulsos corripiens*, ad saxum alliserit.

ANNOTATIONES.

Jeremia. id nominis rectè abest à Cod. Reg. 138. qui legit: *Psalmus David. vox Ecclesiæ*: rectè, inquam, abest etsi B. Hilarius dicat *placuisse quibusdam* Psalmum *tanquam Hieremiæ titulo inscribi quia ab ipso sit, antequam accidit, denuntiata captivitas.*

flumina. Heracleota, prælucente Origene, ait: Διὰ &c. *Cur pluraliter dixit flumina? quia nimirùm juxta Babyloniam tradunt Euphratem esse in multos rivos disjectum: solent autem mœrentes deserta loca petere; ibidémque lamentari, quod etiam illi faciebant.* Hanc annotationem tertius confutat versus: ex eo enim discimus Psalterianos Judæos deserta loca non

petiisse quum ib. Babylonii versarentur. Itaque *flumina* Euphratem interpretor, & pluraliter dictum rursus affirmo quia multi fluvii in illum influunt. Vide Psal. LXXXVIII. 25. CVI. 33.

sedimus. pro more lugentium ac miserorum: quem advertas non solùm II. Esdr. I. 4. Is. III. 26. Jer. XIII. 18. Thren. II. 10. sed etiam apud *a* Virgilium, *b* Tibullum, ac *c* Propertium.

a Æneid. 6 --- *Sedet æternùmque sedebit. Infelix Theseus* &c.
b lib. 1. Eleg. 6. *Illius ad tumulum* &c.
c lib. 11 Eleg. 15. *Asseret hunc* &c.

in salicibus. rectè: nam, ut observat Græcus Paraphrastes, *solent salices aquis gaudere & juxta fluvios potissimùm multiplicari.* Favet *d* Plinius quum docet nonnisi in aquosis provenire salices.

d lib. XVI. 18.

suspendimus. Eximiè Græcus Paraphrastes: ὃ &c. *illud suspendimus, non quòd illic ea suspenderent, sed quia illic organa erant inutilia: ex translatione eorum qui vasa aliqua suspendunt, & inutilia reddunt pro eo tempore quo suspensa sunt.*

organa nostra. Græcus Paraphrastes: ὄργανα &c. *Organa vocat Psalmica instrumenta, scilicet citharas & nablia & alia quæcumque erant hymnis accommoda.* Hebræi minùs benè ad citharam restringunt cum Interprete cujus meminit B. Chrysostomus: qui alium vertisse *lyram* addit.

& qui abduxerunt nos. Idem pro more bis dicit: unde falluntur Rabbini vertentes, *& citharis nostris suspensis lætitiam*, aut *contumulatores*, seu *afflictores nostri lætitiam*. LXX. pro inusitatâ voce תוללינו legisse videntur גוללינו à radice גלה *deportare, captivum abducere*.

hymnum. intellige festivum ut ex Hebræo patet vocabulo שמחה, quod Nostri optimè verterunt hymnum: solent enim hymni esse festivi.

in terrâ alienâ. non quia decebat ut profanæ aures arcana illa perciperent ut ait Heracleota: hic enim sermo Babyloniis maximè displicuisset eósque ad iracundiam concitasset. Unde prædicto sermone captivos usos fuisse non credo: sed illos alienæ terræ meminisse arbitror ut innuerent musicam in luctu importunam esse; nec decere ut, qui miseriis obruti erant, Judæi festivos hymnos publicè ac festivè canerent. Aliàs & Psalmos in captivitate privatim cantabant & cytharis utebantur ut patet ex Psal. CXLVI. 1. 7.

oblivioni detur. arescendo penitùsque inutilis evadendo, instar earum rerum quas obliviscimur nec curamus amplius quum nulli usui sunt aptæ. SS. Hilarius & Augustinus: *obliviscatur me*; sed S. Hilarius lectionem sui codicis non probat, & passivam laudat: quam etiam S. Hieronymus in suâ versione sequitur, vertens *in oblivione sit*. SS. Chrysostomus & Theodoritus activè sumunt, & *dexteram* interpretantur auxilium divinum.

si non &c. S. Hilarius: MS. *præposuero*: &, in expl. voces *in principio jucunditatis* interpretatur *initium gaudii*. Sixtina editio: *sicut in principio*.

in die. in hanc sumitur sententiam quâ Gallicè dicimus: *la journée de Pavie, la journée de Lens* &c.

filia Babylonis. Heracleota: ἄλλος &c. *Alius, vastata. Alius, diripienda: filiam Babylonis appellans ipsam Babylonem sicut etiam filiam Sion ipsam Sionem. Nec abs re: quandoquidem priusquam istæ civitates, Sion, inquam, & Babylon exstruerentur, ipsæ regiones sic vocabantur. Meritò igitur ipsas appellat filias utpote quum civitates istis locis insertæ sint.* Digna investigatu ratio; sed mihi nondum probata.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI TRIGESIMI SEPTIMI.

JUDÆI, profligatis, post reditum è Babylone, gentibus quæ in ipsos irruerant, hunc hymnum gratiarum actionis obtulere ut docent Origenes & Theodoritus;

colligíque poteſt ex verſu 5. collato cum Pſal. CI. 16. & annotatis ibidem.

TITULUS.

Ipſi David.

PSALMUS CXXXVII.		PARAPHRASIS.
Confitebor tibi Domine in toto corde meo quoniam audiſti verba oris mei:	1	Toto te pectore celebrabo Domine quòd precibus meis annueris:
In conſpectu Angelorum pſallam tibi, adorabo ad templum ſanctum tuum & confitebor nomini tuo	2	Téque, in conſpectu Angelorum laudabo, *atque* in ſancto tuo templo adorabo, & nomini tuo præconium tribuam
Super miſericordià tuâ & veritate tuâ, quoniam magnificaſti ſuper omne nomen ſanctum tuum.	3	*Eò quòd* tuam benignitatem & tuam, *in promiſſis ſervandis*, fidem *mihi* exhibueris; atque *ita* ſanctum tuum nomen ſuper omnia clarum & illuſtre reddideris.
In quacunque die invocavero te, velociter exaudi me; multiplicabis in animâ meâ virtutem.	4	*Perge tenere iſtam viam: &*, quocunque tempore auxilium tuum *poſt hac* imploravero, me velociter exaudi; animúm*que* ac vires mihi adde.
Confiteantur tibi Domine omnes reges terræ quia audierunt omnia verba oris tui;	5	Te *porrò* Domine omnes reges terræ celebrabunt: audierunt enim omnia te *præſtitiſſe* quæ *mihi* pollicitus fueras;

ANNOTATIONES.

Pſalmus &c. Cod. Reg. 2853. (al. 928.) 2854. (al. 1532.) 3422. (al. 2723.) habent ψαλμὸς &c. *Pſalmus Davidi Zachariæ.* Reg. 2851. (al. 1775.) τῷ &c. *Davidi Pſalmus Zachariæ.* Reg. 3421. (al. 2225.) Colb. 6051. 6510. τῷ &c. *Davidi Zachariæ.* Colb. 4439. ἀλληλούϊα &c. *Alleluia Zachariæ.*

quoniam audiſti &c. hoc hemiſtichium in Hebræo deeſt ut obſervat Hieronymiaſter.

Angelorum. ita loquitur ex ſententiâ Judæorum qui putabant templum Angelis plenum eſſe: inter quos principem locum obtinerent Angeli præſides ſeu cuſtodes, quorum meminere S. *a* Hilarius, B. *b* Hieronymus, & Auctor ſermonis 3. in Dominicam Aſcenſionem apud B. *c* Chryſoſtomum. Ex quibus patet hallucinari Origenem, Heracleotam, Græcum Paraphraſtem, alióſque qui *per Angelos* intelligunt ſacerdotes. Pſalterianæ doctrinæ antiqui Eccleſiæ magiſtri *d* Origenes, *e* Tertullianus, *f* Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum, S. *g* Baſilius, S. *h* Epiphanius, S. *i* Gregorius Nazianzenus, S. *k* Ambroſius, *l* S. Chryſoſtomus, *m* Palladius, & *n* Johannes Moſchus inſiſtentes templa noſtra Angelorum altaribus adſtantium mentionem meritò faciunt; docéntque Chriſtiana templa Angelis plena eſſe; præſertim tempore divini officii & in ſolemnitatibus: inter quos emineant Angeli præſides ac patroni Eccleſiarum.

a in Matth. can. ult. col. 606. A.
b Epiſt. 17. col. 153. D. & comment. in Iſ. LXVI. 6.
c 10. 6.
d Homil. XI. in Num. p. 132. K. Homil. XX. p. 158. I.
e de Pudicit. cap. 14. pag. 567. B & lib. de Orat. cap 12. p. 12. B. ubi memoratur *Angelus orationis*: quem ex loco, B. Chryſoſtomi infrà citando, facilè noſces.
f lib. VIII. 4. p. 316. A.
g Epiſt. 191. & comment. in Pſal XXVIII. p. 179. atque Iſ. I. p. 854.
h Hæreſ. XXV. num. 3.
i Orat. 32. p. 516. 528.
k lib. 2. in Luc.
l Homil 3. de incomprehenſibili Dei naturâ 10. 1. pag. 325 A.
m in vitâ Chryſoſtomi: *egreſſus eſt cum illo* &c.
n in Prato Spirituali cap 4.

super omne. S. Hilarius: *super omnia*, eodem sensu. *Altus*, inquit B. Chrysostomus, *magnificasti enim super omnia nomina tua verbum tuum.*

sanctum tuum. Hebraicè & Græcè *verbum* seu *eloquium*: sed vitiosa est hæc lectio, ut ipso patet sensu.

exaudi me &c. Heracleota & B. Chrysostomus interpretem citant qui verterat *exaudisti me*; &, pro *multiplicabis*, dixerat *constituisti*: quomodo Symmachum vertisse testatur Theodoritus. Hanc temporum mutationem, Græco Paraphrasti probatam, ipse tanquam præcedenti orationi eximiè connexam probassem sine adverbio *velociter*: quod ad præterita tempora revocari non potest eò quòd Judæi, Babylone reversi, longos annos ab hostibus vexati fuerint. S. Hilarius: *multiplicabis me in anima virtute tuâ.* S. Aug. *multiplicabis me in animâ meâ virtutem.* Theodoritus: *multiplicabis me in anima meâ virtute tuâ.* Ita legit B. Hieronymus in I. LII. 7.

Et cantent in viis Domini: quoniam magna est gloria Domini.

6 *Iidémque reges* Dominicam *in Ju-*
dæos benegnitatem canent *dicendo*
quòd magnâ *erga eos* bonitate Do-
7 minus usus est.

Quoniam excelsus Dominus & humilia respicit; & alta à longè cognoscit.

Id, inquam, dicent: nam Dominus
è sublimi, *ubi degit*, cœlo abjectos
Judæos respexit *atque erexit*; super-
8 bos autem *eorum hostes* prostravit.

Si ambulavero in medio tribulationis vivificabis me, & super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, & salvum me fecit dextera tua:

Hoc ego beneficium reputans confido
quòd, si *posthac* in discrimine versa-
tus fuero, incolumem me præstabis,
atque inimicorum meorum furo-
rem manu tuâ compesces, mihíque
9 dextera tua salutem afferet:

Dominus retribuet pro me, Domine misericordia tua in sæculum, opera manuum tuarum ne despicias.

Suísque me Dominus beneficiis ornabit, & suam mihi misericordiam perpetuò impertietur, & Judæos non deseret.

& cantent. Theodoritus: Εὐτυχῶς &c. *per modum optandi futura dicit* Idem de præcedenti vèrbo *confiteantur*, ex regulâ Synonymicâ, dicendum videtur etsi Theodoritus illud per præteritum exponat.

in viis Domini. Græcus Paraphrastes: O'δὲς &c. *vias Domini appellat actiones ejus.* Præluxerat B. Chrysostomus, dicens: *præclara hæc tua facta canent.* Ego misericordiam ex Psal. L. 14. intelligo, sic habens persuasum respici heic ad vers. 3. suprà; & cùm in nostro versu tum in præcedenti resumi quæ in illo tertio versu dicta fuerant. Confer Psal. LXXXIV. 10.

alta à longè cognoscit. Optimè Heracleota interpretatur *à superbis longe intervallo recessit*, hoc est prostravit: tunc enim maximè ab aliquo recedimus, quum eum vitâ spoliamus. Optimè etiam Euthymius textum heic adducit in quo, ex Dei personâ, ad impios dicitur: *non novi vos.* Scilicet verbum *cognoscere* accipitur heic pro *favere, amare, curare* ferè ut nos dicimus, *je le connois de loin*. idest non sum ei familiaris non habeo cum eo amicitiam.

extendisti. Theodoritus, præcedentium caussam heic reddi arbitratus, exponit: *confide me inimicis superiorem fore: iratus enim hostibus meis, illos quidem suppliciis affecisti; me verò salute dignatus es.* Ab hac me explanatione verbum *retribuet* & locutio *in sæculum* ℣. 9. averterunt.

retribuet. idest beneficium tribuet ut Psal. CXVIII. 17.

opera manuum tuarum. Hoc in loco ſunt *Judæi* quemadmodum in Pſal. LXXXIX. 18. XCIX. 3. Iſ. LXIV. 8.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI TRIGESIMI OCTAVI.

ORIGENES & Theodoritus Pſalmum exponunt de Joſiâ rege qui omnes Idolorum ſacrificulos confixerit; eos verò qui pietatem colebant omni curâ dignatus fuerit. Græcus Paraphraſtes Pſalmum putat eſſe Babylonicum & dictum ex perſonâ eorum qui apud ipſos erant admirationi, Deúmque præ cæteris etiam omnibus rogabant. Priori opinioni verſus quidem decimus ſextus aliquantulùm favet; ſed ab eâ reliquus Pſalmi contextus abhorret. Secundam ſententiam Græci tituli, in [a] margine exſcripti, probant; ſed verſus 16. 17. (quibus major fides quàm prædictis titulis eſt adhibenda) præfatam ſententiam evertunt. In eâ ego ſum opinione Pſalmum iis, quæ liberationem Babylonicam proximè conſecuta ſunt, temporibus adſcribendum eſſe; eúmque ab admirabili editum fuiſſe Zachariâ qui, populares à finitimis gentibus vexatos cernens atque unius commemorationem beneficii viam alteri munire probè ſciens, liberationem Babylonicam primò canit: deinde Deum invitat ut, beneficio beneficium addens, finitimas, quas dixi, gentes exitio dedat; atque ita Judæos moleſtiis undecunque levet & à malis vindicet omnibus quæ ſibi ab illis gentibus inferebantur. Hanc opinionem univerſa Pſalmi ſeries comprobat, & ſuadent Codices Regius 2852. & Colbertinus 4439. quorum ille habet εἰς &c. *in finem Davidi Pſalmus Zachariæ*; hic verò ſic: ἀλληλούια ζαχαρίου, *Alleluia Zachariæ.*

[a] ζαχαρίου &c. *Zachariæ in diſperſionem* apud Origenem & Theodoritum: εἰς &c. *in finem Pſalmus Davidi Zachariæ in diſperſione* in Cod. Reg. 3421. al. 2723. εἰς &c. *in finem Davidi Pſalmus Zachariæ in diſperſione* in Cod. Colb. 6510.

TITULUS

TITULUS.

In finem Psalmus David.

Psalmus CXXXVIII.		Paraphrasis.
Domine probasti me & cognovisti me: tu cognovisti sessionem meam & resurrectionem meam.	1	Domine exploratum me & cognitum *in captivitate Babylonicâ* habuisti: & quæcunque, sive sedens sive surgens *ibi* agebam, pernovisti.
Intellexisti cogitationes meas de longe, semitam meam & funiculum meum investigasti:	2	Cogitationes meas, longè *antequam in animum meum inciderent*, habuisti perspectas, & meas actiones cognovisti; nihilque mearum rerum tuam latuit scientiam:
Et omnes vias meas prævidisti, quia non est sermo in lingua mea.	3	Meá*que* omnia consilia prævidisti, quum nondum in linguâ meâ *esset* sermo *quo illa explicarem.*
Ecce Domine tu cognovisti omnia novissima & antiqua: tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.	4	Ecce Domine tu omnia, quæ novissimè faciebam & quæ antiquitùs feceram, novisti: tu *quippe* formasti me, & tuâ me manu plasmasti.
Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam.	5	Admirabilior certè erat *hæc* scientia tua quàm ut ego ei latere potuissem: & tantæ erat amplitudinis ut par, ad eam effugiendam, esse nequivissem.
Quò ibo à spiritu tuo? & quò à facie tuâ fugiam?	6	*Enimverò* quò ire potuissem ut me de tuâ subducerem notitiâ? & quò potuissem fugere ut me à facie tuâ conderem?
Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.	7	Si cœlum ascendissem, tu illic eras; si *verò* in imam descendissem terram, aderas ibi.

ANNOTATIONES.

probasti me. B. Chrysostomus: ὃ &c. *illud probasti clarissimam cognitionem vocat, idest exactè me nosti.* Quod sumi velim in bonam partem ut in Psal. XVI. 4. accipitur, atque heic accipiendum jubet versus 10. infrà. Vates porrò personam populi toto in Psalmo (quemadmodum in Psal. XLIII. 6. 7. CXVII. 6. 10.) sustinet ut patet ex ℣. 16. unde plurali interdum utor, & ubique supponi debet.

cognovisti me. Locus eximius de divinâ scientiâ: de quâ, quum alibi dixerimus, nihil addam præter egregium *a* Plutarchi testimonium ὑπὸ ἀγνοίας &c. Et legendos monebo Homerum Odys. Υ. 379. atque Epicharmum citatum Eusebio Præp. 13. p. 674.

sessionem &c. Theodoritus, Origenem exscribens, ait: πάντα &c. *Omnia accuratè nosti quæ operabar sedens & quæ faciebam surgens: nam, per sessionem & resurrectionem, totam vitam designavit.* Nimirùm, ut notat Euthymius, *in his humana vita consistit: scilicet in quiete atque in motu; in otio atque in negotio: in requie & in operatione;* seu, ut ait Græcus Paraphrastes, *quia omnia quæcunque agimus, vel sedentes facimus, vel ambulantes seu surgentes.*

cogitationes meas. Huc spectat Thaletis dictum quod *b* Diogenes Laertius & *c* Valerius Maximus referunt.

semitam meam &c. Heracleota: ὥσπερ &c. *quemadmodum sessionem & resurrectionem vocat actiones; ita semitam & funiculum, hoc loco, vocat totam vitam suam seu vitæ tempus à metaphorâ eorum qui funiculo mensuræ rationem inveniunt: semitam enim actionem; funiculum verò mensuram * appellat.* Paulò aliter; sed, in eundem sensum, accipit Theodoritus qui *semitam* actiones vocat; *funiculum* verò harum rectitudinem ex translatione fabricatorum & funiculo parietes dirigentium. Theodotio, Heracleotæ & Theodorito laudatus, sic dixit: *semitam meam & viam meam investigasti.* Atque ex his Rabbinica versio *accubitus meus* non solùm refellitur; sed etiam ii confutantur qui existimant LXX. scripsisse κοίτην *cubile* & imperitâ manu factum esse σχοῖνον *funiculum.* S. Hilarius legit *directionem.* S. Augustinus, *limitem.*

vias meas. bonas, ut intelligimus ex versu 10 infrà, & Jer. XVI. 17. initialibus verbis.

quia &c. pro *quum* ut Psal. VIII. 4. Græci Patres & SS. Hilarius atque Augustinus pro *lingua* vitiosè legunt δόλος *dolus*: nec melior est, quæ B. Hieronymo probatur & in Sixtinâ editione reperitur, lectio *sermo injustus.* Sola Sexta editio, teste B. *d* Hieronymo, interpreta est *quia non est dolus.* LXX. autem & omnes Interpretes ipsúmque Hebraicum habent *eloquium, verbum.*

tu formasti me. Ex eo quod formaverit nos Deus penes illum esse nostri notitiam optimè concludit Vates: cui *e* Philo, *f* Plotinus, *g* Zacharias Mitylenæus, & S. *h* Cyrillus Alexandrinus succinunt cum *Arato* init. Phænom. *Ammonio* comment. ad lib. Arist. de Interp. ὅλοι &c. & *Clemente Alexandrino* Strom. VI. p. 692. B.

ex me. Nonnulli ita accipiunt ut admiranda appareat Dei scientia ex humani corporis structurâ. Sed hæc, cum præsenti textu non congruit, explanatio; meliórque est ista B. Chrysostomi quam ab Heracleota hausit: ἐθαυμαστώθη &c. *admirabilis facta est, hoc est superavit, exaltata est super me, validior facta est.* Non, ut addit B. Chrysostomus, *quàm ut meis cogitationibus comprehendi possit adeò est admirabilis, adeò magna* (hunc enim sensum explodunt sequentia *& anima mea cognoscit nimis*;) sed quàm ut ei latere, méque ab eâ subducere valeam.

quò ibo à spiritu tuo &c. Præclarus de divinâ immensitate locus: quem Ecclesiæ non solum Magistri *i* Theophilus Antiochenus, *k* Arnobius, *l* Eusebius, S. *m* Athanasius, *n* Didymus, S. *o* Cyrillus Hierosolymitanus, S. *p* Basilius, S. *q* Gregorius Nazianzenus, S. *r* Gregorius Nyssenus, S. *s* Ambrosius, S. *t* Johannes Chrysostomus, S. *u* Augustinus, S. *x* Prosper, S. *y* Cyrillus Alexandrinus, *z* Theodoritus, S. *&* Fulgentius, S. * Anselmus, S. † Gregorius Magnus, *a* Alcuinus, *b* Anastasius Antiochenus, *c* Vigilius, *d* Petrus Chrysologus, & *e* Guillelmus Parisiensis; verùm etiam Ethnici Thales ab *f* Aristotele laudatus, Pythagoras à *g* Minucio Felice *h* Clemente Alexandrino & *i* Salviano productus, Orphicorum Scriptor S. *k* Cyrillo Alexandrino memoratus, *l* Epictetus, *m* Aratus, *n* Plato, *o* Plotinus, & *p* Seneca cum *q* Philone Judæo eximiè ornant: neque ei Geneseos XI. 7. Jobi I. 12. Psal. CXII. 5. textus; aut *r* Clementis Alexandrini, *s* Pseudo-Justini, & *t* Lactantii testimonia adversantur; aditúmve fœditas certarum rerum præcludunt: quum laudati textus ad humanam infirmitatem sint accommodati; & Clemens ac Pseudo-Justinus id solùm nolint substantiam Dei instar corporum permisceri cum rebus à se conditis communicarísve cum iis, contra atque asserebant Stoici qui docebant Dei velut corpus esse mundum, ejúsque membra elementa partésque cæteras universi: Lactantius verò animam in summo capite, tanquam Deum in cœlo, constituens, lato non stricto modo loquatur; & quarundam rerum fœditas divinam substantiam ab iis non excludat ut solis, lutulenta loca sordidaque corpora luce suâ perfundentis similitudine ostendunt *u* Macarius & *x* Anastasius Antiochenus post Eusebium *Dem. Ev.* IV. p. 168. A.

a lib. de Iside & Osiride. p. 351. D. sub init.
b in vitâ Thaletis: Ἠρώτησε &c.
c lib. VII. 2 *Mirificè etiam Thales* &c.
* sup vitæ humanæ ut ex Origene discimus.
d Epist. 135. col. 146 A.
e lib. de Immutab. Dei. p. 301. ed. Gr. Lat. 1640.
f Ennead. V. lib IX c. 5.
g to. 1. Bibl. PP. Gr. Lat. p. 350. A.
h Thes. lib. 15. p. 151.
i ad Autolyc. lib. 1. p. 81. D.
k lib. 6. contr. Gent.
l lib. 4. de Demonstr. Ev. p. 168. A. Cod. Gr. L.
m Orat. 5. contr. Ar. p. 324. D. lib. contr. Sabell. greg. p. 513. C. E.
n lib. I. de Spiritu S.
o Catech. 6.
p to. 1. pag. 506. in Evang Joh.
q Orat. 2. p. 42 C. Orat. 34. pag. 541. A.
r in lib. Catech. c. 25. p. 515 & de Ps. Ch. p. 705
s lib. I. de Fide c. 4 7.
t ad Psal. CXII. 5.
u Epist. 57. 112. 222 & Serm. 16. de Divers. c. 12.
x in Sent. Sent. 289.
y lib. 1. contra Jul p. 72.
z ad Psal. CXXXVIII. 2. & Orat 10. de Provid. p. 270.
& lib. contr. Fastid. c. 4. 6.
& lib. 2 ad Monimum.
* lib. de Incarn c. 4. & Monol. c. 12 13.
† Moral. II. 8.
a lib. II. de Trinit. c. 4.
b lib. de Incircum scriptâ Dei essentiâ
c lib. 1 contr. Eutych.
d Serm. 67.
e in 2. 2. de Univ. c. 48.
f lib. I de Anima c. 5.
g in Octavio.
h in Protrept. p. 47. C.
i lib. 1. de Gubern. Dei. sub initium.
k lib. 1. contr. Jul. p 26.
l apud Arian. IV. 4.
m in Phænom. sub init.
n lib. 10. de Legib. p. 901. C 905. A
o Ennead. VI. lib. V. c. 3 lib. VIII. c. 16. 18.
p lib. 4. de Benef. c. 8.
q lib 2 Alleg. pag. 41. ed Gr. Lat. 1640.
r Strom. II p 360. D.
s Resp. ad Quæst II. p. 398. B. vide Clem. Alex. Strom V. p. 591. A. B. Lact. VII. 3.
t de Opific. Dei c. 16.
u homil. 7. *x* lib. cit.

8 *Si sumsero pennas meas diluculò, & habitavero in extremis maris,*

Si pennas summo mane sumsissem; atque in remotissimas mundi plagas concessissem,

9 *Etenim illuc manus tua deducet me; & tenebit me dextera tua.*

Illuc sanè manus tua me duxisset; mé*que* ibi dextera tua tenuisset *quominùs me è conspectu tuo eripere potuissem*.

10 *Et dixi forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in deliciis meis:*

Quòd si mecum ita reputassem: tenebræ me forsitan operient; *méque, voluptatibus operam noctu dantem, à divinis oculis substrahent, ipsamet* nox me, delicias agentem, patefecisset *tibi*:

11 *Quia tenebræ non obscurabuntur à te; & nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebræ ejus ita & lumen ejus.*

Siquidem tenebræ nullam, apud te, obscuritatem habent; nóx*que* instar lucis apud te coruscat, ejús*que* obscuritas perinde *tibi* est ac lumen diei.

12 *Quia tu possedisti renes meos; suscepisti me de utero matris meæ:*

Nec mirùm si me, ubicunque fuissem, nihil te latere potuisset: nam, *ut dixi*, me produxisti; mé*que* in utero materno formasti:

13 *Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua; & anima mea cognoscit nimis.*

Quà de caussâ perpetuum tibi præconium tribuam, te enim *in hoc mei opificio* admirandum inprimis exhibuisti, tuúm*que hoc* opus mirabile est; *id*que anima mea abundè cognoscit.

***diluculò** &c.* Origenes & Theodoritus *diluculum* orientem, *maris extrema* occidentem interpretantur: consentientibus Rabbinis qui vertunt *alas auroræ* pro *diluculo*. Quasi Vates diceret, inquit Vatablus, *si ab oriente ad occidentem me celerrimè proripere velim*. Sed hanc interpretationem explodit vel una vox *maris* quæ non pro *occidente* sed pro *austro* in Scripturâ sumitur ut Psal. CVI. 3. Extrema maris heic pro remotissimâ mundi parte accipiuntur ut colligere est ex Psal. CXXXIV. 7.

conculcabunt. Euthymius: *metaphoricè dictum: nam ii, qui solum pedibus conculcant, obtegere illud atque abscondere quodammodo etiam videntur.*

***deliciis meis.** Deum Propheta delicias suas appellavit, cujus vel solam memoriam oblectamentum sibi summum esse arbitratur* inquit Euthymius. Sed hæc explicatio textui isti parùm convenit: idémque dico de Heracleotianâ quæ *deliciis meis* interpretatur *lucem seu mei defensionem*, Symmachus, Theodorito prolatus, legebat BAYADNI *circum me*: eámque lectionem hodierni Rabbini sequuntur; sed ferè vertunt *propter me*. Nostram, quisquis acri erit judicio, anteponet versionem quæ legit BAYEDENAI; & cui [a] Scholiastes Theocriti favet præter quotidianum usum.

[a] *E'ῦδεῖ &c. Nam silens nox est, & furtivis amoribus opus est taciturnitate & noctis &c.*

possedisti, idest produxisti, genuisti, condidisti, creasti: quomodo textum Proverb. VIII. 22. legunt intelliguntve *a* Athenagoras, S. *b* Irenæus, *c* Pseudo Ignatius, *d* Tertullianus, *e* Clemens Alexandrinus, S. *f* Cyprianus, *g* Lactantius, S. *h* Athanasius, S. *i* Hilarius, S. *k* Epiphanius, Gregorius uterque *l* Nazianzenus & *m* Nyssenus, S. *n* Ambrosius, *o* Cæsarius, *p* Idatius Clarius, & S. *q* Fulgentius.

renes meos. à parte dicit totum hominem ut optimè notat B. Chrysostomus.

suscepisti &c. Idem bis dicit: unde Quinta probari debet versio quæ, referente Hieronymiastro, transtulit: *constabilisti me de ventre matris meæ.* Quoad phrasim confer Psal. CVI. 17.

confitebor &c. Hunc versum egregiè illustrant *r* Cicero, *s* Galenus, & *t* Lactantius: quos qui de admirando hominis opificio differentes audiet & tractatam à Vate materiam expender, Rabbinos ridebit vertentes *confitebor tibi quia terribilia, mirabilis sum.* LXX. legebant נפלית *magnificatus es* pro נפליתי *magnificatus* seu *mirabilis sum.*

Non est occultatum os meum à te quod fecisti in occulto; & substantia mea in inferioribus terræ.

14 Ego, *inquam*, quem in occulto *matris utero* formabas, te non latebam; sed tota mea, *quam in recondito matris utero tanquam* in infimis terræ partibus *effingebas*, substantia tibi nota erat.

Imperfectum meum viderunt oculi tui; & in libro tuo omnes scribentur: dies formabuntur & nemo in eis.

15 *Quinimò* oculi tui me, dum adhuc informis imperfectúsque embryo essem, viderunt; omniáque *hujus embryonis membra tibi*, *non secus ac si ea* in libro descripta habuisses, *cognita erant*; & *quum deinde*, *per aliquot dies*, efformarentur, nullum ex illis *tibi erat ignotum*.

Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum:

16 *Quia ergo me cæterósque Judæos, utpote à te effictos, undecunque in captivitate Babylonicâ novisti atque innocentiæ non pravis voluptatibus studentes reperisti*, summos honores amici *illi* tui adepti sunt, eorúmque imperium valdè roboratum est:

os meum. Heracleota, post alias expositiones, istam, quæ eximia est, adducit explicationem: ὀστοῦν &c. *Os, id est ego ipse: ex parte totum denominans.* Aquila, Heracleotæ & Theodorito memoratus, eodem nobiscum sensu vertit: *non cooperta* (seu *velata fuerunt*) *ossa mea à te quibus in occulto factus sum.*

substantia mea. Qui, apud Heracleotam & Theodoritum, *variegatus sum* vertit Aquila hodiernam vocem רקמתי legebat. Nostri habebant רקמתי. Confer Job. XXII. 20. mihique, opinor, assentieris, & LXX. Senes laudabis

imperfectum &c. Symmachus, Heracleotæ & Theodorito prolatus ac probatus, versum hunc non intellexit, vertens: *informem me praviderunt oculi tui cum omnibus qui in libro tuo sunt scripti, nullâ die deficiente iis qui formantur.* Theodoriti autem & Græci Paraphrastis ac Sixtinæ editionis lectio ἀκατέργαστόν *inoperatum* (quam S. Hilarius comprobat) eandem, ac nostra, sententiam efficit: significat enim hominem nondum formatum, sed ade

a Legat. pro Christianis. p. 10. D.
b lib. IV. 37.
c Epist. ad Tarsenses. n. 6. p. 916. A. ed. Cot.
d contr. Hermog. cap. 18.
e in Protreptico. pag. 52. B.
f Testim. II. sub init. p. 249.
g Inst. IV. 6.
h to. 1. pag. 88. C. E. 128. E. 156. B. 188. B. 200. A. 221. B. 222. C. 223. A. 238. D. 243. B. 247. E. 141. E. 396. A.
i lib. 12. de Trinit. p. 259. E.
k Hæres. 69. n. 20. p. 743. D. 744. D. n. 25. 26. p. 749. 750. Non omittendū quod observat beatissimus Pater Aquilam interpretatum esse DOMINUS POSSEDIT ME: *solent enim, qui liberos suscipiunt, vulgò dicere possedi filium.*
l Orat. 36. p. 578. A. C.
m lib. 2. contra Eunom. p. 76. A. edit. Gr. Lat.
n lib. I. de Fide cap. 7. III. 4.
o Dial. I. interrog. 9. p. 452. E. & inter. 35. p. 568. C. to. 1. Bibl. PP. Græc.
p lib. contra Varimandum.
q lib. contr. Fastid.
r lib. 2. de Nat. Deor.
s lib. 3. de usu part.
t de Opif. Dei. cap. 8. & seq.

huc imperfectum, nempe embryonem. Idem dici non potest de Hilarianâ lectione: *imperfectum tuum viderunt oculi mei.*

mihi autem &c. adhibitam à me connexionem ii, opinor, probabunt omnes qui locum Jer. XVI. 16. 17. cum textu nostro & primis versibus contulerint. Eandem ubique sententiam invenient; deprehendéntque hoc, inter Jeremiam & Psalmographum, discrimen tantummodò esse ut Psalmographus divinæ scientiæ caussam, quam Jeremias omittit, afferat & amplificet. Hæc qui attenderit, Rabbinicam explodet versionem: *mihi quàm pretiosa sunt cogitationes tua Deus! quàm multa sunt summa eorum!*

nimis confortatus est &c. Etsi Judæi, post reditum, hostes suos nonnisi post 40. annos debellaverint & ærumnosi fuerint, eorum tamen imperium jam firmum erat: quippe quod pluribus abundaret hominibus, in quorum numero Psalteriana confortatio consistit; nec malè: quum Judæi, mœnibus aliisque præsidiis destituti, prædictis hostibus tamdiu restiterint, quod eorum numero tribui debet post divinam opem.

Dinumerabo eos & super 17
arenam multiplicabuntur. Exsurrexi & adhuc sum tecum.

Sunt *enim* adeò numerosi ut, si eos recensere aggredior, faciliùs arenæ quàm ipsorum numerum inivero. *Denique* ab *ærumnâ, in quâ velut in morte apud Babylonios jacebamus*, excitati sumus, & tecum *Hierosolymis* adhuc versamur.

Si occideris Deus peccato- 18
res: viri sanguinum declinate à me:

O si, post hæc beneficia, aliud, uti rogamus, tribuere velles, ô Deus: si, *inquam*, impios, *qui nos vexant, Samaritanos atque Ammonitas* cæderes *& fugares, sic eos afferer*, facessite à nobis *ô* viri sanguinarii:

Quia dicitis in cogitatione, 19
accipient in vanitate civitates tuas.

Dicebatis enim & vobiscum sic cogitabatis, frustrà suas *Israelitæ* civitates recuperabunt, *ex iis enim illos exturbabimus.*

Nonne qui oderunt te Do- 20
mine oderam; & super inimicos tuos tabescebam.

Hos certè homines, qui te oderunt, Domine odio habemus; & dolore tabescimus, tuos *illos* inimicos *adhuc superstites videntes.*

Perfecto odio oderam illos, 21
& inimici facti sunt mihi.

Perfecto illos odio habemus, nobísque *illi* in odium venerunt *acerbissimum.*

dinumerabo eos &c. in quo posita sit, quæ in præcedenti versu laudata fuit, Judaici imperii firmitas hic explicat versus qui ad If. XLIX. 19. LIV. 1. respicere videtur.

quia dicitis &c. ἄλλος &c. *Alius*, inquit Heracleota, *qui adversus te dixerunt cogitationem. Alius, quoniam exacerbaverunt te in malo consilio.* Et, pro *accipient* &c. *Alius, quoniam vanè elati sunt æmuli tui. Alius, inimici tui.* His ferè vestigiis Rabbini insistunt, & vertunt: *qui dicunt te ad scelus accipiunt in vanum hostes tui.* Cimmeriæ ubique tenebræ; sed eas Vulgata dispellit versio: è qua discimus LXX, pro ineptâ voce יומרוך *dicent te*

legisse חימרי *dicitis*: pro corrupto verbo נשיא legisse נשוא Cæteras, prout nunc exstant, voces Hebræas legerunt; & doctè interpretati sunt ut ex sententiæ præstantiâ liquet ac II. Esdr. IV. 2. qui vel unus locus admirationem nostris conciliare debet Senibus. Qui urbes Judæ dicunt *urbes Dei* quia ei consecratæ erant: unde illarum præcipua Hierusalem appellatur civitas Dei Psal. XLVII. 2. 7.

22 *Proba me Deus, & scito cor meum: interroga me, & cognosce semitas meas;*

Explora nos Deus, & cor nostrum perscrutare: examina nos, & nostras actiones investiga;

23 *Et vide si via iniquitatis in me est, & deduc me in viâ æternâ.*

Ac vide an iniquitati operam demus; &, *si res ita habet*, morte nos affice: *tantùm abest ut Samaritanos aliósque hostes nostros extermines.*

proba me Deus &c. finis principio egregiè respondens. Deum Judæis, postquam eorum actiones undecunque novisset & pietatem habuisset perspectam, opem tulisse Vates docuerat. Huic se nunc doctrinæ accommodat; & Deum precatur ut sui periculum faciat, sibique opituletur si innocentem reperiat. Optimus modus postulata impetrandi argumentatio ex priore beneficio petita qd. servitutem Babylonicam à nobis depulisti quia nos invenisti insontes. Samaritanos nunc quoque abige: siquidem pietatem colimus, uti putamus.

viâ æternâ. mortem, cum Kimchio, intelligo: sicque dictam puto non quòd Jos. 23. & III. Reg. 2. appelletur *via universæ terræ*, quâ scilicet gradiuntur omnes homines à sæculo ut docet Kimchius; sed quia, mortis iter quum semel ingressi sumus, ex eo nunquam in mundum redimus nisi per miraculum.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI TRIGESIMI NONI.

VERSUS 13. & 14. cum Psal. XXIV. 17. 22. XXXIX. 23. collati suadere videntur agi heic de bello Absalomitico; sed versus 4. 5. 6. repugnant. Ex aliâ verò parte versus 2. 5. 10. 11. 12. Psalmis XIII. 2. 5. CXIX. 2. 3. 4. CXXII. 5. CXXVIII. 1. comparati aliquam temporum Babylonicorum suspicionem afferunt. Sed eam versus 2. 8. tollunt. Adverto ego versus 2. 3. 4. 5. 6. multam ad Psalmos LV. 1. 2. 5. 6. LVII. 2. 5. similitudinem habere: quúmque Psalmi illi ad tempora Saulina pertineant, ea pariter in Psalmo nostro repræsentari existimo: & Psalmum ad Davidem, à Saule exagitatum, Deúmque universorum in auxilium vocantem cum Origene, Theodorito & Græco Paraphraste refero.

Nec me de eâ ſententiâ verſus 2. deducit, quanquam ille nonnullos Auctores impulerit ut carmen iis, quæ dixi, temporibus non adſcriberent. Verum quidem eſt nulla unquam Davidem inter & Saulem prælia commiſſa fuiſſe: ſed, quando Saul manum non ſemel fecit, multitudinem hominum coegit, armavit, inſtruxit; &, contractis copiis, Davidem inſectatus eſt, ei prædictus verſus accommodari poteſt maximè ſi cum Pſalmo LV. 2. componatur.

TITULUS.

In finem Pſalmus David.

PSALMUS CXXXIX.		PARAPHRASIS.
ERipe me Domine ab homine malo, à viro iniquo eripe me	1	Libera me Domine à viris malis, mé*que* ab iniquis eripe hominibus
Qui cogitaverunt iniquitates in corde, totâ die conſtituebant prælia.	2	Qui nefaria animo volvunt, & me jugiter oppugnant:
Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis; venenum aſpidum ſub labiis eorum.	3	*Quique* linguas ſuas, inſtar ſerpentum, *adverſùs me* acuunt; *&* quorum ſub labiis venenum latet *tam noxium* ac ſolet eſſe aſpideum.
Cuſtodi me Domine de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis eripe me	4	Libera me Domine è manu improborum *ejuſmodi*; mé*que* ab iniquis *iſtis* eripe hominibus
Qui cogitaverunt ſupplantare greſſus meos. Abſconderunt ſuperbi laqueum mihi.	5	Qui de vitâ mihi auferendâ cogitationes ſuſcipiunt. *Quam ob rem* ſuperbi *illi homines* inſidias, *quibus intercipiar*, occultè mihi ſtruunt:

ANNOTATIONES.

acuerunt &c. ad verborum contumelias, quibus à Saule ejúſque aſſentatoribus lacerabatur, reſpicit; & verbo ad id idoneo, aptâque comparatione utitur: nam *acuere linguam* apud *a* Dionyſium Halicarnaſſeum obtrectare etiam ſignificat; & ſerpens trifidam, juxta *b* Virgilium *c* Ovidium *d* Senecam & *e* Plinium, linguam habet vel bifidam ſecundùm *f* Ariſtotelem & *g* Plautum qui noſtrum Vatem imitatur, quum ait: *Qui huc veniſti nos captatum Migdilibs, biſulca lingua quaſi proſerpens beſtia*: & *h* alibi, *tanquam proſerpens beſtia eſt bilinguis & ſceleſtus.*

a lib. 10. in Oratione T. Romulii Conſilii ad L. Siccium: Ἐχίδνη &c.
b Georg. 3. *Ardens ad ſolem* &c.
c Metamorph. 3. *Martius* &c
d in Medeâ: *Hæc fera* &c.
e lib. 11. 37.
f lib. 2. de partib Animal. cap. ult.
g in Pœnulo.
h in Perſa.

* *venenum aspidum*. Eâ utitur comparatione ut hostium suorum obtrectationem nocentissimam esse ostendat: etenim venenum aspidis valde noxium est ut docet a Dioscorides.

a lib. VI 53.

supplantare gressus meos. Idem hæc loquutio sonat ac occidere: quum enim quis occiditur à progressu arcetur ejusque gressus reprimuntur sic ut ulterius in mundo figi non possint.

laqueum &c. Theodoritus: παγίδα &c. *laqueos & funes & scandala diversas insidias fraudes & dolos nuncupat. Hac autem tropicè dixit ex translatione venantium & laqueos & casses & retia extendentium.*

6 *Et funes extenderunt in laqueum: juxta iter scandalum posuerunt mihi.*

Et suis machinationibus dolos, *quibus irretiar*, nectunt; mihique juxta iter, per quod iturus sum, apponunt offendicula *ut in ea impingam.*

7 D*ixi Domino: Deus meus es tu, exaudi Domine vocem deprecationis meæ.*

His in angustiis constitutus, dico Domino: Deus meus es tu, exaudi Domine deprecationem meam.

8 *Domine Domine virtus salutis meæ; obumbrasti super caput meum in die belli,*

Domine Domine, in quo uno salus mea nititur; *quique* caput meum quo die, *cum Goliathe* conflixi, texisti ne quid detrimenti acciperem,

9 *Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori: cogitaverunt contra me. Ne derelinquas me ne fortè exaltentur.*

Domine, inquam, qui mihi aliàs tam benignè succurristi, ne impios *afflictores meos* desiderii, quod adversus me concipiunt, compotes reddas: *nam* exitium mihi moliuntur. Ne me, *quæso*, deseras ne fortè superiores evadant *& me trucident.*

10 *Caput circuitus eorum; labor labiorum ipsorum operiet eos:*

Me, inquam, hostium meorum libidini non permittas: sed potiùs insidiæ, quas *mihi* struunt, in caput *eorum recidant; &* illorum, quæ *mihi* laboriosa est, calumnia ipsos perdat:

ne tradas &c. Theodoritus, Origenem exscribens, ait: Ο' ꝫ &c. *Symmachus sic: ne des Domino desideria injusti. Similiter autem & Aquila & Theodosio. Desideranti, ait, meam cadem ne des desiderii eventum.* Huc recidit LXX. Senum versio, quam Heracleota paulò nitidiùs quàm Origenes & Theodoritus explicat, his verbis: Ο' λέγει &c. *Quod dicit est ejusmodi. Ne concedas ei desiderium suum contra me: idest, qua adversus me desiderat ne permitte ut ipse impleat.*

caput circuitus eorum. Heracleota: Κύκλωμα &c. *circuitum hoic dicit conventum, consessum. caput pravi & corrupti animi*: seu *improbam officinam, scelesta consilia* ut addit B. Chrysostomus, qui explicat sic: *ipsa scelerata consilia & caput ac summa improbi & depravati*

pravati animi ipsa eos obruerit ac perdiderit qd. improbitas ipsorum exitium iis afferat. Euthymius, per *circuitum*, sagenam intelligit aut rete hoc est insidias, aitque: *caput insidiarum suarum, in quo potissimum confidunt, id ipsum erit quod eos abscondet ac perdet. Quod alio etiam nomine laborem labiorum suorum appellavit eò quòd meditando in eo laborarunt, & cum labore invenerunt.* Fuit quum *caput circuitus* interpretari volebam insidias quas caput volveret Sed ex Psal VII, 17. intellexi *caput* esse accusativi casus qd. circuitus eorum operiat caput (eorum) & labor labiorum operiat eos. Rabbini ineptè: *caput circumdantium me, perversitas labii sui operiat ipsum.* LXX. legebant מסבי pro סביבם: quod, apud Origenem & Theodoritum, sequitur Symmachus qui vertit, *acerbitas eorum qui circumdederunt me* Quam interpretationem Vulgatâ planiorem esse Theodoritus immeritò pronuntiavit: id, puto, non dicturus si ad citatum locum Psal. VII. 17. attendisset.

11 *Cadent super eos carbones; in ignem dejicies eos, in miseriis non subsistent.*

Iisque supplicia *supernè* irrogentur; & tantis eos obrue calamitatibus ut eas ferre non possint, *adeòque occumbant.*

12 *Vir linguosus non dirigetur in terrâ; virum injustum mala capient in interitu.*

Maledici *hi* viri prosperos in mundo exitus non habeant; *illósque* injustos homines mala, quibus intereant, occupent.

13 *Cognovi quia faciet Dominus judicium inopis, & vindictam pauperum.*

Id ita futurum spero: novi *enim* quòd Deus caussam ærumnosi *Davidis* defendet, atque afflictos, *qui à partibus ejus stant*, viros vindicabit *à miseriis quibus premuntur.*

14 *Veruntamen justi confitebunt nomini tuo; & habitabunt recti cum vultu tuo.*

Hoc quum contigerit, justi *mei commilitones* nomen tuum certissimè celebrabunt Domine; & tuo in templo versabuntur, *ut præconium tibi, pro isto beneficio, tribuant.*

carbones &c. Heracleota & B. Chrysostomus: *ἄνθρακας* &c. *carbones ignis & ignem hic dicit supplicium supernè irrogatum.*

cognovi. Nec tempus mutatum est nec *veruntamen* redundat uti hoc loco asserit Græcus Paraphrastes, qui ita explanat: *justi gratias agent pro bonis quæ acceperunt ut notum fiat omnibus hominibus quòd pravi puniantur, recti adjuventur.* Præfatus porrò Paraphrastes non peccat quum hæc futura *cadent, dejiciet, subsistent, dirigetur* per imperativum vertit aut optativum.

vultu tuo. ad templum refero quia Deus ibi videndum se præbet. Confer Psal. LXXXIII. 7.

ARGUMENTUM.
PSALMI CENTESIMI QUADRAGESIMI.

HUNC pariter Psalmum ad Davidem, à Saule vexatum, cum Origene & Theodorito ex mentione

SSSss

peccatoris, *laquei*, & *retis* (quæ in hoc carmine ut & in præcedenti occurrit) refero: nec, quæ inter versus 3. 8. Psalmi nostri & Psalmum XXXVIII. 2. atque Ezechielis caput XXXVII. 1. 2. intercedit, similitudinem tanti duco ut præsentem Psalmum de bello Absalomitico exponam, aut eum cum nonnullis, Græco Paraphrasti prolatis & probatis, recitari putem ex personâ eorum qui in Babylone calamitatum multitudine extenuabantur & rogabant ne repellerentur.

TITULUS.

Psalmus David.

PSALMUS CXL.		PARAPHRASIS.
Domine clamavi ad te: exaudi me; intende voci meæ quum clamavero ad te.	1	Domine opem tuam imploro: exaudi me; &, quas tibi *nunc* adhibeo, precibus annue.
Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo; elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.	2	Placeat tibi sicut *holocaustum matutinum* oratio mea; &, quam expansis manibus fundo, deprecatio tam tibi, quàm sacrificium vespertinum, *probetur.*
Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.	3	*Quod ut assequar*, os meum Domine custodiis muni, & ostium benè compactum labiis meis appone *ne quid impium ex iis, inter orandum, exeat.*

ANNOTATIONES.

sicut incensum. Ad suave & fragrans, quod mane & vespere Exod. XXX. 1. 7. 8. incendebatur, rhymiama alludi quidam volunt, sed Vates ad matutinum agni sacrificium respicere videtur: idque, ni fallor, etiam colligitur ex secundo hemistichio ubi *vespertini* mentio fit *sacrificii*, quod cum matutino singulis diebus offerebatur *in odorem suavissimum incensi Domini* ut dicitur Num. XXVIII. 6. ad quem locum versus noster, meo quidem judicio, collineat.

elevatio manuum mearum. idest oratio: sic dicta quòd fieret elevatis in cœlum manibus; quem gestum, in suis orationibus, Ethnici etiam imitati sunt ut patet ex *a* Homero, *b* Apollonio, *c* Virgilio, *d* Dionysio Halicarnasseo, *e* Livio, *f* Luciano, *g* Sallustio, aliisque.

ostium circumstantiæ &c. S. Augustinus: *ostium continentiæ circa labia mea.* Heb. *pone custodiam ori meo, custodi paupertatem labiorum meorum.* Inepta versio: nam 1°. regulam Synonymicam non servat, ut patet. 2°. sensum lædit: quid enim est custodire paupertatem

a Iliad. 7. vers. 176. Δαῖ &c.
b Argonaut. lib. 2. vers. 247. 248. 249. --- Αἱ δ' γυναῖκες &c.
c Æneid. I. *Ingemit.* &c.
d de Legationibus: Μίλλων &c.
e lib. V. ubi, de Camillo loquens, ait: *Dicitur manus* &c.
f in Philop. Ἡμῶς &c.
g Conjur. Catil. *Manus supplices* &c.

labiorum? Scio Rabbinum Aben Ezra apocopam heic admittere דל *ostium* pro דלת. Sed id Hebraicè doctis judicióque valentibus non probabitur: unde B. Hieronymus vertit *paupertatem*. 3°. Grammaticæ non consonat: verbum enim נצר non construitur cum על. LXX. pro his vocibus luxatis & corruptis דלת בצירה על שפתי legisse videntur נצרה על דל שפתי. Cæterùm Vatem nostrum imitantur Theognis & Æschylus quorum ille γλώσσῃ θύραι *ostia linguæ* dicit, huic verò nominatur κλῄς ἐπὶ γλώσσῃ φύλαξ *clavis in linguâ custodiens*. Adde Aristophanem in [a] Ranis dicentem ἀπύλωτον στόμα *os portâ minimè munitum*; ejúsque lege Scholiastem prædicta verba, ex Phrynicho, enarrantem.

[a] Act. III. Scen. 2. vers. 9.

Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.

4 Ne sinas, *inquam*, erumpere me in verba mala quibus peccata excusem *mea*

Cum hominibus operantibus iniquitatem: & non communicabo cum electis eorum.

5 Exemplo improborum: nec patiaris ut, *eorum imitatus*, excusationes, *quibus peccata sua tegere solent & quas in deliciis habent*, usurpem.

Corripiet me justus in misericordiâ, & increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum:

6 Vir bonus *potiùs* me clementer corripiat, & increpet; excusationes autem, quibus ceu *dulci* unguento utuntur impii, procul sint à me:

Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum; absorpti sunt juncti petræ judices eorum:

7 Quum *præsertim illas*, quæ tantopere eis placent, excusationes deprecer; *téque orem atque obtester* ut eorum antesignani è saxis præcipitentur:

Audient verba mea quoniam potuerunt. Sicut crassitudo terræ erupta est super terram,

8 *Ipsique tandem, antesignanorum supplicio territi*, verbis meis, utpote maximum pondus habentibus, auscultent *rejiciendo prædictas excusationes. Iis ergo missis, calamitates meas non excusabo quasi eas non fuissem meritus; sed satis mihi erit eas proponere ac deprecari sic.* Quemadmodum crassa terræ moles, *aratro in glebas scissa*, in *proximam* terram spargitur,

non declines S. Aug. *ut non declines*: anonymus autem interpres, Heracleotæ & B. Chrysostomo prolatus, dixit: *ne pervertas cor meum in verba maligna*.

ad excusandas excusationes in peccatis. Symmachus, Theodorito memoratus, dixit *cogitationes iniquas*: indéque non longè abeunt Rabbini qui vertunt *ad operandum opera cum impietate*. Confer Psal. CXVIII. 67. & præsentis petitionis praxim videbis; adeóque LXX. Senum versionem suspicies, alias eliminabis.

electis. cibis non viris ut ex Hebræo liquet textu qui habet *voluptatibus eorum*. Unde B. Hieronymus interpretatus est *in deliciis eorum*. S. Hilarius pro *communicabo* habet *combibebor*. S. Aug. *combinabo*.

oleum &c. Rabbini : *oleum capitis* (seu præcipuum) *non frangat caput meum*. Insulsa versio: oleum enim non frangit. Adde quòd verbum יני huc, nisi per apocopam, trahi nequit. LXX legisse videntur שמן רשע אל ידשן ראשי pro שמן ראש אל יני ראשי. Confer Psal. XXII. 7.

in beneplacitis eorum. à radice רעה. Idem quod *electis eorum* suprà. Unde nova subest caussa cur LXX. Senes miremur, & Rabbinos respuamus vertentes cum Symmacho apud Theodoritum citato, *intra malitias ipsorum*.

quoniam &c. Rabbini: *quoniam dulcia sunt. Alius*, inquit Heracleota, *quoniam satellitibus muniebantur. Alius, quoniam speciosa fuerunt.*

sicut crassitudo &c. Heracleota : ἄλλος &c. *Alius, quemadmodum agricola quando frangit terram, ita dissipata sunt ossa nostra. Alius, similiter frangenti & discendenti terram dissipata sunt.* Rabbini : *sicut findens & scindens in terrâ* &c. inepta versio, & totam comparationis vim tollens : qui enim findit & scindit non erumpitur seu dispergitur sicut ossa secus sepulchrum Comparationem integram incolumémque servarunt LXX. Senes qui legisse videntur כמעבה-הארמה חבקע pro כמו פלח ובקע. Confer Num. XVI. 31. III. Reg. VII, 46. II. Paral. IV. 17.

9 *Dissipata sunt ossa nostra secus infernum. Quia ad te Domine Domine oculi mei, in te speravi, non auferas animam meam.:*

Ita ego sociique mei aratro ærumnarum proscissi, secus sepulchrum dispersi sumus & *in extrema descendimus. Verùm* Domine Domine, quando ad te oculi mei intenti sunt & in te spero, ne me exitio dede:

10 *Custodi me à laqueo quem statuerunt mihi, & à scandalis operantium iniquitatem:*

Sed me ab insidiis, quas mihi impii *hostes mei* struunt, eripe; atque à dolis, quos scelesti *illi* viri nectunt, *tuere me:*

11 *Cadent in retiaculo ejus peccatores; singulariter sum ego donec transeam.*

Efficéque ut impii *illi* proprias in insidias cadant; & ego singulari *tuo* præsidio salvus evadam.

ejus, pro *suo*. quemadmodum Symmachus, in scholio Sixtino productus, accepit. Alii referunt ad Deum qd. expandat Deus rete suum impiis ; sed hæc, quam Heracleota, S. Chrysostomus, Theodoritus, Græcus Paraphrastes, aliique sequuntur, explicatio non magis mihi arridet quàm Hilariana quæ pronomen ad Diabolum refert. Idem heic dicitur ac in Psal. VII 16.

peccatores. antesignanos ex ℣. 7, heic intelligo : sicque versus noster cum octavo non pugnat. Hunc quidem scopulum etiam vitassem hoc modo : *pereundo audiant orationem meam exauditam fuisse*; aut, *verbis meis illi audientes sint*. Sed hæc rejeci phrasis ordinem attendens, orationis expendens contextum, & cogitans junctos petræ propriè non audire quippe qui mortui aut jam morituri supponantur ; multò minùs illis obedientiam optari postquam eis præcipitationem è saxis apprecatus est Vates.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI QUADRAGESIMI PRIMI.

DAVIDEM in duas speluncas venisse legimus, nimirùm in speluncam Odollam I. Reg. XXII. 1. & in

ſpeluncam Engaddi I. Reg. XXIV. 1. De poſteriore ſpeluncâ titulus noſter intelligi nequit ob verſus 5. & 6. qui neminem Davidi tunc adfuiſſe ſupponunt contra atque contingit in ſpeluncâ Engaddi ubi viros ſecum habuiſſe Davidem conſtat ex I. Reg. XXIV. 7. Supereſt itaque ut de ſpeluncâ Odollam titulum exponamus : ſed res ſic eſt componenda ut Pſalmum Davidi, ſtatim atque illam ſpeluncam ingreſſus fuit, accommodemus. Si enim longa mora interponeretur, quintus & ſextus Pſalmi verſus aliíque nonnulli in eum non quadrarent : quippe qui parentum conſpectu potitus fuerit & quadringentorum hominum præſidio fuerit tectus; adeòque in magnum diſcrimen tunc non fuerit adductus, quum præſertim Saul ejúſque copiæ hinc abeſſent.

TITULUS.

Intellectus David, quum eſſet in ſpeluncâ. Oratio.

Psalmus CXLI.		Paraphrasis.
Voce meà ad Dominum clamavi, voce meà ad Dominum deprecatus ſum.	1	Voce meâ ad Dominum clamo, voce meâ Domino ſupplico.
Effundo in conſpectu ejus orationem meam, & tribulationem meam ante ipſum pronuntio,	2	Meam coram illo orationem fundo, meámque ipſi ærumnam aperio,
In deficiendo ex me ſpiritum meum. Et tu cognoviſti ſemitas meas.	3	Animo fractus ac debilitatus. *Te, inquam invoco, & meam tibi ærumnam aperio Domine* probè ſciens quòd meis rationibus proſpicias.
In viâ hac quà ambulabam abſconderunt laqueum mihi.	4	Quacunque viâ ingrediar, *hoſtes mei* inſidias mihi *ibi* ſtruunt.
Conſiderabam ad dexteram & videbam; & non erat qui cognoſceret me.	5	Ad dexteram & quaquaverſus oculos adjicio; & nemo adeſt qui mihi conſulat.

6 *Periit fuga à me, & non est qui requirat animam meam.*

Nullum mihi patet effugium, & nemo est cui vita mea curæ sit.

7 *Clamavi ad te Domine, dixi : tu es spes mea ; portio mea in terrâ viventium.*

In has adductus angustias, clamo ad te Domine, *dicens :* tu es spes mea ; & te uno, inter viventes, nitor.

8 *Intende ad deprecationem meam : quia humiliatus sum nimis.*

Audi orationem meam : sum enim ad summam calamitatem depulsus.

9 *Libera me à persequentibus me : quia confortati sunt super me.*

Libera me ab afflictoribus meis : fortiores enim me sunt ; *nec possum iis resistere nisi tu suppetias tuleris.*

10 *Educ de custodiâ animam meam ad confitendum nomini tuo : me exspectant justi donec retribuas mihi.*

E *speluncâ, in qua ceu* custodiâ *detineor*, educ me ut nomen tuum celebrem : *attendéque, obsecro,* quòd justi magnâ tui in me favoris exspectatione tenentur ut se mihi adjungant.

ANNOTATIONES.

intellectus &c. Cod. Reg. 138. *intellectus David. vox Christi*, Colb. 158. *intellectus David quum esset in spelunca... vox Christi ad Patrem.*

cognovisti. sumitur ut Psal. I. 7. Confer versum 5. infrâ.

non est qui requirat &c. Curabant quidem parentes aliique qui postea accessere : sed quando Davidi id non erat notum, potuit hæc verba usurpare.

de custodia. Aquila, apud Heracleotam & Theodoritum, *de clausura.* SS. Hilarius & Augustinus, *de carcere.* Quod nomen Heracleota de complexu malorum minùs benè exposuisse videtur.

me exspectant &c. *Aquila*, inquit Heracleota, *in me excipientur justi quando retribues super me. Symmachus coronabuntur justi quum benefeceris mihi.* Symmachum Theodoritus aliter profert, nimirùm hoc modo : *nomen tuum coronabunt justi quum me beneficio affeceris.* Priorem Symmachi versionem Heracleota & B. Chrysostomus sequuntur interpretantes, *justi lætitiâ afficientur quum me viderint à malis liberatum.* Confer Job. XXXVI. 2. ac Psal. CXVIII. 74. 79. & LXX. Senes suspicies : meámque, ni fallor, explanationem probabis. S. Augustinus legit *sustinebunt.*

ARGVMENTVM.

PSALMI CENTESIMI QUADRAG. SECUNDI.

HERACLEOTA & Græcus Paraphrastes Psalmum Judæis Babylone captivis accommodant : & negari non potest quin versus 4. & 5. cum Psal. LXXVI.

4. 5. 11. CVI. 10. 14. collati huic opinioni aliquantulùm faveant. Sed, quando versus illi cum Vulgato titulo congruunt & tituli explodi sine gravi caussâ non debent, Psalmum ad Davidem ab Absalomo exagitatum refero: quum præsertim eum Psalmo LXXXVII. comparo, & Origenem ac Theodoritum ita loquentes audio: Ἐν ἄλλοις &c. *In nonnullis exemplaribus inveni quando ipsum persecutus est Absalom filius ejus. Cæterùm neque apud Hebræos, neque apud alios interpretes inveni hanc additionem: attamen veritati cohæret, hunc enim sensum Psalmus habet.*

TITULUS.

Psalmus David quando persequebatur eum Absalom filius ejus.

PSALMUS CXLII.		PARAPHRASIS.
Domine exaudi orationem meam: auribus percipe obsecrationem meam in veritate tuâ, exaudi me in tuâ justitiâ:	1	Exaudi Domine orationem meam: *&*, pro tuâ *in promissis servandis* fide, precationi meæ autem præbe; mé*que* pro tuâ, *in promissis exsolvendis*, æquitate exaudi:
Et non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.	2	Nec summo jure mecum agas: hoc enim pacto nemo viventium insons coram te erit.
Quia persecutus est inimicus animam meam, humiliavit in terrâ vitam meam:	3	*Meam, inquam, orationem audi:* inimici enim mei me persequuntur, *&* me ad extremas angustias adduxerunt:
Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi. Et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.	4	Mé*que* ad tantas miserias compulerunt ut hominibus jamdudum mortuis similis sim. Ad hæc cor meum angoribus conficitur, & perturbato sum animo.

ANNOTATIONES.

Psalmus &c. Cod. Reg. 138. & Colb. 158. habent solùm *Psalmus David.*

turbatum est. Rabbini : *desolatur cor meum.* Utraque versio eodem recidit, & nostra ex Psal. XXXVII. 10. retinenda videtur.

5 *Memor fui dierum antiquorum : meditatus sum in omnibus operibus tuis, in factis manuum tuarum meditabor;*

Rebus meis eò redactis, in memoriam ea, quæ olim *in gratiam calamitosorum patrum nostrorum* fecisti, revoco : omnia tua opera animo revolvo, *&* manuum tuarum facta recolo;

6 *Expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra sine aquâ tibi.*

Meásque manus ad te expando, *&* mea, quæ telluri aquâ carenti similis est, anima tibi *supplicat sic.*

7 *Velociter exaudi me Domine : defecit spiritus meus. Non avertas faciem tuam à me : & similis ero descendentibus in lacum.*

Me Domine velociter exaudi: *siquidem* animo deficio. Ne tuam mihi opem deneges: alioqui similis ero iis qui in sepulchrum descendunt.

8 *Auditam fac mihi manè misericordiam tuam : quia in te speravi.*

Tuam mihi misericordiam manè impertire : nam meam in te spem colloco.

9 *Notam fac mihi viam in quâ ambulem : quia ad te levavi animam meam.*

Viam, quâ tutus incedam, notam mihi fac : tuum enim auxilium imploro.

10 *Eripe me de inimicis meis : Domine ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam quia Deus meus es tu.*

Ab inimicis meis libera me Domine; *siquidem* ad te confugio; *&* tibi obsequi doce me quia Deus meus es tu *cui parere teneor in omnibus, etiam adversis.*

11 *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam propter nomen tuum; Domine vivificabis me in æquitate tuâ:*

Benignus tuus spiritus Hierosolymas me, propter nominis tui gloriam deducat; *&* me, pro tuâ *in promissis servandis* æquitate, recrea:

mane. Alius, inquit Heracleota, *à diluculo idest celeriter.* Id ego non probo etsi in vers. 7. legatur *velociter*; & respici malo ad tempus matutinum quo oratio hæc fundebatur pro more Judæorum.

terram rectam. Quamvis dici posset his verbis idem significari atque istis suprà ℣. 9. *notam fac mihi viam*, ea tamen de Hierosolymis interpretari malui cum Græco Paraphraste qui optimè ait : *sic vocari Hierosolymas secundùm ipsorum opinionem : illic enim existimabant se solùm justè Deum adorare.* S. a Amb. legit *in viam rectam.*

a lib. 3. de Spiritu sancto cap. 16.

propter nomen tuum. Theodoritus : Σύ &c. *tu regem me creasti : tuum autem suffragium & inaugurationem sum consecutus ; & timeo ne, à te despectus, auctor sim ut tuum nomen male*

audiat, Ne igitur in meam dignitatem respicias; sed, ob celebritatem nominis tui, salutem mihi imperti.

12 *Educes de tribulatione animam meam; & in misericordiâ tuâ disperdes inimicos meos;* — Méque ex ærumnâ eripe; &, pro tuâ erga me bonitate, inimicos meos disperde;

13 *Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego servus tuus sum.* — Atque omnes meos afflictores exitio dede: quoniam ego cultor tuus sum.

perdes omnes, filium semper excipe ut alibi monuimus.

ARGUMENTUM.
PSALMI CENTESIMI QUADRAG. TERTII.

ALius, inquit Heracleota, *Psalmum ad Zorobabelem refert: alius verò ad Macchabæos qui pro populi subjectione gratias agant.* Priorem opiniònem Origenes & Theodoritus sequuntur, & Psalmum de Gentibus post reditum superatis exponunt; ídque Ezechielis XXXVIII. 8. 21. testimoniis confirmare conantur. Secundæ opinioni Græcus Paraphrastes subscribit, asserens tanquam ex personâ Macchabæorum dictum esse Psalmum. Mihi versus 6. 7. 8. cum Psal. XVII. 12. 17. 20. 50. componenti videtur eam in nostro Psalmo victoriam peti quæ in laudato Psalmo XVII. canitur: hoc est orare Davidem ut victoria sibi adversùs Philistæos concedatur.

TITULUS.

Psalmus David adversùs Goliath.

PSALMUS CXLIII.		PARAPHRASIS.
BEnedictus Dominus Deus meus qui docet manus meas ad prælium & digitos meos ad bellum	1	LAudetur Dominus Deus meus qui manus meas ad prælium & digitos meos ad bellum *in variis, quæ hucusque inivi certaminibus*, erudiit

2 *Misericordia mea & refugium meum, susceptor meus, & liberator meus,*

Laudetur, inquam, Dominus qui suam mihi misericordiam *hactenùs* impertitus est, *quique* perfugium *fuit* meum, adjutor meus, & liberator meus,

3 *Protector meus & in ipso speravi: qui subdit populum meum sub me.*

Meúsque protector in quo semper speravi: *quique* eum, qui mihi nunc paret, populum sub meam ditionem subjunxit.

4 *Domine quid est homo quia innotuisti ei; aut filius hominis quia reputas eum?*

Domine quid habet David quamobrem eum tot beneficiis ornaveris; aut quid est idem David ut eum tam amanter curaveris?

5 *Homo vanitati similis factus est, dies ejus sicut umbra prætereunt.*

Caducus *sanè* est David, ejúsque dies sicut umbra prætereunt *nulliúsque demùm est pretii: unde, si qua in eum conferantur, beneficia non ejus merito sed bonitati tuæ sunt adscribenda.*

6 *Domine inclina cœlos tuos, & descende: tange montes; & fumigabunt.*

Quando autem me, quanquam indignum, tuo favore hactenùs prosecutus es Domine, perge ut cœpisti: &, cœlo *quasi* demisso, veni *mihi in auxilium: mebsque* superbos *hostes Philistæos fulminè* percute; *iique combusti* fument.

7 *Fulgura coruscationem, & dissipabis eos: emitte sagittas tuas, & conturbabis eos:*

Fulmen tuum in eos contorque, & illos frange: tuásque in eos sagittas emitte, & perde illos:

ANNOTATIONES.

Psalmus &c. Cod. Reg. 138. *David adversus Goliad. vox Christi.* Colb. 158. *Psalmus David.* Colb. 1335. & Memm. 2. *adversus Goliath.* Theodoritus: E'ı &c. *In nonnullis exemplaribus inscriptioni additum inveni contra Goliath. Verùm neque apud Hebræum, neque apud alios interpretes; neque apud ipsos LXX. inveni in Hexaplo.*

quid est homo. David de se in tertiâ personâ loquitur pro more alibi observato, nominatim in Psal. VIII. 5.

innotuisti ei. Heracleota: *Symmachus quia cognosceris ab eo.* Symmachianæ versionis *cognosceris* meminit quoque Theodoritus: qui, cum Heracleota, verba *innotuisti* & *reputas* optimè exponit de curâ Dei.

vanitati. Theodoritus: *Theodotio. Homo*, inquit, *exhalationi similis est. Symmachus vapori: nam. vaporis more conglobati & dissoluti, hominum natura facilè corrumpitur.* Præiverat Heracleota dicens: Εἶπε &c. *Deinde naturæ fragilitatem ostendens: homo*, inquit, *vanitati similis factus est. Alius vapori, idest caducus, temporaneus, interitui obnoxius. Vanitati*

igitur similis factus est, id est nihilo assimilatus: quandoquidem rerum humanarum nihil est stabile, nihil firmum; sed omnia praeterfluunt.

Domine inclina. Ε'τερος &c. *Alius*, inquit Heracleota, *quum inclinasses cœlos tuos, & descendisses; & tetigisses montes, fumaverunt* Hujus quoque interpretationis meminit B. Chrysostomus: qui, Heracleotam exscribens, addit: τῦτο λέγει &c. *Hoc dicit inclina &c. Non quod Deus descendat (quomodo enim descenderet qui ubique præsens est?) sed, ut, per hujusmodi humanas dictiones, crassiores auditores terreat, de his humano more loquitur. Nam contrectare, etsi magnum quid esse videtur, multo certè est Dei dignitate inferius: non enim opus habet Deus contrectatione, ad id efficiendum ut montes fumigent, imò verò ne nutu quidem; sed consilio tantùm & voluntate.*

tange montes &c. ad montem Sinai fulguribus tonitruis & igne tactum Exod. XIX 16.18. alludit; &, per montes, intelligit hostes superbos & insolentes ut ex sequentibus liquet atque Origene.

fulgura &c. Heracleota: Α'ςραπὰς &c. *Fulgur & sagittas appellat supplicia... manum verò opem & auxilium appellat.*

Emitte manum tuam de alto: eripe me, & libera me de aquis multis: de manu filiorum alienorum,	8	Mihi *autem* ex alto, ubi degis, *cœlo* auxilium tuum porrige: méque eripe, & erue è *multis illis, qui in me magno impetu velut* aquæ multæ *feruntur, hostibus: nimirùm* è manu Philistæorum,
Quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis.	9	Quorum os blasphemiis utitur: & dextera eorum iniquitati assueta est.
Deus canticum novum cantabo tibi; in psalterio decachordo psallam tibi.	10	Canticum novum, *quum petitam victoriam concesseris*, canam tibi Domine; téque psalterio decachordo celebrabo.
Qui das salutem regibus; qui redemisti David servum tuum de gladio maligno, eripe me:	11	*Interim Domine*, qui regibus *tui metuentibus* salutem afferre soles; quique Davidem cultorem tuum à maligno *Goliathi* gladio *antea* liberasti, eripe me *nunc:*
Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem; & dextera eorum dextera iniquitatis:	12	Eripe me, *inquam*, è manu Philistæorum, quorum os blasphemiis utitur; & dextera flagitiis dedita est:
Quorum filii sicut novellæ plantationes in juventute sua:	13	Quorum filii florentem agunt juventutem instar virentium plantarum:

aquis multis. Heracleota: ὕδατα &c. *aquas inordinatam hostium irruptionem vocat utpote confusam & quæ magno impetu feratur. Quòd enim non de aquis ipsis sermo sit, subjunxit de manu filiorum alienorum.* Subscribit Theodoritus dicens: πολλὰ &c. *multas aquas vocavit hostium multitudinem.*

quorum filii, Rabbini: *nostri filii*: ineptè & contra Vatis mentem: non enim agitur de fi-

his Iſraelitarum, ſed de filiis alienorum ut patet ex contextu præſertim verſu ultimo qui tertiam perſonam non primam, cùm in noſtro verſu tum in ſequentibus, omninò ſupponit; & deſcripta heic bona non ad Iſraelitas ſed ad alienorum filios refert. Favet nobis Symmachus vertens *eorum* infrà ỳ. 17. hinc enim colligere eſt eum ùbique uſurpaſſe pronomen tertiæ perſonæ.

Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ ut ſimilitudo templi: 14

Quorum filiæ eleganter decoratæ ſunt, & inſtar templi ornatæ:

Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud: 15

Quorum penuaria bonis plena ſunt, & omni annonæ genere redundant:

Oves eorum fœtoſæ, abundantes in egreſſibus ſuis: boves eorum craſſæ: 16

Quorum oves fœcundæ *admodùm* ſunt; multóſ*que*, quum partum emittunt, fœtus edunt: & quorum boves pingues ſunt:

Non eſt ruina maceriæ, neque tranſitus: neque clamor in plateis eorum. 17

Quorum *denique* mœnia non diſturbantur, nec *per ea inimici in urbes eorum* irrumpunt: *ſic ut* nullus in eorum plateis clamor, *ob perruptós muros*, audiatur.

Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt. Beatus populus cujus Dominus Deus ejus. 18

Beatum *hoſtes noſtri* dicunt populum *Philiſtæum* cui hæc adſunt *bona*, & *prædictâ felicitate utitur. Sed* beatus *reverà* eſt populus qui Dominum habet in Deum.

filiæ eorum compoſita. Rabbini: *ſicut anguli exciſi* (ſeu polito ex lapide facti) *inſtar palatii*: non multùm diverſè; ſed minùs benè.

promptuaria &c. Rabbini: *anguli*, eodem ſenſu: quem etiam reperias in hac eorum verſione *de ſpecie ad ſpeciem* pro *ex hoc in illud*. Quod Theodoritus minùs benè trahit *ad cellas ſupra uſum plenas unde fiat ut in alias transferantur ſupervacua.*

in egreſſibus ſuis. Rabbini ineptè: *in plateis noſtris.*

non eſt ruina maceria &c. Heracleota ad ea trahit quæ in agris ſunt quæque magnâ curâ & cuſtodiâ colantur, ut neque ſeps concidat neque tranſitus ſit per ea quæ ſepto munita ſunt. Sed voces hæ *in plateis eorum* oſtendunt maceriam heic accipi pro mœnibus. Symmachus, Heracleotæ & Theodorito prolàtus, interpretabatur ſic: *nec fractura, nec funeris elatio; neque ululatus in plateis eorum.*

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI QUADRAG. QUARTI.

DEUM, quo tèmpore Babylonicam ſervitutem depulit, potentiæ, miſericordiæ, ſuæque in promiſſis ſervandis fidei luculenta ſpecimina dediſſe, novum re-

gnum ad longos annos duraturum inivisse, omnes qui corruerant allevasse, omnes elisos erexisse, escam famelicis dedisse, aliáque in eos beneficia contulisse mihi ex Psal. XCV. 4. 6. 9. XCVI. 1. 11. XCVII. 3. 4. 9. XCIX. 5. CII. 3. 6. 8. 16. 17. 19. CX. 2. 3. 4. 5. 6. CXXXIV. 5. CXXXV. 1. 23. 25. CXLV. 5. 7. 9. reputanti; résque illas in Psalmi nostri versibus 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 12. 13. 14. 15. 16. 21. descriptas animadvertenti verisimile omninò fit gratias heic à Judæis Deo agi pro patefactis, in Israeliticæ gentis liberatione, dotibus suis potentiâ, magnitudine, misericordiâ, ac veritate; & pro susceptâ Judaici regni administratione, datâque famelicis Judæis escâ, aliísque bonis in eos collatis; in quibus Evangelica sensu sublimiore atque excellentiore adumbrari certissimum est.

TITULUS.

Laudatio ipsi David.

Psalmus CXLIV.		Paraphrasis.
Exaltabo te Deus meus rex, & benedicam nomini tuo in sæculum & in sæculum sæculi.	1	Laudibus te, Deus mi & rex mi, efferam; & nomen tuum perpetuò celebrabo.
Per singulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in sæculum & in sæculum sæculi:	2	Per singulos dies laudem tibi dicam, & nomen tuum semper laudabo:
Magnus Dominus, & laudabilis nimis; & magnitudinis ejus non est finis.	3	Magnus *enim* est Dominus & valdè laudabilis; & magnitudine infinitâ præditus.
Generatio & generatio laudabit opera tua; & potentiam tuam pronuntiabunt.	4	Ætates omnes opera, *quæ in nostri gratiam* edidit, laudabunt; &, quam *Domine in nostrâ liberatione* ostendisti, potentiam prædicabunt.

ANNOTATIONES.

laudatio &c. Cod. Colb. 158. *Psalmus Davit.* Memm. 2. *laudatio David.* Alphabeticus est hic Psalmus ut notat Theodoritus.

5 *Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt:*

Sacræ tuæ majestatis gloriosam magnificentiam canent, & miracula tua narrabunt:

6 *Et virtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt.*

Vimque prodigiorum tuorum dicent, & tuam decantabunt magnitudinem.

7 *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, & justitiâ tuâ exultabunt.*

Memoriam immensæ tuæ, *erga nos*, bonitatis celebrabunt; & tuam, *in nos*, benignitatem læti concinent.

8 *Miserator, & misericors Dominus, patiens, & multum misericors:*

Nimirum Dominus clemens, misericors, & lenis fuit *erga Judæos*, multámque *ipsis* misericordiam exhibuit:

9 *Suavis Dominus universis; & miserationes ejus super omnia opera ejus.*

Séque *erga* omnes *illos* benignum præbuit Dominus; & bonitate, erga omnes Israelitas, usus est.

10 *Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & sancti tui benedicant tibi.*

His de caussis omnes Judæi te *jugiter* laudabunt Domine: *tidémque* Judæi præconium tibi *perpetuò* dicent.

11 *Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur*

Gloriam regni tui canent, & potentiam tuam prædicabunt

12 *Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ regni tui.*

Ut filiis hominum notam faciant potentiam tuam, & gloriosam regni tui magnificentiam.

13 *Regnum tuum regnum omnium sæculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem.*

Regnum *quippe* à te *super nos* initum ad longos annos durabit, & dominatio *illa* tua diuturno manebit tempore.

14 *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis; & sanctus in omnibus operibus suis:*

Adhæc iidem Judæi Dominum jugiter laudabunt quia se in omnibus suis promissis fidelem ostendit; & sanctè se in omnibus operibus suis gessit, *religiosè præstando ea quæ Judæis promiserat.*

magnificentiam gloria sanctitatis tuæ &c. Rabbini: *decorem gloriæ magnificentiæ tuæ.* Nostri *sanctitatem* hoc est sacram majestatem rectè apposuerunt: Psalmus enim Deum describit

ut regem; & quidem magnificentissimum, novúmque in Judæâ regnum capessentem. *Alius*, inquit Heracleota, *pulchritudinem laudum tuarum*. *& verba mirabilium tuorum narrabunt*. S. Hilarius: *magnificentiam majestatis tuæ & sanctitatem tuam loquentur*.

mirabilia tua narrabunt. Rabbini heic & in secundo versu sequentis membri habent futurum primæ personæ *narrabo*: cujus lectionis insulsitas, etiam me tacente, patet; & colligi potest ex anonymo interprete in præcedenti annotatione citato.

& justitiâ tuâ &c. *Alius*, ait B. Chrysostomus, *& misericordias tuas benedicent*.

super omnia opera ejus. Judæos intelligo ut Psal. LXXXIX. 18.

15 *Allevat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos:*

Præterea omnes, qui in *miseriarum barathrum* corruerant, Judæos sublevavit Dominus; & omnes, qui *calamitatibus* fracti erant, *Israelitas erexit:*

16 *Oculi omnium in te sperant Domine: & tu das illis escam in tempore opportuno.*

Oculi omnium *Hebræorum* in te defixi erant Domine, *cibum à te sperantes*: & tu escam illis opportuno tempore dedisti.

17 *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.*

Aperuisti tu manum tuam, & Judæos omnes bonis cumulasti.

18 *Justus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.*

Justum se Dominus in omnibus suis actionibus præbuit, & sanctum se in omnibus suis operibus ostendit.

19 *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum: omnibus invocantibus eum in veritate.*

Adfuit Dominus omnibus invocantibus eum: omnibus, *inquam*, *Judæis* cum piè invocantibus *adfuit*.

20 *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet; & salvos faciet eos:*

Desiderio cultorum suorum *Israelitarum* fecit satis, & orationem illorum exaudivit; atque illis salutem præstitit:

21 *Custodit Dominus omnes diligentes se; & omnes peccatores disperdet.*

Omnésque, qui ipsum diligebant, *Israelitas* Dominus *incolumes* servavit; & omnes, *qui molestiam ipsis attulerant*, improbos *Babylonios* disperdidit.

22 *Laudationem Domini loquetur os meum; & benedicat omnis caro nomini sancto ejus in sæculum & in sæculum sæculi.*

Ea ob beneficia os meum laudem Domino *semper* dicet, & cuncti Israelitæ sanctum nomen ejus sempiternis sæculorum ætatibus celebrabunt.

fidelis Dominus. Unus hic, qui in Hebræis voluminibus deest, versus ad ostendendam hodierni textus Hebræi corruptionem sufficeret, etsi corruptionis hujus complura in hoc opere indicia non haberemus. Vide Præfationem pag. 42.

omne animal. idest omnes Judæos. Confer Psal. LXVII. 11.

omnis caro, idest omnes Judæi. Confer Psal. LXIV. 2.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI QUADRAG. QUINTI.

PRIMUS hujus Psalmi versus voci *HalleluIah*, quæ in titulo exstat, conjunctus indicare videtur Psalmum lætitiâ plenum esse; atque ab Aggæo & Zachariâ compositum fuisse ut Deum laudarent pro liberatis captivis, servatis promissis, satiatis famelicis; & erectis qui in servitute Babylonicâ jacebant, Israelitis. Sed secundus versus huic hypothesi non benè congruit: quum enim Judæi, captâ Babylone, in libertatem à Cyro vindicati & multis ab hoc Principe beneficiis ornati fuissent, vero non est simile ut Vates, è vinculis nuper solutus (qualis in prædictâ hypothesi supponi debet,) dixerit *nolite confidere in principibus*; quanquam scio Judæos, aliquos post annos, eandem loquutionem Psal. CXVII. 9. usurpasse: quum nimirùm Cyri Darii & Artaxerxis in Judæos voluntas non impediisset quominùs à finitimis populis longos annos vexarentur & templi urbisque ædificatio diu retardaretur. Hæc sanè loquutio *nolite confidere in principibus* nec non ea, quæ versu 4. adhibetur, suadent conditum ab Aggæo & Zachariâ fuisse carmen ut Judæos captivos ad spem in uno Deo collocandam hortarentur. Sciebant illi ex If. XLIV. 28. XLV. 1. 4. salutem sibi à Cyro allatum iri: unde hoc Principe toti fortasse nitebantur, atque in hujus spe omninò requiescebant. Quæ res in caussa fuerit cur Aggæus & Zacharias captivos illos, ut suam

suam non in principibus mortalibus sed in Deo æterno spem defigerent, cohortarentur.

TITULUS.

Hallelulah Aggæi & Zachariæ.

PSALMUS CXLV.

1 *LAuda anima mea Dominum: laudabo Dominum in vitâ meâ; psallam Deo meo quamdiu fuero.*

2 *Nolite confidere in principibus, in filiis hominum in quibus non est salus.*

3 *Exibit spiritus ejus; & revertetur in terram suam: in illâ die peribunt omnes cogitationes eorum.*

4 *Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt;*

5 *Qui custodit veritatem in sæculum. Facit judicium injuriam patientibus; dat escam esurientibus.*

PARAPHRASIS.

1 LAuda anima mea Dominum, laudabo Dominum dum vivam, & Deum meum, quamdiu ero in vivis, celebrabo *ut eum in quo salus mea continetur.*

2 Nolite principibus & magnatibus confidere: *quippe* qui seipsi servare *à morte* non possint.

3 Eorum anima avolat; & *statim corpus eorum* in terram, è quâ formatum fuerat, resolvitur: túnc*que* omnia eorum consilia evanescunt.

4 Felix *sanè* est ille qui *non mortalibus principibus*, sed Deo Jacobæorum nititur, suám*que* spem in Domino Deo suo collocat qui cœlum & terram mare & quicquid in eis est creavit;

5 Et fidem semper servat. *Is enim, quum talis sit, illatas* calamitosis *Judæis* injurias ulciscetur; *iisdémque Judæis*, fame *apud Babylonios* enectis, escam præbebit:

ANNOTATIONES.

Hallelulah &c. Codex Regius 138. habet solùm *Alleluia.* Theodoritus: καὶ &c. *in nonnullis exemplaribus additum est Aggæi & Zachariæ: hoc verò nec apud Hebræum, nec apud alios interpretes; nec apud LXX. inveni in Hexaplo.* Illud tamen additamentum exhibet S. Hilarius, atque à doctâ manu profectum fuit.

in filiis hominum. Heb. בבן אדם. Principes, ex regulâ Synonymicâ, intelligo: nec traditam ad Psal. IV. 4. XLVII. 2. doctrinam lædi puto: hi enim principes heic repræsentantur tanquam miseri ac mortales adeóque viles. Hunc porrò locum ornare possunt Ciceroniana verba de morte Crassi lib. 3. de Orat. *ó fallacem hominum spem, fragilémque fortunam, & inanes nostras contentiones, quæ in medio spatio sæpe franguntur & corruunt; & ante in ipso cursu obruuntur quàm portum conspicere potuerunt.*

in quibus non est salus. Hæc est, inquit Heracleota, *ne propria quidem salus in eorum est potestate, nec se possunt defendere. Si enim mors advenerit, jacebunt magis muti quàm lapides: hoc enim declarat illud exibit spiritus ejus. Qui igitur seipse non potest defendere, quomodo alios eripiet?* Hunc autem sermonem non sic accipi velim ut eo negetur auxilium à Cyro latum iri; sed ut doceat in eo Principe, utpote mortali, non esse sperandum; sed in Deo.

revertetur. masculini est generis: unde ad *spiritum* רוּח, qui in Hebræo fœmininum genus sequitur, referri nequit: idque etiam apparet ex Eccl. XII. 7. cui addi velim textum Psal. CIII. 30. unde B. Hilarius optimè legit: *exibit spiritus ejus & revertentur.*

custodit veritatem in sæculum. Principibus longè præstantior: qui, quum sint mortales, consilia sua adeóque promissa perficere plerumque nequeunt.

Dominus solvit compeditos; Dominus illuminat cæcos:	6	Eósque Dominus è vinculis solvet; & cæcitatem, *in quam inciderant*, luce suâ dispellet:
Dominus erigit elisos; Dominus diligit justos:	7	Dominúsque *Israelitas*, calamitatibus fractos eriget; & illos benevolentiâ suâ complectetur:
Dominus custodit advenas, pupillum & viduam suscipiet; & vias peccatorum disperdet:	8	Proselytósque servabit incolumes, & pupillos ac viduas *Israelitarum* adjuvabit; atque improborum *Babyloniorum* consilia dissipabit:
Regnabit Dominus in sæcula Deus tuus Sion in generationem & generationem.	9	Tuúsque, *post hac*, Dominus Deus tuus, ô Sion, longos annos & quamdiutissimè regnabit *super te.*

cæcos. præ magnitudine calamitatum, inquit Genebrardus: *calamitas enim comparatur tenebris, ut salus luci.* Sed aliò heic me trahit Isaias XLII. 16. 17. 18. 19. ad quos textus Vates alludere videtur. S. Hil. pro *illuminat* legi *sapientificat*. S. Aug. *sapientes facit*, eodem sensu.

diligit justos. Confer Psal. XCVI. 11. CXV. 5. CXLIV. 21.

advenas. S. Hilarius: *proselytum.* S. Augustinus & Sixtina editio: *proselytos.* Confer Psal. XCIII. 6. ex quo loco ac nostro colligimus quosdam fuisse proselytos seu peregrinos inter captivos Judæos.

suscipiet. illud futurum & sequens indicant præcedentia præterita per futurum esse vertenda.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI QUADRAG. SEXTI.

JUDÆORUM à Babylonicâ servitute liberationem ac Hierosolymarum restaurationem celebrare, & Dei potentiam, magnitudinem, sapientiam, ac providentiam, quæ hac in occasione mirum in modum micassent, canere; atque exemplis aliquot, cùm generalibus tùm spe-

cialibus dotes illas illustrare mihi, ex primo aspectu, videbatur Psalmus. Sed, ubi in eum mentem intentam infixámque intelligentiam habuissem, idem in illo, atque in præcedenti carmine, argumentum tractari induxi in animum: &, tantùm abest ut, cum Græco Paraphraste; &, qui ei præluxerant, Origene, Theodorito, atque Euthymio, Psalmum nostrum ex personâ redeuntium ex Babylone esse, & gratiarum actionem continere credam, ut sic habeam persuasum prædictum Psalmum eo consilio editum fuisse ut Judæi, Babylonico jugo addicti, docerentur laudem uni Deo esse tribuendam: quippe qui, prò suâ potentiâ, magnitudine, sapientiâ, ac providentiâ Hierosolymas esset restauraturus & dispersos congregaturus Israelitas, dummodò illi equorum fortitudine aliisve humanis præsidiis non niterentur; sed Deum colerent & suam in misericordiâ ejus spem ponerent.

TITULUS.

Hallelulah.

PSALMUS CXLVI.		PARAPHRASIS.
LAudate Dominum quoniam bonus est psalmus; Deo nostro sit jucunda decoráque laudatio:	1	LAudate Dominum quoniam æquum est laudem ei dicere; convenit*que* ac decet præconium ei tribuere:
Ædificans Hierusalem Dominus; dispersiones Israelis congregabit:	2	Dominus *enim* Hierosolymas instaurabit; *&* dispersos, *inter exteras gentes*, Judæos *in præfatam Urbem* coget:
Qui sanat contritos corde; & alligat contritiones eorum.	3	*Eosdémque Judæos*, animo fractos, sanabit; & vulnerâ eorum, *adhibitis consolationum fasciis*, curabit.

ANNOTATIONES.

Hallelulah. Cod. Reg. 2851. 2852. 2854. 2855. 3421. 3422. & Colb. 4439. 6051. 6158. 1182. habent ἀλληλούϊα &c: *Allelnia Aggæi & Zachariæ.*

quoniam bonus. Confer Psal. XCI. 1.

jucunda. id est decens: quæ enim res decent, gratæ solent esse ac jucundæ.

adificans. productus in Sixtino scholio Symmachus; &, suppresso nomine, ab Heracleotâ laudatus, optimè vertit *adificabit*; nec minùs benè Theodoritus ait: *δεῖ* &c. *ideò ipsum laudare decet quoniam & Hierosolymam eversam adificabit, & captivos abductos reditu dignabitur.*

4 *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat;*

Nimirùm stellarum multitudinem cognoscit, & unamquamque earum apprimè novit;

5 *Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est numerus:*

Magnúsque est Dominus noster, ac magnâ virtute pollet, & sapientiâ præditus est infinitâ:

6 *Suscipiens mansuetos Dominus; humilians autem peccatores usque ad terram.*

Unde, quum stellas toto cœlo dispersas noscat, Judæos in variis regionibus dispersos etiam novit; &, quum maximus ac sapientissimus sit, rationem, quemadmodum dispersos illos Judæos congreget & vulnera eorum alliget, reperiet ac perficiet: adeòque jacentes *atque abjectos Judæos* eriget; & improbos eorum hostes *Babylonios* deprimet.

7 *Præcinite Domino in confessione, psallite Deo nostro in citharâ.*

Nec verò his solùm de caussis decet ut Dominum laudetis ò populares: ei *quoque* hymnos concinite; & citharâ nostrum celebrate Deum

8 *Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluviam;*

Qui cœlum nubibus operit, & pluviam telluri parat;

9 *Qui producit in montibus fœnum, & herbam servituti hominum:*

Qui fœnum in montibus *in usum jumentorum* producit, & olera in usum hominum procreat:

qui numerat. pro in numerato habet, idest cognoscit: qui enim aliquid in numerato habet illud cognoscit. Secundum hemistichium in eandem sententiam accipitur: nam, qui alium proprio nomine appellat, eum noscit. Confer Is. XL. 26. atque Euthymium lege: nec *nominis vocationem* ad dominium trahe, etiamsi B. *a* Chrysostomus, *b* Severianus Gabalitanus, & *c* Moses bar Cepha arbitrentur *nominum vocationem*. Adamo Gen. II. 19. concessam, ejus in animalia potestatem denotare: sumtâ nimirùm metaphorâ à Dominis qui servis nomen dare solent. Paulò magis sed non omninò ad nostrum institutum accedit *d* Plato quum docet nominum impositione sapientiam denotari.

præcinite &c. prolatus Heracleotæ Symmachus: Καταλέξατε &c. *recitate Domino confessionem*. S. Hilarius: *inchoate*. S. Aug. *incipite* ex Gr. ἐξάρξατε.

pluviam. nubes esse pluviæ materiam *e* Aristoteles & *f* Zeno docent cum Psalmographo nostro.

a homil. 14. in Genes.
b Orat. 5. de mundi Opif.
c lib. de paradiso. part. I. cap. 28. p. 4 5. F. to. 10. Bibl. Patr.
d in Cratylo. p. 388. E. 389. D 390. D. & to. 1.
e lib. I. Meteor. cap. 9. p. 419. B. & lib. de Mundo c. 4. p. 467 G.
f apud Diog. Laert. lib. 7.

Qui dat jumentis escam ipsorum; & pullis corvorum invocantibus eum:

10 Qui pecoribus pabulum præbet; & pullis corvorum, eum invocantibus, victum suppeditat:

Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei;

11 *Quique, quum sit tam providens*, eos non amat qui fortitudine equorum confidunt, nec eos diligit qui suam, in pedum pernicitate, spem ponunt;

Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordiâ ejus.

12 *Sed* sui metuentes atque spem in misericordiâ ipsius collocantes *amat*.

pullis corvorum. exemplum rectè adductum ad commendandam Dei providentiam: ea namque peculiariter elucet in pascendis corvorum pullis. Hi enim, teste *a* Aristotele, à parentibus nido ejiciuntur: non ob amoris defectum (ut putat *b* Ælianus, innuítque B. *c* Gregorius qui pullos inediâ affici arbitrabatur eò quòd primitùs sint albi adeóque non videantur genuini;) sed quia parentibus deficit potestas nutriendi tam voraces ut observat *d* Vossius, apud *e* quem plura leges ut & apud *f* Franciscum Valesium ab *g* eo citatum.

fortitudine equi. fortitudinem equo rectè tribuit ut ex *h* Ennio & *i* Lucretio patet.

tibiis. Sixtina editio *filiis*. SS. Hilarius & Augustinus: *tabernaculis*. Dicit autem *viri* pro *virilibus*, hoc est pernicibus; nec malè: sunt enim homines pernicitatis eximiæ ut exemplis à *k* Plinio allatis apparet.

a Hist. Animal. VI. 6. p. 960. B. IX. 31. p. 714. B.
b lib. II. de Animal. c. 49.
c ad Job XXXVIII. 41. col. 769. B. to 1 verba ejus sunt. *Editis namque pullis ut fertur escam plenè præbere dissimulat priusquam plumescendo nigrescant, eosque inediâ affici patitur quoadusque in illis, per pennarum nigredinem, sua similitudo videatur.*
d de Idol. lib. III 84. p. 538. sub fin. Pavent Aristoteles & Plinius e quorum ille *Hist. Animal.* VI. 6 ait corvum incubare viginti diebus, & pullos nido expellere; hic autem *Hist. Nat* X. 12. ita loquitur de corvis, *robustos quoque fœtus suos fugant longiùs.*
e ib. cap. 49. p. 492. & cap. 82 p. 582.
f Philosoph. sacr. cap. 55.
g pag. 49'.
h apud Cicer. de Senect. *Sicut fortis equus* &c.
i lib. 3. .. *Fortis equi vis.*
k Hist. nat. VII. 2. 20.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI QUADRAG. SEPTIMI.

JUDÆI ex urbe Babylone reversi portas Hierosolymarum ædificarunt & seras ac vectes statuerunt II. Esd. III. 1. 2. 3. 6. 7. 13. 14. legem ab Esdrâ didicerunt II. Esdr. VIII. 1. 2. 3. 5. 9. 13. & bonis cumulati sunt Psal. LXXXIV. 13. CVI. 35. 36. 37. 38. Is. LIV. 13. Zach. VIII. 12. Quum ergo hæc omnia in Psalmi nostri versibus 2. 3. 8. 9. comperiam, illum cum Origene ac Theodorito, Judæis reducibus; & gratias, pro collatis, quorum memini, beneficiis ac reportatâ à finitimis hostibus victoriâ, agentibus accommodo; & præterea prædicationes Apostolorum, quæ totum terrarum orbem quàm celerrimè percurrerunt, sublimiore sensu prædici existimo.

TITULUS.

Hallelulah.

PSALMUS CXLVII.

LAuda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion. 1

Quoniam confortavit seras portarum tuarum; benedixit filiis tuis in te: 2

Qui posuit fines tuos pacem; & adipe frumenti satiat te. 3

Qui emittit eloquium suum terræ; velociter currit sermo ejus. 4

Qui dat nivem sicut lanam; nebulam sicut cinerem spargit. 5

Mittit crystallum suam sicut buccellas; ante faciem frigoris ejus quis sustinebit? 6

PARAPHRASIS.

LAuda Dominum ô Hierusalem, lauda Deum tuum ô Sion.

Quoniam vectes portarum tuarum firmavit; & cives, *qui* in medio tui *versantur*, bonis cumulavit:

Quique fines tuos *undecunque* pacavit, & lectissimi tritici omniumque frugum copiam tibi largitus est.

Quam ut largiretur, terræ *Israeliticæ primùm* præcepit ut *eam gigneret*; *idque* mandati ad eam celeriter delatum est.

Tum Deus nivem demisit *quæ terram illam* instar lanæ *calefecit*; & nebulosam sparsit pruinam *quæ eandem terram* instar cineris *fovit*

Deinde glaciem emisit *quæ prædictam terram*, instar panis buccellatim sumti, *saginavit*; quæque tantum frigus attulit ut tolerari vix posset.

ANNOTATIONES.

Hallelulah. Sixtina editio cum Cod. Reg. 2851. 2852. 2853. 2854. 2855. 3421. 2412. ac Colb. 6051. 6158. 6310. 4439: 1182. habet ἀλληλούϊα &c. *Alleluia Aggai & Zachariæ.* optimè. Sed hic Psalmus, apud Hebræos, cum superiore malè jungitur, ut utrumque Psalmum expendenti patebit.

confortavit &c. Hoc in versu & sequenti intertexta habes Synonyma: ita quod *confortavit seras portarum tuarum* idem sit *ac posuit fines tuos pacem*; & *benedixit filiis tuis in te* idem sonet *ac adipe frumenti satiat te.*

adipe frumenti. Heracleota: στέαρ &c. *adeps frumenti id quod in fructu pinguissimum est declarat, scilicet optimum frumentum. Per frumentum autem omnes fructus intelligit.*

currit. perlatum (sup. ad Angelos jussa Dei celeriter exsequentes Psal. CII. 20. 21. CIII. 5.) expono mandatum, non perfectum cum Heracleota: qui tamen eximiè addit: τί &c. *Quid autem imperas? ea quæ vitam nostram continent: jussum enim ejus, dum terram firmeat, præparat eam ut fructus donet.* Docta sanè verba: siquidem Vates, postquam frugum abundantiam in præcedenti versu memoravit, nunc aggreditur ad describendum quomodo

abundantiam illam Deus præbuerit. Et primò quidem datum terræ mandatum recenset: deinde nivis meminit; eámque laneo operimento comparans, ostendit terram eâ calefactam fuisse atque ita fœcundatam. Quibus in rebus Psalmographus consentientes habet Democritum, Theophrastum ac Plinium, atque usum quotidianum. Nam *a* Democritus, nivem calidam esse asseruit. *b* Theophrastus autem ac *c* Plinius nivi fœcunditatem tribuerunt: usus demque quotidianus docet eos annos maximè esse fertiles qui niveâ ac frigidâ hyeme gaudent. Usui egregiè suffragantur citati heic à Bochio Joh. Herburtus *in hist. Polon.* X. 1. & Olaus Magnus *lib. I.* 21. *XIX.* 36.

nebulam. Rabbini: *pruinam.* Idem ubique sensus: etenim per nebulam illam intelligi debet vapor aqueus & frigore concretus qui aerem reddit caliginosum. Favet, apud Heracleotam & B. Chrysostomum, Interpres: qui, pro *ὁμίχλην nebulam*, dicit *δρόσον πεπηγυῖαν rorem concretum*, quomodo *πάχνη pruina* describitur à Platone *in Timæo pag.* 59. *E. to.* 3. Aristotele *lib. de Mundo cap.* 4. *pag.* 467. *G. to.* 1. & Zenone *apud Diogenem Laertium lib.* 7.

sicut cinerem. cineres per terram sparsos ad ejus fœcunditatem prodesse scribunt *d* Cato, *e* Virgilius, *f* Plinius, Constantinus Cæsar seu potiùs *g* Robertus Constantinus, *h* Palladius, *i* Alexander Guagninus, & *k* Olaus Magnus. Hos cineres respicit Vates; affirmátque utilem esse nebulam instar cineris per agros sparsi.

crystallum. pro glacie dicit eum Eccles. XLIII. 22. S. Augustinus pro *buccellas* legit *frusta panis*, optimè. Vide Pluium lib. XVII. 2. col. 420. lin. 23. 41.

a apud Senec. Natur. Quæst. lib. IV. 8. pag. 754. A edit. Ant 1631.
b de Plant IV 16. Ὁ δ' Πόντικός &c.
c lib XVII. 2 *Alioqui vora arborum* &c.
d de Agricult. cap. 37.
e Georg. I. — *Arida tantùm ne saturare* &c.
f lib. XVII. 9.
g de Agricult. lib. II. 10.
h de re rust. lib. I 33.
i in suâ Sarmaticæ Europ. descriptione de arandi & seminandi modo in Russiâ & Lithuaniâ
k de Gentib. Septentr. lib. XIII. 5.

7 *Emittet Verbum suum, & liquefaciet ea; flabit Spiritus ejus: & fluent aquæ.*

Suum *denique* Verbum misit, *ipsúmque* nivem illam ac glaciem liquefecit; *idemque illud*, quod ab eo emanat, *Verbum* ventum *australem* immisit: &, *quæ prius erant constricta ac congelatæ*, aquæ fluxerunt; *terrámque Israeliticam copiosè irrigantes, fœcunditatem ei dederunt.*

8 *Qui annuntiat verbum suum Jacob, justitias & judicia sua Israel:*

Laudem demùm ô Sion dic Domino qui, prædictis non contentus donis, legem suam, Jacobæos, *per Esdram*, docuit; suáque præcepta & mandata Israelitis *per eumdem Esdram* declaravit, *singulari sanè beneficio:*

9 *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.*

Illud *enim* cæteris gentibus non dedit, & præcepta sua illis non manifestavit.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI QUADRAG. OCTAVI.

VATES hoc in Psalmo Deum, pro exaltato post reditum Judaico populo, celebrat ut versu 13. ap-

paret. Atque ut ſplendidior ſit hæc laus, omnes, ad divinum præconium, creaturas invitat: &, quando cœleſtes creaturæ cùm ſublunaribus affinitate non devinciuntur, eas ad divinum præconium pro creationis & conſervationis beneficio ſibi proprio hortatur; cæteras verò creaturas, maximè populum Iſraeliticum ad præfatum præconium excitat pro gloriâ quam ſibi Deus comparavit debellando finitimas gentes quæ Judæos diu vexaverant; & Iſraeliticum populum in ampliſſimo dignitatis gradu locando.

TITULUS.

Halleluiah.

PSALMUS CXLVIII.

1 *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelſis.*

2 *Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus.*

3 *Laudate eum ſol & luna, laudate eum omnes ſtellæ & lumen.*

PARAPHRASIS.

1 Qui in cœlo habitatis laudate Dominum, eique præconium tribuite qui in *eodem* cœlo verſamini.

2 Eum, *inquam*, omnes Angeli ejus laudate, eique præconium omnes Angelici ordines tribuite.

3 Laudate eum ſol & luna, laudate eum omnes ſtellæ & luminoſa aſtra.

ANNOTATIONES.

Halleluiah. Codices Græci Regii 2851. 2852. 2854. 2855. 3421, 3422, & Colb. 4439. 6051. 6158. 6510. 1182. nec non Sixtina editio & Pſalterium Complutenſe habent ἀλληλούϊα &c. *Alleluia Aggai & Zachariæ.*

de cœlis, idest qui in cœlo degunt ut explicat Theodoritus & patet ex ſecundo hemiſtichio. Similem conſtructionem vide in Pſal. CXVII. 25. Heracleota: ἐν &c. *More Hebraico cœlos dixit pro cœlo.*

omnes virtutes ejus. aliter atque in Pſalmo CII. 21. accipio, videlicet generatim pro univerſis Angelis: quibus nomen, quod in laudato Pſalmo peculiaris ordinis eſt proprium, heic tribui non mirabitur qui beatum audierit [a] Hieronymum Angelos appellantem *totum miniſterium cœleſte & apparitrices in cœlis virtutes.* Heracleota: *Alius, omnes exercitus ejus: ſcilicet Cherubim, Seraphim, Dominationes, Poteſtates.*

[a] Epiſt. 142. col. 186. A. col. 189. E. adde col. 184. A.

laudate eum ſol & luna &c. Heracleota: ἴσως &c. *Fortaſſis quis dixerit: quomodo hæc laudent quum linguam non habeant? Utique pulchritudine, poſitione, magnitudine, utilitate, miniſterio, perſeverantiâ.* S. [b] Chryſoſtomus ait tam cœlos quàm aquas & omnia alia, quæ ad collaudandum Deum ibidem invitantur, nec animam neque rationem neque mentem

[b] in Pſal. CXLVIII. 4.

mentem habere. Ideò laudare hoc ipso Deum quòd aspectu suo ad Deum collaudandum homines excitant. Assentitur *a* Theodoritus: ad quem si adras, *b* Justinianum imitaberis; &, cum eo, Origenem accusabis amentiæ quòd cœlum solem lunam ac stellas & aquas quæ sunt supra cœlum animatas & materiales esse quasdam virtutes dixerit: quæ opinio in Quintâ Synodo damnata est ut ex sexto laudati Justiniani * anathematismo & *c* Cedreno conjicimus, atque ex *d* Nicephoro Callisti discimus.

omnes stellæ & lumen. Theodoritus: *Symmachus omnes stellæ luminis. Sic etiam cæteri.*

Laudate eum cœli cœlorum; & aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini:	4	Laudem ei dic *ò* cœlum empyreum; &, quæ suprà aerem sunt, aquæ nomen Domini celebrent:
Quia ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit; & creata sunt:	5	Ipse enim *res illas* Verbo suo produxit; ipséque Sermone suo eas creavit:
Statuit ea in æternum & in sæculum sæculi; præceptum posuit & non præteribit.	6	Constituitque ut *impositas sibi leges* perpetuo *servarent*; &, quod *ipsis, hac de re*, dedit mandatum nunquam perfringetur.
Laudate Dominum de terrâ, dracones & omnes abyssi:	7	*Sed &* laudate Dominum qui in terrâ estis, dracones & omnes aquæ *terrestres*:
Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum quæ faciunt verbum ejus:	8	Ignis, grando, nix, glacies, & ventus procellosus quæ jussa ejus conficiunt:
Montes & omnes colles, ligna fructifera & omnes cedri:	9	Montes & omnes colles, arbores fructiferæ, & omnes cedri:

cœli cœlorum. Euthymius: *cœles cœlorum dixit pro cœlum cœli: primum nimirùm cœlum, de quo * alibi dictum est cœlum cœli Domino.*

& aquæ omnes &c. Euthymius: *per aquam, quam supra cœlos esse dicit, eam intellige quæ est supra firmamentum*, hoc est, ut ille putat, *cœlum sydereum*. *e* Pseudo Justinus, S. *f* Cyrillus Hierosolymitanus, S. *g* Basilius, S. *h* Ambrosius, S. *i* Chrysostomus, *k* Severianus Gabalitanus, S. *l* Augustinus, *m* Theodoritus, *n* Eucherius, *o* Gennadius, *p* Procopius, S. *q* Johannes Damascenus, *r* Beda, *s* Marius Victor, & *t* Glycas Siculus. Sed, cum præstantissimis, & quorum diligentiæ noster hic liber multùm debet, viris Pererio *in Gen. I. 6. 7.* & Petavio *Theol. Dogm. to. 3. de Opif. sex dierum. lib. I. 11.* per *cœlos* seu *cœlum* ac *firmamentum* heic ut & Gen. I. 7. 20. Psal. CIII. 3. CXLVI. 8, intelligo aerem terris citimum in cujus superiori parte sunt Psalterianæ aquæ, quas Vates jure optimo memorat: quid enim, ut ait *u* Plinius, *mirabilius esse potest aquis in cœlo stantibus*? Origenianum, qui aquas supra cœlos animatas & materiales virtutes interpretabatur, errorem superiùs attigimus. Eum etiam B. *x* Epiphanius memorat; &, tacito Origenis ac sequacium nomine, refellit S. Basilius homil. 3. in Hex. pag. 41. C. Vide B. Hieronymum Epist. 61. ad Pammachium to. 2. col. 234. C.

ipse dixit. Theodorus Mopsuestenus, *y* Johanni Philopono prolatus, Deum voce articulatâ usum fuisse opinatus est; eíque *z* Basilius Seleucientis assentiri videtur. Verùm Dei vox seu sermo est divina voluntas uti ab * Eusebio qui falsò Emissenus dicitur, S. *a* Basilio, S. *b* Gregorio Nysseno aut alio, S. *c* Ambrosio, *d* Theodorito, & *e* Procopio edocemur: quòd quomodo fiat & divinum Verbum spectet, eximiè declarat B. *f* Athanasius

a in Psal. CXLVIII 4.
b in Appendice Concil. II Constantinop. p. 116. in X. I. Concil. edit. Reg. Paris. 1644.
* loc cit. pag. 3.6
c in Histor. Compend. p. 376 fin. 377. 378. edit. Paris. Reg. 1647.
d lib. XVII. 27. fin.
* Psal. CXIII 15.
e resp. ad Quæst. 93. pag. 449.
f Catech. 9.
g Homil. 3. in Hexaëm. p. 38. D. 39. A. 41. A.
h lib. 2. Hexaëm cap. 1.
i Homil. 4. in Genes.
k Homil. 2. de mundi Opif.
l in Psal. CIII. 3.
m Quæst. 11. in Genes. p. 10.
n lib. I. in Genes. pag. 7 0. G to. 5. Biblioth. PP.
o in Catenâ ad Gen. I. 6. 7.
p Comment. in Genes. apud Pet. Dogm. Theolog. to. 3. p. 270.
q Orthod. fid. II. 9.
r lib. de naturâ rerum cap. 7. 8. pag. 7. to. 2. edit. Colon. Agrip. 1612.
s lib. I. in Genes. *Rursus mane novum* &c. *Forsitan hic aliquis* &c.
t Annal. part. . p. 80. A. edit. Paris. Reg. 1660.
u Hist. nat. lib. XXXI. 2. p. 803 lin. 2. 4.
x Hæres. 64. p. 538. C. & in Epist. ad Joh. Hierosolym.
y lib. II. de Opif. cap. 11.
z Orat. 2.
* Homil. de natali Domini.
a Homil. 2. in Hexaëm. p. 25.
b in lib. qui Ἐξαήμερος inscribitur, & memoratur ab Euthymio Panopl. part. 1. tit. 8.
c lib. I. Hexaëm. c. 9.
d Quæst. 9. in Genes. pag. 9 B.
e Comment. in Genes. apud Pet. loc cit. pag. 247.
f Orat. 2. contr. Ar. pag. 210. D.

differens de textu Gen, I. 6. *ἀρχῇ* &c. *sufficit velle & opus perficitur ut illud* DICERE PATREM *indicium nobis sit voluntatis divinæ: illud autem* ET FACTUM EST ITA, *opus significet quod perfectum fuit per Verbum & Sapientiam in qua est voluntas Patris; & illud ipsum quod Deus dixerit in Verbo cognoscitur: omnia enim in Sapientiâ fecit, quippe quum & verbo Domini cæli firmati sint, & unus sit Dominus Jesus Christus per quem omnia & nos per illum.*

statuit ea &c. Beati Chrysostomi atque Hieronymiastri explicationem sequutus sum.

montes & omnes colles &c. Thales, *a* Diogeni Laertio memoratus, inanimatis rebus (videlicet terræ, aquæ, aeri, montibus, collibus, & id genus aliis) animam inesse putavit: eámque opinionem, *b* Origenes sectatus est, & sectati etiam sunt Manichæi ut ex *c* Tito Bostrensi & B. *d* Augustino discimus. Præfatæ oponioni Psalterianus non favet textus: is enim, per prosopopæiam, montes & cætera innuit sententia ut major sit orationis emphasis uti, simili in re, docet *e* Procopius, cui adde S. *f* Augustinum S *g* Johannem Damascenum.

a lib. 1. in vita Thaletis. non procul ab initio.
b Homil. 4. in Ezech. pag. 397. D.
c lib. 1. contr. Manich.
d lib. 15. contra Faust. cap. 4. tract. 1. in Joh. & lib. 4. de Gen ad lit. c. 14 Vide B. Hieronymum ad Matth. VIII. 27.
e Comment. in Gen. apud Pet. loc. cit. cap. 12. p 276. fin.
f in Psal. CXLVIII. 3.
g lib. 2. de Orthod. fide cap. 6. sub fin.

10 *Bestiæ & universa pecora, serpentes & volucres pennatæ:*

Bestiæ & universa pecora, serpentes & volucres alatæ:

11 *Reges terræ & omnes populi, principes & omnes judices terræ:*

Reges terræ & omnes populi; principes & omnes telluris proceres:

12 *Juvenes & virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini quia exaltatum est nomen ejus solius;*

Pueri *demùm* innuptæque puellæ, senes & juvenes Dominum laudate quia nomen ejus *mirum in modum* unicéque exaltatum est;

13 *Confessio ejus super cœlum & terram, & exaltavit cornu populi sui.*

S*éque* ille rebus omnibus, cùm cœlestibus tum terrestribus, superiorem ostendit dum Judaicum imperium, *ab hostibus undecunque lacessitum*, erexit *ad gloriam.*

14 *Hymnus omnibus sanctis ejus filiis Israel: populo appropinquanti sibi.*

Quando autem id beneficii Judæos spectat, hymnus Deo *peculiariter* dicatur ab omnibus ejus cultoribus *Israelitis*: populo *nempe illo* qui ad eum, *in templo degentem*, accedere solet.

confessio ejus. B. Chrysostomus: *Alius, hymnus ejus.*

sanctis ejus. Israelitas Vates intelligit ut ipsemet, sese explicans, paulò post ostendit; eosdémque Israelitas appellat *populum Deo appropinquantem*: quod nos Gallicè diceremus, *qui ont l'honneur de l'approcher*, sup. in templo ubi peculiari modo residet. *S.* Augustinus, pro *appropinquanti*, legit *appropinquantes*, eodem sensu.

ARGVMENTVM.

PSALMI CENTESIMI QUADRAG. NONI.

TOῦτον &c. *Hunc offerre hymnum jubentur illi qui, post reditum, multas illas gentes divino freti auxilio vicerunt. Habet autem etiam prædictionem de iis quæ à Macchabæis præclarè gesta fuere* inquiunt Origenes & Theodoritus: quibus facilè subscribent qui Psalmum accuratè legerint, & nostras consuluerint annotationes. Cæterùm hæc omnia, crassè atque imperfectè in veteribus Judæis adumbrata, excellentiùs completa habemus in regno Christiano: cujus typus erat Israeliticum, quod in Psalmo describitur, imperium.

TITULUS.

HalleluIah.

Psalmus CXLIX.

1 *Cantate Domino canticum novum, laus ejus in Ecclesiâ sanctorum.*

2 *Lætetur Israel in eo qui fecit eum, & filii Sion exultent in rege suo:*

3 *Laudent nomen ejus in choro; in tympano & psalterio psallant ei:*

4 *Quia beneplacitum est Domino in populo suo, & exaltabit mansuetos in salutem.*

Paraphrasis.

Novum canticum Domino canite, *ô Judæi, &* laus ejus in cœtu Israelitarum personet.

Suum Israelitæ creatorem celebrent, & Judæi Deum regem suum laudent:

Ejúsque nomen tibiâ celebrent; *&* Dominum tympano & psalterio canant:

Nam populo suo benevolentiam navavit suam; & ærumnosos *Israelitas* erexit *ad gloriam, victoriam ipsis in hostes concedendo & regionem ipsorum à bellis vacuam reddendo.*

ANNOTATIONES.

qui fecit eum. Confer Psal. XCIX. 3.

rege suo. regem dicit quia Deus, Judæos favore suo prosequens, iis præesse potissimùm censebatur ut non semel annotavimus.

choro. chorum metonymicè dicit pro tibiâ quæ in choris usurpabatur.

mansuetos. afflictos intelligit Israelitas: quos Noster *mansuetos* vocat quia ærumnas suas æquo animo tolerabant. SS. Hilarius & Augustinus minùs bene legunt *exaltavit* pro *exaltabit.*

5 *Exultabunt sancti in gloriâ; lætabuntur in cubilibus suis:*

6 *Exaltationes Dei in gutture eorum; & gladii ancipites in manibus eorum*

7 *Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis:*

8 *Ad alligandos reges eorum in compedibus & nobiles eorum in manicis ferreis;*

9 *Ut faciant in eis judicium conscriptum: gloria hæc est omnibus sanctis ejus.*

Judæi *ergo* tantâ gloriâ affecti lætentur; &, multâ quiete perfruentes, exultent:

Divinásque laudes semper in ore habeant; sintque in eorum manibus enses utrinque acuti

Ut sese de gentibus *hostilibus* ulciscantur, & *infensos sibi* populos castigent:

Regésque eorum catenis, & principes eorum compedibus ferreis vinciant;

Pœnásque, in libris *Propheticis* scriptas, ab illis *populis & regibus* sumant: hæc est enim gloria Judæis omnibus ejus cultoribus reposita *atque à Vatibus promissa.*

exultabunt &c. Euthymius: *Hebræorum victoriam prædicit quando finitimas superarunt gentes quæ templi & civitatis instaurationem impediebant. Tunc enim, inquit, futurum esse ut Israelitæ (quos ideò sanctos appellat quia Deo sanctificati ac dedicati fuerant) gloriabundi exultent propter victoriæ gloriam à Deo hoc est à divino auxilio eis præstitam.*

cubilibus suis. Theodoritus: κοίτην &c. *lectum quietem appellavit quia lectus quietem indicat.* Consentit Euthymius dicens: *cum delectatione in cubilibus suis quiescent, veluti ab hostium periculis liberati.*

exaltationes. hymnodias & psalmodias rectè exponit Heracleota: qui non minùs benè ista addit. *Hoc etiam in Macchabæis accidit: nam, quandò cum hostibus confligebant, Psalmum 135. concinebant ut ex libro eorum discere licet.*

gladii ancipites. Theodoritus: ... &c. *prædicit, per hæc, Macchabæorum fortitudinem: quâ usi & finitimos captivos ceperunt, & Macedones debellarunt.*

reges eorum &c. intelligit principes Idumeæ, Moabitidis, & aliarum regionum quas Judæi reversi subegere. Confer Is. XLIX. 23. LX. 14. & lege Macchabaicam historiam atque a Josephum, nec non Theodoritum atque Euthymium in commentariis.

a Antiq XII. 11. 12. 17.

conscriptum. apud Isaiam locis citatis.

ARGUMENTUM.

PSALMI CENTESIMI QUINQUAGESIMI.

QUÆ hunc inter Pſalmum & duos præcedentes ac CXLIV. 5. 6. intercedit ſimilitudo me adducit ut eum putem uſurpatum à Judæis quum, finitimis gentibus poſt reditum ſubactis, divinam quæ tam eximiè micaverat fortitudinem celebrarunt.

TITULUS.

Hallelu Iah.

PSALMUS CL.		PARAPHRASIS.
Laudate Dominum in ſanctis ejus, laudate eum in firmamento virtutis ejus.	1	Laudate Dominum ob ejus fortitudinem, eique laudem dicite ob firmum quo pollet robur, *quodque in noſtri gratiam exſeruit.*
Laudate eum in virtutibus ejus, laudate eum ſecundùm multitudinem magnitudinis ejus.	2	Laudate eum ob ejus potentiam *noſtrà cauſsà luculenter exhibitam;* eique præconium tribuite propter immenſam ejus magnitudinem, *cujus præclara ſpecimina in noſtri gratiam præbuit.*
Laudate eum in ſono tubæ, laudate eum in pſalterio & citharâ.	3	Laudate eum clangore tubæ, laudate eum pſalterio & citharâ.
Laudate eum in tympano & choro, laudate eum in chordis & organo.	4	Laudate eum tympano & tibiâ, laudate eum fidibus & organo.
Laudate eum in cymbalis beneſonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis ſpiritus laudet Dominum.	5	Laudate eum cymbalis ſonoris, eùmque cymbalis ad hilaritatem provocantibus celebrate: & quicquid ſpirat laudet Dominum.

ANNOTATIONES.

Hallelu Iah. Regius Cod. 138. habet. *Alleluia vox Chriſti.* Colb. 4439. ἀλληλούϊα &c. *Alleluia Aggæi & Zachariæ.*

sanctis ejus, subaudire primo aspectu volebam cœlis; eóque magis quòd *cœlum vocatur sanctum ejus* Psal. XIX. 7. CI. 20. *firmamentum* autem *virtutis ejus* interpretari volebam firmamentum in quo Deus fortitudinis suæ specimen condidit. Sed, rem ubi attentiùs expendissem & Psalm. CXLIV. 3. 5. 6. suis ponderassem momentis, aliam sequutus sum explicationem: cui nihil habeo addendum nisi quod divina fortitudo appellatur *sancta* seu *sanctitates* quia Deus, quum fortitudine illâ utitur, gloriam sibi ac laudem uberrimè conciliat, atque ab hominibus magnopere sanctificatur & honoratur.

Hæc sunt quæ in Psalmos habui annotanda: in quibus si quid erratum sit, meminerit Lector me hominem esse: atque illud, cujusque modi sit, pro indicto à me jam haberi sciat, præsertim si quid invito utique & aliud agenti mihi abs Christianæ normâ fidei, hoc est à Catholicæ & Romanæ Ecclesiæ placitis alienum exciderit. Illud porrò omitti nolim quod operæ precium sit admonere: nimirùm explanandæ literæ me potissimùm incubuisse. Allegoricos & morales sensus tacitos sæpe reliqui: Theodoritum imitatus, & brevitati studens; sciénsque sensus illos à multis, qui passim occurrunt, Auctoribus, feliciter erutos fuisse. Illos ego sensus suspicio, eósque universam Scripturam maximè Psalmos pererrare iterum confiteor, & *a* Hilariana quæ *b* jam attigi & quorum mentem *c* expressisse videor, verba lubens usurpo. *Non est verò ambigendum, ea quæ in Psalmis dicta sunt, secundùm Evangelicam prædicationem intelligi oportere: ut, ex quacunque licet personâ prophetiæ spiritus sit loquutus, tamen totum illud ad cognitionem adventus Domini nostri Jesu Christi & corporationis & passionis & regni & resurrectionis nostræ gloriam virtutémque referatur. Sunt autem omnes prophetiæ ad mundialem sensum & prudentium sæculi clausæ atque obsignatæ, secundùm illud d Esaiæ & erunt vobis omnia verba hæc tanquam eloquia hujus libri signati. Quod si quidem homini scienti literas * dicetur: lege ista, dicet. Non possum legere signatum est enim. Et, si dabitur liber hic in manus hominis nescientis literas, & dicetur ei: lege hunc, respondet, nescio literas. Imperitia legendi & intelligendi librum prophetiæ sub personâ utriusque hominis monstrata est quum intelligentia docto ad legendum, signaculum clausi mysteriis non adimitis, illius indocti ignorationi per communem utriusque intelligendi inopiam comparatur. Sunt enim universa allegoricis & typicis contexta virtutibus: per quæ omnia unigeniti Dei filii in corpore & gignendi & patiendi & moriendi & resurgendi & in æternum conglorificatis sibi qui in eum crediderint regnandi & cæteros judicandi sacramenta panduntur. Et quia Scribæ & Pharisæi Dei filium natum in corpore non recipientes, omnibus Propheticæ intelligentiæ aditum denegarent, sub denuntiatione pœnæ ita à Domino arguuntur: væ vobis legis Doctores qui abstulistis clavem scientiæ. Ipsi non introistis & introeuntes non sinitis introire. Negantes enim Christum, cujus adventus opus est Prophetarum, clavem scientiæ abstulerunt: quia cognitionem legis, quæ adventum Domini corporeum prædicavit, fides corporei adventus abnegata præcludit. Et hoc quidem ex omni Scripturarum propheticarum genere dictum esse intelligendum est ut, nisi in adventum Domini ex virgine in hominem procreandi intellecta & recognita fuerint, intelligentiæ earum vis obsignata habeatur & clausa.*

Præmonito sic lectore; nostróque opere ad finem, divinâ ope, perducto illud cum Theodorito claudo sic. Ἐγὼ &c. *Ego hujus libri lectores obsecro ut, si benè & aptè expositus esse videatur, utilitatem exinde percipiant: sicubi verò arcana sancti Spiritus mysteria assecuti non sumus, ne nobis vehementer succenseant. Quæ enim invenire potuimus, omnibus sine invidiâ proposuimus! & quæ à Patribus nostris didicimus posteris nostris afferre studuimus. Et nos quidem laborem suscepimus; aliis autem sine labore fructum proferimus. Quos precor atque obtestor ut suis precibus nostrum laborem compensent ut, ab ipsis adjuti, verbis opera adjungamus; &, hoc modo, beatitudinem ex utrisque compositam reportemus: qui enim, e inquit, fecerit & docuerit magnus vocabitur in regno cœlorum. Quod quidem utinam nobis omnibus contingat per Christum Jesum Dominum nostrum, cum quo Patrem, unà cum sancto Spiritu, decet gloria in sæcula sæculorum. Amen.*

FINIS.

a Prolog. Psalm. pag. 610. C. D. E. F. 611. A. B.
b Præfat. pag. 14.
c Ibid. & pag. 15. 16.
d cap. XXIX. 11. 12. 13.
* legendum videtur *dictur, & dicetur ei: lege ista* &c.
e Matth. V. 19.

EXEMPLUM LECTIONUM

In quibus Psalterium, ex Hebræâ linguâ in Latinam à S. Hieronymo conversum & in Bibliis * Theodulfi Aurelianensium Episcopi manu descriptum, discrepat ab editione Frobenianâ.

INCIPIT * PRÆFATIO HIERONYMI PRESBYTERI In libro Psalmorum.



In Hebræo libro Psalmorum citra oumeri adjectionem descripti sunt omnes, & diverso quidem; quidam conjuncti, quidam autem divisi: quapropter primus & secundus conjuncti sunt juxta Hebræum, & iterum septuagesimus septimus conjunctus est apud nos. Io Hebræo autem partiti sunt in duos. In quinque vero libros dividunt Hebræi Psalmorum libros: quorum quidem primum à *Beatus vir*, usque ad finem quadragesimi. Secundum autem, *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum*, usque ad septuagesimi primi finem. Tertius verò, *Quam bonus Israel Deus*, usque ad octuagesimi octavi. Quartum autem, *Domine refugium factus es nobis*, usque ad centesimi quinti. Quintum verò, *Confitemini Domino*, usque ad novissimum. Observandum autem quia non secundum historiæ seq. tempora Psalmorum compositus sit ordo. comminatus est vero minus multum temporibus sicut liber regnorum declarat: multa enim idolorum cultura obtioens Judæorum gentem oblivione infecerat paternarum Scripturarum, nec pareret liber Moisei legis neque memoria Patrum pietatis salva haberetur apud eos. Sic ergo & Prophetas.. redarguentes illorum impietates & horum causa primum Assiriorum traditi sunt captivitati, nihil igitur mirabile sub hujusmodi constitutiooe & quæ iulata suot libro Psalmorum deciderunt oblivioni longis tradita temporibus. Post hæc autem sive Ezram, sine quemdam virum Prophetarum circa congregationem eorum festinasse cum cæteris, & librum Psalmorum coadunasse non liquidò invenientes omoes sed per varia tempora: taxavere autem inprimis qui priores iuventi sunt propter quod nec ipsi ut David in ordine jacere omnes. Deinde autem & filiorum Core & Asaph & Salomonis & Moisei & Etham & Heman & Iditum & iterum ipsius David invenies mixtim in libro taxatos non secundum quibus dicti sunt temporibus, sed quibus inventi. Hinc etiam provenit ut qui temporibus erant novissimi primi ioventi reciperentur primi, & qui temporibus erant primi, postea inventi secundo ordinarentur loco. Idipsum autem inveoies factum & in prophetis.

Libri Psalmorum hæc est divisio ipsorum sicut certa scribentium diligentissima exempla priorum & ipsum Hebraicum continent personæ. Quorum sunt Psalmi sine inscriptione XVII. supra-scripti CXXXIII. supra scriptorum divisio ipsi David LXXII filiis Core XI. Asaph XII. Etham I. Eman. I. & Moysi I. Salomonis II. sine nomine XVII. Alleluiatici XVII. pro torcularibus in gradaum XV. sunt autem sine nomine quanti superscriptiones quidē habent non tamen significant cujus sint XVII. simul. Et non sic iulcipiat qois quia omnes sint David Psalmi sed & aliorum Prophetarum ad psallendum prophetantium propter quod hæc omnis Scriptura qui apud Hebræos Psalterii nomine ipsius

* Floruit sub Karolo Magno & Ludovico Pio; ejúsque Biblia heic citata asservantur nunc in Bibliothecâ Memmianâ. Insignis hujus Codicis mentiooem fecit Vir Cl. Jacobus Sirmondus io Notis ad Theodulfum pag. 279. & seq. edit. 1646.

* Hæc Præfatio Hieronymianum stilum non sapit, adeóque doctissimo Presbytero abjudicanda videtur. Nonnullam illa similitudinem, meo quidem judicio, habet ad phrasim geoiúmque Auctoris commentariorum S. Hieronymo adscriptorum: unde ei tribuendam esse conjicio. Ut ut sit, antiqua est illa præfatio: eam verò, uti in Codice MS. habetur, cum suis mendis exhibeo: quia nimium religiosus in sequendis meis exemplaribus, quàm temerarius in iis corrigendis esse malui cum Henrico Stephano ita P. Nannium alloquente in Epistolâ quæ exstat in fioe to. 1. Biblioth. Græc. PP, pag. 35.

David ſupra ſcribitur. Sed individue liber Pſalmorum nominatus ſicut dicebat quidam quia exametro ſcriptum eſt Canticum Deuteronomium apud Hebræos,, trimetro vero & tetrametro ſcripti ſunt Pſalmi verſu. Ergo quia apud Hebræos alii ſunt quia apud nos ipſi David 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 67. 68. 69. 100. 102. 107. 108. 109. 121. 123. 130. 132. 137. 138. 139. 140. 141. 142. 143. 144. ſimul 72. non ſupra ſcripti ſunt. 1. 2. 32. 42. 50. 90. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 103. 115. 136. 147. ſimul 17. filiis Core 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 83. 84. 86. 88. ſimul 12 ſine nomine qui tantum ſuper ſcriptiones habent non tamen ſignificant cujus ſint 65. 66. 91. 98. 99. 101. 118. 120. 122 133. 134. 135. 137. 128. 129. 131. 133. ſimul 18. Alleluiatici 104. 105. 106. 110 111. 112. 113. 114. 115. 116. 117. 118. 119. 132. 145. 146. 147. 148. 150. ſimul 17. Ethan 88. Salomonis 71. 126. Aſaph 48. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79 80. 81. 82. ſimul 12. Moyſi 88. ſunt ſimul omnes Pſalmi 150. pro torcularibus 3. & graduum 15. pro nominibus poſiti ſunt.

Extra 150. non ſunt in quibus Pſalmis in ſuper. ſcriptionibus eorum obelus jacet, hæc penes ſolos ſeptuaginta inferuntur neque verò apud cæteros interpretes inveniuntur Aſteriſcis obelus quanta adjacentia in Hebraico & apud cæteros non ſunt inventa penes ſeptuaginta & Theodotionem adjecimus cum Aſteriſcis. Quanta verò apud memoratos ſeptuaginta aut Theodotionem invenimus neque autem in Hebræo neque apud cæteros obelo ſuppoſuimus. De ſupra ſcripſit vero quia ſecundum quamdam diſpenſationem ſeptuaginta interpretati ſunt de morte filiis pro occultis filii ſicut ergo eduxit prius terra quadrupedia & quæ ex ea generata ſunt & ſicut quædam pacitur lac primum, ſic ante Salvatoris adventum diſpenſata eſt interpretatio Scripturarum propter Ptolomæum. Etenim interpretatæ ſunt ſub Apoſtolis quoniam erat impoſſibile propter infidelitatem de Chriſto eas Prophetari nonum *Confitebor tibi in toto corde meo*, pro eo quod gratias ago. Narrabo omnia mirabilia tua. Moyſes non omnia erat poſſibilis narrare ſed ex parte ea mirabilia quæ in Ægypto Chriſtus autem & quæ ſupercœleſtia *in avertendo inimicum meum retrorſum*, Diabolus erat inimicus qui humanum genus obtinebat, *Increpaſti gentes, periit impius*, Diabolus, *quomodo adnunc em laudes tuas in portis filiæ Sion, civitate d videntes cœleſti Hieruſalem filii Sion* 89. *Domine refugium factus es nobis in generationem & generationem* Refugium ſecundum generationem fuit Enoch, inde Abraham, & reliqua terra habent apud ſe abſconditos montes, noviſſime quando ſicut ea demonſtravit aquarum ſecundum tempora terrarum denudavit ac demonſtrati ſunt montes, & dixiſti convertimini filii hominum de gentium vocatione quia mille anni quæ fecit Moyſi mane ſicut herba tranſeat quæ ſecundum David & Salomonem veſpere decidat de conſummationibus deſolationis Jeruſalem, hæc Moyſes Prophetavit ſpiritu Dei Iſrael. Principium Pſalmorum David ſecundum hiſtoriam quæ in libro regnorum continetur CXLIII adverſus Goliad cum ſtetit. 58. Cum miſit Saul & cuſtodivit domum ejus interficeret eum 56. cum fugit à facie Saul in ſpelunca 33. Cum venit ad Achimelech ſacerdotem & commutavit vultum ſuum coram Abimelech Regem & dimiſit eum & abiit. 141. Cùm fugit de Geth & venit in ſpeluncam Odollam. 51. Cùm venit Doech Idomæus, & adnunciavit Saul & dixit ei venit in domum Achimelech, 62. Cùm eſſet in deſerto Judæ. 53. Cùm venerunt Ziphæi & dixerunt Sauli nonne ecce David abſconditus eſt penes nos, 55. quando tenuerunt eum Allophyli in Geth. 26. poſt mortem Saul priuſquam ungueretur in Regem. 95. Cùm domus ædificata eſt poſt captivitatem & Arca Domini reducta eſt. 28. In conſummatione tabernaculi in quo arca poſita eſt 29. In dedicatione domus David. 59. Cùm Joab percuſſit Meſopotamiam Syriæ & Syriam Soba & vallem Salinarum duodecim millia. 50. Cùm venit ad eum Nathan Propheta & intravit ad Bethſabé. 3. Cùm fugit à facie Abſalon filii ſui. 7. Pro verbis Cuſi filii Gemini. 140. Cùm eum perſequeretur Abſalon filius ſuus. 17. In die qua liberavit eum Dominus de manu omnium inimicorum ſuorum & de manu Saul.

Psal. I. 3. *tranſplantatum juxta rivos aquarum & omne quod fecerit proſperabitur.*

6 *& via impiorum peribit.*

Psal. II. 1. *quare turbantur gentes & tribus meditatur inania.*

6. *ego autem ordinatus ſum regem meum.*

9. *& ut vas figuli confringes eos.*

Psal.

PSAL. III. 5. *& evigilavi quia Dominus sustentavit me.*
7. *inimicorum meorum maxillas.*
8. *Domini est salus & super populum tuum benedictio tua.* *
PSAL. IV. TIT. *victor in Psalmis cantici David.*
2. *in tribulatione dilatasti me.*
4 *Dominus exaudiet me cum clamavero ad eum.*
5. *loquimini in cordibus vestris super cubilia vestra tractate.*
6. *sacrificate sacrificium justitia.*
8. *& vinum eorum multiplicati sunt.*
PSAL. V. TIT. *victori super hareditatibus canticum David.*
1. *verba mea auribus percipe Domine.*
8. *adorabo in templo sancto tuo.*
9. *dirige ante faciem tuam viam meam.*
PSAL. VI. TIT *victor in Psalmis super octava canticum David.*
PSAL. VII. TIT. *pro ignoratione David quod cecinit Domino super verba Eziopu filii Jemini.*
5. *gloriam meam in pulvere conculcet.*
10. *consumatur manus iniquorum.*
PSAL. VIII. TIT. *victori pro torcularibus ipsi David.*
3. *& lactentium fecisti laudem.*
PSAL. IX. 17. *corruit impius sonitu sempiterno.*
PSAL. X. 4. *impius secundum altitudinem ira sua.*
PSAL. XI. 1, *transvola in montem sicut passer.*
PSAL. XII. TIT. *victori pro octavâ canticum David.*
2. *usquequò ponam consilium in anima mea.*
PSAL. XIII. TIT. *victori canticum David.*
9. *ibi trepidabunt formidine.*
PSAL. XV. TIT. *canticum David.*
3. *loquitur veritatem in corde suo.*
4. *& opprobrium non sustinuit super vicinum suum.*
PSAL. XVI. 1. *custodi me Domine quoniam speravi in te dicens Deo Dominus Deus meus es tu.*
10. *& caro mea habitabit confidenter.*
PSAL. XVII. 4. 5. *non invenisti cogitationes meas transire os meum in opere hominum.*
7. *ego invocabo te*
9. *custodi me quasi pupillam intus oculi.*
PSAL. XVIII. 1. *Dominus petra mea & refugium meum.*
18. 19. *fundamenta orbis terra ab increpatione tua Domine ab increpatione spiritus furoris tui.*
28. *& secundùm justitiam manuum mearum.*
33. *in te enim curro accinctus.*
55. *magnificanti salutem.*
PSAL. XIX. TIT. *victori canticum David.*
4. *in universam terram exivit sonus eorum.*
5. *& ipse tanquam sponsus*
7. *qui se abscondat à calore illius.*
9 *pracepta Domini recta lætificantia corda*
9. *mandatum Domini lucidum illuminans oculos.*
10. *judicia Domini vera justificata in semet ipsis.*
12. *unde & servus tuus docebit ea in custodiis fructus multos.*
14. *& mundabor à delicto maximo.*
PSAL. XX. TIT. *victori canticum David.*
5. *laudabimur in salutari suo.*
6, 7. *Christum suum & exaudiet eum... in fortitudine salutis dextera sua.*
10. *exaudies nos in die qua invocaverimus eum.*
PSAL. XXI. TIT. *victori canticum David.*
PSAL. XXII. 18, 19. *vinxerunt manus meas & pedes meos numeravit omnia ossa mea qua ipsi respicientes viderunt me.*
PSAL. XXIII. TIT. *canticum David.*
1. *Dominus pascit me & nihil mihi deerit & in loco viridi ibi me collocavit.*
PSAL. XXIV. 6. *hec est generatio quarentium Dominum quarentium faciem tuam Jacob.* *
PSAL. XXV. TIT. *David. Aleph.*
1. *ad te Domine animam meam levavi.*
PSAL. XXVII 14. *ne declines à servo tuo in furore meo*
PSAL. XXX. TIT. *Psalmus cantici pro dedicatione domus David.*
15. *ut laudet te gloria mea & non taceam.*
PSAL. XXXI. TIT. *victori canticum David.*
7. *odivi custodientes vanitates frustrà.*
28. *benedictus Dominus qui mirabilem fecit misericordiam suam in civitate munita.*
29. *projectus sum de conspectu oculorum ejus.*
PSAL. XXXII. TIT. *eruditio David.*
7. *pro hoc orat omnis sanctus ad te ad tempus quo invenieris.*
12. *maxillas eorum confringe.*
PSAL. XXXIII. 5. *bene psallite in jubilo.*
16. *nec fortis liberabitur in multiplicatione virtutis.*
22. *sicut expectavimus te.*
PSAL. XXXIV. 3. *magnificate Dominum mecum.*

* *semper.* Hæc vox heic & suprà ỳ. 4. aliisque in locis posita est extra textum & literis aureis est exarata. Respondet Hebræo סלה.

* *semper.*

Psal. XXXV. 2. *apprehende scutum & clypeum & surge in auxilium mihi.*
20. *Domine quanta vidisti.*
Psal. XXXVI. Tit. *victoria servi Domini David.*
3. *cessavit cogitare ut benefaceret.*
6. *justitia tua quasi montes judicium tuum abyssus multa.*
13. *expulsi sunt & non poterunt surgere.*
Psal. XXXVII. 21. *fœnus accipit impius & non reddet.*
30. *& semen impiorum periit.*
40. *prævaricantes autem interibunt pariter.*
Psal. XXXVIII. 10. *cor meum fluctuans.*
14. *& quasi mutus qui non aperit os suum.*
19. *& contristabor pro peccato meo*
Psal. XXXIX. Tit. *pro victoria Idithun canticum David.*
Psal. XL. Tit. *pro victoria David canticum.*
12. *annuntiavi justitiam tuam.*
Psal. XLII. Tit. *pro victoria canticum David.*
10. *omnes gurgites tui & fluctus tui super me ingressi sunt.*
Psal. XLIII. Tit. *pro victoria doctissimi filiorum Core.*
Psal. XLIV. Tit. *pro victoria filiorum Core eruditionis.*
10. *in Deo laudabimus tota die.*
26. *oblivisceris afflictiones & inopias nostras.*
Psal. XLV. Tit. *victori... canticum amantissimum.*
7. *sagitta tua acuta in corde inimicorum regis, populi sub te cadent.*
14. *vultum tuum deprecabuntur principes populi.*
15. 16. *in scutulatis ducetur ad regem, virgines sequuntur eam, amica ejus ducentur tibi.*
Psal. XLVI. 8. *compescet bella usque ad extremum terræ.*
Psal. XLVII. Tit. *victori filiorum Core canticum.*
9. *principes populorum congregati sunt populus Dei Abraham.*
9. *quoniam Dei scuta terra vehementer elevata sunt.*
Psal. XLVIII. Tit. *canticum Psalmi filiorum Core.*
Psal. XLIX. 5. *quare timebo in diebus malis.*
7. 8. *nec dabit Deo propitiationem pro eo, & pretium redemptionis animæ eorum.*
8. *sed quiescet in sæcula & ultra.*
10. *& relinquent alienis divitias suas.*
19. *laudabunt te cùm benefeceris tibi.*
20. *intrabit usque ad generationes patrum suorum.*
Psal. L. Tit. *canticum Asaph.*
1. *congregans ab ortu solis usque ad occasum ejus*
2. *de Sion perfecta decore Deus apparuit.*
4. *ignis ante eum ardebit.*
21. *arguam te & proponam ea ante oculos tuos.*
Psal. LI. Tit. *victori canticum David quando venisset ad eum Nathan propheta cùm intravit ad Bersabee.*
15. *laudabit lingua mea justitias tuas.*
Psal. LII. Tit. *victoria erudito David cùm venisset Doeg Idumæus & ad nunciasset Sauli dicens ei venit David in domo Achimelech.*
1. 2. *quid gloriaris in malitia, potens misericordia Dei tota est die insidias cogitat lingua tua.*
3. *dilexisti malitiam magis quàm bonum.*
Psal. LIII. Tit. *victori per chorum erudit David.*
Psal. LIV. 5. *in veritate tua disperdes eos.*
Psal. LV. Tit. *victori in Psalmis eruditi David.*
Psal. LVI. Tit. *victori... cùm tenuerunt eum Palestini in Geth.*
2. 3. *multi enim qui pugnant contra me altissimi quacunque die territus fuero.*
Psal. LVIII. 4. *furor eorum sicut similitudo serpentis.*
9. *quasi viventes quasi in ira tempestatis rapiet eos.*
Psal. LIX. 8. *quæ loquentur in ore suo & gladius in labiis eorum.*
10. 11. *Deus misericordia mea præveniet me. Deus ostende mihi pro insidiatoribus meis.*
18. 19. *virtutem meam tibi cantabo quoniam adjutor meus et fortitudo mea misericordia mea.*
Psal. LX. 1. *iratus convertisti nos.*
3. *potasti nos vino mœroris.*
6. *Deus locutus est in sancto suo.*
8. *Moab olla pelvis meæ.*
Psal. LXI. 3. *cùm fortis elevabit adversum me.*
Psal. LXII. 11. *& tibi Domine misericordia tu reddes unicuique secundum opus suum.*
Psal. LXIII. 2. *Sitivit anima mea desideravis te caro mea in terra.*
3. *invia & conficiente ac sine aqua.*

4. *melior est misericordia tua quàm vita.*
6. *quasi adipe & pinguedine repleatur anima mea.*
8. *me suscipiet dextera tua.*
PSAL. LXIV. 8. *& corruent in semetipsos plagæ suis fugient omnes qui viderint eos.*
PSAL. LXV. 1. *tibi silet laus Deus in Sion.*
5. *replebimur bonis domus tuæ.*
9. *visita terram.*
13. *pinguescent pascua deserti.*
14. *vestientur agnis greges & valles plenæ erunt frumento quo æquabuntur & canent.*
PSAL. LXVI. 1. *date gloriam laudis ejus.*
7. *benedicite populi Dominum.*
14. *holocausta medullata offeram tibi cum incenso & arietibus.*
PSAL. LXVII. 6. *benedicat nobis Dominus Deus noster.*
PSAL. LXVIII. 5. *patri populorum & defensori viduarum.*
9. *terra commota est & cæli stillaverunt à facie Dei & Sinai à facie Dei Israel.*
13. *reges exercituum fœderabuntur & pulchritudo &c.*
15. *dum discernit omnipotens reges in ea nive dealbabuntur in Selmon.*
17. *Dominus habitabit confidenter.*
18. *currus Dei innumerabilis millia adnunciantium.*
23. *verticem crinis ambulantis in delictis suis.*
31. *præcepit Deus tuus de fortitudine tua. conforta Deus hoc quod operatus es nobis.*
32. *tibi offerunt reges munera.*
31. *in vitulos populorum.*
34. *offerant velociter ex Ægypto. Æthiopia festinet manus Deo.*
35. *qui ascendit super cælum cæli ab oriente ecce dabit.*
36 *vocem suam vocem fortitudinis.*
PSAL. LXIX. 8. *non confundantur in me expectantes te.*
9. *non revereantur super me qui &c.*
10. *operui confusione faciem meam.*
22. *intende animæ meæ & redime eam propter inimicos meos redime me.*
31. *& ut affligerent vulneratos tuos narrabunt.*
34 *salus tua Deus suscipiet me.*
36. *& placebo Deo super vitulum novellum cornua producentem & ungulas.*
38. *quoniam exaudivit pauperem Dominus.*
39. *laudent eum cæli & terra mare & omne quod movetur in eis.*
40. *quia Deus salvabit Sion & ædificabuntur civitates Juda.*
PSAL. LXX. 3. *qui volunt mala mea.*
PSAL. LXXI. 8 *& tu spes mea fortissime.*
22 *quia ostendisti nobis tribulationes.*
PSAL. LXXII. 1. *Deus judicium regi da.*
4 *salvabit filios pauperum.*
PSAL. LXXIII. 20 *quasi somnium evigilantis Domine in civitate imagines eorum ad nihilum rediges.*
21. *quia contractum est cor meum & renes mei resoluti sunt.*
22. 23. *& eram semper tecum & tenebas manum dexteræ meæ.*
PSAL. LXXIV. 8. *contaminaverunt habitaculum nominis tui.*
12. *quare convertis manum tuam & dexteram tuam à medio sinu tuo consumens.*
13. *operatur salutem.*
16. *tu disrupisti fontes & torrentes.*
24. *ne obliviscaris vocis hostium tuorum sonitus adversariorum tuorum ascendet jugiter.*
PSAL. LXXV. 2. *narrabo mirabilia tua.*
3. *dissolvetur terra cum habitatoribus suis.*
8. *& propinavit ex eo.*
PSAL. LXXVI. 2. *& in Jerusalem tabernaculum ejus.*
10. *quia mœror hominis confitebitur tibi reliquiis mœroris accingeris.*
11. *omnes qui in circuitu ejus sunt offerent dona terribili.*
12. *quia auferet spiritus principum.*
PSAL. LXXVII. 6. *& scrutabar spiritum meum.*
7. *ergo ne complacuit.*
9. *aut complevit in furore misericordias suas.*
20. *deduxisti quasi greges populum tuum.*
PSAL. LXXVIII. 14 *& obliti sunt cogitationum ejus.*
20. *& provocaverunt excelsum in bivio.*
25. *& fumus ascendit in Israel.*
32. *& ceciderunt in medio castrorum ejus & in circuitu tabernaculorum ejus.*
47. *die qua redemit eos à tribulatione.*
51. *& labores eorum locustæ.*
55. *non pepercit morte animæ eorum & animantia eorum morti tradidit.*
59. *montem istum quem possidet dextera ejus.*
67. *& tradidit in captivitate virtutem suam.*

68. & in hereditatem suam distulit.
PSAL. LXXIX. 9. aux liare nobis Jesus salvator noster
10. quare dicant gentes.
11. ing ediatur coram te gemitus vincti.
14. nos enim populus tuus & oves.
PSAL. LXXX. 5. Domine Deus exercituum quousque irasceris ad orationem servi tui.
17. succensam igni & devoratam.
PSAL. LXXXI. TIT. victori pro torcularibus filiorum Core.
4. quia legitimum Israel est & testimonium Dei Jacob.
5. testimonium in Josef posuit cùm egrederetur de terra Ægypti.
13. & super hostes eorum misissem manum meam.
PSAL. LXXXII. 1. in medio Deos judicat.
3. & egeno & inopi justificate.
6. ego dixi Dii estis vos.
8. surge Deus judica terram quoniam tu hereditabis in omnes gentes.
PSAL. LXXXIII. 1. Deus ne taceas tibi ne sileat.
14. sic persequeris eos.
17. & scient quia nomen tibi Dominus.
PSAL. LXXXIV. 2. laudabunt Deum Deum viventem.
4. altaria Domine exercituum.
6. beatus homo qui confidet in te.
PSAL. LXXXV. 2. operuisti omnia peccata eorum.
PSAL. LXXXVI. 4. & multa misericordia.
PSAL. LXXXVII. 4. commemorabo superbia & Babylonis scientis me.
6. & ipse fundabit eam excelsus.
7. Dominus numerabit scribens populos iste natus est ibi.
7. 8. & principes quasi in choris omnes fontes mei in te.
PSAL. LXXXVIII. TIT. non meminit Eman Ezraitæ.
2. ingrediatur ad te oratio mea inclina aurem tuam ad orationem meam.
6. in tenebris in profundis.
7. super me consummatus est furor tuus.
11. aut gigantes surgent & confitebuntur tibi.
13. nunquid noscuntur in tenebris mirabilia tua.
17. & furores tui oppresserunt me.
PSAL. LXXXIX. 3. dixi sempiterna misericordia ædificabitur.
7. quis enim in nubibus æquabitur Domino aut assimilabitur.
8. Deus robustus in arcano sanctorum nimis & terribilis cunctis qui circa eum sunt.
9. Domine Deus virtutum quis similis tibi fortissime Domine veritas in circuitu tuo.
11. in brachio fortitudinis percussisti inimicos tuos.
12. Aquilonem & dexteram tu creasti.
18. quia Domini est protectio nostra.
21. & brachium meum roboravit eum.
23. sed concidam ante oculos ejus hostes illius.
25. & posui in mari manum ejus.
43. & thronum illius in terram detraxisti.
44. operuisti eum ignominia sempiterna.
46. memento mei de terra.
PSAL. XC. 2. antequam montes nascerentur aut parturiret terra & orbis.
4. quia mille anni ante oculos tuos.
5. percutientes ut somnium erunt.
11. si autem in potentatibus octoginta anni.
19. & opus manuum nostrarum dirige.
PSAL. XCI. 3. de monte insidiarum.
6. à peste in tenebris ambulante à morsu Dæmonis meridiani insidiantis meridie.
11. quia Angelis suis mandabit de te.
13. super aspidem & basiliscum ambulabis.
15. invocavit me & exaudiam eum.
PSAL. XCII. 4. & in factura manuum tuarum laudabo.
6. vir insipiens non cognoscit & stultus non intelligit istud.
PSAL. XCIII. 8. & intelligent stulti in populo & insipientes quando discedent.
20. fingens dolorem in præcepto.
23. & restituet super eos iniquitatem suam.
PSAL. XCVI. 6. fortitudo exultationis in sanctuario ejus.
9. dicite in gentibus Dominus regnabit.
11. lætamini cæli & exulta terra.
13. judicabit orbem terræ cum justitia.
PSAL. XCVII. 1. Dominus regnavit exultabit terra.
7. confundantur universi qui adorant sculptilia.
8. adorent eum omnes Angeli Dei.
10. tu autem Dominus excelsus super omnem terram.
PSAL. XCVIII. 2. salvabit sibi dextera ejus.
PSAL. C. TIT. canticum in gratiarum actione.
PSAL. CI. 4. non proponebam coram oculis meis verba bel al, facientem declinationem odivi.
6. loquentem in abscondito contra proximum suum hunc interficiebam.
PSAL. CII. 15. & pulverem ejus mirabilem.

19. *scribatur hoc in generationem novissimam.*
20. *ut videret genitum vincti.*
29. *& semen eorum ante faciem tuam dirigetur.*

PSAL. CIII. 3. *qui propitiatur cunctis iniquitatibus meis qui sanat omnes infirmitates meas.*
20. *obedientes voci sermonum ejus.*

PSAL. CIV. 5. *qui facit Angelos suos spiritus ministros suos ignem urentem.*
7. *abysso quasi vestimento operuisti eum.*
11. *qui emittit fontes in convallibus ut inter medios montes ambulent.*
12. *& reficiant onagri sitim suam.*
16. *& vinum lætificet cor hominis.*
19. *petra refugium cuniculo.*

PSAL. CV. 8. *verbi quod mandavit in mille generationes.*
18. *ferrum venit animæ ejus.*
20. *& principem omnis possessionis suæ.*
21. *& seniores ejus sapientiam doceret.*
35. *primitias universas partus eorum.*
39. *pane cœlesti saturavit eos.*
42. *& eduxit populum suum in lætitia in laude electos suos.*
43. *& labores tribuum possederunt.*

PSAL. CVI. 11. *& salvavit eos de manu odientium.*
16. *dedit ergo eis petitionem ipsorum & misit tenuitatem in anima eorum.*
18. *& operuit Synagoga Abiren.*
29. *& concitaverunt eum in studiis eorum.*
30. *stetit autem Phinees & exoravit.*
37. *adulterata est terra per sanguinem & polluerunt eum in operibus suis & fornicati sunt in studiis ipsorum.*
44. *& dedit eos mirabiles coram omnibus qui ceperant eos & canamus laudantes.*

PSAL. CVII. 7. *& duxit illos per viam rectam in civitatem habitabilem.*
8. *confiteantur Domino misericordiæ ejus.*
11. *quia provocaverunt sermonem Domini.*
15. *& mirabilia ejus in filiis hominum.*
28. *clamaverunt autem ad Dominum in tribulatione sua & de angustia eduxit eos.*
31. *confiteantur Domino misericordiæ ejus.*
35. *ponens desertum in paludes aquarum.*
36. *& collocabit esurientes fund[illegible] urbes ad habitandum.*
38. *& pecora eorum non im[illegible]*

PSAL. CVIII. 5. *quoniam [illegible] misericordia tua & [illegible] ritas.*

12. *quis deducet me in civitatem circumstantiæ aut quis deducet me usque in Idumæam.*

PSAL. CIX. 1. *Deus laudem meam ne tacueris.*
2. *locuti sunt de lingua mendacium.*
10. *scrutetur exactor quæsita.*

PSAL. CX. 4. *populi tui judices erunt.*
6 *Dominus ad dexteram.*

PSAL. CXI. 3. *gloria & decor operis ejus.*
10. *doctrina bona omnibus facientibus ea, laus ejus permanens jugiter.*

PSAL. CXIII. 5. *quis ut Dominus Deus noster quis in excelsis habitans.*

PSAL. CXV. 5. *oculos habent & non vident.*
9. *Israel confidet in Domino.*
10. *Domus Aaron confidet in Domino.*
11. *timentes Dominum confident in Domino,*
19. *sed nos benedicimus Dominum.*

PSAL. CXVI. 1. *dilexi quoniam exaudivit Dominus vocem.*
2. *quoniam inclinavit aurem suam mihi.*
5. *obsecro Domine salva animam meam clemens Dominus.*
5. *& justus & Deus misericors.*
8. *quia eripuit animam meam.*

PSAL. CXVII. 2. *quia confirmata est.*

PSAL. CXVIII. 6. *Dominus mecum est non timebo.*
29. *confitemini Domino quoniam bonus.*

PSAL. CXIX. 4. *tu mandasti præcepta tua custodire nimis.*
7. *confitebor tibi in directione cordis mei.*
11. *in toto corde meo abscondi eloquium tuum.*
14. *in via testimoniorum tuorum lætatus sum.*
18. *revela oculos meos & videam mirabilia de lege tua.*
21. *maledicti qui declinant à mandatis tuis.*
28. *distillavit anima mea præ tristitia*
42. *& respondebo exprobranti mihi sermonem.*
52. *à sæculo Domine & delectatus sum.*
56. *hoc factum est mihi quoniam justificationes tuas custodivi.*
57. *[illegible] mea Domino dixi custodiam ver-[illegible]*

[illegible] *[illegible]rrebam.*
[illegible] *[illegible]mnium timentium te*
[illegible] *[illegible] tua.*
[illegible] *[illegible]ationes tuas ut vi-*

81. *defecit in salutari tuo anima mea.*
108. *& secundum justitiam tuam doce me.*
131. *os meum aperui & suspiravi.*
Psal. CXXI. 5. *super manum dexteræ tuæ.*
Psal. CXXII. 2. *stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem.*
Psal. CXXIV. 6. *anima nostra sicut passer erepta est.*
Psal. CXXV. 1. *qui confidunt in Domino sicut mons Sion non movetur in æternum habitabilis.*
Psal. CXXVI. 1. *cùm converterit Dominus captivitatem.*
Psal. CXXVIII. 6. *omnibus diebus vitæ tuæ.*
Psal. CXXIX. 5. *fiant sicut fœnum tectorum quod statim ut virescit arescit.*
6. *de quo non implevit manum suam messor.*
Psal. CXXX. 4. 5. *sustinui Dominum sustinuit anima mea verbum ejus expectavit anima mea Dominum.*
Psal. CXXXI. 4. *sicut ablactatus super matrem suam ita ablactetur super me anima mea.*
Psal. CXXXII. 3. *si sedero super lectum stratus mei.*
9. *sacerdotes tui induantur justitia & sancti tui te laudent.*
16. *venationes ejus benedicens benedicam.*
19. *inimicos ejus induam confusione super ipsum autem florebit diadema meum.*
Psal. CXXXIV. 5. *& dominator noster præ omnibus Diis.*
Psal. CXXXVI. 5. *qui fecit cœlos in simplicitate.*
18. *qui occidit reges potentes.*
24. *quia eripuit nos de tribulationibus nostris.*
Psal. CXXXVII. 3. *quoniam ibi interrogabant nos.*
Psal. CXXXVIII. 4. *in die quo invocabo exaudies me.*
Psal. CXXXIX. 5. *mirabilior est scientia tua à me, excelsior est & non potero ad eam.*
22. *proba me & scito semitam meam.*
Psal. CXL. 11. *cadent super eos carbones in igne dejicies eos.*
Psal. CXLI. 3. *pone Domine custodiam ori meo serva ostium labiorum meorum.*
6. *oleo amaritudinis non impinguet caput meum.*
Psal. CXLIII. 4 *posuit me in obscuris quasi mortuos antiquos.*
Psal. CXLIV. 11. *qui eruit David servum suum de gladio maligno.*
Psal. CXLV. 3. *& magnificentia ejus non est investigatio.*
12. *ut notas faciant filiis Adam potentias tuas & gloriam decoris regni tui.*
17. *aperis manus tuas & imples omnem animam benedictione.*
19. *juxta est Dominus omnibus invocantibus se in veritate.*
Psal. CXLVI. 5. *& custodit veritatem in sempiternum.*
Psal. CXLVII. 1. *laudate Dominum quoniam bonus est.*
4. *qui numeras multitudines stellarum.*

FINIS.



INDEX

Rerum & *verborum* memorabilium quæ continentur in hoc Opere cui titulus est. Liber Psalmorum cum Argumentis, Paraphrasi, & Annotationibus.

D

Zzzzz

INDEX.

PSAL. XXXV. 2. apprehende scutum & clypeum & surge in auxilium mihi.
10. Domine quanta vidisti.
PSAL. XXXVI. TIT. victoria servi Domini David.
3. cessavit cogitare ut benefaceret.
6. justitia tua quasi montes judicium tuum abyssus multa.
13. expulsi sunt & non poterunt surgere.
PSAL. XXXVII. 22. fœnus accipit impius & non reddet.
30. & semen impiorum periit.
40. prævaricantes autem interibunt pariter.
PSAL. XXXVIII. 10. cor meum fluctuans.
14. & quasi mutus qui non aperit os suum.
19. & contristabor pro peccato meo
PSAL. XXXIX. TIT. pro victoria Idithun canticum David.
PSAL. XL. TIT. pro victoria David canticum.
12. annuntiavi justitiam tuam.
PSAL. XLII. TIT. pro victoria canticum David.
10. omnes gurgites tui & fluctus tui super me ingressi sunt.
PSAL. XLIII. TIT. pro victoria doctissimi filiorum Core.
PSAL. XLIV. TIT. pro victoria filiorum Core eruditionis.
10. in Deo laudabimus tota die.
26. oblivisceris afflictiones & inopias nostras.
PSAL. XLV. TIT. victori... canticum amantissimum.
7. sagitta tua acuta in corde inimicorum regis, populi sub te cadent.
14. vultum tuum deprecabuntur principes populi.
15. 16. in scutulatis ducetur ad regem, virgines sequuntur eam, amica ejus ducentur tibi.
PSAL. XLVI. 8. compescet bella usque ad extremum terræ.
PSAL. XLVII. TIT. victori filiorum Core canticum.
9. principes populorum congregati sunt populus Dei Abraham.
9. quoniam Dens scuta terræ vehementer elevata sunt.
PSAL. XLVIII. TIT. canticum Psalmi filiorum Core.
PSAL. XLIX. 5. quare timebo in diebus malis.
7. 8. nec dabit Deo propitiationem pro eo, & pretium redemptionis animæ eorum.
8. sed quiescet in sæcula & ultra.
10. & relinquent alienis divitias suas.
19. laudabunt te cùm benefeceris tibi.
20. intrabit usque ad generationes patrum suorum.
PSAL. L. TIT. canticum Asaph.
1. congregans ab ortu solis usque ad occasum ejus
2. de Sion perfecta decore Deus apparuit.
4. ignis ante eum ardebit.
21. arguam te & proponam ea ante oculos tuos.
PSAL. LI. TIT. victori canticum David quando venisset ad eum Nathan propheta cùm intravit ad Bersabee.
15. laudabit lingua mea justitias tuas.
PSAL. LII. TIT. victoria erudito David cùm venisset Doeg Idumæus & ad nunciasset Sauli dicens ei venit David in domo Achimelech.
1. 2. quid gloriaris in malitia, potens misericordia Dei tota est die insidias cogitat lingua tua.
3. dilexisti malitiam magis quàm bonum.
PSAL. LIII. TIT. victori per chorum eruditi David.
PSAL. LIV. 5. in veritate tua disperdes eos.
PSAL. LV. TIT. victori in Psalmis eruditi David.
PSAL. LVI. TIT. victori... cùm tenuerunt eum Palestini in Geth.
2. 3. multi enim qui pugnant contra me altissimi quacunque die territus fuero.
PSAL. LVIII. 4. furor eorum sicut similitudo serpentis.
9. quasi viventes quasi in ira tempestatis rapiet eos.
PSAL. LIX. 8. qua loquentur in ore suo & gladius in labiis eorum.
10. 11. Deus misericordia mea præveniet me. Deus ostende mihi pro insidiatoribus meis.
18. 19. virtutem meam tibi cantabo quoniam adjutor meus es fortitudo mea misericordia mea.
PSAL. LX. 1. iratus convertisti nos.
3. potasti nos vino mœroris.
6. Deus locutus est in sancto suo.
8. Moab olla pelvis meæ.
PSAL. LXI. 3. cùm fortis elevabit adversum me.
PSAL. LXII. 11. & tibi Domine misericordia tu reddes unicuique secundum opus suum.
PSAL. LXIII. 2. Sitivit anima mea desideravit te caro mea in terra.
3. invia & conficiente ac sine aqua.

4. melior est misericordia tua quàm vita.
6. quasi adipe & pinguedine repleatur anima mea.
8. me suscipiet dextera tua.

PSAL. LXIV. 8. & corruent in semetipsis plagis suis fugient omnes qui viderint eos.

PSAL. LXV. 1. tibi silet laus Deus in Sion.
5. replebimur bonis domus tuæ.
9. visita terram.
13. pinguescent pascua deserti.
14. vestientur agnis greges & valles plenæ erunt frumento quæ eqaabuntar & canent.

PSAL. LXVI. 1. date gloriam laudis ejus.
7. benedicite populi Dominum.
14. holocausta medullata offeram tibi cum incenso & arietibus.

PSAL. LXVII. 6. benedicat nobis Dominus Deus noster.

PSAL. LXVIII. 5. patri populorum & defensori viduarum.
9. terra commota est & cœli stillaverunt à facie Dei & Sinai à facie Dei Israel.
13. reges exercituum fœderabuntur & pulchritudo &c.
15. dum dispergit omnipotens reges in ea nive dealbabuatur in Selmon.
17. Dominus habitabit confidenter.
18. currus Dei innumerabilis millia adnunciantium.
23. verticem crinis ambulantis in delictis suis.
31. præcepit Deus tuus de fortitudine tua. conforta Deus hoc quod operatus es nobis.
32. tibi offerunt reges munera.
33. in vitulos populorum.
34. offerant velociter ex Ægypto. Æthiopia festinet manus Deo.
35. qui ascendit super cœlum cœli ab oriente ecce dabit.
36. vocem suam vocem fortitudinis.

PSAL. LXIX. 8. non confundantur in me expectantes te.
9. non revereantur super me qui &c.
10. operui confusione faciem meam.
22. intende animæ meæ & redime eam propter inimicos meos redime me.
31. & ut assi gerent vulneratos tuos narrabunt.
14. salus tua Deus suscipiet me.
36. & placebo Deo super vitulum novellam cornua producentem & ungulas.
38. quoniam exaudivit pauperem Dominus.
39. laudent eam cœli & terra mare & omne quod movetur in eis.
40. quia Deus salvabit Sion & ædificabuntur civitates Iuda.

PSAL. LXX. 3. qui volunt mala mea.

PSAL. LXXI. 8. & tu spes mea fortissime.
22. quia ostendisti nobis tribulationes.

PSAL. LXXII. 1. Deus judicium regi da.
4. salvabit filios pauperum.

PSAL. LXXIII. 20. quasi somnium evigilantis Domine in civitate imaginem eorum ad nihilum rediges.
21. quia contractum est cor meum & renes mei resoluti sunt.
22. 23. & eram semper tecum & tenebas manum dexteram meæ.

PSAL. LXXIV. 8. contaminaverunt habitaculum nominis tui.
12. quare convertis manum tuam & dexteram tuam à medio sinu tuo consumeas.
13. operatur salutem.
16. tu disrupisti fontes & torrentes.
24. ne obliviscaris vocis hostium tuorum sonitus adversariorum tuorum ascendet jugiter.

PSAL. LXXV. 2. narrabo mirabilia tua.
3. dissolvetur terra cum habitatoribus suis.
8. & propiavit ex eo.

PSAL. LXXVI. 2. & in Jerusalem tabernaculum ejus.
10. quia mœror hominis confitebitur tibi reliquiis mœroris accingeris.
11. omnes qui in circuitu ejus sunt offerent dona terribili.
12. quia auferet spiritus principum.

PSAL. LXXVII. 6. & scrutabar spiritum meum.
7. ergo ne complacuit.
9. aut complevit in furore misericordias suas.
20. deduxisti quasi greges populum tuum.

PSAL. LXXVIII. 14. & obliti sunt cogitationum ejus.
20. & provocaverunt excelsum in bivio.
25. & furnus ascendit in Israel.
32. & ceciderunt in medio castrorum ejus & in circuitu tabernaculorum ejus.
47. die qua redemit eos à tribulatione.
51. & labores eorum locustæ.
55. non pepercit morte animæ eorum & animantia eorum morti tradidit.
59. montem istum quem possidet dextera ejus.
67. & tradidit in captivitate virtutem suam.

68. & in hereditatem suam distulit.
PSAL. LXXIX. 9. aux liare nobis Jesus salvator noster
10. quare dicant gentes.
11. ingrediatur coram te gemitus vincti.
14. nos enim populus tuus & oves.
PSAL. LXXX. 5. Domine Deus exercituum quousque irasceris ad orationem servi tui.
17. succensam igni & devoratam.
PSAL. LXXXI. TIT. victori pro torcularibus filiorum Core.
4. quia legitimum Israel est & testimonium Dei Jacob.
5. testimonium in Joseph posuit cùm egrederetur de terrâ Ægypti.
13. & super hostes eorum misissem manum meam.
PSAL. LXXXII. 1. in medio Deos judicat.
3. & egeno & inopi justificate.
6. ego dixi Dii estis vos.
8. surge Deus judica terram quoniam tu hereditabis in omnes gentes.
PSAL. LXXXIII. 1. Deus ne taceas tibi ne sileas.
14. sic persequeris eos.
17. & scient quia nomen tibi Dominus.
PSAL. LXXXIV. 2. laudabunt Deum Deum viventem.
4. altaria Domine exercituum.
6. beatus homo qui confidet in te.
PSAL. LXXXV. 2. operuisti omnia peccata eorum.
PSAL. LXXXVI. 4. & multa misericordia.
PSAL. LXXXVII. 4. commemorabo superbia & Babylonis scientis me.
6. & ipse fundabit eam excelsus.
7. Dominus numerabit scribens populos iste natus est ibi.
7. 8. & principes quasi in choris omnes fontes mei in te.
PSAL. LXXXVIII. TIT. non meminit Eman Ezraitæ.
2. ingrediatur ad te oratio mea inclina aurem tuam ad orationem meam.
6. in tenebris in profundis.
7. super me consummatus est furor tuus.
11. aut gigantes surgent & confitebuntur tibi
13. nunquid noscuntur in tenebris mirabilia tua.
17. & furores tui oppresserunt me.
PSAL. LXXXIX. 3. dixi sempiterna misericordia ædificabitur.
7. quis enim in nubibus æquabitur Domino aut assimilabitur.
8. Deus robustus in arcano sanctorum nimio & terribilis cunctis qui circa eum sunt.
9. Domine Deus virtutum quis similis tibi fortissime Domine veritas in circuitu tuo.
11. in brachio fortitudinis percussisti inimicos tuos.
12. Aquilonem & dexteram tu creasti.
18. quia Domini est protectio nostra.
22. & brachium meum roboravit eum
23. sed concidam ante oculos ejus hostes illius.
25. & posui in mari manum ejus.
43. & thronum illius in terram detraxisti.
44. operuisti eum ignominia sempiterna.
46. memento mei de terra.
PSAL. XC. 2. antequam montes nascerentur aut parturiret terra & orbis.
4. quia mille anni ante oculos tuos.
5. percutientes ut somnium erunt.
11. si autem in potentatibus octoginta anni.
19. & opus manuum nostrarum dirige.
PSAL. XCI. 3. de monte insidiarum.
6. à peste in tenebris ambulante à morsu Dæmonis meridiani insidiantis meridie.
11. quia Angelis suis mandabit de te.
13. super aspidem & basiliscum ambulabis.
15. invocavit me & exaudiam eum
PSAL. XCII. 4. & in facturæ manuum tuarum laudabo.
6. vir insipiens non cognoscit & stultus non intelligit istud.
PSAL. XCIII. 8. & intelligent stulti in populo & insipientes quando discedent.
20. fingens dolorem in præcepto
23. & restituet super eos iniquitatem suam.
PSAL. XCVI. 6. fortitudo exultationis in sanctuario ejus.
9. dicite in gentibus Dominus regnabit.
11. lætamini cæli & exulta terra.
13. judicabit orbem terræ cum justitia.
PSAL. XCVII. 1. Dominus regnavit exultabit terra.
7. confundantur universi qui adorant sculptilia.
8. adorent eum omnes Angeli Dei.
10. tu autem Dominus excelsus super omnem terram.
PSAL. XCVIII. 2. salvabit sibi dextera ejus.
PSAL. C. TIT. canticum in gratiarum actione.
PSAL. CI. 4. non proponebam coram oculis meis verba belial, facientem declinationem odivi.
6. loquentem in abscondito contra proximum suum hunc interficiebam.
PSAL. CII. 15. & pulverem ejus mirabilem.

29. *scribatur hoc in generationem novissimam.*
30. *ut videret genitum vinctî.*
39. *& semen eorum ante faciem tuam dirigetur.*

PSAL. CIII. 3. *qui propitiatur cunctis iniquitatibus meis qui sanat omnes infirmitates meas.*
20. *obedientes voci sermonum ejus.*

PSAL. CIV. 5. *qui facit Angelos suos spiritus ministros suos ignem urentem.*
7. *abysso quasi vestimento operuisti eum.*
11. *qui emittit fontes in convallibus ut inter medios montes ambulent.*
12. *& reficiant onagri sitim suam.*
16. *& vinum lætificet cor hominis.*
19. *petra refugium cuniculo.*

PSAL. CV. 8. *verbi quod mandavit in mille generationes.*
18. *ferrum venit animæ ejus.*
20. *& principem omnis possessionis suæ.*
21. *& seniores ejus sapientiam doceret.*
35. *primitias universi partus eorum.*
39. *pane cœlesti saturavit eos.*
42. *& eduxit populum suum in lætitia in laude electos suos.*
43. *& labores tribuum possederunt.*

PSAL. CVI. 11. *& salvavit eos de manu odientium.*
16. *dedit ergo eis petitionem ipsorum & misit tenuitatem in anima eorum.*
18. *& operuit Synagoga Abiron.*
29. *& concitaverunt eum in studiis eorum.*
30. *stetit autem Phinees & exoravit.*
37. *adulterata est terra per sanguinem & polluerunt eum in operibus suis & fornicati sunt in studiis ipsorum.*
44. *& dedit eos mirabiles coram omnibus qui ceperant eos & canamus laudantes.*

PSAL. CVII. 7. *& duxit illos per viam rectam in civitatem habitabilem.*
8. *confiteantur Domino misericordia ejus.*
11. *quia provocaverunt sermonem Domini.*
15. *& mirabilia ejus in filiis hominum.*
28. *clamaverunt autem ad Dominum in tribulatione sua & de angustia eduxit eos.*
31. *confiteantur Domino misericordia ejus.*
35. *ponens desertum in paludes aquarum.*
36. *& collocabit esurientes fundabunt urbes ad habitandum.*
38. *& pecora eorum non imminuentur.*

PSAL. CVIII. 5. *quoniam magna super cœlos misericordia tua & usque ad terram veritas.*
11. *quis deducet me in civitatem circumstantiæ aut quis deducet me usque in Idumæam.*

PSAL. CIX. 1. *Deus laudem meam ne tacueris.*
2. *locuti sunt de linguâ mendacium.*
10. *scrutetur exactor quæsita.*

PSAL. CX. 4. *populi tui judices erunt.*
6. *Dominus ad dexteram.*

PSAL. CXI. 3. *gloria & decor operis ejus.*
10. *doctrina bona omnibus facientibus ea, laus ejus permanens jugiter.*

PSAL. CXIII. 5. *quis ut Dominus Deus noster qui in excelsis habitant.*

PSAL. CXV. 5. *oculos habent & non vident.*
9. *Israel confidet in Domino.*
10. *Domus Aaron confidet in Domino.*
11. *timentes Dominum confident in Domino,*
19. *sed nos benedicimus Dominum.*

PSAL. CXVI. 1. *dilexi quoniam exaudivit Dominus vocem.*
2. *quoniam inclinavit aurem suam mihi.*
5. *obsecro Domine salva animam meam clemens Dominus.*
5. *& justus & Deus miserícors.*
8. *quia eripuit animam meam.*

PSAL. CXVII. 2. *quia confirmata est.*

PSAL. CXVIII. 6. *Dominus mecum est non timebo.*
29. *confitemini Domino quoniam bonus.*

PSAL. CXIX. 4. *tu mandasti præcepta tua custodire nimis.*
7. *confitebor tibi in directione cordis mei.*
11. *in toto corde meo abscondi eloquium tuum.*
14. *in via testimoniorum tuorum lætatus sum.*
18. *revela oculos meos & videam mirabilia de lege tua.*
21. *maledicti qui declinant à mandatis tuis.*
28. *distillavit anima mea præ tristitia.*
42. *& respondebo exprobranti mihi sermonem.*
52. *à sæculo Domine & delectatus sum.*
56. *hoc factum est mihi quoniam justificationes tuas custodivi.*
57. *pars mea Domine dixi custodiam verbum tuum.*
62. *medio noctis surgebam.*
63. *particeps ego sum omnium timentium te & custodiam præcepta tua.*
77. *veniant mihi miserationes tuæ ut vivam.*

81. *defecit in salutari tuo anima mea.*
108. *& secundum justitiam tuam doce me.*
131. *os meum aperui & suspiravi.*

PSAL. CXXI. 5. *super manum dexteræ tuæ.*

PSAL. CXXII. 2. *stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem.*

PSAL. CXXIV. 6. *anima nostra sicut passer erepta est.*

PSAL. CXXV. 1. *qui confidunt in Domino sicut mons Sion non movetur in æternum habitabilis.*

PSAL. CXXVI. 1. *cùm converteris Dominus captivitatem.*

PSAL. CXXVIII. 6. *omnibus diebus vitæ tuæ.*

PSAL. CXXIX. 5. *fiant sicut fœnum tectorum quod statim ut virescit arescit.*
6. *de quo non implevit manum suam messor.*

PSAL. CXXX. 4. 5. *sustinui Dominum sustinuit anima mea verbum ejus expectavit anima mea Dominum.*

PSAL. CXXXI. 4. *sicut ablactatus super matrem suam ita ablactetur super me anima mea.*

PSAL. CXXXII. 3. *si fodero super lectum stratus mei.*
9. *sacerdotes tui induantur justitia & sancti tui te laudent.*
16. *venationes ejus benedicens benedicam.*
19. *inimicos ejus induam confusione super ipsum autem florebit diadema meum.*

PSAL. CXXXIV. 5. *& dominator noster præ omnibus Diis.*

PSAL. CXXXVI. 5. *qui fecit cœlos in simplicitate.*
18. *qui occidit reges potentes.*
24. *quia eripuit nos de tribulationibus nostris.*

PSAL. CXXXVII. 3. *quoniam ibi interrogabant nos.*

PSAL. CXXXVIII. 4. *in die quo invocabo exaudies me.*

PSAL. CXXXIX. 5. *mirabilior est scientia tua à me, excelsior est & non potero ad eam.*
22. *proba me & scito semitam meam.*

PSAL. CXL. 11. *cadent super eos carbones in igne dejicies eos.*

PSAL. CXLI. 3. *pone Domine custodiam ori meo serva ostium labiorum meorum.*
6. *oleo amaritudinis non impinguet caput meum.*

PSAL. CXLIII. 4. *posuit me in obscuris quasi mortuos antiquos.*

PSAL. CXLIV. 11. *qui eruit David servum suum de gladio maligno.*

PSAL. CXLV. 3. *& magnificentia ejus non est investigatio.*
12. *ut notas faciant filiis Adam potentias tuas & gloriam decoris regni tui.*
17. *aperis manus tuas & imples omnem animam benedictione.*
19. *juxta est Dominus omnibus invocantibus se in veritate.*

PSAL. CXLVI. 5. *& custodit veritatem in sempiternum.*

PSAL. CXLVII. 1. *laudate Dominum quoniam bonus est.*
4. *qui numeras multitudines stellarum.*

FINIS.



INDEX

Rerum & *verborum* memorabilium quæ continentur in hoc Opere cui titulus est. Liber Psalmorum cum Argumentis, Paraphrasi, & Annotationibus.

D

T

·I N D E X.

FINIS.

Cantabiles
mihi erant justificationes tuæ
in loco peregrinationis meæ.

ADDENDA, EMENDANDA, ET OBSERVANDA IN OPERE, CUI TITULUS EST.

LIBER PSALMORUM CUM ARGUMENTIS, Paraphrasi, & Annotationibus.

PAg. 5. lin. 22. & seq lege, & Karolo Calvo oblatus quondam fuit à Viviano Abbate & Monachis sancti Martini Turonensis; egregiúsque ille codex &c.

p. 10. l. 16. lege aptari pro apari.

p. 12. l. 4 lege Simeon concionator Francofurtensis, Joseph Samigah, & Rabba bar Nachmoni &c.

ibid. l. 25. lege qui quatuor pro qu iquatuor.

p. 18. l 16, 17. 18. lege Psal. III. 4. 5. XVII. 20 21. 22. 42. LXIII 5. 6 LXV. 2. 5. LXXVI. 17. LXXIX. 9, 12. &c.

p. 23. l. 6. lege veteres Patres pro sancti Patres.

p. 24. l. 7. lege Aristeas pro Aristæas.

ibid l. 16. lege Aristeæ pro Aristææ.

p. 27. l. 5. 8. lege quàm pro quam: & ita pag. 4. l. 10.

p. 49. l. 5. lege Andreas pro Andræas.

p. 52. l. 10. post vocem alióśque pone duo puncta:

p. 59 l. 26 27. lege *defensorem* pro *ultorem*.

p. 65. l. 10. lege varietatem pro verietatem.

ibid. l. 11. dele &

p. 70. l. 3 lege Germaniâ pro Germanâ.

p 73. l. 8. lege *meam* pro *meum*.

p. 75. l. 3. lege Hieronymiastrum pro beatum Hieronymum. Idémque observa ad pag. 124, 140, 155, 157, 161, 190, 197, fin. 223, 225, An. 3. l. 10. 240, 242, fin. 244, 247. ubi pro S. Hieronymo reponi debet Hieronymiastro.

p. 92. l. ult. lege Byzantinus pro Bizantinus.

p. 93. l 30. lege ac pro ad.

p. 96. l 21. lege *καταλλακτικοὶ, Συγκαταλλακτικοὶ* pro *καταλλαπικοὶ, Συγκαταλλαπικοὶ*.

p. 99. l. 14. lege *l'smorrin* pro *usmoru*.

ibid. 17. lege *azloe* pro *azle*.

p. 100. l. 25. lege in suo Scholio pro in suâ Scholiâ.

p. 103 l. 11. lege adhærero pro adliærero.

p. 108. l. 20. observa Cantores hoc loco (ut & pag. 109. lin. 22.) vocari non simpliciter qui cantant, sed qui ex officio canunt, atque ad id munus selecti sunt postquam eorum in canendo peritia probata fuit.

p. 109. l. 20. post vocem adeò adde prædictus cantus.

p. 110. l. 32. lege Alexandrinus pro Alemandrinus.

ibid. l. ult: lege Hippolytus pro Hyppolitus.

ibid. in marg. ad lit. *a* lege *97* pro *67*.

p. 117 l. 21. lege Xenocrati pro Zenocrati.

ibid. in marg. ad lit *m* observa mihi, quum hæc scriberem; non fuisse ad manus locum Pausaniæ, unde eum ex Cœlio Rhodigino citavi. Repone *m* in Messenicis pag. 227. post med. edit Gr. Lat. Hanov. 1613. pro apud Cœlium &c.

p. 118. l. 3. observa dictionem plerumque; eámque in his paginæ 119 l. 20 21. verbis (minúsque disertam) subaudi: & disce in eâ me esse sententiâ nonnullos esse textus præcipuè Macchabaicos, in quibus mentio regni cœlorum disertè & clarè fit non sub involucris ac subóbscurè.

p. 119. l. 24. & seq emenda sic. Perseverantiam sententiæ meæ retineo quum nomina *judicii* & *concilii*, à Davide usurpata; apud S. Matthæum pro *judiciis humanis* ut docet B. Chrysostomus; seu pro *Synedriis minoribus* & *Senatu*, ut post Bochium explicat Grotius, sumi animadverto: inde enim conjicio præfata *judicii* & *concilii* nomina &c Emendationis caussam inveniet qui legerit beatum Hieronymum ad Matth. XXII. 32.

p. 122. l. ult. lege JUDICEM pro JUUICEM.

p. 129. l. 4. lege qualis pro quales.

p. 130. Annot. 3. l. 2. lege Hebræis pro Judæis; & l. 3. lege *Hebræi* pro *Judæi*.

p. 133. Annot. 2. l. 10. lege ab *p* Euripide pro ab Euripide. Et in marg. pone sic. *p* in Supplicibus vers. 674. Vide etiam versum 28. in prologo Phœnissarum. Tum in Annot. 4. lege S. *q* Cyrillus pro S. *p* Cyrillus. Et in marg. pone. *q* Catech. 12. pro *p* Catech. 12.

p. 134. ℣. 12. dele punctum (.) post ultimam vocem cùm textus tum paraphrasis.

p. 137. Annot. 3. l. 2. lege intelligo pro intelligor.

p. 138. in Argum. l. 7. 8. Observa hæc verba (tum inimicos suos hortatur) non pugnare cum annotatis de genio Davidis p. 129. l. 6. hoc enim in loco lin. 7. adhibui adverbium plerumque, quo docetur vindictam non semper obtinuisse.

pag. 140. ℣. 4. Si quis ex voce (*sanctum*) affixam huic Psalmo epocham disturbare vellet: dicendo veri non esse simile ut David, postquam duobus, iisque gravissimis, peccatis se contaminasset, sanctum se appellaret, sententiam mutabit si ad pœnitentiam ipsius animum advertérit, & Psalmum LXXVIII. 2. suis ponderaverit momentis.

p. 141. Annot. 6. post hæc verba nunquam licebit. Adde. Tertullianus lib. V. adv. Marc. cap. 11. pag. 475. D. legit. *Significatum est super nos lumen personæ tuæ Domine*.

p. 145. in Paraph. ℣. 8. lege reverenter pro reverentur.

ibid. Annot. 4. l. 7. lege Chæremonem pro Chœremonem.

p. 159. in marg. ad lit. l. lege lib. 1. c. 2. pro lib. 1. c. 1.

p. 188. Annot. 5. l. 4. & 6. lege bobus pro bovibus.

p. 189. l. 21. lege BOBUS pro BOVIBUS.

p. 201. sub fin. penult. Annot. adde 31. post 30.

p. 206. in fine penult. Annot. dele paulisper.

p. 215. Annot. 3 fin. lege *fiducialiter* pro *fiducialiter*.

p. 219. ℣. 5. lege *exultabunt* pro *exaltabunt*.

p. 222. l. 21. lege fuit pro fuerit.

p. 227. l. 2. lege *nulli* pro *nullo*.

p. 229. l. 12. 13. lege allegoriæ pro spiritui.

p. 232. in marg. ad lit. *k* post Harmenopulum. adde in Prompt. Juris lib. III. tit. 7. p. 264. edit. Gr. Lat. 1587. in 4°.

ibid. ad lit. *c* sub fin. lege lib. 5. pro lib. 2.

p. 233. in Arg. l. 7. lege liquidò pro aliquidò.

p. 234. l. 11. 12. lege opimo pro opinio.

p. 242. Annot. 2. l. 1. lege *hominem* pro *hominum*.

p. 245. l. 9. dele in.

ibid. Annot 6. l. 4. lege שאול pro שאל.

p. 248. l. 12. lege *linguam* pro *linquam*.

p. 252. in marg. ad lit. *b* lege Epist. 59. pro Epist. 109.

p. 253. Annot. 4. l. 1. post *vita* dele pro

p. 255. l. 4. lege suos pro suo.

p. 265. Annot. 2. l. 5. lege יקדמו pro יקדמו.

p. 267. l. 7. lege Pseudo pro Sanctus.

p. 291. in marg. ad lit. *a* lege factas pro factus.

p. 292. in Paraphr. ℣. 13. lege *sunt* pro *sint*. Et paulò post interpunge & distingue sic, (*ea enim* delicta quis novit *unquam omnia?*) munda &c.

p. 293. Annot. 4. l. 6. loco *superbis* pro *occultis* lege *errores* pro *delicta*.

p. 294. l. 7. dele ut

p. 306. l. 6. 7. pro induere non potuissent lege nec induere; nec, vendendi caussâ, scindere potuissent, atque ita &c. Ut autem totam hanc argumentationem probet Lector, observari ab eo velim 1°. moris non esse ut regales hoc est regio ornatu paratæ regîsque propriæ ac pulcherrimæ vestes à subditis induantur, 2°. homines solitos non esse ea quæ ex regali seu regis proprio pulcherrimóque panno confecta sunt vestimenta scindere ut frustatim vēdantur. Quum ergo Davidis vestes ex hujusmodi panno constarent ut in nostrâ hypothesi supponimus atque ex priore Maimonidis loco suadetur; & in instituto hominum positum non sit ut confectæ ex preciosô regalîque panno vestes scindantur vendendi caussâ, consequitur Davidis hostes vestimenta ejus frustrà partitos fore, & in sortem inutiliter conjecturos fuisse.

ibid. ad hæc verba sub fin. sed ne ullus quidem Ethnicus &c. notari debet ea caussaliter sumi, hoc est reportatam in Absalomitas victoriam caussam non fuisse cur aliqui Ethnici ad Deum converterentur: alioquin ex Psal. XLVI. 9. & annotatis ad hunc locum cognoscimus multos Ethnicos, post victorias à Davide in ipsos reportatas, Judaicæ religioni nomen dedisse.

p. 307. l. 10. lege hæc pro hac.

ibid. l. 22. verba hæc. (Adde quod &c. usque ad Denique) istis (pag. 535. l. 2. quippe qui Jacobæi &c.) non repugnant:

quidem potest gens Deum adorare, eique Deus præerit genti; nec tamen illa populus Dei censebitur. Nimirùm præfecturam ex adoratione ortam (cujusmodi est ea de quâ heic loquimur) constituunt professio religionis & fidei ut ex voce *sanctorum* Psal. LXXVIII. 2. colligere est. Populus autem Dei à nobis (ut & Ier. XXX. 22. XXXI. 1. Os. I. 9. 10.) habetur qui morem Deo gerit ejusve favore ornatur. Quum itaque Absalomitæ Judaicam religionem profiterentur præerat ejs Deus; sed, quando iidem Absalomitæ morem Deo non gerebant, populus Dei minimè erant.

p. 315. Annot. 3. l. 1. post irrisionis adde interdum.

p. 320. in Paraph. ỳ. 27. lege materia pro mteria.

p. 332. Annot. 3. l. 3. lege disertâ pro disertâ.

p. 338. ỳ. 6. post *Deus* adde *salvator*.

p. 349. Annot. 6. l. 1. lege Davidis pro Davidi.

p. 353. Annot. 3. l. 2. lege adeundis pro abeundis.

ibid. l 3. lege subeundum pro sebeundum.

p. 354. l. 8. lege generis pro genere.

p. 357. in Paraph. ỳ. 19. lege in Hierosolymitanâ terrâ pro in Judæorum terrâ.

p. 358. Annot. 3. l. 1. lege *videre* pro *vivere*.

p. 360. l. 15. lege eosdem inimicos pro eandem personam.

p. 363. l. 4. lege Antiocheno pro Antiochæno.

p. 369. Annot. 3. l. 5. Pro his verbis de atrio illo &c. repone Per Psalterianum autem atrium intelligo Tabernaculi III. Reg. VI. 17. I. Paral. XVI. 1. vestibulum in quo stabat populus: ferè ut moris postea fuit in Templo Salomonico, ubi atrium Israelis de quo vide *b* Josephum, *c* Riberam, & *d* Lightfootum.

ibid. in marg. Antiq. VIII. 3 p. 262. F. G. *c* de Templo lib. I. 16. *d* in Horis Hebraicis & Talmudicis in centur. Chorogr. cap. 33. p. 66. edit. Cantab 1658. 4°.

ibid. Annot. 4. l. 2. scribe. De eo *e* Aristoteles.

ibid. in marg. ad lit. *g* lege *e* II. Meteor. &c.

pag. 371. l. 10. 11. loco partibus suis lege partui.

p. 376. Annot. 6. sub fin. lege memorat. pro meminerat

p. 392. l. 5. lege fulgeat,

p. 393. Annot. 3. l. 9. post ἐςῆναι adde à Psalterio.

p. 396. l. 2. scribe Romano charactere has voces Italicas *ei perspectas*.

p. 424. Annot. 3. l. 2. lege ארוני pro ארני.

p. 430. Annot. penult. lin. penult. lege additio pro ad ditio.

p. 438. l. 9. lege Obstat etiam ipsa, pro Obstat etiam videtur ipsa.

p. 439. l. 1. ad has voces (non omnia) observa me beato Paulo dicenti (*omnia in figurâ contingebant illis*) non repugnare: divinus enim Apostolus nomen *omnia* sumit pro plerisque, uti nomen illud in Scripturâ multoties accipitur. Mihi, opinor, assentietur qui B. Hieronymum ad Os. XI. 1. Ephes. V. 31. legerit; attenderitque fieri v. g. non posse ut Davidis aliorúmque veteris Testamenti hominum adversus inimicos odium res novi Testamenti præsignificaverit, quum in hoc Testamento odium inimicorum prohibeatur. Prohibitio hujusmodi & id genus alia nonnulla in veteris Testamenti gestis adumbrari non potuerunt; sed gesta illa moralibus documentis locum dant. Unde moralia documenta & allegorias cùm in tertio Præfationis capite tum pag. 914. distinxi, & sensus allegoricos ac morales universam Scripturam pererrare dixi: sic ut alteruter saltem sensus locum semper habeat, & ubi v. g. allegoria seu typus abest, morale documentum elici possit; atque adeò Ecclesiæ Psalmos, quocunque modo dispositi sint, meritò canat, & beatus Paulus optimè dixerit quòd *quæcunque scripta sunt ad nostram utilitatem scripta sunt ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus*.

p. 446. l. 8 lege felicitatem promisisti

ibid. pro curâ lege sollicitudine

ibid. Annot. 6. l. 3. lege *constituerunt* pro *constituerunt*.

p. 455. Annot. ult. l. 2. 3. lege reddiderunt pro redideruut.

p. 486. in Arg. l. 11. lege divitias & connexos eis honores pro divitias atque honores.

p. 487. ex voce *dives* ỳ. 2. colligere noli illos, quibus David loquebatur, divites fuisse; atque adeò verum non esse quod, in hujus Psalmi argumento, dictum est Davidis socios in summâ difficultate nummariâ fuisse; proindéque hypothesim nostram corruere totam. Id, inquam, noli colligere: nam David, ut orationi suæ robur adderet, omnes mundi gentes hoc loco alloquitur; inter quas, quum multi sint qui

divitiis affluunt, divitum mentio jure facta est; nihilque mentio illa hypothesi nostræ nocet. Quòd si divites illos ad Davidicos socios spectare velis, contentiosum ego funem tecum non traham: sed dicam socios illos vocari divites quia quæstuosissimis, in Hierosolymitano agro, prædiis abundabant: quod non impedit quin in summâ tunc difficultate nummariâ essent, sive quòd nullam ex illis prædiis pecuniam conficerent, sive quòd asportandæ, quam antea confecerant, pecuniæ otium, præ nimiâ festinatione, nacti non fuissent. Id loca II. Reg. XVII. 21. 22. 29. suadent; saltem ea majorem Davidicorum sociorum partem in egestate fuisse suadent: quúmque denominatio à majori parte sumatur, perspicuum est hypothesim nostram consistere, etiamsi Davidicorum sociorum nonnullos benè nummatos fuisse nedum quæstuosissimis prædiis abundasse concederem.

p. 490 in Paraph. ℣. 12. lege *abiturum* pro *arbiturum*.

p. 495. in fine Annot. 2. post Matth XXVI. 8. adde Vide B. Hieronymum ad Matth. XXVI. 8 & annotat. ad Psal. XCVIII. 7.

p. 497. l. penult. lege THEODORUS pro TXEODORUS.

p. 499 Annot. ult. observa negare me nolle quod to 2 Reflex Christ. pluribus confirmavi: nimirùm reges humanis legibus solutos esse, illósque à subditis puniri non posse. Id ego iterum confiteor; & solùm affirmo Reges, etsi prædicto privilegio gaudeant, in subditos tamen peccare quum injuriam illis inferunt.

p. 501. in marg. ad lit *a* post ultimam vocem *adhærens.* adde. Ita Pythagorici apud Iamblichum in Orat. adhort. ad Philos. c. 3. p. 9. lin. 23. 24. edit. Commel. Gr. Lat 1598. 4°. Eâdem in paginâ lin. 25. 26. habes πολυκέφαλον θηρίον: &, paulò post, habes ἔσω σύμφυτον *litem* homini *innatam*: quibus adjungi velim quæ Iamblichus tradit in lib de Mysteriis Ægyptiorum Sect I. cap. 11. pag. 22. lin. 17. 18. cap. 12. pag. 25. lin. 22, 23. Sect. III. cap. 18. pag. 84. lin 12. 13. edit. Gr. Lat. Oxon. 1678.

p. 512. Annot. 4. l. 5 dele 9.

ibid. l. 7. dele rodendam Davidis famam,

p. 516. Quandoquidem hoc in loco l.n. 7. 8. Balbum & Senecam Providentiæ patrocinantes adduco; &, paulò post, Stoicos Providentiam labefactantes exhibeo, orationem meam secum non constare objicere quis posset: dicendo ex eâ confici Providentiam à Stoicis non fuisse labefactatam, quum Balbus & Seneca, qui Stoici erant, ei patrocinati fuerint. Speciosæ huic objectioni occurro, respondens Stoicos in duas sententias distractos fuisse. Possidonius v. g. Diogeni Laertio (lib. 7. in vitâ Zenonis) prolatus Deum & mentem & fatum & Jovem multísque aliis nominibus appellari existimabat, in eâque sententiâ erat Seneca ita in lib. IV. de Benef. c. 8. p. 314. A. scribens de Deo. *Sic hunc naturam voca, fatum, fortunam: omnia ejusdem Dei nomina sunt* Adde locum Nat. Quæst. lib II. c. 45. p. 716. A Stoicorum alii fatum seriem quandã esse volebant nexúmque caussarum certà atque constanter ex cœlestium astrorum conversione pendentem præter Dei voluntatem. Ita maxima Stoicorum pars sentiebat, ut ex iis intelligimus quæ Origenes (apud Euseb. Præp. VI. 11.) Eusebius ipse (Præp. VI. 6. p. 250. A) Nemesius (lib. de Nat. hominis cap. 38. p. 542. D. to. 2. Bibl PP. Gr. edit 1624. quâ utor) & S. Augustinus (de Civ Dei lib. V. c. 9) edisserunt, atque apud Eusebium (Præp. VI. 7. 8.) Oenomaus & Diogenianus disputant adversus Chrysippum: qui, ex laudatis Auctoribus nec non ex Plutarcho (lib. de Stoic. repugn. p. 1056. C. & seq.) & Gellio Chrysippeam fati definitionem (lib. VI. 2.) referente, in secundam Stoicorum classem aggregandus est, etsi præfatus Plutarchus (lib. 1. de Placit. Philos. cap. 28. p. 885 B.) eum inter prioris classis Stoicos adscribere videatur. Hi Stoici (quemadmodum Eusebio Præp. VI. 6. p. 250. A. & Nemesio cap. 44. p. 554. A. notatum est) fatum, secundo modo admittentes, seu syderea (ut Augustinianum dictum usurpem) fata adstruentes, Providentiam tollebant: eam tamen ore profitebantur. Chrysippus enim (teste Laertio in vitâ Zenonis) aiebat mundum regi atque administrari secundùm mentem ac Providentiam. Porrò quum plerique Stoici fatum in sinistram (quicquid in contrarium scribat Ludovicus Vives in lib. V. 1. 8. de Civit. Dei) partem acciperent; & denominatio à majori parte sumatur, non immeritò dixi Stoicos Providentiam labefactasse, etsi Stoicorum aliquos Balbum nempe & Senecam Providentiæ patrocinantes repræsentaverim.

ibid. ad vocem (Nemesio) lin. 14 observa Nemesium quidem (p. 751. C. c. 44.) dicere quòd Plato & universas res & singulas à Providentiâ gubernari vult ; sed quum, paulò post, secundam & tertiam Providentiam ex sententiâ Platonis statuit, ostendit in eâ se esse opinione quam ipsi hoc in loco tribuo, & quam non probo.

ibid. lin. 14. lege in Timæo p. 29. E. & seq. 40. 41. D. E. 42. D. E. 69. B. C. & seq.

ibid. lin. 15. post numerum 903. adde & in Epinom. p. 980. D.

ibid. in marg. ad lit. *o* sub fin. lege *o* de Fato p. 572. F. 573. per totum.

p. 554. ℣. 4. lege *fine* pro *si ne*.

p. 548. Annot. 3. lin. 2. lege sit pro sic.

p. 551. in Paraphr. ℣. 7. lege quam pro quàm.

ibid. ℣. 8. scribe *hactenus* adjuvit.

p. 556. Annot. penult. l. 1. lege *tibi* pro *iibi*.

p. 563. l. 1. scribe omnes populares.

p. 568. l. 3. lege Æthiopia pro Æthiopi.

p. 573. l. 8. scribe Veneri pro veneri.

p. 575. in Annot. antepenult. l. 1. loco partem &c. lege sic. præcipuam partem castrorum habebant ut ex locis If. XXXIII. 9. Nah. I. 4. cum Psalteriano collatis colligere est ; nec non ex naturâ loci qui, quum uberrimus esset, commodum majori exercitus parti victum præbebat.

p. 578. l. 9. lege accommodant in sensu primario : & sanè

p. 601. l. 2. lege prospecturus sit pro prospiceret & revocaturus pro revocaret.

ibid. l. 3. lege daturus pro daret.

p. 606. l. antep. lege nequidem pro nequiquem.

p. 611. Annot. 3. lin. ult. lege indoctè pro in doctè.

p. 615. l. 3. observa Grotium duplicis calicis nominatim haud meminisse ; sed id ex Homericanâ, quam non longè à Psalteriano versu abesse ait, auctoritate colligi. Δοιοὶ γὰρ &c. inquit Homerus, idest. *Dolia bina jacent magni sub limina Patris. Mitibus hoc fatis plenum est, at tristibus illud.* Hos Homeri versus citat ; &, ex parte, explodit Eusebius, (Præp. XIII. 3. p. 643. B.) dicens Deum non esse caussam mali. Platonem (de Rep. II. 10. 2. p. 379. C. D.) exscribit, hoc loco Cæsariensium Episcopus : sed uterque, ni fallor, Homerum immeritò rejecit quum Poeta ille loquatur de malo pœnæ, cujus auctor est Deus. Ut ut res habeat, certum est duo dolia, boni unum mali alterum ab Homero fuisse celebrata ; indéque consequi Grotium, Homerianos versus probantem eósque cum Psalteriano textu comparantem, finxisse duos calices qui his respondeant verbis *& inclinavit ex hoc in hoc*. Ad illos Homeri versus respexisse videtur Clemens Alexandrinus Stromateo quinto pag. 598. D.

p. 617. l. 12. lege *finem* pro *vitam*.

p. 620. in Paraphr. ℣. 12. lege considerabam pro consideratam.

p. 621. in Paraphr. ℣. 18. lege *Ægyptiaco* pro *Arabico*.

p. 623. l. 22. lege monte pro montem.

p. 626. Annot. penult. l. 6. post Rubro adde, ab Hebræis trajecto,

ibid. l. 9. lege observato pro observatu,

p. 637. Annot. 2. l. 2. lege Parthi pro Parthæ.

p. 641. Annot. 1. l. 1. lege *in* pro *m*.

p. 646. Annot. 5. l. 1. lege mensis pro mentis.

p. 647. in marg. secundam citationem ita emenda Num. XX. 15.

p. 652. l. 20. dele in.

p. 655. Annot. antep. lin. 10. post verbum occurrunt adde ; nisi fortè dicatur Characenos, Plinio VI. 27. memoratos, eosdem esse ac Saracenos.

p. 657. in marg. ad lit. *a* post Apolog. adde. p. 24. C. edit. Gr. Lat. 1609.

p. 660. Annot. 2. l. ult. lege præconiis pro præconis.

p. 675. ℣. 4. lege *descendentibus* pro *descentibus*.

p. 676. l. 1. lege heic pro huic.

p. 677. in Paraphr. ℣. 12. scribe *in promissis servandis*, fidem &c.

p. 686. Annot. penult. l. 1. scribe Theodoritus pro Thoodoritus.

p. 691. in Paraphr. ℣. 3. lege *Israelita* pro *Israelites*.

p. 692. in Paraphr. ℣. 6. scribe *conceditur* : *siquidem* &c. durescunt *in cadavere*,

p. 693. Annot. 2. l. 1. lege *sermo* pro *ermo*.

p. 697. Annot. 1. l. 1. scribe Eusebius,

ibid. l. 2. lege adscripti,

p. 699. in marg. ad lit. *b* post med. lege apud Iambl. de Myst. Sect. IX. cap. 5. edit. Gr. Lat. Oxon. 1678. pag. 168.

ibid. ad lit. *c* l. 1. scribe Hesiodo pro Hesdio.

ibid. ad lit. *c* l. 4. lege Protrept. loco Proterp.

ibid. l. 7. post Plot. adde pag. 123. ante med. edit. Gr. Lat. Basil. M. D. XXC. Vide porrò ipsum Iamblichum de Myst. Sect. IX. cap. 6. 7. 8. 9. edit. Gr. Lat. Oxon. 1678 pag. 169. 170 171.

ibid. l. 8. scribe de Aug. cust.

p. 700. l. 4. Annot. 1. dele interdum.

ibid. Annot. 3. l. 4. scribe * Horo Apolline,

ibid. in marg. adde * lib 2 Hierogl. 57. p. 86. edit. Gr. Lat. R. P. Nicolai Caussini 1618.

p. 704. l. 5. ad vocem (argumentum) observa quòd ad felicitatem copia non minùs quàm perennitas conducit.

p. 709. in Paraphr. ℣. 19. lege *adhibuisti* pro *adhibui sti*.

p. 713. l. ult. lege, quibus historia Mosaica & Psal. LXXVII. 42. 43. 44. favent: nam &c.

p. 730. in Paraphr. ℣. 9. l. 4. lege qui se vel verbis iniquum &c.

ibid in Arg. l. 7. lege comprobo pro comptobo.

p. 734. Annot. 4. l 2. ad hæc verba (quum de illâ conversione nihil certi haberent) observa prædicta verba cum istis (pag. 691. 692. *cùm itaque conversi simus*) non pugnare: siquidem, quando ad conversionem toto incumbimus pectore, dicere licet: conversi sumus, hoc est conversioni sedulam operam damus. Quum autem nemo sciat amore an odio dignus sit, nihil certi de illâ conversione habemus, hoc est nescimus an conversio nostra Deum placatum effecerit eique probetur. Certa ergo est conversio respectu nostri, idest liquidò novimus nos ad conversionem animum intendere: incerta est respectu Dei, id est nescimus an illa Numen expiaverit & grata acceptáque ei sit. Posteriore modo sumitur conversio pag. 734. priore autem modo accipitur pag. 691. 692.

ibid. lin ult. post verbum demonstrantur adde: præsertim si attendatur Isaiam & Psalmographum eàdem comparatione (nempe *fœni*) uti, antequam de æternitate Verbi seu Dei sermonem faciant. Isaias XL. 6. *Vox dicentis clama. Et dixi: quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos quia Spiritus Domini sufflavit in eo. Verè fœnum est populus: exsiccatum est fœnum, & cecidit flos. Verbum autem Domini manet in æternum.* Psalmographus personam populi sustinens ℣. 12. *Dies mei sicut umbra declinaverunt; & ego sicut fœnum arui. Tu autem Domine in æternum permanes.* Itaque audiendus non est Grotius &c.

p. 737 Annot 3 l 3. lege commutandos esse.

p. 742. Quod in Annot. l. 16. 17. 18. 19. de Judæis, admirandâ Angelorum præpotentium operâ è captivitate eductis, dicitur, iis, quæ pag. 731. de liberatione Babylonicâ à Dei Verbo procuratâ traduntur, non repugnat: etenim liberatio Babylonica Angelis congruit ut ministris jussa Dei exsequentibus & divinis erga homines consiliis inservientibus ut dixi pag. 742. Eadem autem liberatio Christo convenit ut auctori quemadmodum in pag. 731. affirmavi: beatum sequutus Augustinum qui, de miraculis per Angelorum ministerium in liberatione Ægyptiacâ adhibitis, loquens lib. de Civ. X. 8. ait *quòd Moyses, in nomine Domini qui fecit cœlum & terram, serv'entibus Angelis Magos Pharaonis facilè superavit*; & cap. 12. credendum esse docet miracula *per Angelos fieri, ipso Deo in illis operante.*

p. 743. in Arg. lin. ult. lege videatur pro videantur.

p. 744 in Paraphr. ℣. 3. post cœlum adde aereum

p. 745. lin. 7. lege falsò pro faisò.

p. 751. in tit. pro *Halleluia* scribe *Hallelu-Iah*. & ita ubicumque reperies *Halleluia* ex meo fundo prolatum.

ibid. in marg. ad lit *n* expunge can. 22.

p. 753 in marg. ad lit. *f* lege & interpunge sic. rectè, cum viro docto, supplebis &c.

p. 757. l. 1. lege fuerant pro fuerunt.

p. 759. in Paraphr. ℣. 4. lege salutiferam pro salutiferem.

pag. 762. l. 4. scribe * Horus Apollo.

ibid. in marg. adde * lib. 1. Hierogl. 46. p 46.

ibid. Annot ult. lin nlt. lege sidus pro sibus.

p. 763. l. 3. scribe * Horo Apolline.

ibid. in marg. adde * lib. 1 Hierogl. 44. p. 45. 46.

ibid. Annot. ult. lin. penult. lege Beelphegoro* pro Boelphegoro.

p. 766. in marg. ad lit. *b* lege *Curetibus* pro *Curctibus*.

p 767. l. 1. lege Eucherium pro Fucherium.

ibid. in Arg. l. 19. lege confectos pro confecto.

p. 771 l 3. lege die pro dıe.

p 773. Annot. 3. lege Genes. II. 10. pro Genesim.

ibid.

Ibid in Paraphr. ℣. 11. lege casuram pro censuram.

p. 777. in Paraphr. ℣. 5. lege *continuò* pro *continuuò*.

p. 778. in Paraphr. ℣. 13. lege progenitorum loco progenitotum.

p. 779. in marg. ad lit. *d* post nomen Cassii adde. apud Vulcatium Gallicanum in Avidio Cassio pag. 213. ante med. edit. Hist. Aug. Basil. 1533. fol.

p. 789. in Paraphr. ℣. 4. lege *& Judæis* sui metuentibus, faméque &c.

p. 790. ad Annot. 3. *in sæculum testamenti sui* observa quòd citatus ad Psalmum LXXI. 8. locus Gen. XV. 18. nostræ huic annotationi non adversatur: hoc enim in loco fœdus, juxta totam suam amplitudinem, accipitur: illic autem (quemadmodum in Gen. XVII. 8) angusto modo sumitur, ut patet ex Psalmo CIV. 8. 9. 11. ad Psalmum CX. 6. exacto.

ibid. Annot. 4. l. 2. lege scriptis mandabantur &c.

p. 792. Annot. 2. l. 1. lege benefico pro beneficio.

p. 795. Annot. 2. l. 6. lege respondet pro respondeat.

p. 799. Annot. 2. l. 6. lege Ἐζάρα pro Ἐσδρα.

p. 802. in Paraph. ℣. 8. emenda sic. Me enim ab exsilio reduxit, oculis meis &c.

p. 811. Annot. 3 post ultimam vocem attendunt, adde. Plura de Psalteriano versu ac B. Matthæi textu & de *Osanna* leges apud S. Hieronymum in Epist. 145. ex quâ etiam disces Hebraicum, quo doctissimus Presbyter utebatur, codicem ab hodierno discrepasse: uti, ad præfatam Epistolam, observavit Marianus Victorius; & nos, hoc in Opere, non semel annotavimus.

ibid. in marg. ad lit. *f* lege cap. 1. pro cap. 2.

p. 814 ℣. 13. lege *oris* pro *ovis*.

p. 818. l. 2. lege deferrentur pro deferrentur.

p. 824. ℣. 92. lege *in* pro *est*.

p. 828. l. 7. lege imminui pro imminus.

ibid. ℣. 129. lege *mirabilia testimonia* &c.

p. 833. in Paraphr. ℣. 170. lege promisisti loco promissisti.

ibid. in marg. ad lit. *f* lege Epist. 63. pro Homil. 63.

p. 834. in marg. ad lit. *z* lege cap. 20. 21. 22. 23. 24. 27. apud Dacherium Spicil. to. 1. p. 222. 223. 224.

p. 838. in Arg. l. 1. lege Τοῖς pro Τοὺς.

p. 859. ad lin. 11. insurgere quis posset & objicere eam (quâ dico Angelos à Platonicis habitos fuisse neficiorum dispensatores) doctrinam cum illâ non constare quæ pag. 516. inferiora seu sublunaria à Deo curari statuit. Respondeo itaque divinam Providentiam in inferiora intentam non impedire, secundùm Platonicos, quominùs beneficia, quibus Deus homines egere novit, per Angelos dispensentur. Audi Platonem ipsum in Epinomide p. 984. D. to. 2. ita loquentem: Δὴ θεοὺς &c. *Deos igitur Jovem & Junonem cæterósque omnes, prout libuerit, collocato: modò eandem legem servet; hàncque stabilem rationem teneat. Visibiles itaque Deos maximos & solitos honore colendos, vésque omnes perspicacissimè notare, æquè ac primos sublimem illam Astrorum naturam affirmandum est; illáque omnia quæ etiam cum his facta sensibus percipimus. Post autem hos, & inferiori quidem gradu, Dæmonas* (sunt Angeli apud Platonicos) *aereum genus, quod tertiam & mediam regionem obtinet: cujus quidem munus est ut medium inter Deos & homines interpretis fungatur officio. Idcircò ob felicem faustámque illam interpretationis operam, precationibus omnique honoris genere eos colere debemus.* Vide eundem Platonem in Polit. p. 271. D. to 2. lib. IV. de Legib. p. 717. B. atque ex to. 3. in Conviv. p. 202. adde *Dæmones sacrificiorum remunerationes & præmia ad homines transmittere.*

ibid. in marg. ad lit. *&* post verbum vide, adde. Hieroclem ad carm aur. Platonem in Polit. p. 271. D. to. 2. IV. de Legib. p. 717. B. in Epinom. p. 984. D. & in Conviv. to. 3. p. 202. D. E. nec non B. Augustinum &c.

p. 863. l. 2. post vocem proprium. adde. De quo legendus insuper Ribera de Templo lib. I. 16 Cæterùm præsentis &c.

p. 876. in fin. lege ἀλληλούϊα pro ἀλληλούϊα.

p. 888. Annot. 4. l. 6. scribe יבקע pro ובקע.

p. 902. Annot. 4. l. 3. scribe legit pro legi.

p. 905. Annot. 1. l. 4. lege arbitratur pro arbitrabatur.

p. 908. l. 5. pro conservationis beneficio sibi proprio lege rectitudinis suæ beneficio

p. 909. Annot. 4 l. 2 post *sydereum*, adde. Ita

p. 910. Annot. 3. l. 5. lege prosopopœiam loco prosopopæiam.

ibid. l. 6. scribe S. Augustinum, &

ADDENDA, EMENDANDA, &c.

p. 914. l. 14. scribe Auctoribus feliciter &c.
ibid, l. 38. lege *recognita* pro *recogn.te*.
in Indice pro A, scribe *A*. Hæc enim vox in numerum venit verborum quæ in prædicto indice designantur Italico charactere, ad discrimen rerum quæ Romano charactere ibidem repræsentantur.
in voce Arabes lege Arabes. Arabia pro Arabes Arabica.
post vocem Bellarminus adde à lineâ. Berosus exploditur 773.
post vocem Curetes adde à lineâ. Currus 574. è curribus pugnandi mos ibid.
post vocem Dæmones adde à lineâ. Darius Medus 760.
post vocem David adde à lineâ. *De* 537. 548.
post vocem *Eructare* adde à lineâ. Erythia 761.
in voce Grotius post 642. adde 645. & post 649. adde 653.
post vocem *Ira* adde à lineâ. Isaac 752.
in voce Judæi post 567. adde, continenter, 642.
literam N auspicare à voce, Nabonidus 773
in voce Psalmorum post numerum 377. adde, continenter, 518, 519, 554, 555, 707, 714, 717.
post nomen Sabelliani adde à lineâ, Saccophori 376.
post vocem Servius lege à lineâ. Sesostris 760.

His addo 1°, quòd, etiamsi ordini Chronologico (in citandis Auctoribus) consuluerim, aliqui tamen diligentiam meam effugere. E multis unum accipe pag. 211. Annot. 3. l. 2. Hegesippus Tertulliano malè præponitur: quippe qui, post Constantini tempora, floruerit; & alius ab eo sit qui Justini & Athenagoræ æqualis erat, atque ab Eusebio & S. Hieronymo celebratus fuit. 2° in pag. 874. & deinceps numeros Lector inveniet alios ab iis quos Regiis Codicibus MSS. cùm initio operis tum in progressu imposueram. Id ita contigisse moneo quia sub finem septemdecim mensium, quos in libri nostri impressione consumsimus, præfati numeri aliique non pauci in ipsâ Bibliothecâ Regiâ mutati sunt, uti uberiùs discent qui ad eruditissimum ejusdem Bibliothecæ curatorem Careavium adierint. 3°. etsi non parvam in punctis & virgulis aliisque hujusmodi sermonis distinctionibus ritè ordinandis nec non in Italicis Paraphrasium vocabulis benè describendis operam collocaverim, erratum tamen est in pluribus locis quàm à me superiùs sunt observata. 4°. Unum eundémque Theodorum Heracleæ Episcopum aliquando Heracleotam interdum Heracleotem appellavi, quemadmodum Apollinarem dixi & Apollinarium. Hanc autem inivi rationem quia Doctores illos variè nominati comperi. Denique ut iis occurram qui, copiosis SS. Patrum aliorúmque Auctorum prolationibus in nostro Opere visis, dicturi fortasse sunt inutiles esse has prolationes, easque venditandæ eruditionis & ostentandæ literaturæ gratiâ adductas fuisse: ut iis, inquam, hominibus occurram, ingenuè confitebor prædictas prolationes simplicem & absolutam necessitudinem non habuisse; & præteriri sine Psalterianæ explicationis dispendio potuisse. Verùm affirmare non cunctabor prolationes illas iis conducere qui uberibus delectantur exemplis ut res penitiùs vel noscant aut de iis variè copiosèque dicere possint. Relegantur quæ pag. 3. 4. dixi; & nostræ, ni fallor, digressiones probabuntur. Ad ostentationem quòd attinet, ab eâ prolationes nostras profectas non esse dicent, opinor, qui me norunt; & fatebuntur cæteri qui Opus nostrum legerint, & quatuor potissimùm loca fuerint intuiti.

Alia, sine dubio, reperiet Lector quæ Additione, aut Emendatione, vel Observatione egeant. Ille ea, ut spero, supplebit: &, si de illis monitum me voluerit, ea reconeinnabo; insupérque monitorem, eum præfatione honoris, nominabo: is enim non sum qui pudore refugiam ab agnoscendis erratis meis; & debitum aliis honorem eripere velim. Quòd si Lectori manum calamo admovere róque adversus me uti libuerit, non rogo ut eodem me modo tractet quo alios accepi: nimirùm ut (quantùm fieri potest) meo vel nomini parcat, vel ab eo mentio fit de mehonorifica antequam errata mea castiget; sed hoc unum, cum Regio Vate, peto: *corripiet me justus in misericordiâ & increpabit me.*

FINIS.



1-6-2





